


DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

TOMUS XLI

OPERA MINORA

IX

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCCXII

DOCTORIS ECSTATICI

DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IMPRIMI POTEST

in festo B. Bonifacii, Episc., Ord. Cart., anno 1912.

Fr. Jacobus-Maria, Prior Cartusiæ.

IMPRIMATUR

Tornaci, 15ª Augusti 1912.

V. Cantineau, Canonicus, Censor librorum.





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

OPERA MINORA

IX

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCXII







Responsorium Ecclesiæ.

Gaude, Maria virgo, cunctas hæreses sola interemisti, quæ Gabrielis archangeli dictis credidisti, dum virgo Deum et hominem genuisti, et post partum virgo inviolata permansisti, etc. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA MINORA

TOMUS NONUS

EX EDITIONIBUS COLONIÆ

SIGILLATIM IN VOLUMINE ANNUMERATIS.

OPUSCULA

HUJUS VOLUMINIS

DE ORATIONE

PROŒMIUM

OPORTET *semper orare et non deficere.* Luc. XVIII, 1.

Hæc sunt verba Christi. Quamvis Dominus et Salvator ad multos actus virtutum in Evangelio admonuerit suos discipulos, de nullo tamen actu virtuoso asseruit quod oporteat eum semper atque indeficienter exercere, nisi de oratione. Ex quo constat quod oratio sit universis hominibus valde specialiter opportuna, et quantum humanæ fragilitati possibile est, incessabiliter exercenda. Propter quod et sanctus Apostolus exhortatur : Sine intermissione orate. Incessanter namque indigemus auxilio *I Thess.* V, 17. Dei, protectione et conservatione ipsius, incremento quoque gratiæ ejus ac spirituali virtutum profectu, eo quod in via Dei non progredi neque proficere, sit regredi atque deficere. Denique in medio laqueorum jugiter ambulamus, et gravissimis innumerabilibusque periculis undique circumdati sumus : imo fortissimis, invidiosissimis, crudelissimis, indefessis et invisibilibus hostibus circumvallamur et impugnamur, quibus propriis viribus nequaquam resistere et prævalere valemus ; qui indesinenter nil aliud moliuntur, nil aliud quærunt neque excogitant, quam ut omni gratia Dei nos privent, omni iniquitati involvant, æterna salute nos spolient, ac secum in infernalem nos trahant damnationem. Amplius, adversarium nostræ salutis ubique portamus nobiscum, utputa proprium corpus infectum et militans contra animam nostram ; imo in *I Petr.* II, 11. corpore et anima tam proni sumus ad vitia, tam defectuosi ac fragiles, quod nisi indesinenter desuper adjuvemur ac roboremur, innumerabiles quotidie culpas incidimus cogitando, appetendo, loquendo, operando et omittendo. Hinc indigemus incessanter clamare ad Dominum, et viscera pietatis suæ immensæ cum omni anxietate, humilitate, diligentia et fervore sollicite implorare, quatenus sine cessatione nos adjuvare, tueri, roborare et confortare dignetur. Propterea unigenitus Filius Dei, virtus et sapien- *I Cor.* I, 24. tia Patris æterni, magni consilii angelus, id est nuntius, saluberrime ac sapientissime *Is.* IX, 6, juxta LXX. nos edocuit atque admonuit, dicens : « Oportet semper orare ». Et certe quod docuit verbo, præmonstravit exemplo : quoniam ipse in Evangelio legitur sæpissime exorasse, ut infra dicetur.

Quum ergo orare sit opus præcipuum et maxime necessarium, saluberrimum quoque, universorum concernens statum fidelium, expedit de ipsa oratione tractare et declarare quid sit oratio et qualiter sit orandum, atque de causis orandi, de loco et tempore orationis, et de effectibus, proprietatibus impedimentisque ejus, et de præparatione animi ad orandum, de speciebus quoque orationis et circumstantiis ejus. Præterea, quoniam oratio et laudatio sibi invicem sunt connexæ, imo et mixtæ, et una alteri acceptabilitatem efficaciamque largitur, juxta quod scriptum est, Laudans invocabo *Ps.* XVII, 4. Dominum, et ab inimicis salvus ero ; idcirco et de laudatione divina et psalmodia in præsenti libello tractabitur.

Et quoniam, protestante divino Dionysio tertio de Divinis nominibus capitulo, ante omnia expedit ab oratione incipere, ita ut per orationem tradamus et uniamus nos Deo, sicque juvemur, dirigamur et illuminemur ab eo, tanquam totam spem nostram constituentes in ipso, sine quo nec ad momentum subsistere, nec aliquid virtuose ac meritorie cogitare, affectare, loqui aut agere possumus ; idcirco et ego nunc de oratione et laude Dei scripturus, in primis invoco et imploro infinitam omnipotentis Dei clementiam, quatenus me in toto hoc opere benignissime adjuvare, dirigere, illuminare ac docere dignetur, ad laudem et gloriam majestatis ipsius.

DE ORATIONE[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit oratio.

ORATIO, ut asserit Damascenus, est *petitio decentium a Deo,* id est postulatio rerum salubrium quas decet peti a Domino majestatis ac sanctitatis immensæ, a quo nec vilia nec puerilia neque illicita sunt petenda, sed summum bonum, videlicet ipsemet Dominus Deus, tanquam objectum, causa et fons totius salutis, deinde beatifica visio ejus, quæ est beatitudo æterna omnium electorum, consequenter ea quæ nobis necessaria aut utilia sunt ad obtinendam felicitatem perpetuam, utputa gratia gratum faciens, et virtutes infusæ ac spirituales profectus in eis, et merita vitæ beatæ, remissio præteritarum culparum et evitatio futurarum, atque in omni tentatione triumphus. Temporalia quoque bona a Deo sunt postulanda in quantum sunt expedientia et necessaria ad virtuose vivendum, ad proficiendum in spiritualibus bonis, ad adipiscendum dona gloriæ æternalis.

Itaque a liberalissimo ac gratiosissimo Deo principalissime atque finaliter postulare debemus ipsummet summum et incommutabile bonum, et incomparabile et immensum, sine quo nec esse, nec laudabiliter vivere, nec felices esse aut fieri possumus, atque ad quem nos ipsos et omnia nostra ac cuncta creata finaliter ordinare debemus. Deus namque præstan-

A do dona sua gratuita, utputa caritatem et gratiam, rationalibus creaturis, præstat eis se ipsum, ita quod ipse est objectalis beatitudo, pars, possessio hereditasque earum, quo in hac vita fruuntur inchoative et imperfecte, in futura autem vita plenarie et æterne. Unde sanctus Jeremias propheta testatus est : Pars mea Dominus, dixit anima mea; propterea exspectabo eum. (*Thren.* III, 24.) Et beatus rex David : Dominus pars hereditatis meæ, (*Ps.* XV, 5.) id est pars mea hereditaria ac bonum illud præcipuum quod præ cunctis B elegi et diligo, quod est vera et summa opulentia amatorum suorum. De quo rursus ait Psalmista : Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. (*Ps.* LXXII, 25, 26.)

Insuper, quoniam rationalis intellectualisque creatura summe desiderat id clare videre et eo plenarie frui quod maxime amat et cupit, idcirco post desiderium et amorem summi, increati ac invariabilis boni, potissime appetit claram, immediatam ac facialem intuitionem atque noti- C tiam ejus, suavissimam quoque et æternam et perfectam fruitionem ipsius, qua adepta tam plenarie contentetur et quietetur, ut nil amplius nec aliud valeat affectare, quia nec aliter potest hoc summum bonum perfecte possidere, nisi intuendo ipsum ac eodem perfruendo modo jam tacto. Denique hæc beatifica visio Deitatis est ultimus finis et beatitudo formalis inhærens electis, videlicet perfectissima actio eorumdem.

[1] Ex editione Coloniensi Joannis Soteris, 1532.

Quemadmodum autem rationalis creatura orat et invocat Deum verum pro obtinenda beatitudine ista, sic orat et invocat eum pro mediis necessariis atque accommodis per quæ valeat tantam adipisci felicitatem : quæ media sunt remotio impedimentorum salutis, id est, expulsio vitiorum, indulgentia peccatorum, expugnatio tentationum, et omnium devitatio per quæ impeditur homo a vera conversione, contritione, ac spirituali profectu perseverantiaque finali. Porro gratia et virtutes ac dona Spiritus Sancti, virtuosique actus et spirituales profectus, contritio et conversio, illuminatio et inspiratio Spiritus Sancti, sunt media magis directa et propinqua obtinendi salutem æternam, quam prætactæ remotiones impedimentorum salutis. Itaque Deum gloriosum et pium quotidie invocare debemus pro omnibus mediis istis, et pro eorum profectibus et augmentis, exorando infinitam benignitatem ipsius ut omnia peccata nostra præterita nobis clementer ignoscat, et a futuris excessibus ac peccatis nos præservare dignetur, quotidianum quoque præstet profectum in omni gratia, virtute ac dono Spiritus Sancti, in refrenationibus passionum, in exstirpationibus vitiorum, in tentationum victoria, in prudentia et cautela vitandi periculosa et vana consortia, imo et universas occasiones peccandi, sicque evadamus pœnas purgatorii ac inferni.

Præterea, quædam sunt orationes in quibus hæc omnia postulamus, ut est oratio illa dominica, Pater noster ; quædam vero sunt orationes in quibus petimus aliqua horum aut unum, ut est facile pensare : et secundum hoc assignantur diversæ species orationis, ut infra tangetur.

Insuper, quia orantem oportet attendere propriam defectuositatem, infirmitatem et culpam, sicque ad divinam confugere pietatem, quod non contingit nisi credendo seu considerando Deum esse omnipotentem ac misericordem, et omnia cognoscentem, disponentem ac judicantem ; idcirco
A oratio dicitur *ascensus mentis ad Deum,* quoniam orans a consideratione propriæ insufficientiæ et peccati mente conscendit ad considerationem omnipotentiæ, clementiæ ac providentiæ Dei, qui solus per omnipotentiam suam potest impium justificare, et per suam clementiam pronus est indulgere, atque per invariabilem providentiam suam facit omnia cooperari suis electis in bonum, [*Rom.* VIII, 28.] et ex malis elicit bona, et cuncta prout voluerit ordinat, et ad pium ac salubrem finem convertit ac
B ducit.

Amplius, quia oratio ex desiderio oritur, nam et interpres (id est expositor ac propositor nuntiusque) desiderii nuncupatur ; ideo asserit Augustinus, quod oratio est *pius affectus mentis in Deum directus.* Quod qualiter intelligendum sit, Thomas super quartum Sententiarum, distinctione quintadecima, exponit, dicendo : [q. IV, a. 1, q^cula 1 ad 1um.] Dirigere mentis affectum in Deum contingit dupliciter. Uno modo sicut in objectum : sicque affectus in Deum directus, est amor
C Dei. Alio modo tanquam in id per quod adimplenda est mentis affectio : et hanc directionem mentis in Deum facit ratio, et ipsa directio oratio appellatur. Sicque oratio vocatur desiderium seu affectus, sicut res sperata interdum spes nominatur, ut quum ait Propheta : Quoniam tu, Domine, [*Ps.* XC, 9.] spes mea ; atque Apostolus : Spes quæ [*Rom.* VIII, 24.] videtur, non est spes.

Postremo, sicut ait Isidorus, orare prima impositione est idem quod dicere : sicque oratio vocatur locutio. Et dicitur oratio
D quasi oris ratio, quia ex sua institutione oratio designat expressionem actus ipsius rationis per officium oris. Hinc ait Bernardus : Oratio, oris est ratio, quando jam ore suo loquitur homo cum Deo. Hinc quoque sermones rhetorici dicuntur orationes, et rhetores oratores. Unde oratio proprie sumpta, de qua nunc sermo, vocatur divina rhetorica. Propter quod Guillelmus Parisiensis librum quem de oratione composuit, de Divina rhetorica intitulavit.

ARTICULUS II.

De dignitate et utilitate et fructuositate orationis.

LOQUAR *ad Dominum* Deum *meum, quum sim pulvis et cinis.* Gen. XVIII, 27.

Recte dixit Chrysostomus : Vide, o homo, quanta tibi collata sit dignitas, quanta gloria condonata : orationibus confabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia. Magna certe et ineffabilis dignatio Dei omnipotentis, quod sic semper paratus est admittere allocutionem suæ fragilis creaturæ. Nonne magnus et prosper reputaretur in palatio regis terreni, qui ad beneplacitum suum posset habere accessum ad regem, atque ad libitum alloqui eum etiam familiariter ac diffuse? Nonne igitur incomparabiliter major est dignitas hominis, omni loco ac tempore ad Regem gloriæ adorandum habere aditum liberum et acceptum, et jugiter eum affari per verba sacra, cœlestia ac divina, quod fit in oratione ac laude Altissimi? Denique, dicere solent philosophi, quod motus seu actio dignitatem sortitur a termino *ad quem*. Quum itaque Deus, ad quem dirigitur et terminatur oratio, sit excellentiæ penitus infinitæ, constat quod Deum per orationes affari, sit præstantissima actio.

Præterea, inter virtutes morales latria exstat præcipua : quæ est virtus Deo cultum cærimoniamque impendens. Oratio autem actus est latriæ : idcirco est actio præcipuæ dignitatis. Insuper, tam laudem Dei quam contemplationem ipsius aliquo modo includit oratio. Orans quippe non solum culpam defectuositatemque propriam intuetur, sed Creatoris quoque altissimi pietatem, omnipotentiam excellentiamque fatetur, considerat et extollit : quia in ipso tanquam in principe summo, qui solus potest salvare, spem suam constituit. Quum ergo laudatio Dei et contemplatio ejus sint nobilissimi ac divinissimi actus, elucescit quod oratio, quæ eas aliquo mo- A do includit, sit actio valde divina, præclara et gloriosa. Nam et orationes in divinis Scripturis contentæ, et item ab Ecclesia institutæ, seu a quocumque fideli devote Creatori oblatæ, laudibus Dei communiter sunt refertæ, permixtæ ac decoratæ.

Amplius, in actu orandi personæ devotæ cum beatissimis civibus regni cœlestis conveniunt. Quamvis enim orare magis conveniat viatoribus quam Beatis, tamen et ipsi Beati orant, et nostras orationes B Deo gloriæ repræsentant. At vero oratio a terrenis ad Deum elevat mentem, et eam suo copulat Creatori; et tanta est orationis utilitas, fructuositas ac potestas, quod eas plene exprimere non valemus. Oratio namque in omni necessitate, tribulatione, angustia unicum et efficacissimum exstat solatium, subsidium atque refugium, quemadmodum devotus rex Josaphat legitur dixisse ad Dominum : In nobis non est tanta fortitudo, ut resistere possimus hostibus nostris; sed quum ignoremus quid agere C debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. [II *Par.* XX, 12.] Hinc dixit vir sanctus : Ad Dominum, quum tribularer, clamavi, et exaudivit me. [*Ps.* CXIX, 1.] Et Dominus in Psalmo promisit : Clamavit ad me, et ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. [*Ps.* XC, 15.] Imo ipsemet Dominus nos hortatur : Invoca me in die tribulationis; eruam te, et honorificabis me. [*Ps.* XLIX, 15.]

Itaque oratio ab adversariis nostræ salutis nos protegit; divinæ pietatis opem et D consolationem acquirit; Deum placat, et nos reos reconciliat ei; gratiam, sapientiam et virtutes ab Omnipotente procurat, atque earumdem profectum ac perfectionem meretur. Oratio æternam beatitudinem adipiscitur; nubes cœlosque penetrat; [*Eccli.* XXXV, 21.] pro præteritis satisfacit peccatis; thymiama est boni odoris et sacrificium Deo gratissimum, via illuminationis supernæ ad videndum salutare Dei in via per gratiam, et in futuro per gloriam. Oratio exercitium est præcipuum et occupatio

omnium devotorum, fructuosa deductio temporis, præservatio a futuris excessibus, medicina culparum, confortatio infirmorum, consolatio desolatorum, conservatrix bonorum, ductrix cæcorum, opulentia omnium viatorum. Hinc Dominus dixit per apostolum Jacobum : Tristatur aliquis vestrum ? Oret æquo animo, et psallat. Itemque : Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, et dabitur ei.

Jacob. v, 13. — *Ibid.* I, 5.

Unde Climacus orationem commendans: Oratio, inquit, est conjunctio Dei et hominis (id est unio hominis orantis cum Deo), consistentia mundi (quia sanctorum precibus mundus subsistit, qui alias propter scelera impiorum periret), collectio spiritualis ornatus (quia orando obtinet homo decorem gratiæ et incrementum virtutum), reconciliatio Dei, mater et filia lacrimarum, propitiatio peccatorum, pons tentationum, murus medius tribulationum, præliorum destructio, angelorum operatio, incorporeorum omnium alimentum, futura jucunditas, actio infinita, fons virtutum, conciliatrix charismatum, profectus invisibilis, deliciæ animarum, illuminatio mentis, desperationis securis, demonstratio spei, dissipatio tristitiæ, divitiæ monachorum, quiescentium (id est solitariorum et contemplativorum) thesaurus, diminutio iræ, conservatio gratiæ, ac signum divinæ clementiæ.

Scal.parad. grad.XXVIII.

Præterea, sicut primo Collationum volumine Cassianus refert ex verbis Isaac anachoretæ, tanta est dignitas atque excellentia orationis, ut omnium religiosorum finis et perfectio tendat ad jugem ac indiruptam orationis perseverantiam atque immobilem mentis tranquillitatem ac puritatem, propter quas omnem corporis laborem et spiritus contritionem quærimus indefesse ac jugiter exercemus. Estque inter indesinentem et puram orationem et inter immobilem mentis tranquillitatem ac omnium virtutum perfectionem, reciproca quædam inseparabilisque conjunctio. Nam sicut ad orationis perfectionem ordinatur ac tendit omnium structura virtutum, sic ipsarum virtutum ædificia nullo modo poterunt esse firma ac perdurare stabilia, nisi hujus orationis culmine fuerint colligata atque compacta. Quemadmodum enim sine virtutum perfectione acquiri aut consummari non potest perpetua ac incessabilis orationis tranquillitas, ita nec virtutum perfectio sine hujusmodi oratione assidua poterit obtineri. Idcirco hæc duo se invicem juvant et promovent, ac pariter crescunt.

Collat. IX, c. 2.

Præterea, præinductis consonat quod sanctus ait Bernardus : Rogo ut semper ad manum habeatis tutissimum orationis refugium. Nemo suam parvi pendat orationem. Dico enim vobis, quod Deus omnipotens, quem oramus, eam non parvi pendit, et priusquam ab ore nostro egressa sit, præcipit eam scribi in libro suo : imo angelorum manibus rapitur ab ore nostro, ut repræsentetur ac offeratur Altissimo.

Hinc quoque Guillelmus Parisiensis in exordio libri de Divina rhetorica loquitur : Quæ et quanta sit dignitas ac præcellentia orationis, in sacris et sanctificatis exercitationibus clare apparet, ex eo quod omnis sanctificatio, benedictio et consecratio, omne etiam sacramentum, et omnino quidquid in cultu divino honorificentiæ agitur, aut oratio est, aut oratione efficitur ; deinde ex hoc quod omnis sanctorum Ecclesia, cœlesti ac divino magisterio instituta ac erudita, tanta tamque multiplici celebritate frequentat orationem, ut ei die noctuque insistat atque invigilet, et eidem impertiatur vitæ præsentis tempora, tanquam ipsi orationi consecrata ac deputata. Cujus rei nulla causa alia aut ratio existimari cogitarive potest, nisi tanta orationis fructuositas, et item necessitas, quæ tantam frequentationis ac instantiæ assiduitatem et continuitatem exigat et requirat. Tertio patet hoc ex miris effectibus et mira numerositate utilitatum orationis. De quibus jam dictum est et infra dicetur. — Hinc sanctus asserit Augustinus : Oratio est animæ fidelium subsi-

dium, angelo sancto solatium, diabolo supplicium, Deo sacrificium, religionis corona, laus tota, perfecta gloria, spes certa, sanitas incorrupta.

Postremo, quum talis et tanta sit sacræ orationis dignitas, utilitas, fructuositas, virtus et fortitudo, quæ et qualis est nostra insipientia, ingratitudo, negligentia, imo perversitas, quod sacrosanctæ orationis exercitio saluberrimo derelicto, vanis, vitiosis ac vilibus confabulationibus, jocis risibusque vacamus, otio locum damus, stultis et nocivis imaginationibus ac phantasiis insistimus, et tempus nobis concessum, non solum otiose et infructuose, verum etiam vitiose et malitiose expendimus, ac damnabiliter perdimus illud, imo nos ipsos in hoc tempore brevi? Heu, quanta est ista perversitas, quod magis delectat nos fabulatio vana, quam nobilissima allocutio Dei in oratione tam salutari! Resipiscamus ergo a tanta stultitia atque malitia, et orationibus cum Deo loqui assuescamus; et in hoc exercitio virtuoso sit præcipua consolatio nostra: imo Deo excelso et benedicto incessabiles et præcordialissimas de hoc gratias quotidie referamus, quod ita dignatur nos ad suæ majestatis alloquium ad libitum nostrum semper et ubique admittere, et ad tantam dignitatem ac gloriam nos promovit, quod sic indesinenter possumus nos occupare cum ipso et in ipso, atque de tanto subsidio misericordissime nobis providit.

ARTICULUS III.

De speciebus seu partibus orationis.

OBSECRO *primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* I Tim. II, 1.

Oratio uno modo accipitur communiter et extense, prout dicitur esse petitio decentium a Deo, sicut expositum est primo articulo: sicque includit obsecrationem,

A postulationem, gratiarum actionem, et etiam orationem stricte ac specialiter sumptam, tanquam species vel tanquam partes integrales.

Obsecratio namque vocatur oratio et invocatio Dei facta per aliquod sacrum, cujus virtute aut merito seu dignitate ipsa obsecratio exaudiatur, ut quum dicimus: Deus, propter propriam tuam bonitatem et misericordiam nos exaudi. Interdum vero fit talis obsecratio per sacrum increatum, ob cujus dignitatem et sanctitatem orans B petit desuper exaudiri. Sicque oravit David in Psalmo: Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine; (*Ps.* XXIV, 7.) Daniel quoque propheta, dicendo: Propter temetipsum, Deus meus, inclina aurem tuam et audi. (*Dan.* IX, 17, 18.) Aliquando vero fit obsecratio per sacra creata, præsertim per Christi mysteria (sicut in litaniis: Per passionem et crucem tuam libera nos, Domine), vel per preces ac merita aliorum Sanctorum, quorum meritis et precibus petimus adjuvari et exaudiri, aut propter C eorum dignitatem virtuositatemque acceptari. Denique quandoque in eadem obsecratione continentur utraque sacra ista, videlicet sacrum increatum et sacra creata, ut si dicamus: Deus omnipotens, propter bonitatem tuam immensam exaudi nos per omnia illa quæ Christus pro nostra salute assumpsit, fecit ac passus est. Et talis oratio videtur esse dignissima, atque ad impetrandum magis idonea.

Porro postulatio appellatur oratio fusa pro bonis æternæ gloriæ adipiscendis: ut D quum oramus ab exsilio hujus peregrinationis ac viæ ad claritatem et beatitudinem patriæ cœlestis transferri ac introduci. Sicque ex divina inspiratione Philippus apostolus dixit ad Christum: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis; (*Joann.* XIV, 8.) et Propheta: Ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus. (*Ps.* LXXIX, 4, 8, 20.)

Oratio autem stricte et specialiter sumpta, prout est species orationis communiter sumptæ, vocatur petitio bonorum gratiæ ac virtutum, aliorumque mediorum

per quæ ad felicitatem plenam pertingitur.

Gratiarum vero actio potest dici vel oratio continens gratiarum actiones Deo oblatas pro beneficiis ejus, vel ipsa gratiarum actio, quæ est orationis completio et integralis pars ejus, per quam tam ipsa oratio Deo fusa exaudibilis redditur, quam sequentibus orationibus via ac præparatio exauditionis aperitur. Qui enim gratus est de acceptis et de minoribus regratiatur, majoribus donis efficitur dignus : quia, ut ait Salvator, habenti (id est gratias referenti) dabitur, et abundabit. *Matth.* xxv, 29.

Præterea, omnes istæ partes et species orationis quandoque in eadem oratione comprehenduntur, ut si dicamus : Omnipotens et æterne Deus, peccatis nostris ignosce, virtutes infunde, beatitudinem tribue propter te ipsum, per Jesum Christum.

Insuper, quidam inter prædicta ita distinguunt, ut oratio dicatur petitio facta pro bonis obtinendis ; postulatio, pro malis arcendis aut removendis ; obsecratio vero sit petitio adjurativa, facta per aliqua sacra : unde Glossa super prætacta Apostoli verba affirmat, quod obsecrationes sunt adjurationes pro rebus difficilibus factæ, ut pro suscitatione mortui justificationeve impii. Et hanc distinctionem assignat Guillelmus Parisiensis. Quocirca pensandum, quia (ut asserit sanctus Doctor super quartum Sententiarum, distinctione quintadecima) sicut in juramento assumitur divina veritas tanquam certior et infallibilior in testimonium veritatis a nobis prolatæ, ita in adjuratione assumitur semper potentior virtus ad impetrandum id quod ex propria infirmitate non possumus impetrare : sicque adjurans fatetur in se defectum virtutis seu potestatis. Verum id per quod adjuramus, quandoque assumitur ad inclinandum et causandum per violentiam : ut dum Sancti adjurant dæmonia ut ab obsessis recedant corporibus. Interdum autem assumitur ad inclinandum per benevolentiam ; et sic Deum Patrem adjuramus et obsecramus per Filium ejus et alios Sanctos qui præ nobis Deo accepti sunt. q. iv, a. 3, q^{cula} 1 ad 1um.

Amplius, ut docet Hugo de S. Victore, est quædam species orationis quæ insinuatio dicitur, quæ quamvis sit virtualiter oratio, non tamen petitionem formaliter exprimit : ut quum beatissima virgo Maria dixit ad Christum filium suum in nuptiis, Vinum non habent, id est, opto et precor ut de vino eis provideas. *Joann.* ii, 3. Talis demum expressio petitionis interdum omittitur ex plenitudine confidentiæ et familiaritatis quam habet orans ad eum quem ita alloquitur : ut in prædictis sacratissimæ* verbis, quæ suæ maternitatis privilegio ita locuta est unigenito Filio suo. Interdum vero omittitur ex pia erubescentia aut reverentia ejus ad quem sermo dirigitur, vel ex causæ difficultate, sicut sorores Lazari mandaverunt Christo, dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur. *Ibid.* xi, 3. Et rursus Christo sigillatim dixerunt : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. *Ibid.* 21, 32. Quasi dicerent : Causam tibi insinuamus, desiderium nostrum agnoscis, effectum pietati tuæ committimus ; et tamen, quantum in nobis est, fratrem nostrum resuscitari precamur, quamvis ob reverentiam tuam et ex verecundia non exprimamus hoc ipsum.

* [Virginis]

Postremo, est quædam integralis pars orationis : quæ pars vocatur exordium, et captatio, seu laus per quam benevolentiam et gratiam procuramus ejus quem exoramus, ipsum laudando in se ipso vel in suis operibus, vel humiliando ei nos ipsos, seu alio modo. Sicque B. Ambrosius dicit laudem esse partem orationis. Unde in orationibus et collectis Ecclesiæ frequenter præmittitur : Omnipotens, sempiterne Deus ; vel : Deus, qui abundantia pietatis tuæ et merita supplicum excedis et vota ; seu : Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur.

Species quoque orationis adhuc aliis modis distinguuntur a Bernardo in epistola ad Fratres de Monte Dei, atque a Cassiano primo libro Collationum. collat. ix, c. 9 et s.

ARTICULUS IV.

De variis causis et incitamentis invocandi Deum indesinenter cum omni diligentia et fervore.

QUUM *quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ.* Deut. IV, 29.

Orare, est divinum auxilium implorare, et dona Dei efflagitare : idcirco quo amplius ac multiplicius indigemus auxilio B Dei et donis suæ clementiæ, eo instantius atque ferventius oportet orationibus nos vacare. Denique, quædam sunt mala culpæ, quædam mala pœnæ, quædam mala infernalis miseriæ. Rursus, quædam sunt mala præterita, quædam mala præsentia, quædam mala futura. Multa sunt quoque quæ incitant et inclinant nos ad peccandum, videlicet : fomes peccati, concupiscentia carnis, consuetudo prava, societas mala ; quatuor vulnera animæ ex originali peccato inflicta et consecuta, quæ sunt, C habitualis concupiscentia quædam in vi concupiscibili, infirmitas in irascibili, ignorantia in ratione, malitia in voluntate ; mundus, et amabilitas quædam, pulchritudo ac delectabilitas creaturarum, atque invisibiles hostes.

Primo itaque divinam misericordiam jugiter invocare debemus propter peccata præterita, ut nobis indulgeantur quantum ad culpam et pœnam, ita ut in præsenti vita pro eis satisfaciamus, ne vitæ futuræ reservemur suppliciis. Hinc in Ecclesia- D *Eccli.* XXI, 1. stico docetur : Fili, peccasti ? ne adjicias iterum, sed de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur. Nempe, ut ait Scriptura, *Job* XXIV, 12. Deus peccata inulta abire non patitur. Idcirco necesse est ea vel in præsenti sæculo aut in futuro puniri : pœna namque correspondet atque debetur culpæ. Verumtamen magna pars punitionis, satisfactionis et expiationis culparum, est cordialis contritio ac erubescentia de eisdem; ardor quoque caritatis vitiorum consumit

A reatum. Præterea, quo Deum gloriosum et summum enormius, frequentius diutiusque offendimus, eo incessabilius, dolorosius, humilius et ferventius benignitatem Dei et veniam postulare debemus, et dicere cum Manasse : Peccavi super numerum arenæ maris, multiplicans offensiones, abominationesque statuens, et non est respiratio mihi ; [Oratio Manassæ.] et cum Psalmista : Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me ; [*Ps.* XXXVII, 5.] itemque : Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis ; [*Ps.* LXXVIII, 8.] atque cum Esdra : Deus meus, confundor et erubesco faciem meam levare ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et peccata nostra creverunt usque ad cœlum. [I *Esdr.* IX, 6.] Itaque contritio ex qua pro remissione culparum Dominum invocamus, debet esse adæquata gravitati et multitudini transgressionum nostrarum.

Secundo Omnipotentem quotidie exorare debemus propter peccata nostra quotidiana, quibus omittendo et committendo offendimus eum quotidie multoties valde, imo innumerabiliter potius et multo frequentius quam advertimus aut scire valemus, cogitatu, affectu, locutione et actione, omnique sensu exteriori et interiori, activis quoque passivisque scandalis et alienis peccatis, atque in cibo, potu, somno, vestitu et incessu, ac negligentiis, levitatibus et dissolutionibus multis, ita quod intercedere indigemus : Ab occultis meis munda me, Domine ; [*Ps.* XVIII, 13.] et rursus : In multis offendimus omnes ; [*Jacob.* III, 2.] et, Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis homo vivens. [*Ps.* CXLII, 2.] Merito ergo dixit beatus Job : Non justificabitur homo compositus Deo ; si voluerit cum eo contendere, non poterit respondere ei unum pro mille. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Etiamsi habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum Judicem deprecabor. [*Job* IX, 2, 3, 20, 15.] Ecce quam humiliter et contrite,

quam frequenter ac fervide oportet nos A Dominum invocare pro quotidianorum nostrorum remissionibus peccatorum.

Tertio oportet nos Deum jugiter exorare, ut a peccatis nos præservare dignetur futuris, quæ nisi ab illo adjuti, protecti et præservati fuerimus, incidemus. Hinc affectuosissimo et devotissimo corde dica-
Ps. XXXVII, 22. mus : Ne derelinquas nos, Domine Deus
Ps. XVI, 8. noster. Et denuo : Custodi me, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum
Ps. CXVIII, 133. protege me ; gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur B
Ps. LXXXV, 11. mei omnis injustitia ; deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua ;
Ps. XXIV, 5. dirige me in veritate tua, et doce me.

Quarto indigemus sic deprecari propter pronitates et proclivitates peccandi, quibus infecti et pleni sumus in corpore et in anima. Deformatæ sunt etenim animæ vires et ad peccandum pronissimæ : proclivis est intellectus ad ignorantias, falsitates, errores, deceptiones, obtusus et tardus ad capiendum salubria, promptus ad curiosa, stulta, inania, in quibus facillime C delectatur complacentiamque habet ; memoria quoque vaga instabilisque consistit, tenax inutilium et malorum, obliviosa salutarium et bonorum ; sic et voluntas ad malitias, nequitias, dolos, aversiones, invidias invenitur proclivis. Insuper appetitus sensitivus tam concupiscibilis quam irascibilis, ad diversarum passionum immoderantias et excessus totus pronissimus est, miserabiliter infectus et deformatus. Difficillimum quoque est interiores et exteriores sensus sic refrenare et regere, ut D circa sua non excedant objecta, ita ut nec videndo, nec audiendo, nec tangendo, nec odorando neque gustando peccemus, nec vanis imaginationibus, phantasiis, æstimationibus aut suspicionibus occupemur aut immoremur. Amplius, caro ipsa vehementer infecta est, gravis, libidinosa, et rationi rebellis, imo (ut etiam Plato in Phædone testatur) mille impedimenta virtutum contemplationumque exhibens. Propter quod dixit Apostolus, et unusquisque nostrum dicere habet : Scio quia non ha- *Rom.* VII, 18.
bitat in me, hoc est in carne mea, bonum ; et, Video aliam legem in membris meis, *Ibid.* 23.
repugnantem legi mentis meæ ; itemque : Infelix ego homo ! quis me liberabit de *Ibid.* 24.
corpore mortis hujus ? Quum ergo tam vehementer ac multipliciter, tam indesinenter ac lamentabiliter simus proni et celeres ad peccandum, imo ad carnalia ac spiritualia vitia, ad omissiones, negligentias et torpores, ad innumerabiles culpas ex parte corporis et animæ; vehementissime ac indesinenter indigemus divinam implorare clementiam, ut ab omnibus his vitiis nos præservet, virtutibus nos confortet, et incessanter gubernet, tueatur ac dirigat, ut cum Psalmista mente grata ei dicere valeamus : Tenuisti manum dexte- *Ps.* LXXII, 24.
ram meam, et in voluntate tua deduxisti me ; et rursus : Protexisti me a conventu *Ps.* LXIII, 3.
malignantium, a multitudine operantium iniquitatem.

Quinto indigemus sic Dominum exorare, ne alliciamur et decipiamur a mundo, a mundanis et pravis hominibus, a periculosis consortiis, a delectabilitate, decore et desiderabilitate creaturarum, quæ factæ *Sap.* XIV, 11.
sunt in odium et in tentationem animæ hominum, atque in muscipulam pedibus insipientium. Ideo Deum ferventissime deprecemur, quatenus tanta gratia, virtute et illuminatione nos impleat, ne ad res creatas afficiamur inordinate, neque in eis culpabiliter delectemur, sed eis tantum utamur in Deo, hoc est secundum Dei præceptum atque consilium, in quantum deserviunt ad Creatoris notitiam, cultum, amorem, timorem ac servitutem. Nempe, ut Salomon contestatur, cuncta fecit Deus *Eccle.* III, 14.
ut timeatur. Atque, ut scriptum est, a ma- *Sap.* XIII, 5.
gnitudine speciei et creaturæ potest Creator cognosci : cujus excellentia, sapientia et potestas in cunctis creaturis relucent. Sicque quidquid amabilitatis, pulchritudinis, delectabilitatis atque dulcedinis in entibus reperimus creatis, ad superexcellentissimi Creatoris honorem et gloriam, timorem, amorem et cultum referamus ac

ordinemus, certi quod ipse universis et singulis in infinitum melior, amabilior, speciosior, delectabilior, dulcior, terribilior honorabiliorque consistit. Non ergo in amore aut delectatione creaturæ sistat, quiescat aut contentetur cor nostrum, sed intra se dicat : Si tam amabilis, tam decora, amœna, suavis est res creata, caduca, terrena, sensibilis seu carnalis, quam amabilis et superamabilis, speciosus, deliciosus, suavis est Creator immensus, cujus respectu totus mundus est tanquam pulvis exiguus ! Sicque ex intuitu et usu creaturarum, amore, timore, cultu et admiratione incomparabilis ac superhonorabilissimi Creatoris accendamur, stimulemur et illustremur.

Is. XL, 15.

Sexto oportet nos Deum infatigabiliter invocare, eo quod tot invisibilibus hostibus atrocissimis, callidissimis, invidiosissimis circumvallemur et impugnemur, qui infatigabiliter nil aliud sitiunt, quærunt aut moliuntur, quam ut æterna felicitate nos privent, omni virtute, gratia et amicitia Dei nos spolient, spiritualiter perimant, ac secum damnationi involvant æternæ. Quum ergo tot ac talibus inimicis propriis viribus nullatenus prævalere valeamus, necesse est nos divinum subsidium incessanter efflagitare. Si quis iret per campum latronibus plenum, a quibus sciret se impugnandum, spoliandum et occidendum, nisi aliunde adjuvaretur, haberetque aliquem secum euntem, cujus auxilio posset juvari, defendi, evadere, quam non offenderet illum ! et si aliquando eum offendisset, quam instanter postularet sibi ignosci ! quam item humiliter et obnixe rogaret eumdem ut sibi adsistere dignaretur ! et hoc totum, ne temporalia damna et corporalem mortem brevem incurreret. Quum ergo in sæculo isto peregrini simus et viatores, habeamusque Deum ubique et semper præsentem, quantum vitare debemus ejus offensam, et implorare ipsius indulgentiam atque subsidium, ut nos a præfatis hostibus dignetur protegere, ne ab eis spiritualiter occidamur, ne spiritualia damna patiamur, ne æterna beatissima vita privemur, et ne perpetuis intrudamur suppliciis ?

Hebr. XI, 13.

Septimo Deum jugiter invocemus propter mala pœnalia quibus circumdamur, ne persecutionibus, ægritudinibus, damnis, injuriis, increpationibus et castigationibus superemur, sed in his omnibus patientiam habeamus immobilem, et cuncta adversa æquanimiter toleremus, imo per ea purgari in hac vita optemus.

Octavo, quatenus spiritualiter locupletemur : quia orandi officium maxime est lucrosum, per quod omni hora possumus in virtutibus crescere, merita vitæ æternæ augere, copiosioremque beatitudinem promereri. Si videremus mercatorem otio, comessationi et substantiæ suæ dissipationi vacare, qui qualibet hora posset centum aureos nummos lucrari ; insipientem ac miserum reputaremus hujusmodi hominem. Nonne ergo nos ipsi incomparabiliter insipientius ac infelicius nos habemus, qui quum omni hora possimus in cœlestibus charismatibus, meritoriis actibus æternisque beatissimis præmiis tam vehementer orando proficere et ditari, non solum a sancto orandi exercitio tepescimus et cessamus, sed etiam loquacitatibus variisque peccatis vacamus ? Resipiscamus ergo a tanta insania.

Nono, ut jugiter orando, Deum incessabiliter honoremus, et ejus assidue accendamur amore, atque celerius ad regnum pertingamus cœleste. — Decimo, quatenus indesinenter orando, pro nostris satisfaciamus peccatis. Oratione namque, eleemosyna atque jejunio præcipue satisfit pro omni peccato. — Undecimo, ut a futuris purgatorii ac inferni eruamur suppliciis. — Duodecimo, ut proximos ædificemus, et eorum necessitati ac indigentiæ succurramus. — Tertiodecimo, quia ad exorandum assidue sacra Scriptura et omnis sanctorum Patrum doctrina, exempla et vita nos uberrime admonent et informant.

Quartodecimo, ut adversarios nostræ salutis invisibiles hostes affligamus, fugemus

et prosternamus, quemadmodum scriptum A est : Persequar inimicos meos, et comprehendam illos. *Ps.* XVII, 38. Orationum namque instantia ac fervore potissime affliguntur ac vincuntur.— Quintodecimo, quoniam Christus, cujus omnis actio est nostra instructio, in Evangelio legitur sæpius orasse : *Matth.* XXVI, 36-44; *Marc.* I, 35; VI, 46; *Luc.* III, 21; V, 16; etc. quum tamen non posset peccare nec decipi, et non solum in quantum Deus omnia posset, sed etiam secundum assumptam humanitatem data ei esset omnis potestas in cœlo et in terra. *Matth.* XXVIII, 18. Idcirco ad nostram instructionem hoc egit. — Sexto- B decimo, quia incerti sumus an simus in caritate : idcirco assidue nos oportet orare, ut caritas vera nobis si infusa non est, infundatur, aut jam infusa augeatur atque perficiatur.

Itaque, quum tot et tanta habeamus incitamenta, tot causas et necessitates incessanter orandi, nequaquam ab orationibus desistamus : imo, quum tot et tantis simus vallati laqueis, periculis et peccatis, jugiter exclamemus ad Deum, præsertim quum tam fructuosissimum ac saluberrimum sit C orare.

ARTICULUS V.

Qualiter exorandus sit Deus, id est quam instanter ac fervide.

S*PIRITUS est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Joann. IV, 24.

Qualiter Omnipotentem invocare debemus, perpendere possumus tam ex parte D Dei quem invocamus, quam ex parte nostri, et item ex parte causæ quæ ad orandum nos incitat.

Quum igitur Deus sit bonitas et amabilitatis penitus infinitæ, qui et prior dilexit nos, et nostram quærit appetitque salutem, *I Joann.* IV, 10, 19. debemus eum cum ardenti caritatis affectu orare, præsertim quum nulla actio ei accepta sit, nisi ex caritate, quæ est animæ vita, procedat. Fervida quippe et affectuosa oratio instar ignis celerrime scandit in cœlum, et usque ad divinæ præsentiam majestatis pertingit. Nempe non clamor, sed amor in auribus resonat Creatoris. Ideo dixit Psalmista : Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. *Ps.* CXL, 2. Imo fervens orantis dilectio insuperabilem Deum superare, flectere et ligare videtur. Propter quod ferventissimo oratori suo Moysi dixit : Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos. *Exod.* XXXII, 10. Tanquam dicat : Fervor amoris quo oras et æstuas pro credita tibi plebe, me tenet et impedit a debita ultione. Hinc sanctus ait Bernardus : In auribus Dei desiderium vehemens, magnus clamor ; remissa autem intentio, vox submissa. Hinc Moysi vocaliter non oranti dictum est : Quid clamas ad me? *Ibid.* XIV, 15. Sic clamorosa oratio exauditionem atque divinorum revelationem meretur. Unde ad Jeremiam prophetam Dominus loquebatur : Clama ad me, et exaudiam te, et annuntiabo tibi grandia et firma quæ nescis. *Jer.* XXXIII, 3.

Desiderium etenim est quidam spiritualis hiatus et apertio cordis, aptans et dignificans illud ad susceptionem charismatum quæ precatur; et ipsa dilectio propinquat et unit amantem dilecto : sicque a fonte gratiæ ac virtutum copiosius adimpletur, præsertim quum sancta caritas potissime reddat rationalem creaturam suo Creatori amabilem ac dilectam. Et certum est quod eorum qui se invicem fervide diligunt, proprium sit se et sua invicem libenter communicare, liberaliter dare, et voluntatem habere conformem. Hinc sanctos et perfectos consuevit Deus celeriter exaudire, et ad eorum instantiam magna et supernaturalia facere ac præclarissimos exercere effectus : quemadmodum ad instantiam Josue fecit solem et lunam in medio cœli stare immobiles per viginti quatuor horas, *Josue* X, 12-14. atque ad pii Ezechiæ instantiam fecit solem retrocedere lineis decem, *IV Reg.* XX, 8-11. et per angelum interfecit centum octoginta quinque millia hominum impiorum, *Ibid.* XIX, 35. vitamque Ezechiæ annis quindecim prolongavit. *Ibid.* XX, 6. Imo Deus, qui caritas est, ferventium amatorum suorum preces et

vota frequenter tam exuberanter ac liberalissime audit et implet per spiritualium ac divinorum infusionem charismatum, quod ipsi totum capere nequeunt, nec tantam visitationis supernæ abundantiam ferre queunt sine corporalis ac mortalis naturæ defectu, atque cum electo Ephrem clamare interdum coguntur : Domine, contine undas gratiæ tuæ.

Accedamus ergo ad Dominum exorandum cum incalescente ipsius amore ; et ante orationem in amore nos exerceamus divino, in ipsa quoque oratione pensemus et intueamur infinitam ejus quem alloquimur et oramus bonitatem, pulchritudinem et gratiositatem : quod si quis egerit, rapietur interdum orando in divitias dilectissimi Dei, tamque profunde absorbebitur ac figetur in Deitatis oceano, quod nec se ipsum nec proprium actum attendet. Hæc est perfecta oratio, quæ in contemplationem terminatur : de qua beatissimus pater Antonius est testatus, quod perfecte non orat nisi qui orando sic absorbetur in Deum, quod obliviscitur et omnino transcendit se ipsum actumque proprium.

Sic oravit magnus ille anachoreta Sisois, qui si quando in oratione extendit manus ad Deum, mox eas retraxit, ne raperetur. Tales fuerunt orationes felicissimæ Mariæ Ægyptiacæ, seraphicique Francisci, ac multorum heroicorum virorum, qui orando non solum mente rapiebantur in totius lucis fontem ac principem, sed corpore quoque elevabantur ac suspensi manebant in aere. Præterea, quid dicam de vere mirabili illa Christina, quæ post primam suam resuscitationem a morte vixit annis circiter quadraginta, atque in suis orationibus tam validissime accendebatur in Deum, quod totum corpus ejus instar ceræ liquefiebat, et pristina amissa figura, velut trochus aut globus sphæricæ factum figuræ circumferebatur in terra. Inter has omnes merito sortitur primatum electissima Christi discipula Maria Magdalene, quæ in vastissima commorans eremo, quotidie in suis orationibus et contemplationibus septies ab angelis sanctis levabatur in aere, atque corporeis auribus symphoniam cœlestis audivit concentus, vitam angelicam ac cœlestem agens in carne mortali.

ARTICULUS VI.

Quam reverenter ac timorate oportet nos orare Altissimum.

Q*UIS poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus ?* I Reg. VI, 20.

Majestati et auctoritati aut dignitati, sapientiæ et excellentiæ, reverentia debetur ac timor sincerus. Nonne ergo Deo majestatis immensæ, Domino universorum, Sancto sanctorum, Creatori dignissimo, soli sapienti et superexcellentissimo Dominatori cum summa et incomparabili reverentia ac casto timore oportet adstare, supplicare et psallere, præsertim quum homo orans sit tantæ defectuositatis et culpæ, ut prorsus indignum arbitrari se debeat ad repræsentandum se tantæ excellentiæ Deo, vererique habeat ne contemnatur et abjiciatur ab eo ?

Verumtamen timor ille debet esse moderatus, inter præsumptionem et pusillanimitatem, inter temeritatem seu nimiam securitatem et diffidentiam medium servans : quatenus sicut ex consideratione divinæ majestatis atque justitiæ Dei timor grandis concipitur, sic ex consideratione pietatis divinæ ac piissimæ dignationis Dei concipiatur fiducia moderans et refocillans timorem. Sicque oratio sit mediocriter timida, non præsumptuosa nec tepida, sed reverentialis et vigorosa, magis innitens benignitati Omnipotentis quam viribus ac meritis propriis, quemadmodum sanctus propheta Daniel dixit ad Dominum : Non in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in misericordiis et miserationibus tuis multis. Hinc ait S. Bernardus : Periculum est, si fuerit oratio nimis timida ; majus peri- *Dan.* IX, 18.

culum, si fuerit temeraria aut præsumptuosa; tertium periculum, si fuerit tepida. Timida namque oratio cœlos non penetrat, quia restringit animum timor immoderatus, ut oratio procedere nequeat. Porro tepida oratio in ascensu languescit et deficit, eo quod vigorem non habeat. Temeraria vero oratio præsumit ascendere, sed protinus resilit, quia resistitur ei, et non solum non obtinet gratiam, imo et meretur offensam.

Præterea perpendamus quam reverenter ac timorose subditi loquantur suis principibus ac prælatis, regibus, imperatoribus ac pontificibus sæculi hujus, qui tamen ejusdem cum eis naturæ sunt, ac similes eis mortales. Nonne ergo reverentia multo majori ac formidine ampliori loqui et supplicare oportet Regi sæculorum immortali, invisibili, infinito? Nonne maledictionem meretur æternam qui hominem magis honorat ac timet quam Deum? Væ nobis qui tam imparate, tam irreverenter ac intimorate ad adstandum, supplicandum et psallendum Deo accedimus. Ideo quales accedimus, tales recedimus, et parum aut nihil orando proficimus : imo ob nostram irreverentiam, negligentiam et informidolosam securitatem magis deficimus. Talis
Job xxxi, 23. non erat beatus Job, qui semper quasi tumentes super se fluctus timuit Deum, et
Ibid. xxiii, 13, 15. ait : Deus solus est, et cogitationem ejus nemo avertere potest; et idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor. Nonne angeli sancti, Cherubim ac Seraphim cum reverentiali timore attoniti adstant et jubilant Deo, quamvis sint confirmati in gratia? Quid ergo agen-
Eccle. ix, 1. dum est homini defectuoso, ignoranti an amore dignus sit an odio, et quid de ipso decrevit Deus, an finaliter sit salvandus, an æternaliter sit periturus?

Præterea attendamus qualiter rei mortis adstent judici temporali, qualiter homicidæ et latrones captivi stent coram principe ac rege terreno, quam formidolose, ne corporali ac brevi morti adjudicentur. Quantum se ipsos humiliant et prosternunt, si aliquam habent evadendi fiduciam! Qualiter ergo oportet nos adstare Judici summo et supplicare Regi altissimo, qui toties æternam damnationem meruimus, qui tam enormiter ac frequenter offendimus, ne ab ipso infernali damnationi adjudicemur, quæ omni temporali morte incomparabiliter terribilior exstat?

Hinc sanctus vir Climacus ait : Si ante condemnatorem visibilem judicem ut pœnis obnoxius aut reus mortis unquam stetisti, typo seu exemplo alterius in tua supplicatione Deo facta non indigebis. Si vero non ita adstitisti, neque exactos pœnis alicubi conspexisti, saltem ex oratione infirmorum ad medicos, quum ab eis exuri et incidi debent, tu disce talem facere orationem coram Deo : hoc est, tam compuncte et formidolose, tam humiliter et lacrimose, tam prostrate et affectuose ora cœlestem Judicem animarumque Medicum, sicut rei mortis deprecantur judicem hominem, et sicut urendi atque secandi supplicant medico. Hinc iterum Climacus protestatur : Condemnatus a judice terreno, non sic timet suæ pœnæ sententiam quemadmodum studiosus orationis exsecutor timet in sua oratione coram Deo. — Ideo dixit abbas Evagrius : Si deficis animo, ora. Scriptum est enim : Oratio alleviabit infirmum. Ora cum timore et tremore atque labore, vigilanter et sobrie : quoniam sic orare oportet, maxime propter invisibiles hostes, qui nos in hoc præcipue impedire nituntur.

Scal. parad. grad. xxviii. — Ibidem. — *Jacob.* v, 15.

ARTICULUS VII.

Quod cum ingenti attentione atque pervigili cordis custodia sit orandum.

In omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. Philipp. iv, 6.

Quis tam amens aut improbus, qui ab homine excellenti præsumat aliquid petere sine attentione? Multo ergo majoris est

improbitatis atque dementiæ, Omnipotentem pro rebus magnis sine attentione orare, præsertim quum dictum sit præcedenti articulo, cum summa reverentia verba orationis et laudis dirigenda esse ad Dominum majestatis. Ideo sancti Patres dixerunt, Deum illam orationem non attendere nec audire quam ipsemet orans non attendit. Imo, quum oratio sit ascensus mentis seu elevatio cordis in Deum, qui verba orationis proferendo distractus est nec Deo intentus, non videtur orare. Ideo, Cassiano narrante, abbas Isaac dixit : Perparum orat, qui tunc solum orare consuevit, dum genua flectuntur ; nunquam vero orat, quisquis etiam flexis genibus evagatione cordis qualicumque distrahitur.

Collation. Patr. collat. x, c. 14.

Itaque ad exorandum Deum idonee et condigne, necessaria est maxima cordis custodia, duplici ratione : primo, quoniam mens humana ex propria natura valde instabilis est, et ad distractionem pronissima ; secundo, quoniam etsi mens orantis per dona gratiæ ac virtutes præparationeque diligenti sit aliqualiter stabilita, dæmon tamen tempore orationis conatur acerrime eam ad evagationes, somnolentias aut torpores protrahere, imo tanto callidius quanto ipsum orandi exercitium salubrius, fructuosius diviniusque consistit.

Quum ergo mentem a distractione sic cohibere sit valde difficile, nisi homo superna visitatione omnino præveniatur, impleatur ac conservetur, recte abbas Agathon est locutus. Nempe interrogatus a Fratribus, quæ virtus in bona conversatione plus habeat laboris, respondit : Puto non esse alium talem ac tantum laborem, qualem orare Deum. Dum enim voluerit homo Deum orare, dæmones semper festinant interrumpere et impedire atque distrahere ejus orationem, scientes quod ex nulla re nisi per orationem ad Deum fusam vincantur. Etenim omnem alium laborem quem homo in religiosa conversatione assumpserit, quamvis instanter patienterque agat, habet tamen et possidet aliquam requiem ; oratio autem usque ad ultimam exhalationem opus est ut habeat magni certaminis laborem.

Hinc S. Bernardus disseruit : Oratio quanto efficacior atque salubrior est, si fiat ut debet, tanto callidius impediri ab adversario solet. Quum autem orare sit Deum quærere, non recte oras, si orando præter Deum aliquid quæras aut cogites, nisi in Deo et propter Deum id quæras et cogites. Verum, ut idem sanctus Pater fatetur, quidam in suis orationibus quamdam hebetudinem et ariditatem sentiunt mentis, ut labiis tantum orantes, non satis attendant neque quæ dicant neque cui loquantur, pro eo quod velut ex consuetudine quadam cum minus digna reverentia et sollicitudine accesserunt. Idcirco in cunctis actibus nostris opus est multa animi vigilantia, sed præsertim in oratione : quamvis enim semper videamur a Domino, tamen in oratione etiam repræsentamus et monstramus nos Deo, quasi facie ad faciem loquentes cum eo.

Itaque orationes nostras et Horas non ex superficiali et arido usu, sed cum grandi diligentia persolvamus, imo tanto devotius quanto frequentius, ne inter eos annumeremur qui quum spiritu cœperint, carne consummantur. De quibus beatus loquitur Augustinus : Multi in exordio suæ conversionis orant fervide, postea languide, postea frigide, postea penitus negligenter, quorum unicuique Deus in Apocalypsi improperat : Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Tantam ergo negligentiam devitemus : quia, ut Climacus fassus est, quemadmodum abominabilis est regi terreno ei adsistens, et vultum suum ab eo avertens ejusque hostibus loquens ; ita abominabilis Deo est, qui ei in oratione adsistit, et cogitationes immundas admittit et suscipit.

Galat. III, 3.

Apoc. II, 4.

Scal parad. grad. XXVIII.

Verumtamen ad hoc quod oratio sit meritoria, non oportet ut sine interruptione atque continue adsit in oratione actualis attentio, sed sufficit quod ex caritate pro-

cedat, et cum recta intentione incipiatur. A Si autem in processu contingat distractio, adhuc virtus boni exordii et rectæ intentionis aliquo modo in sequentibus manet, et ipsam orationem facit meritoriam et acceptam. Sed certum est, quod quanto attentio fuerit major et magis continua, tanto oratio exaudibilior acceptabiliorque efficitur. Si autem desit prima intentio, dicit Thomas, quod oratio non est meritoria nec impetrativa ejus quod postulat. Verumtamen magis apparet, quod quamvis orationem suam aliquis non incepit ex B actuali recta intentione caritatisve motione, si tamen orationem prosequendo redeat ad cor, et eam ex caritate et recta intentione ac vera devotione exsequatur atque continuet, aut saltem sic finiat, meritoria erit et impetrativa, quum omnis actio ex caritate et recta intentione procedens, continuata aut terminata, sit meritoria.

Summm. th. 2a 2æ, q. LXXXIII, a. 13.

Insuper triplex potest esse orantis attentio. Prima, qua attendit ad verba suæ orationis, ut proferat ea integre et distincte. C Quæ attentio non debet esse immoderata, ne meliorem attentionem impediat, qua ad sensum verborum attenditur, quæ est secunda orantis attentio : quam idiotæ habere non valent, qui orationem fundunt per verba eis ignota, quorum non intelligunt sensum, nisi forsan ex aliorum instructione agnoscant particulariter aut summatim sensum verborum hujusmodi. Tertia attentio orantis est qua attendit ad Deum quem invocat, et ad rem pro qua orat : quæ attentio est præcipue necessaria, idio- D tis quoque possibilis.

Ibidem. Rursus, ut asserit Thomas, triplex est orationis effectus. Primus, promereri vitam æternam : qui effectus est communis omni actioni ex caritate procedenti. Secundus est impetrare quod petitur. Et ad hos duos effectus non exigitur necessario actualis attentio, sed sufficit quod in ipsa oratione, antequam finiatur, adsit recta intentio actualisque motio caritatis. Tertius orationis effectus est spiritualis quædam jucunditas et interna refectio, quam orando experitur mens orantis : ad quem effectum requiritur actualis attentio vel ad sensum verborum, vel ad Deum, aut ad causam pro qua oratur.

Præterea intuendum, quod distractio cordis in oratione, psalmodia et cultu divino interdum contingit ex sola subreptione et infirmitate naturæ, quæ diu in alto stare non solet : nam et corpus corruptibile aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Secundo contingit ex negligentia quadam, qua quis sine custodia et sollicitudine orat, et quamvis devote incepit, tamen non satagit devote continuare, aut a distractione mox surgere et ad attentionem redire. Tertio accidit ex quodam proposito, quo quis spiritualia exercitia horrens, ad exteriora se fundit, et alias occupationes in orando assumit, quousque ab exercitio se expediat spirituali. Primum horum parum aut nihil habet de culpa ; secundum culpabile est, et orationis minuit fructum. Tertium autem valde culpabile est, et est frequenter mortale peccatum. Ait etenim Thomas super quartum Sententiarum, quintadecima distinctione : Quando aliquis ex proposito mentem ad alia distrahit in orando, non caret culpa, et præcipue si in aliis sponte se occupat quæ distrahunt mentem, ut sunt opera exteriora ; et si ad contraria mens evagetur, etiam culpa mortalis erit. Et hoc est satis arduum et terribile verbum.

Sap. IX, 15.

q. IV. a. 2, q^cula IV ad 2um.

Prædictis quoque concordat quod Basilius ait : Si debilitatus a peccato fixe nequis orare, quantumcumque potes te ipsum cohibeas ; et Deus ignoscit, eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes sicut oportet coram Deo adsistere. Alias esset gravior culpa : quia, ut rursus docet Basilius, divinum auxilium implorandum est non remisse, nec mente huc illucque vagante, quia sic orans non solum nil impetrabit, sed etiam Deum gravius irritabit.

Scal. parad. grad. XXVIII.

Hinc ait et Climacus : Aliud est sordes

(id est maculatio) orationis, aliud exterminatio, aliud furtum, et aliud querela. Sordes orationis est coram Deo stare et cogitationes atque intentiones inconvenientes imaginari. Exterminatio (id est evagatio) orationis est curis inutilibus captivari. Furtum est insensibiliter intentionem recurvare ubi non decet, id est ab elevatione ad Deum cor relaxare aut flectere. Querela est qualiscumque insultus nobis orantibus appropinquans.

ARTICULUS VIII.

Quod Deum adorandum exorare debemus perseveranter ac confidenter.

SOBRII *estote, et vigilate* in orationibus, *quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* I Petr. v, 8.

Ad omnium virtutum exercitia pertinet quod ait Salvator : Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. (*Matth.* x, 22; xxiv, 13.) Itaque, sicut usque in finem vitæ præsentis necessarium est manere in humilitate, caritate, patientia, mansuetudine, ceterisque virtutibus et in actibus earumdem tempore opportuno ; sic necesse est usque in finem orationibus inhærere omni hora ad hoc requisita, et quanto incessabilius, tanto et melius. Verumtamen orationibus cum speciali assiduitate et quantum possibile est continuitate expedit et oportet insistere diversis ex causis, de quibus præhabitum est (art. iv); et quia oratio est omnium virtutum, donorum ac meritorum custos, munimen, fotrix, auctrix atque perfectrix ; et quia incessabiliter ab adversariis nostri profectus ac salutis circumvallamur, impugnamur, tentamur, ita ut, teste Scriptura, tentatio et militia sit vita hominis super terram. (*Job* vii, 1.) Propter quod admonet Augustinus : Persevera usque in finem, quia tentatio perseverat usque in finem. Usque in quem finem ? Quousque finias vitam. Hinc dixit Salvator : Oportet semper orare (*Luc.* xviii, 1.) et non deficere ; Apostolus quoque : Sine intermissione orate. (I *Thess.* v, 17.) Nam et una conditionum ad orationis exaudibilitatem requisitarum, est perseveranter orare.

Interdum equidem Dominus differt exauditionem, ut probet nostram fidem et spem, atque ut tempore opportuno liberalius salubriusque exaudiat, et item ut diu orando plus mereamur in via recipere de virtute et gratia, majorem quoque felicitatem in patria. Hinc loquitur Augustinus : Si aliquando Dominus tardius dat, commendat sua dona, non negat. Diu desiderata, dulcius obtinentur ; cito autem data, vilescunt. Servat tibi Deus quod non vult cito dare, ut discas magne magnalia desiderare. Hoc est quod ait Eusebius Emisenus : Non vult Deus noster dona sua nimia inveniendi facilitate vilescere. Pretiosæ merces cupidum exigunt amatorem, pretiosissima dona cum incessabili instantia sunt quærenda, quia æternitati cœlestium præmiorum correspondere (quantum fieri potest) debet magnitudo piorum affectuum ac diuturnitas et perseverantia precum. Denique divitiæ laboriosius acquisitæ diligentius custodiuntur ; quæ autem faciliter obtinentur, minus appretiantur, ac sæpe prodigaliter expenduntur, quemadmodum in Proverbiis scriptum est : Substantia festinata minuetur ; quæ autem paulatim manu colligitur, multiplicabitur. (*Prov.* xiii, 11.) Hinc rursus loquitur Augustinus : Cur petere, quærere et pulsare nos jussit, qui novit quid nobis necessarium sit antequam postulemus, nisi quia exercere voluit desiderium nostrum in precibus, quo valeamus capere quod disposuit dare ? (*Matth.* vii, 7; vi, 8.)

Denique ipsum orandi exercitium in se ipso valde præclarum, divinum ac nobile est, meritorium, satisfactorium, salubre et fructuosum, sicut multipliciter est ostensum (art. ii, iv et s.). Ideo pius Deus differt multoties exaudire, quoniam vult nos diu tam salubriter occupari. Ideo Climacus ait : Quum diu in oratione permanseris et moram in ea perseveranter contraxeris, non dicas te nihil direxisse aut profecisse : jam enim (Scal. parad. grad. xxviii.)

profecisti. Quid namque sublimius aut melius quam Deo adhærere atque indesinenter apud eum in unione perseverare?

Itaque bene fundati et certi in fide ac spe, nec de providentia Omnipotentis ambigui, perseveranter et sine tædio ac hæsitatione oremus, scientes quod labor orationis nostræ non erit inanis in Domino. Idcirco cum ingenti fiducia postulemus, eo quod ipse Deus, qui nec falli nec fallere potest, ad orandum nos incitat, hortatur ac jubet, exauditionem quoque uberrime pollicetur : quod nisi facere vellet, aut non diceret, aut fallaciter diceret ; quod nefarium est putare.

Præterea, si pensemus infinitam bonitatem, communicabilitatem, munificentiam, opulentiam, imo caritatem et pietatem ejus ad nos, nequaquam ambigere licet nec dubitare poterimus quin quantum in se est, paratissimus sit orantes se exaudire, ita quod defectus exauditionis nullatenus erit ex parte ipsius. Quod si fi-
I Joann. iv, 9. deliter intueamur qualiter Pater æternus unigenitum Filium suum dedit et misit in mundum, atque pro nostra salute eum voluit incarnari, et inter homines conversari, ac acerbissimam mortem subire ; clarissime perspiciemus quantum nostram optet salutem, quam paratus sit exaudire.
Rom. viii, 32. Propter quod dixit Apostolus : Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam omnia cum illo nobis donavit? Sic et Unigenitus Patris æterni nonne libentissime eos exaudiret pro quorum salute tot et tanta egit, assumpsit ac passus est, dummodo orent sicut oportet, qui et se ipsum quotidie tam amorose ac liberalissime donat in Sacramento? Cum omni ergo fiducia credamus dicenti, exhortanti ac pro-
Luc. xi, 9. mittenti : Petite, et accipietis ; quærite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis. Imo hoc ipsum multipliciter probare dignatus est per locum a majori, et per
Ibid. xviii, 2-5; xi, 5-8. similitudinem viduæ clamantis ad judicem, ac hominis euntis media nocte ad suum amicum et rogantis sibi ab illo con-
Luc. xi, 11-13. cedi tres panes. Itaque arguens, ait : Quis vestrum patrem suum petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos quum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris : quanto magis Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se?

Verumtamen magnitudini ac certitudini spei ac confidentiæ nostræ ex parte misericordiæ Dei conceptæ, debet esse admixtus timor moderatus, ex consideratione propriæ defectuositatis aut indignitatis conceptus. Sicque inter spem et timorem spiritualiter moli debemus, nisi forsan Spiritus Sanctus testimonium perhibens spiritui nostro, quandoque et ad tempus a corde nostro talem timorem expulerit, prout in viris perfectis solet accidere. At vero Deus, cujus natura est bonitas, quandoque exaudit suos electos valde celeriter, præsertim perfectos, quos scit ex tam celeri exauditione non extolli nec detrimentum incurrere, sed potius ad ipsum caritate accendi, spe roborari, atque præcordialiores rependere grates. Nempe et Deus id facit, ut suam ad eos caritatem ostendat, et quam accepti sint ei declaret.

Sic itaque Dominum Deum nostrum oremus perseveranter ac confidenter usque in vitæ præsentis finem : quia, ut sanctus affirmat Bernardus, unum e duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod
Rom. viii, 26. nobis novit esse utilius. Nos enim quid oremus, sicut oportet, nescimus ; sed miseretur ille super ignorantia nostra, et orationem benigne suscipiens, quod nobis aut omnino non est utile, aut non tam cito dari necesse est, minime tribuit, aut tribuere differt. Omnino tamen oratio infructuosa non erit, quoniam quidem tanta super te cura est Deo tuo, ut quoties ignorans quæris quod tibi inutile est, non te audiat super hoc, sed mutet illud dono utiliori.

ARTICULUS IX.

Quod cum omni humilitate, puritate et obedientia exorandus sit Deus.

ORATIO *humiliantis se nubes penetrabit.* Eccli. xxxv, 21.

Cum quanta humilitate invocandus sit Dominus, Rex et Creator universorum incomparabilis, immensus, ex duobus, loquendo in generali, perpendere possumus, utputa ex consideratione infinitæ excellentiæ Dei in omni perfectione, dignitate et gloria, et item ex propriæ defectuositatis, fragilitatis et vitiositatis consideratione. Itaque, sicut infinita prorsusque incomprehensibilis et incomparabilis est excellentia Dei, ita cum summa, profundissima et incomparabili (quantum nobis possibile est) humilitate debemus eum accedere ad exorandum, ad psallendum, ad offerendum atque colendum, ita ut coram eo nos præsentemus ac prosternamus cum omni qua possumus humiliatione, vilipensione aspernationeque nostri, sapienter recognoscentes quod penitus infinite simus Deo inferiores, ac ejus respectu nihil ac vanitas. Huic humiliationi sumptæ ex contemplatione infinitæ excellentiæ Creatoris, accedat humiliatio nostri concepta ex consideratione pervigili propriæ defectuositatis, sordis et culpæ, ac pronitatis ad omne malum; atque quo sæpius ac gravius Deum offendimus, eo profundius nos humiliemus vehementiusque spernamus, ac omni bruto reputemus nos viliores.

Talis humiliatio sui ipsius valde complacet summo Deo, et ad omnem gratiam ac exauditionem Dei aptificat nos, prout tota Scriptura et copiosissima Sanctorum
Jacob. IV, 6. documenta testantur. Siquidem Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam;
Luc. XIV, 11. et qui se humiliant, exaltabuntur. Unde
Matth. XI, 29. admonuit Filius Dei : Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Hoc experta
Luc. I, 48. sacratissima Virgo : Respexit (inquit) hu-
Ps. CI, 18. militatem ancillæ suæ; et Psalmista : Re-
A spexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum. Ideo scriptum est : Humilium et mansuetorum tibi, Domine, *Judith* IX, 16.
semper placuit deprecatio. Denique filius prodigus humiliter loquens, Pater, pecca- *Luc.* XV, 21.
vi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus; Chananæa quo- *Matth.* XV, 27.
que se catellis humiliter comparans; atque centurio humiliter dicens, Domine, *Ibid.* VIII, 8.
non sum dignus ut intres sub tectum meum; et publicanus oculos suos ad cœ- *Luc.* XVIII, 13.
lum levare non audens, sed pectus suum
B contrite percutiens humiliterque exorans, Deus, propitius esto mihi peccatori : meruerunt protinus, etiam ultra id quod petierunt, a Domino exaudiri.

Hinc ait Bernardus : Magna et sublimis est virtus humilitatis, quæ promeretur quod ab homine non docetur, digna adipisci quod non valet addisci, digna a Deo et de Deo concipere quod ipsa suis verbis non valet exprimere. Humilis quippe suam indigentiam et vacuitatem Deo præsentat, suam culpam fatetur; omne bonum Deo
C adscribit, non inaniter gloriatur. Humilitas non novit præsumere, non contendit judicio, non prætendit justitiam. Cui igitur vasi, cui receptaculo, cui cordi infundentur divina charismata omni balsamo puriora, omni auro pretiosissimoque sardonycho pretiosiora, nisi humili menti?

Hinc Guillelmus Parisiensis in libro de Divina rhetorica : Nihil, inquit, gratius Deo, quam dare. Idcirco gratiosissima est in conspectu ejus humilitas. Ipsa enim semper est querulosa, semper mendica et
D egena in hac vita, semper saccum suum vacuum Deo ostendens ac porrigens, seque pauperrimam clamitans, et miserias suas innumerabiles oculis pietatis divinæ non tam ostentans quam ingerens ac vehementi quadam quasi improbitate et importunitate impingens, instar ægrorum qui scabies suas, corrosiones, ulcera, deformitates ac vulnera ceterasque miserias suas transeuntium oculis studiosissime ingerunt, et eos has intueri quasi compellunt, ut si nullo miserationis affectu moventur

in ipsos, necesse tamen habeant beneficio A eleemosynæ se ipsos redimere ab adspectu plagarum tam horrendarum. Itaque saccus humilitatis impleri non potest, quia quo ampliora et majora recipit dona, tanto plus crescit, ideoque tanto plus vacuam et inopem se proclamat. Ideo coram liberalissimo Deo gratiosissima est, quoniam occasiones ei semper ministrat donandi, miserandi ac succurrendi : quod ipse libentissime facit.

Insuper, Deus simplicitatis ac puritatis immensæ, simplificato, elevato puroque B corde est exorandus, ita ut mens orantis ab omni imaginatione se abstrahat, et sensibilia cuncta transcendat, dum aciem suæ considerationis tendit in Deum, qui est in suæ deitatis natura ab omni materialitate et corporeitate in infinitum immunis, distans et elevatus, tanquam mundissimum, simplicissimum, perfectum et incircumscriptibile esse in se ipso æternaliter invariabiliterque consistens. Purganda est etiam mens ab omni affectione inordinata, ab omni cogitatione impertinenti, ab om- C ni occupatione extranea, tempore orationis, celebrationis, psalmodiæ ac cultus divini, præsertim ne tunc alicui imaginationi immundæ, suspicioni perversæ, judicio temerario, iræ, aversioni, rancori tribuat locum aut moram in se, nec aliqua fœditate aut distractione coram Deo depicta sit. Etenim beati mundo corde, quoniam Deum possunt sincere, tranquille, contemplative stabiliterque orare. (*Matth.* v, 8.)

Hinc Climacus ait : Labora meditationem tuam sursum ferre, imo mentem D tuam in verbis ac sensu orationis recludere ; et quamvis attonita ex sua infirmitate cadat, rursus eam erige sursum : quoniam menti proprium est esse instabilem, Deo autem facillimum est eam constabilire. (Scal.parad. grad.XXVIII.) Nihil aliud est oratio nisi visibilis et invisibilis mundi alienatio (id est ascensio mentis super visibilia invisibiliaque creata, atque totius supergressio creaturæ), dicente Propheta : Quid enim mihi est in cœlo ? Nihil. Et a te quid volui super terram ? Nihil, (*Ps.* LXXII, 25.) sed tantummodo absque occupatione circa creata tibi, Deus, sempiterne in orationibus adhærere. — Hinc quidam Patrum dixerunt : Sicut impossibile est ut videat quis in aqua turbida faciem suam, sic et anima nisi purgata fuerit a cogitationibus alienis, Deum contemplative orare non potest. Absit ergo a corde orantis strepitus tumultuantium cogitationum, inquietudo passionum, macula vitiorum.

Postremo, obedienter orandum est, ita ut orans sic studeat voluntatem Dei in omnibus adimplere, quemadmodum cupit suæ voluntatis petitionem impleri a Deo : ut si ante in peccato fuit, jam cesset et toto pœniteat corde ; si vero in caritate consistit, conetur in ea et in omni virtute proficere. Peccatores namque in voluntate et actu peccandi manentes Deus non audit, quemadmodum fertur apud Joannem : Deus peccatores non audit ; sed si quis cultor est Dei et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. (*Joann.* IX, 31.) Ridiculum namque est, omnipotentem justumque Deum pro præteritorum remissione vitiorum orare, nec tamen ab ejus offensione et inhonoratione cessare nec velle desistere. Quis auderet terrenum principem pro irrogatis injuriis ignoscendis rogare, si princeps ille conspiceret rogantem non velle ab injuriis illis se refrenare ? Justos ergo, obedientes, timoratos et virtuosos, tanquam filios et amicos exaudit Altissimus, in tantum ut illorum precibus obedire aliquando videatur. Ideo ait Scriptura : Orationes justorum exaudiet Dominus. (*Prov.* XV, 29.) Itemque : Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos ; (*Ps.* CXLIV, 19.) qui autem declinat aurem ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. (*Prov.* XXVIII, 9.) Hinc inobedientibus Dominus in Evangelio loquitur : Quid vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico ? (*Luc.* VI, 46.)

Ideo Climacus protestatur : Vidi quosdam in obedientia fulgentes, et quanta poterant virtute secundum mentem Dei memoriam non negligentes, qui in oratione protinus stantes, suam mentem exce- (Scal.parad. grad.XXVIII.)

debant, perfundebantque faciem lacrimis A affluenter, quoniam ante parati per sanctam obedientiam fuerunt.

ARTICULUS X.

Quod cum fletu ac gemitu sit orandum, præsertim in secreto.

I*NDULGENTIAM fusis lacrimis postulemus.* Judith VIII, 14.

Virtus et efficacia orationis ex interno cordis affectu potissime oritur ac depen- B det, et juxta diversitatem affectionum assignatur diversitas lacrimarum. Est namque quædam cordis affectio dolor de peccato proprio ac alieno : ex qua affectione dolorosa procedit fletus quo quis propria seu aliena deplangit peccata. Rursus quædam affectio cordis est timor mali futuri, quo quis veretur Deum offendere, vel in peccata corruere, aut æterna felicitate privari, vel infernalibus tradi tormentis : et habet hic timor lacrimas suas. Conformiter compassio animæ ex C recordatione dominicæ passionis concepta, affectio cordis est pias lacrimas habens. Item desiderium felicitatis æternæ et mœror de ejus dilatione, sunt bonæ affectiones habentes lacrimas suas. Spiritualis quoque lætitia et complacentia de dilecto et de gratiosa ejus præsentia, sunt quædam cordis affectiones ex quibus solent profluere lacrimæ dulces.

Itaque, sive oremus pro propriarum sive pro alienarum remissione culparum, sive pro gratia vitandi peccata in posterum, D sive pro bono communi et reformatione Ecclesiæ, sive pro adeptione salutis æternæ ac celeri ejus concessione, sive pro evadenda damnatione, multum confert ad exauditionem orare cum lacrimis et singultu, cum suspirio, gemitu ac rugitu : hæc enim veniunt ex virtuosa radice, interna ac sancta affectione, et fovent eamdem. Ait namque S. Hieronymus : O humilis lacrima, tua est potentia, tuum est regnum ; tu tribunal non vereris, silentium accusatoribus pravis imponis ; non est qui te vetet accedere, quumque intraveris, vacua non exibis ; magis affligis diabolum quam pœna inferni. Quid plura ? Vincis Invincibilem, et quodammodo ligas et cogis Omnipotentem. Oratio Deum lenit, lacrima quasi cogit ; oratio ungit, lacrima pungit.

Hinc ait Bernardus : Lacrimæ pœnitentium atque orantium sunt vinum et gaudium angelorum, quia in lacrimis illis est odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis jucunditas et conscientiæ serenatæ tranquillitas. Denique, teste Gregorio, sacrificium siccum est opus bonum quod orationis lacrimæ non perfundunt ; pingue vero est holocaustum, dum id quod humili corde bene peragitur, etiam lacrimis irrigatur ac ungitur. Hinc protestatur et Climacus : Condire pisciculos sal et Scal.parad. oleum naturaliter habent ; orationem au- grad.XXVIII. tem pennatam lacrimæ et castitas faciunt.

Verumtamen lacrimæ corporales, dum sponte non veniunt nec emanant, non sunt immoderanter extorquendæ, sed sufficiunt lacrimæ spirituales, interiores et igneæ, id est affectiones accensæ atque piorum desideriorum profluvia. Unde abbas Isaac in prima sua collatione de oratione disseruit : Ab his qui jam transierunt in affectum cap. 30. virtutum, nequaquam debet extorqueri profusio lacrimarum, nec exterioris hominis magnopere affectandi sunt fletus. Quod etiam si fuerint utcumque producti, nunquam pertingere poterunt ad illam lacrimarum spontaneam ubertatem quæ ex solo nascuntur affectu sine ulteriori conatu : magis enim suis conatibus supplicantem impedient, distrahent atque ad ima demergent, et ab illa cœlesti sublimitate deponent in qua attonita mens orantis indeclinabiliter est defixa, eamque compellent, laxata precum suarum intentione, circa steriles et coactas lacrimarum guttulas ægrotare. — Amplius, agnoscendum quod excellentissima devotio seu oratio quæ terminatur in raptum, etsi in principio sui

habeat lacrimas, quum tamen ad omnimodam cœperit abstractionem pertingere, cessabit a fletu.

Verumtamen ad laudabilium gratiam lacrimarum debemus nos dare, præparare et excitare. Primum, ipsum Dominum invocando, ut donum hujuscemodi lacrimarum nobis conferre dignetur. Nempe, ut aliqui dicunt, devotio est quædam cordis teneritudo qua quis in pias faciliter resolvitur lacrimas : quæ tamen non est propria devotionis definitio, sed quædam ejus descriptio per effectum. Secundo, enormitatem, B læsiones et damna vitiorum nostrorum pensando. Tertio, ex hoc quod corporalem mortem ac temporalia damna amicorum et propinquorum nostrorum toties et abundanter deflevimus : propter quod merito multo plus deplangeremus spiritualem mortem interioraque damna tam propriarum animarum quam propinquorum, quum mors animæ per peccatum mortale, imminensque æterna damnatio, et gratiarum ac virtutum et meritorum perditio, sint incomparabiliter graviores et lamentabiliores C quam mors corporalis temporaleque damnum. Propter quod loquitur Augustinus : An non sunt in te christianæ viscera pietatis, ut defleas corpus a quo recessit anima, et non defleas animam a qua recessit Deus ?

Præterea, sicut compunctio devotionisque fervor, ac ceteræ sanctæ affectiones prætactæ, ex quibus procedere solent lacrimæ, interdum nobis proveniunt ex gratiosa Spiritus Sancti præventione absque nostra prædispositione atque conamine, D ita et lacrimæ ex affectionibus et compunctionibus illis manantes, sic ut earum abundantia et impetus reprimi nequeant. Interdum vero istæ proveniunt nobis ex prævia dispositione et nostro annisu, ita ut suspiriose ac cum rugitu oremus, cum Jeremia dicentes : Ne avertas, Domine, aurem tuam a singultu meo ; et cum Psalmista : Rugiebam a gemitu cordis mei ; atque cum sancto Job : Antequam comedam suspiro, et tanquam inundantis aquæ, sic

Thren. III, 56.
Ps. XXXVII, 9.
Job III, 24.

A rugitus meus. Nihilo minus in aliorum præsentia pro posse vitanda sunt signa supererogationis devotionisque spiritualis.

ARTICULUS XI.

Qualiter debemus nos præparare ad orandum idonee ac devote.

Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum. Eccli. XVIII, 23.

Quemadmodum magnus ille pater Climacus admonet, quicumque coram stare et colloqui Deo regi ac judici accedimus, non imparati hoc faciamus, ne a longe videns nos imparatos venire, et arma ac stolam regiæ adsistentiæ non habere, ministris suis injungat ut ligatos nos alicubi longe a facie sua projiciant atque exsilio tradant, orationes quoque nostras diruptas denuo in nostram projiciant faciem. Denique dictum est, quod cum omni attentione, reverentia et fervore, cum omni humilitate, obedientia, confidentia et timore debeamus Dominum exorare. Certum est autem, quod mens humana tanto perfectius possit uni intendere et vacare, quanto plus a multis abstrahitur : sicque tanto sincerius ac stabilius Deo infigitur et unitur, quanto minus circa creata, vana et impertinentia occupatur.

Scal. parad. grad. XXVIII.
art. V et s.

In primis ergo ad exorandum efficaciter et condigne disponit consideratio propriæ defectuositatis et transgressionis multiplicis, quotidianæque culpæ quasi innumerabilis : ex qua consideratione intenta oriuntur sui ipsius profunda humiliatio, cordialis contritio, salubris anxietas, et magna ac festinata orandi instantia. Ideo ait Bernardus : Debemus nos coram Deo quasi facie ad faciem constituere, vitam nostram discutere, et imminentia nobis mala propter nostra peccata pensare. Unde et Isidorus dixit : Dum coram Deo in oratione adsistimus, gemere et plorare debemus, reminiscentes quam gravia sint peccata quæ commisimus et quæ omittendo

incidimus, atque quam dira exsistant supplicia quæ meruimus ac timere habemus.

Secundo ad præparationem hanc valet consideratio Dei quem invocamus, cujus proprietates, attributa et perfectiones diligenter intueri nos convenit. Quemadmodum namque, Scriptura testante, secundum ligna silvæ exardescit ignis ; sic secundum diversas considerationes apprehensionesque Dei, nascuntur in mente affectiones salubres diversæ. Etenim ex consideratione infinitæ et superpurissimæ bonitatis, amabilitatis ac pulchritudinis Dei, oritur dilectio ejus et inflammatio caritatis, juxta illud Psalmistæ : Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis. Porro ex consideratione infinitæ majestatis, dignitatis et excellentiæ Dei, oritur zelus et affectio divini honoris, juxta illud Eliæ : Zelo zelatus sum pro Domino. Ex consideratione divinæ liberalitatis et beneficiorum ac promissorum ipsius sequitur affectio gratitudinis, juxta illud : Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Ex consideratione divinæ justitiæ oritur timor, sicut Job ait : Considerans Deum timore sollicitor. Ex consideratione misericordiæ Dei nascitur affectio spei. Ex consideratione sapientiæ sanctitatisque Dei generatur erubescentia de turpitudine vitiorum. Ex consideratione ac meditatione divinæ præsentiæ profluit custodia cordis, juxta illud : Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Sicque ex consideratione hac Dei multiplici præparat homo se ad orandum amorose, timorate, reverenter, confidenter et custodite atque gratanter ; et quo dignior exstat affectio, eo præclarior est oratio ex ea procedens.

Eccli. XXVIII. 12. — *Ps.* XXXVIII, 4. — III *Reg.* XIX, 10, 14. — *Ps.* CXV, 12. — *Job* XXIII, 15. — *Ps.* CXVIII, 168.

Tertio ad præparationem orationis pertinet fixa recollectio cordis, et emundatio ejus a cogitationum et affectionum extranearum decursibus. Ad quod pertinet quod ait Salvator : Tu autem quum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito. Quod

Matth. VI, 6.

A quamvis frequenter corporaliter sit agendum, melius tamen spiritualiter sumitur, ut ingressus cubiculi sit reditus ad cor. Unde et scriptum est : Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Clausura vero cubiculi est mentis custodia ac distractionum exclusio. De hoc in Collationibus Patrum abbas Isaac : Ante omnia, inquit, observandum est diligentius evangelicum illud præceptum, ut intrantes in cubiculum nostrum, ostio clauso Patrem nostrum oremus : quod a B nobis ita implebitur. Nam intra nostrum cubiculum supplicamus, quum ab omnium cogitationum et sollicitudinum strepitu cor nostrum penitus amoventes, secrete ac familiariter preces nostras Deo offerimus. Ostio vero clauso oramus, dum strictis labiis cum silentio supplicamus scrutatori, non vocum, sed cordium. In abscondito autem oramus, quando corde tantum et mente intenta petitiones nostras soli Deo effundimus, ita ut nec adversæ potestates valeant genus nostræ petitionis C agnoscere. Propter quod cum summo silentio est orandum, non solum ne Fratres adstantes nostris susurriis aut clamoribus impediamus, et orantium sensibus obstrepamus, sed ut ipsos quoque invisibiles hostes, qui nostris orationibus maxime adversantur, lateat nostræ petitionis intentio.

Ps. IV, 5. — Collat. IX, c. 35. — *Sap.* I, 6.

Quarto ad præparationem hanc valet consideratio magnitudinis causæ pro qua oramus : quæ est remissio peccatorum, infusio gratiarum, evasio æternæ damnationis, adeptio sempiternæ salutis, victoria D tentationum, conculcatio invisibilium hostium, præservatio a peccatis, profectus in omni virtute ac meritis ; et item salvatio Christianorum, commune bonum Ecclesiæ, subventio defunctorum, atque succursus Dei in omni necessitate. Si harum eminentiam magnitudinemque causarum rite perpendimus, cum omni utique custodia et fervore, cum incessabili diligentia, cum timore exorabimus Deum.

Insuper, quoniam indigemus in tota vita præsenti clamare ad Dominum, debemus

nos ad idoneam orationem per vitam bo- A
nam disponere, quum dicat Propheta :
Ps. xxxvi, 7. Subditus esto Domino, et ora eum. Et
Matth. vii, 2. quia in qua mensura mensi fuerimus, remetietur et nobis, qui vult a Deo liberaliter et misericorditer exaudiri, opera misericordiæ tam corporalia quam spiritualia
Ibid. v, 7. studeat totis viribus exercere. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

De hac præparatione ad orationem ab-
cap. 3. bas Isaac in sua prima ait collatione : Ut eo fervore et puritate qua decet fundatur B
oratio, ista sunt observanda. Primo abscindenda est generaliter omnium carnalium rerum sollicitudo ; nec solum cura, sed et memoria cujuslibet causæ sive negotii est vitanda ; detractiones, vaniloquia, loquacitas sunt omnifarie amputanda ; et potissime iræ atque tristitia sunt radicitus evellendæ. Quibus extrusis, humilitatis inconcussa fundamenta sunt jacienda ; quibus superponenda est spiritualis virtutum structura; et ab omni discursu evagationeque lubrica cohibendus est animus, ut ita C
paulatim ad contemplationem Dei ac spirituales intuitus valeat elevari. Quidquid enim ante orationis horam anima nostra conceperit, orantibus nobis per recordationis ingestionem occurrere solet. Quamobrem quales orantes volumus inveniri, tales nos esse ante orationis tempus præparare debemus. Ex præcedenti enim statu mens in supplicatione formatur, et præcedentium verborum aut actuum imago ante oculos mentis præludens, faciet nos irasci, concupiscere, aut retractare præterita, aut D
risu fatuo (quod dicere pudet) concitari.
Scal. parad. grad. xxviii. His concordat quod Climacus loquitur : Si sapiens et acutæ intelligentiæ quis exsistit, ex Dei memoria abjicere potest omnem maledictionem, iram, sollicitudinem pravam, evagationem, satietatem et tentationem. Præanticipa præparare te ipsum per continuam in anima orationem ad adsistentiam tuæ supplicationis (id est, ad exsolvendum devote orationes, laudes et Horas ad quas teneris, dispone te, Deum intra te assidue invocando, ut det tibi gratiam et virtutem persolvendi debita illa cum condecenti attentione), et confestim proficies. Si adhuc in carcere carnis sumus, audiamus Christum dicentem : Lin- Act. xii, 8.
teo obedientiæ te præcinge, et proprias voluntates exue, atque ab his nudus accede ad Deum in tua oratione ; et tunc Deus te sine periculo gubernabit.

Postremo, præparans se exaudiri, ignoscat ex corde, et his quibus forefecit, reconciliari et satisfacere mox festinet.

ARTICULUS XII.

De variis meritoriis causis exauditionis.

S*I cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quidquid petierimus, accipiemus.* I Joann. iii, 21, 22.

Christus rogantibus se pro corporali sanatione in Evangelio frequenter legitur respondisse : Fides tua salvum te fecit ; Matth. ix, 22, 29; Marc. x, 52; etc.
aut, Secundum fidem vestram fiat vobis.
Prima igitur causa exauditionis est fidei magnitudo. Unde ait Salvator : Quicumque Marc. xi, 23.
dixerit huic monti, Tollere et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, fiet. — Secunda est firmitas spei, juxta illud Psalmistæ : Salvabit eos, Ps. xxxvi, 40.
quia speraverunt in eo. Hinc per Jeremiam Dominus protestatur : Eruens liberabo te, Jer. xxxix, 18.
et erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam. Etenim, teste Apostolo, spes non confundit. Propter quod Rom. v, 5.
scriptum est in Ecclesiastico : Qui timetis Eccli. ii, 9.
Dominum, sperate in illum, et in oblectationem vobis veniet misericordia ; itemque : Scitote quia nullus speravit in Do- Ibid. 11.
mino et confusus est. Ideo fert Psalmista : Revela Domino viam tuam et spera in eo, Ps. xxxvi, 5.
et ipse faciet. Sed sicut in ceterarum actu virtutum necesse est perseverare usque in Matth. x, 22.
finem, ita in actu spei : ita ut nulla adversitas, nulla tentatio, nulla exauditionis dilatio frangant spei nostræ fiduciam, sed Hebr. iv, 16.
cum omni fiducia accedamus ad thronum

gratiæ Dei, ut misericordiam consequamur A et gratiam inveniamus in auxilio opportuno, cum sancto Job dicentes : Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Ideo dicit Bernardus : In tantum hereditatem Dei intrabis, quousque confidentiæ pedem porrexeris.

Job XIII, 15.

Utramque hanc causam exauditionis, imo et tertiam, quæ est conscientiæ puritas, tangit Apostolus, ad Hebræos loquens : Accedamus cum corde vero in plenitudine fidei, adspersi corda a conscientia mala ; teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.

Hebr. X, 22, 23.

Tertia est sincera ac irreprehensibilis conversatio, sicut jam tactum est et in themate tangitur : Si cor nostrum non reprehenderit nos, quidquid petierimus, accipiemus. Verum hæc causa exauditionis solis competit justis, præsertim innocentibus ac perfectis, qui cum beato Job dicere queunt : Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea, videlicet de mortali peccato. Nec enim a venialibus et quotidianis peccatis fuit Job ipse immunis, qui exoravit : Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis. Hinc dixit Gregorius : Quid mirum, si orantes nos non exaudiat Dominus, qui præcipientem Dominum non audimus ? Imo perfecte obedientes Deo et ejus vicariis tam copiose atque celeriter ipse exaudit, ut eorum petitionibus obedire dicatur. Ob hoc in libro de Opere monachorum disseruit Augustinus : Citius exauditur una oratio obedientis quam mille inobedientis.

I Joann. III, 21, 22. *Job* XXVII, 6. *Ibid.* XIV, 16.

Quarta est fervor dilectionis, quemadmodum Christus de beatissima Maria Magdalene testatus est : Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Imo sine caritatis informatione nulla oratio est meritoria.

Luc. VII, 47.

Quinta est plurium consensus in postulatione. Unde locutus est Dominus : Si duo vel tres consenserint ex vobis super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo. Hinc preces communitatis per caritatem connexæ, sunt plurimum efficaces.

Matth. XVIII, 19, 20.

Sexta est eleemosynarum largitio, aliorumque operum misericordiæ exhibitio. Beati enim misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus. Ideo scriptum est : Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa orabit pro te ad Dominum.

Matth. V, 7. *Eccli.* XXIX, 15.

Septima est, libenter ignoscere peccantibus in se, juxta illud Ecclesiastici : Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Ideo ait Judex : Quum statis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut B et Pater vester cœlestis dimittat vobis peccata vestra.

Ibid. XXVIII, 2. *Marc.* XI, 25.

Octava est contritio vera, confessio pura, emendatio non ficta, prout per Ezechielem ait Altissimus : Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius. Qui et per Isaiam hortatur : Dissolve colligationes impietatis ; tunc invocabis, et Dominus exaudiet ; clamabis, et dicet : Ecce adsum.

Ezech. XVIII, 21, 22. *Is.* LVIII, 6, 9.

Nona est humilis accusatio sui ipsius, sicut præhabitum est. Nam et humilitas C est quædam concavitas et capacitas cordis ad omnis gratiæ susceptionem disponens. Unde et Judith fatetur : Mansuetorum et humilium tibi, Domine, semper placuit deprecatio.

art. IX. *Judith* IX, 16.

Decima est assiduitas orationis, imo et importunitas quædam orandi : quemadmodum in Evangelio edocet Filius Dei per similitudinem viduæ judicem incessabiliter invocantis, atque amici euntis ad suum amicum media nocte.

Luc. XVIII, 2-5; XI, 5-8.

Undecima est persecutio et tribulatio D quam quis patitur æquanimiter, et præsertim propter justitiam, quum Dominus dicat : Cum ipso sum in tribulatione ; et Psalmista : Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde ; itemque : Ad Dominum quum tribularer clamavi, et exaudivit me.

Ps. XC, 15. *Ps.* XXXIII, 19. *Ps.* CXIX, 1.

Duodecima est zelus divini honoris, amor quoque boni communis. Hinc Eliam et Eliseum Dominus in multis arduis ad libitum exaudivit, quia præcipue zelo honorificentiæ Dei erant succensi, et pro

bono laborabant communi; Moysen quoque et Aaron et Samuelem.

Tertiadecima est pro inimicis cordialiter exorare. Unde ait Gregorius : Præcipua exaudibilitas Moysis ac Samuelis insinuatur, quum per Prophetam Dominus protestatur : Si Moyses et Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum. Quia videlicet Moyses et Samuel, duo sancti illi, præ ceteris describuntur pro adversariis exorasse.

Jer. xv, 1. — *Exod.* xxxii, 31; I *Reg.* xii, 23.

Juxta hunc modum possunt et aliæ causæ exauditionis ipsius orationis colligi ac pensari. Nam et oratio justi penetrat cœlos, et lacrimæ pœnitentis a maxilla ascendunt ad Deum. Et iterum scriptum est : Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui : hoc est, cum gaudio obsequere Deo, et audiet preces tuas.

Eccli. xxxv, 21, 19. — *Ps.* xxxvi, 4.

Studeamus ergo indesinenter præfatas exauditionis causas jugiter in nobis habere ac possidere, ita ut simus insuperabiliter certi in fide, firmi in spe, sinceri in conversatione, ferventes in caritate, unanimes cum proximis pie orantibus, misericordes, ignoscentes, contriti, confitentes et corrigentes nos ipsos quotidie, humiles, mansueti, patientes, zelo divini honoris ac boni communis succensi, atque pro inimicis orantes.

ARTICULUS XIII.

De variis quæ orationis exauditionem impediunt.

NUMQUID *Deus exaudiet clamorem hypocritæ, quum venerit super eum angustia? aut poterit in Omnipotente delectari?* Job xxvii, 9, 10.

Quemadmodum commune verbum est, contrariorum contrariæ sunt causæ : ideo sicut jam tacta in præcedenti articulo faciunt orationem specialiter exaudibilem atque idoneam, sic mala illis contraria exauditionem orationis præsertim impediunt. Quorum primum est incredulitas dubietasve orantis. Ideo scriptum est :

A Qui hæsitat, similis est fluctui maris : non ergo existimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino. Etenim certum est, et de hoc certi esse debemus, quod ex parte Dei non erit defectus exauditionis; sed formidolosos nos esse oportet, ne forsan ex parte nostri aut eorum pro quibus oramus exsistat defectus. — Secundum est diffidentia : quia, ut ait Apostolus, venit ira Dei super filios diffidentiæ.

Jacob. i, 6, 7. — *Ephes.* v, 6.

Tertium est peccatum orantis, et perseverare in vitiis atque adjicere culpas culpis. B Ideo fatetur Psalmista : Iniquitatem si adspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Quod de adspectu per approbationem exponitur. Et Isaias : Ecce (inquit) non est aggravata auris Dei ut non exaudiat, sed peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis. Nempe, ut Salomon loquitur, longe est Dominus ab impiis. Hinc rursus per Isaiam asserit Deus : Quum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis; et quum multiplicaveritis preces, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. C Siquidem, testante Isidoro, sicut nil proderit medicina in vulnere, manente ferro in illo; ita nihil prodest oratio, manente in corde peccato.

Ps. lxv, 18. — *Is.* lix, 1, 2. — *Prov.* xv, 29. — *Is.* i, 15.

Quartum est refrigescentia caritatis, tepor mentis, rancor, invidia, et quidquid caritati directe contrariatur. Unde in Apocalypsi Dominus comminatur : Quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo. Ideo ait Eusebius Emisenus : Remisse et lente quærere gratiam divini muneris, maxima est injuria remuneratoris. Idcirco D magnitudini boni optati debet correspondere magnitudo desiderii pii.

Apoc. iii, 16.

Quintum est discordia, et quidquid fraternæ opponitur paci. Sicut enim beati pacifici, ita miseri sunt discordes; nec illorum voluntati concordat Omnipotens, quorum voluntas proximorum voluntati in bono non acquiescit.

Matth. v, 9.

Sextum est immisericordia, juxta illud : Judicium sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam. Ideo ait Scriptura : Qui obturat aurem suam ad clamorem pau-

Jacob. ii, 13. — *Prov.* xxi, 13.

peris, clamabit et ipse, nec exaudietur.

Septimum est, non ignoscere injurianti : cui ad minus dimittenda est culpa, quamvis satisfactio posset secundum processum et ordinem juris exquiri ; quam tamen dimittere propter Deum, virtuosius exstat, nisi forsan ex hoc peccans fiat ad peccandum proclivior, et bonum periclitetur commune ac derogetur justitiæ.

Octavum est, se ipsum inaniter excusare, ac nolle totaliter confiteri. Qui enim absconderit scelera sua, non dirigetur. — Nonum est superbia, quæ vehementer displicet Deo, nec solum orationis fructum excludit, imo et alia multa et gravia inducit peccata.

Prov. xxviii, 13. *Eccli.* x, 7.

Juxta hunc modum possunt et alia varia exauditionis impedimenta pensari : sicut orare ex solo servili timore, propter quod oratio Antiochi fuit contempta ; itemque admonitiones salubres contemnere, increpationes caritativas ac justas irridere, tempore sanitatis ac juventutis non curare de Deo. Propter quod ait in Proverbiis : Quia vocavi, et renuistis, despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo ; et rursus : Tunc invocabunt me, et non exaudiam, eo quod exosam habuerint disciplinam. Qui igitur cupit in extremis exaudiri, satagat tempore juventutis ac roboris obedire. Sic et eos qui ab oratione deficiunt, Dominus non exaudit.

II *Mach.* ix, 13. *Prov.* i, 24-26. *Ibid.* 28. 29.

ARTICULUS XIV.

De magnis et præclaris effectibus orationis.

QUIDQUID orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis. Marc. xi, 24.

Quam potens et efficax sit oratio, copiosissime docet Scriptura. Ipsa namque sancta oratio iræ Dei resistit, divinam justitiam placat, et Omnipotentem vincere et ligare videtur, ut supra habetur. Oratio miraculosos effectus produxit : abundantissimam aquam de petra eduxit, plagas Ægypti fecit cessare, Rubrum divisit mare, manna de cœlo obtinuit, angelicum ac divinum ducatum et comitatum promeruit, muros Jerichontinos prostravit, Amalec ac ejus exercitum superavit. Oratione obtinuit David divina oracula, responsa angelica, triumphos in præliis, veniam in peccatis, percutientem angelum fecit cessare. Oratio Sanctorum suscitavit defunctos, mundavit leprosos, paralyticosque erexit, atque a nativitate cæcos, surdos, claudos, mutos, fecit videntes, audientes, gradientes, loquentes. Oratio fecit solem et lunam in cœlo immobiliter spatio diei unius stare, imo et retrocedere solem. Omnia elementa et mixta ac bruta orationi cesserunt, subjecta fuerunt et obedisse noscuntur.

art. v. *Exod.* xvii, 4-6 ; *Num.* xx, 6-11 ; *Exod.* vii-x ; xiv ; xvi. *Josue* vi ; *Exod.* xvii. II *Reg.* xii, xxiv. *Josue* x, 12, 13. IV *Reg.* xx, 9-11.

Oratio ab invisibilibus et visibilibus hostibus eripit et tuetur ; in omni necessitate, tribulatione et angustia opem meretur, et in omni tentatione sortitur victoriam ; in conversatione directionem acquirit divinam. Oratio inimicos Dei ac impios facit ejusdem amicos et justos ; mentem purificat, virtutibus replet, spirituali profectu ac meritis ditat, Deo conjungit. Oratio angelorum apparitionem sensibilem, gratiosam allocutionem, informationem, defensionem procuravit. Oratio penetrat nubes ac cœlos, Deo repræsentatur per angelos ; supernaturalia dona sortitur, consolationem largitur, infirmos relevat, ægros sanat ; vitæ prolongationem frequenter obtinuit, ignem fecit de cœlo descendere in sacrificiis olim Sanctorum, exercitus quoque combussit idololatrarum. Oratio erudit intellectum, accendit affectum, confortat stabilitque memoriam ; passiones refrenat, carnem et sensualitatem subjicit rationi. Et breviter, orationi nihil impossibile perhibetur. Oratio clausit cœlum ne plueret, tonitrua impetravit ac imbrem. Nec numerari queunt effectus magnifici in particulari quos electi Dei per orationes sunt operati : de quibus quum plena sit sacra Scriptura, chronicæ temporum, Legendæ

Eccli. xxxv, 21. *Tob.* xii, 12 ; *Apoc.* v. 8 ; viii, 3, 4. IV *Reg.* xx, 5, 6 ; III *Reg.* xviii, 36-38 ; *Num.* xvi, 35. *Jacob.* v, 17. *Exod.* ix, 23.

Sanctorum, auctoritates et exempla non A introduco.

ARTICULUS XV.

Quando orandum sit, et quibus potissime horis sit orationi vacandum.

SINE *intermissione orate.* I Thess. v, 17.

Pugnator durante bello arma non deponit. Quum igitur sine intermissione, indesinenter nobis adversarii nostræ salutis insidientur, omni tempore est orandum ; B et si non continue, saltem assidue, quum
Jacob. v, 16. scriptum sit : Multum valet oratio justi assidua. Denique omni tempore orat, qui omni tempore opportuno orationi insistit, qui ab actibus bonis non cessat, qui piis desideriis semper intentus est.

Insuper, orationibus et laudibus Dei specialiter est vacandum temporibus ab Ecclesia institutis, in quibus canonicæ Horæ solvuntur. De Hora etenim vespertina ait
Ps. CXL, 2. Psalmista, Elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum : quatenus mate- C riali sole jam declinante inclinataque die, mens ad Solem sapientiæ atque justitiæ dirigatur, cujus illustratione dies clarescat interior, et invariabili lumini mens profundius immergatur, tuncque gratiarum actio et laus Creatori altissimo offerantur. Porro ad horam Completorii pot-
Ps. LXXXVII, 2. est pertinere quod legitur : Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te. Tunc enim ingruentibus tenebris noctis et hora dormitionis instante, expandendus est sinus mentis totaliter in D abyssum lucis immensæ, et abjecta cura terrena, recolligendus ac stabiliendus est animus in Conditore ; atque in meditationibus sacris condecet obdormire, discussione præmissa qualiter expensus sit dies, quid boni in eo omissum, quid mali commissum, sicque castigatione inflicta, venia quoque petita et confessione ac emendatione propositis, sopore mediocri refovendum est corpus. Ad matutinalem vero
Ps. CXVIII, 62. Horam spectat quod scriptum est : Media nocte surgebam ad confitendum tibi. In qua singulari devotione mens ad Deum est elevanda ; et quo tempus illud quietius est, eo impedimentis devotionis sublatis, majori fervore stabiliorique tranquillitate orationibus, psalmis et laudibus Omnipotentis est insistendum. At vero ad horam Primæ pertinet quod loquitur Isaias : De *Is.* XXVI, 9.
mane vigilabo ad te ; et Psalmista : Mane *Ps.* V, 5.
adstabo tibi et videbo. De qua in Ecclesiastico fertur : Justus cor suum tradet ad *Eccli.* XXXIX, 6.
vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. Tunc itaque, antequam mundanæ curæ exterioraque opera admittantur, ante *Matth.* VI, 33.
omnia quærendum est regnum Dei et justitia ejus ; et si quid culpæ in nocte commissum est, oratione et pœnitentia est delendum. Tunc quoque invocandus est Deus, ut tota die dirigere ac defendere nos dignetur.

Præterea, cuilibet operi notabili, magno aut arduo, est præmittenda oratio, quatenus Deus actiones nostras præveniat, regat et prosequatur, ut cuncta nostra opera ab ipso semper incipiant, et per ipsum cœpta meritorie finiantur. In ipsa etiam operatione frequenter elevanda est mens ad Deum, oratione brevi et ignea meditationeque sacra. Ad quod insinuandum Christus Apostolos electurus orationem præ- *Luc.* VI, 12.
misit, ut scribitur apud Lucam.

Amplius, specialiter est orandum tempore tentationis ac tribulatione instante (quemadmodum Christus oravit prolixius *Ibid.* XXII, 43.
passione sua jam imminente), diebus item pœnitentiæ deputatis atque festivis. Et quanto majorem quis gratiam desuper fuerit sortitus, tanto instantius Dominum deprecetur, quatenus se in illa gratia conservare dignetur. Post talem namque visitationem supernam præcipue gratiosam, hostis nequissimus callidius nititur mentem ad turbationem pertrahere ; et nisi diligens adsit custodia, dejicit eam. Ideo Climacus dicit : Quum vigilanter oraveris, *Scal. parad.* grad. XXVIII.
celerius in iras impugnaberis, potissime spiritualiter.

Postremo, diligenter est præcavendum A ne quis tempore orationi deputato instet operi manuali vel alteri operi importune aut indiscrete, sed unumquodque exercitium ad se pertinens suo impleat tempore, ne postea festinantius illud persolvat. Solet etenim nequissimus hostis ad impertinentia seu corporalia exercitia prosequenda nos potissime incitare quando orationi et psalmodiæ est insistendum. Contra quod sanctus instituit Benedictus, ut operi Dei nil præponatur. Et Climacus ait : Quodcumque quis negotium exsequitur, et hora B orationis apprehendente vacat ab oratione et occupatur in eo, a dæmone talis illuditur. Unde recitat Cassianus, quod quidam probatissimus senex vidit Fratrem quemdam durissimum saxum malleo conterentem, atque diabolum in forma Æthiopis adsistentem, et una cum Fratre insertis manibus percutientem, ignitisque facibus instigantem Fratrem illum ad opus inceptum. Quumque Frater lassatus vellet cessare, rursus instigavit eum iniquus ad opus tam importunum. Tandem senex accedens Fratrem : Quid, inquit, agis, o Frater ? Laboravimus, ait, contra saxum istud durissimum. Ad quem senex : Bene dixisti, Laboravimus ; quia non solus percussisti, sed alter tecum, quem non vidisti.

Scal. parad. grad. XXVIII.

Collation. Patr. collat. IX, c. 6.

ARTICULUS XVI.

De congruentioribus locis orandi.

V*OLO viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione.* I Tim. II, 8.

Sicut ubique divino indigemus auxilio, et undique hostibus nostræ impugnamur salutis, atque ubique est Deus; sic in omni loco clamare debemus ad Dominum grandi affectu. Verumtamen materialis ecclesia est orationi specialiter consecrata, prout Sapientia asserit increata : Domus mea, domus orationis vocabitur. Propter quod oratio in ecclesia Deo fusa aliquid efficaciæ ac idoneitatis ex parte loci sortitur. Demum, ut aliqui arbitrantur, sicut adspersio aquæ benedictæ, ita ingressus ecclesiæ ad venialium valet remissionem.

Matth. XXI, 13.

Nihilo minus ad insistendum devotius orationi privatæ, aptior est locus quietus, solitarius et secretus, in quo orans a cunctis abstractus hominibus, tanto purius et liberius vacet Deo, quanto minus distrahitur aut impeditur inquietudine aliorum. Ad quod insinuandum Christus, qui nec solitudine poterat adjuvari, nec aliorum præsentia impediri, fugit in montem solus orare : imo, passione sua instante, a tribus quoque familiarioribus sibi Apostolis avulsus est quantum jactus est lapidis, et oravit. Solitudo etenim juvat præcipue ad percipiendum revelationem secretorum cœlestium, ad excessus contemplationum, ad abundantiam lacrimarum, ad inflammationem divini amoris, ad discussionem et emundationem propriæ mentis, ad puritatem et fervorem sanctæ orationis, ad meditationum subtilitatem, ad divinorum charismatum accumulationem. Idcirco ad litteram docuit Christus in cubiculo clauso C esse orandum : qui, Evangelista testante, consuetudinem habuit temporibus nocturnis transeundi ad hortum prope montem Oliveti situm, ad deprecandum ibidem.

Matth. XIV, 23; *Luc.* VI, 12; IX, 18, 28; etc.

Matth. XXVI, 36 et seq. ; *Luc.* XXII, 39-41.

Matth. VI, 6.

Luc. XXII, 39.

Unusquisque ergo cupiens Deo placere, quantumcumque sit magnus aut in pluribus occupatus, consuetudinem faciat sibi abstrahendi se a strepitu ac tumultu multorum, atque confugiendi ad solitarium, secretum quietumque locum, in quo se coram Deo prosternat, cor suum in precibus lacrimosis effundat, conscientiamque D examinet et expurget, ut sic cum viro sancto ex sententia dicere queat ad gloriam Dei : Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine ; et rursus : Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio ; vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Ps. LIV, 8.

Ps. CI, 7, 8.

Hinc ait S. Bernardus : Locum et tempus observare oportet eum qui sibi orare voluerit. Tempus feriatum (id est ab exterioribus occupationibus vacans) est aptius.

Maxime autem dum nocturnus sopor profundum cunctis indicit silentium, tunc plane liberior ac purior exit oratio. Quam secura in nocte oratio ascendit, solo arbitro Deo ac angelo sancto, qui illam superno altari suscipit præsentandam ! O quam grata tunc et lucida est, verecundo colorata rubore ex consideratione et erubescentia culpæ defectuositatisque propriæ ! quam serena et placida, nullo interturbata clamore ! quam munda atque sincera, nullo adspersa pulvere curæ terrenæ, nulla adspicientium laude aut adulatione tentata !

ARTICULUS XVII.

Quid sit petendum in precibus Deo oblatis ; et an aliquid determinatum sit a Deo petendum.

QUÆRITE primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Matth. VI, 33.

Refert Valerius de Socrate, quod dixerit, nihil determinatum esse a Deo petendum, sed in communi dumtaxat esse orandum ut ipse Deus succurreret atque utilia ac salubria daret, quoniam ipse melius scit quam nos quid expediat nobis. Cui verbo
Rom. VIII, 26. consonare videtur illud Apostoli : Quid oremus, sicut oportet, nescimus ; et quod
Ps. LIV, 23. ait Psalmista : Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. Unde et abbas Macarius interrogatus qualiter debemus orare, respondit : Non est opus multum loqui in oratione, sed extendere manus frequenter et dicere : Domine, sicut vis et sicut tibi placet, ita fiat. Si autem instat bellum tentationis, dic : Adjuva me. Et quoniam ipse scit quæ expediunt, faciet misericordiam nobiscum.

Verumtamen quædam sunt bona in se, ac finaliter petenda, ut bona gloriæ et salus æterna : et hæc sunt ab omnibus determinate petenda. Alia quoque sunt bona in se, et necessaria ad obtinendum felicitatem completam, ut virtutes ac merita, dona quoque Spiritus Sancti : quæ etiam ab omnibus viatoribus sunt petenda. Imo unusquisque specialissime petere debet gratiam ac virtutes exstirpandi a se vitia illa ad quæ ex naturali dispositione aut habitu pravo seu usu est proclivior, et ea charismata gratiarum quæ sibi magis sunt necessaria aut expedientia secundum exigentiam suæ vocationis, aut gradus seu status, sive officii. Sunt autem et alia, de quibus ignoramus an nobis ad salutem expediant, ut sunt : adversitates, tribulationes, ægritudines, a quibus interdum cupimus et petimus liberari, quum tamen aliter prosit nostræ saluti ; divitiæ quoque, honores et dignitates, quas contra nostram salutem quandoque optamus. De talibus ergo non expedit aliquid postulare, nisi secundum quod ad spiritualia requiruntur ac prosunt, tanquam media et minus principalia bona.

Denique prætacta spiritualia bona gratiæ ac virtutum determinate orare, quadrupliciter prodest. Primo, ut ea particulariter considerando ferventius affectemus : bona namque quanto particularius ac distinctius attenduntur, tanto plus appetuntur. Secundo, ut orantis intentio plenius applicetur ad ea, sicque oratio ejus efficacior fiat ad obtinendum : quia attentio orationi vigorem ac valorem non modice confert. Tertio, ut quantitas desiderii ac fervoris nostri nobis ipsis patescat, sicque seriosius studeamus proficere, et de concessis bonis gratias agere. Quarto, ut spiritualium illorum charismatum capaciores reddamur, atque copiosius ea adipiscamur : quia desiderium aperit mentem et aptat ad susceptionem boni optati. Hinc dignitatem, valorem et nobilitatem gratiæ gratum facientis, theologicarum quoque intellectualiumque virtutum atque moralium, et septem donorum Spiritus Sancti, octo beatitudinum ac duodecim fructuum Spiritus, et meritoriarum actionum, spiritualium quoque profectuum ac perfectionis internæ, et item salutis æternæ donorumque gloriæ, diligentissime totis viribus consideremus, ferventissime

affectemus, et pro eis ardentissime infatigabiliterque precemur, ac de concessis toto posse regratiemur, divinam pietatem ac liberalitatem jugiter benedicentes, quod ad tam præclarissima, divinissima ac supernaturalia bona nos creare dignata est.

ARTICULUS XVIII.

An oratio debeat esse diuturna.

VIGILATE, omni tempore orantes ut digni habeamini fugere omnia quæ futura sunt. Luc. XXI, 36.

Aliqua sunt ex quibus videtur quod orationes nostræ debeant esse breves, et aliqua ex quibus apparet quod esse debeant diuturnæ. Christus enim Lazarum suscitaturus a morte, brevem fudit orationem. (*Joann.* XI, 41, 42.) Similiter, passione instante, quum orando dixisset, Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, ad discipulos rediit, et tam breviter bis oravit; sed tertia vice oravit prolixius. (*Matth.* XXVI, 39-44. *Luc.* XXII, 43.) Scriptum est quoque apud Lucam, quod ascendit in montem solus orare, et erat pernoctans in oratione Dei. (*Ibid.* VI, 12.) Unde videtur quod oratio debeat esse prolixa, præsertim quum dicat Salvator : Oportet semper orare. (*Ibid.* XVIII, 1.) Sed hujus contrarium rursus ex eo apparet quod ait : Orantes nolite multum loqui. (*Matth.* VI, 7.)

Itaque advertendum, quod quædam sunt orationes et laudes Dei ab Ecclesia aut sanctis Patribus institutæ, ad quas ex præcepto quidam tenentur : quarum quædam sunt diuturnæ, ut matutinale Officium; quædam breves aut breviores, ut ceteræ Horæ. Et tales orationes ac laudes immutare, abbreviare ac prolongare, non est in nostra auctoritate, quia in sua integritate sunt persolvendæ. Aliæ sunt orationes, laudes et psalmodiæ, quas quisque ex supererogatione ac spontanea legit devotione : quas prout voluerit aut convenerit ei potest abbreviare sive extendere. De quibus orationibus videtur dicendum, quod quanto fuerint diuturniores, tanto et efficaciores, dummodo fervor devotionis et vigor attentionis in eis continuentur, et nisi in tantum protenderentur, quod alia facienda ex hoc omitterentur : nisi forsan terminentur in raptum, qui diuturnitatem et aliorum omissionem sublimiter excusaret, ac maximum robur orationi conferret. Si vero ex diuturnitate hujuscemodi orationis, laudis aut psalmodiæ, teperet devotio, tædium oriretur, caput debilitationem incurreret; expedientius esset quod celerius et cum fervore terminaretur, ac paulo post denuo cum recenti inciperetur attentione atque affectionis fervore : sicque oratio esset assidua, hoc est frequens, quamvis non prorsus continua. Et sic locum habet quod asserit Augustinus : Dicuntur Fratres in Ægypto crebras habere orationes, tamen brevissimas, et raptim quodammodo jaculatas, ne erecta in Deum intentio, quæ oranti plurimum necessaria est, per moras productiores evanescat et hebetetur. Per quod satis ostendit, sicut attentionem non esse cito rumpendam, si poterit perdurare, ita nec diuturnitate obruendam, quando durare non valet.

Hinc Cassianus ex ore abbatis Isaac refert : Ob id quoque frequenter et breviter est orandum, ne immorantibus nobis orationi aliquid possit extraneum inserere inimicus. (Collation. Patr. collat. IX, c. 36.) Istud namque est sacrificium verum, quia sacrificium Deo spiritus contribulatus; hæc salutaris hostia. (*Ps.* L, 19.) Ista pura sunt libamina; istud sacrificium justitiæ, immolatio laudis, holocausta medullata, quæ contritis et humiliatis cordibus offeruntur. Unde et in libro de Institutis Patrum disseruit : Dum adhuc fervet oratio, e faucibus inimici est rapienda, qui procul dubio, quum sit nobis infestus, tunc maxime adstat infestior, quum viderit nos contra se velle preces effundere Deo, festinans mentem nostram ab attentione supplicationis abducere per cogitationes extraneas aut diversos humores excitatos, et per hæc eam a cœpto fervore tepefacere contendens. (lib. II, c. 10.) Quamobrem utilius censent breves quidem orationes, sed creberrimas fieri : quatenus frequenter orantes, Deo

jugiter valeant cohærere, atque insidiantis diaboli jacula, quæ orantibus conatur infligere, possint vitare.

Præterea, quod durante devotionis fervore debeat continuari oratio, patet ex verbis Climaci exhortantis (Scal.parad. grad.xxviii.) : Crudele est potum rapere ex ore sitientis; crudelius vero est quod anima cum compunctione orans, ante compunctionis terminationem se ipsam multum desiderabili adsistentia (id est oratione per quam coram Deo se sistit) privet. Ne resilias quousque ignem et aquam (id est caritatis ardorem lacrimarumque fluxum) videris dispensative recedere et cessare : forte enim non accipies tale tempus ad dimissionem culparum in omni vita tua. Hinc denuo ait : Delectatione tactus vel compunctus in verbo orationis, in ipsa permane : tunc enim custos noster (videlicet angelus sanctus) adest simul nobiscum orans.

Præterea, ut valeamus orationes, laudes et Horas ad quas tenemur, cum stabili ac ferventi attentione persolvere, ceterasque orationes et psalmodias diu ferventer continuare, atque frequenter cum recenti devotione orare, conemur in vera caritate proficere, et mentem nostram in Deo constabilire, imo in omni virtute sumere incrementum. Quo enim in caritate et dono sapientiæ ceterisque virtutibus quis magis profecerit, eo orationibus et laudibus Dei diuturnius ac ferventius inhærebit, imo et dulcius. Dictum est namque (art. vii.), quod unus orationis effectus, est dulcis quædam refectio et exhilaratio cordis, quam sentit in se orans attente, ex apprehensione videlicet Dei et sensus orationis aut psalmodiæ. Ideo contemplative orans et psallens, tantum delectatur in orando et psallendo, quod fatigari vix potest in actibus tam divinis, et ab eis vix potest avelli.

Unde sancti Patres in eremo leguntur cum mira et quasi incredibili diuturnitate, fervore atque dulcedine, orationibus, contemplationibus ac psalmodiis continue immorati, secundum quod abbas Isaac refert de beatissimo patre nostro Antonio : A Ita novimus S. Antonium nonnunquam in orationibus perstitisse (Collation. Patr.collat. ix, c. 31.), ut eodem in excessu mentis frequenter orante, dum solis ortus cœpisset infundi, audierimus eum in fervore spiritus proclamantem : Quid me impedis, sol, qui ad hoc nunc oriris, ut me ab hujus veri luminis abstrahas claritate? Ex quo elicitur, quod per totam noctem continuavit orationem. Sic et quinto volumine Vitaspatrum narratur : Abbas Arsenius a vespere sabbati extendebat manus suas ad cœlum orans, donec mane die B dominico illustraret ascendens sol faciem ejus, et sic residebat. Retulit quoque abbas Dulas : Veni in cellam abbatis mei Bessarionis, et inveni eum stantem in oratione, manusque extentæ erant in cœlum; permansit autem hoc jugiter faciens incessanter per quatuordecim dies. Conformiter, interrogante abbate Lot abbatem Joseph, Quid amplius de cetero faciam? surgens sanctus senior Joseph, extendit manus suas in cœlum, et facti sunt digiti ejus velut decem lampades ignis, et C dixit : Si vis, efficiere totus velut ignis.

Postremo, quod ait Salvator, Orantes nolite multum loqui (Matth. vi, 7.), potest de mentali oratione intelligi. Vel, ut Augustinus exponit, orans tunc dicitur multum loqui, dum rem necessariam agit verbis superfluis, id est, dum desiderium sui cordis et sensum suæ orationis superfluis exprimit verbis. Ideo Climacus monet (Scal.parad. grad.xxviii.) : Sit tibi orationis textura sine varietate, quoniam uno verbo sibi ipsis reconciliaverunt Deum publicanus et impudicus, id est David in adulterium lapsus (II Reg. xi, 4.), qui dicendo, Peccavi D Domino, meruit mox audire (Ibid. xii, 13.) : Dominus transtulit peccatum tuum. Publicanus autem dicendo, Deus, propitius esto mihi peccatori (Luc. xviii, 13, 14.), fuit justificatus. Siquidem verba illa paucissima ex ineffabili protulerunt contritione, sicut et latro dicens : Domine, memento mei quum veneris in regnum tuum (Ibid. xxiii, 42.). Hinc iterum ait : Ne coneris multum loqui in oratione tua, ne ad inquisitionem verborum mens tua dissipetur. Multiloquium in oratione plerumque per-

effudit mentem et phantasticavit ; solilo- A quium vero ex sua natura congregat eam. Nos vitiosi atque passionabiles (id est passionibus adhuc mobiles ac subjecti) perseveranter Deum (pro refrenatione passionum reformationeque mentis) rogemus, quoniam omnes a vitiis emundati, ex passibilitate in impassibilitatem ac munditiam profecerunt.

ARTICULUS XIX.

Cur assiduitas, improbitas importunitasque orandi a Christo laudentur ac doceantur.

D*EUS omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* I Tim. II, 4.

Deus, cujus natura est bonitas, qui a nobis pauperculis pater appellari dignatur, et nostram salutem variis modis quærit, in infinitum pronior liberaliorque consistit ad dandum, ad indulgendum, ad succurrendum, quam nos ad orandum. Sed, juxta præhabita, idcirco interdum (art. VIII.) differt exaudire, ut nos diu et ferventer orando mereamur copiosius exaudiri, et pia desideria continuando, excellentiora gratiarum charismata mereamur ac sortiamur ; et item, ne celeriter exauditi extollamur, et propriis meritis putemus nos exauditos, atque ut ex ipsa exauditionis dilatione humiliemus nos ipsos, propriam defectuositatem et indignitatem pensantes. Ideo quoque differt implere quod petimus, ne ex impetrandi facilitate parvi pendamus et minus diligenter ac gratanter suscipiamus et custodiamus pretiosissima ac supernaturalia dona gratiæ gratificantis. Quæ enim laboriose obtinentur, cariora habentur, et vigilantius conservantur.

Docuit ergo Salvator per locum a majori atque per argumentum a fortiori, assidue jugiterque orantes Deum naturaliter pium, dulcem ac liberalissimum, non finaliter refutari ab eo : quia parentes mor- (Luc. XI, 11-13.) tales et sæpe iniqui, propriæ soboli necessaria postulanti largiuntur quod postulat : quanto magis Deus spirituum pater et conditor eos exaudiet a quibus patrem appellari se jubet ? (Luc. XI, 2.) Item ex hoc quod amicus (Ibid. 5-8.) somno et quieti corporali vacare desiderans, importunitate amici petentis victus, surrexit et dedit illi quod petiit : quanto magis incommutabilis Deus nullius molestiæ capax, succurret assidue supplicanti ? Rursus ex hoc quod judex iniquus et durus, non obstante sua duritia, tandem (Ibid. XVIII, 2-8.) B acquievit viduæ indesinenter ad se clamanti : quanto magis misericordissimus Deus miseris ad ipsum incessanter clamantibus exhibebit se gratiosum et liberalem ?

Denique, incessabilis ista orandi instantia, coram Deo accepta est, sapientialis, meritoria ac laude dignissima : nec importunitas aut improbitas appellatur eo quod vere sit importunitas sive improbitas, quum sit virtuosa constantia et salubris cupiditas opulentiæ spiritualis ac C veræ salutis ; sed metaphorice sic vocatur, quia incessabiliter invocans Deum omni loco et tempore, omni casu, actu atque negotio, ita se habet ut hi qui importune ac improbe rogant homines quosdam, non servantes in hoc opportunitatem loci ac temporis.

Itaque cum immobili confidentia Deum jugiter invocemus, opportune et importune, modeste et improbe, cum omni humilitate, fervore et vera discretione.

D

ARTICULUS XX.

De duplici orationis exordio.

J*USTUS in principio * est accusator sui.* Prov. XVIII, 17. (* prior)

Quemadmodum oratores sæculi hujus in suis sermonibus qui orationes vocantur, pro rhetorico præmittunt exordio aliquid commendationis, quo judicem ipsum collaudant de sua æquitate, prudentia, fama, probitate aut actibus, ad captandum bene-

volentiam ejus (prout in Actibus Apostolorum Tertullus orator contra Paulum apostolum oraturus, ita ad judicem fertur *Act.*xxiv,2, 3. exorsus : Quum in multa pace agamus per te, et multa per tuam providentiam corrigantur, semper et ubique suscipimus te, optime Felix, cum omni gratiarum actione) ; sic spiritualis orator Dei orationem suam debet incipere a captatione benevolentiæ ejus. Quod dupliciter agere potest. Primo, a Dei laudibus ac magnificentiis et a gratiarum actione incipiendo : et hoc magis convenit viris perfectis. Sicque primo Paralipomenon legitur sanctus David *I Par.*xxix, 11, 12, 18. dixisse et orasse : Tua est, Domine, magnificentia et potestas et gloria atque victoria, tuæ sunt divitiæ, tua est gloria, tu dominaris omnium ; Domine Deus, custodi in æternum hanc voluntatem. Et sicut in feudo dominus feudi vult sibi a feudario totum feudum recognosci, alioqui feudarius illo privatur ; sic Dominus universorum vult sibi a nobis recognosci atque adscribi quidquid in nobis est boni aut meriti, alioqui de ingratitudine nos condemnat, et gratiæ donum tollit.

Scal. parad. grad. xxviii. Hinc Climacus loquitur : Præ omnibus in charta obsecrationis nostræ gratiarum actionem subordinemus ; in secundo autem versu, confessionem et contritionem animæ in spiritu : hic etenim modus orandi perfectus est, secundum quod cuidam Fratrum ab angelo Domini fuit manifestatum.

Juxta hunc modum potest oratio ita formari : O Deus majestatis immensæ, cujus *Ps* cxlvi. 5. sapientiæ non est numerus, cujus potentiæ non est finis, cui proprium est mise- *Job* xxiv, 12. reri et parcere, qui nullum peccatum de- *Esther* xiii, 9. seris impunitum, in cujus ditione cuncta sunt posita, a quo omne bonum procedit, *II Cor.* iii, 5. cujus dona sunt merita nostra, sine quo insufficientes sumus aliquid meritorie cogitare, appetere, loqui aut agere : tibi omne bonum, omne meritum, omne præconium cum omni gratiarum actione adscribo ; te laudet, glorificet, benedicat omnis creatura. Precor, Domine Deus omnipotens, infinitam tuam benignitatem, A mirifica misericordiam tuam in me ; ab *Ps.* xvi, 7. omni peccato me purga, præserva et protege ; fac me ter quotidie magis ac magis devotum, gratum, intentum.

Porro alter modus inchoandi orationem a captatione prætacta, est in primis se ipsum profundissime humiliare, graviter accusare, et adsistentia, repræsentatione ac deprecatione coram Deo reputare indignum, ac dicere illud Esdræ : Domine *I Esdr.* ix, 6. Deus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates B meæ multiplicatæ sunt super caput meum, et delicta mea creverunt usque ad cœlum ; et cum rege Manasse : Peccavi super *Oratio Manassæ.* numerum arenæ maris, et non est respiratio mihi ; ne perdas me cum iniquitatibus meis. Sic oravit David in Psalmo : Domine, ne in furore tuo arguas me, quo- *Ps.* xxxvii, 2, 5. niam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Sic et unusquisque ex intimo cordis sui fundo dicere potest : O Domine Deus sanC ctitatis ac sapientiæ infinitæ, Deus juste ac metuende, heu, quanta est ingratitudo, perversitas, contemptibilitas et insipientia mea ! O quanta impudentia mei peccatoris vilissimi, quod coram te audeo apparere, os aperire, aut te nominare, quem tam enormiter ac frequenter offendi, inhonoravi, reliqui ! Idcirco promerui ut universitas creaturæ contra me insurgat, me invadat, et Creatoris sui in me ulciscatur injurias. O Deus altissime, quot jam æternaliter perierunt qui ineffabiliter miD nus et rarius peccaverunt quam sceleratissimus et vilissimus ego ! Ecce indignum me fateor omnis creaturæ obsequio, usu atque subsidio : indignus sum pane quo vescor, lumine quo perfundor, vita qua subsisto, terra quam calco, aere quem respiro. Et nunc, Deus sublimis et adorande, quia me desperare prohibuisti, pœnitere jussisti, nec me ipsum occidere queo, precor te, Domine, ut propter te ipsum, propter bonitatem, caritatem et pietatem tuam immensam, ad laudem et

gloriam tui ipsius, per Dominum nostrum A Jesum Christum, per omnia mysteria et beneficia ejus, per omnia quæ pro mea assumpsit, fecit sustinuitque salute, per piissimam et gloriosissimam virginem Mariam, per omnium Sanctorum et devotorum preces ac merita, me contemptibilissimum peccatorem misericordissime Ps. L, 3. digneris adspicere et purgare. Miserere mei, Deus, secundum infinitam misericor- Rom. v, 20. diam tuam ; fac in me abjectissimo abundare misericordiam et gratiam tuam, in Ps. LXXVIII, 8. quo tanta abundavit iniquitas. Ne meminer B is impietatum mearum, sed fac me tibi de cetero tanto diligentius humiliusque servire, quo majorem mecum misericordiam effecisti, et fac me tibi ter tanto plus gratum ac fervidum et fidelem, quo plus mihi a te remissum est. — His et consimilibus orationibus potest devotus uti, prout unctio edocebit.

ARTICULUS XXI.

Qualiter orans et pœnitens vices et partes Dei contra se ipsum exercet, atque per hoc misericordiam et gratiam promeretur.

V*IAS meas in conspectu Dei arguam, et ipse erit salvator meus.* Job XIII, 15, 16.

Videmus in foro judiciali humano, quod judex præcipit reum ligari ac sibi adduci; quem et accusat, et negantem testibus convincit, aut per tormenta cogit veritatem fateri : quo facto, profert in eum D damnationis sententiam. Sic et in hora mortis quorumlibet facit Deus animabus morientium, quantum ad hoc quod eas sibi præcipit præsentari, et accusatas atque convictas dijudicat. Interim vero dedit unicuique homini auctoritatem super et contra se ipsum, ita ut coram Deo quilibet nostrum se ipsum quotidie ponat ante tribunal mentis, in consistorio animæ suæ ascendat, sicque zelo justitiæ, ex amore spirituali Dei ac sui ipsius accuset se ipsum et contra se protestetur, probando se esse iniquum : quo peracto, fateatur ac judicet se reum æternæ damnationis ; atque ut illa sibi vertatur in pœnam temporalem, intime de suis doleat culpis, veniam deprecetur, confiteri proponat et emendare se ipsum ; satisfaciat quoque, imo se ipsum, quantum fieri potest, cum discretionis moderamine mox castiget et disciplinet. Et quia in his exercet vices Dei adversus se ipsum, dicens, Tibi soli Ps. L, 6, 5. peccavi, et iniquitatem meam ego cognosco ; meretur per hoc vel de condigno vel de congruo, dispositive aut complete, remissionem peccaminum, misericordiam Dei, gratiam aut profectum virtutum, habens pro se regulas juris divini, testimonia Scripturarum, evangelicæ legis censuras, quoniam scriptum est per Prophetam : Dixi, Confitebor adversum me injustitiam Ps. XXXI, 5. meam Domino ; et tu remisisti impietatem peccati mei. Paulus quoque apostolus : Si I Cor. XI, 31. nosmetipsos (inquit) dijudicaremus, non utique judicaremur.

C Quoniam ergo, o Domine, me ipsum accuso, iniquitatem meam agnosco, confiteor et demonstro, spero quod tu ignosces, et impium me justum efficies : quia et tuam in me ulciscor injuriam; tu autem Nahum I, 9, juxta LXX. non judicas bis in id ipsum. Verumtamen imperfectionem meam in his adverto, quia non tam dire et plene me reprehendo, humilio atque dijudico, sicut vitia mea requirunt ; sed imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo scribentur Ps. CXXXVIII, 16. omnes qui imperfectionem suam fatentur, defectuositatisque suæ suppletionem quærunt a te. Sed et tanquam pannus menstru- Is. LXIV, 6. atæ sunt universæ justitiæ nostræ, nec est qui possit facere mundum de semine Job XIV, 4. conceptum immundo, nisi tu qui solus es, cujus esse tam infinitæ est excellentiæ, ut ejus comparatione aliorum esse sint quasi non esse. Et si nondum facio satis integre quod in me est, da mihi id plene peragere. Impleatur, quæso, in me lex æquitatis quam per Salomonem divulgasti, dicendo : Qui abscondit scelera sua, non Prov. XXVIII, 13.

dirigetur ; qui vero confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur. In omni tentationis conflictu adsiste, conforta, victoriam præbe. Sicut me ex me cernis deficere undique, sic ex omni parte, in omni necessitate opem impende, tuere, præserva. Tu qui me carnalem et imbecillem a spiritualibus illis, malignis, callidissimis, indefessis, fortissimis hostibus impugnari permittis, ne, quæso, me deseras, sed confortare, illuminare et victoriosum efficere non desistas. Cui misereris, si misericordiam tuam invocanti propriamque miseriam recognoscenti non propitiaris? Nonne, o Domine, tam infinita est bonitas tua, ut justum ac decens sit te eis ignoscere et auxiliari qui vice justitiæ tuæ se ipsos justitiant, accusant, proclamant, dijudicant et castigant? Da mihi, o Domine, vitiorum meorum enormitatem et multitudinem acute conspicere, cordialiter abhorrere, digne deflere, atque deinceps toto conatu incessanter vitare.

ARTICULUS XXII.

Qualiter diversi diversimode invocant Deum.

A*D ipsum ore meo clamavi, et exsultavi sub lingua mea.* Ps. LXV, 17.

Una et eadem res diversimode consideratur, et juxta hoc de eadem re variæ affectiones concipiuntur. Itaque possumus Deum considerare ut justum, omnipotentem, summum ac metuendissimum judicem, cujus judicium nemo potest evadere, (*Job* IX passim.) cujus potestati nullus valet resistere, cujus scientiam nil potest latere, a cujus excellentia nemo potest appellare. Sic ad Deum concipimus grandem timorem, reverentialem affectum, ac magnum de peccatis nostris pudorem. Possumus quoque Deum considerare ut piissimum creatorem, benignissimum patrem, fidelissimum provisorem ; et sic ad ipsum concipimus filialem amorem et fiduciam magnam. Sic nos ipsos pensare valemus per comparationem

A ad peccata quæ egimus aut omittendo incidimus ; sicque aspernamur et humiliamus nos ipsos. Rursus nos ipsos attendere possumus quantum ad bona quæ, Deo præstante, nos egisse confidimus, aut quantum ad mala pœnalia quæ propter justitiam aut propter nostram iniquitatem pertulimus ; et sic in divina misericordia respiramus. Ac juxta mensuram et gradum quo quis in spirituali conversatione profecit atque in exercitatione interna expertus est, experitur in se sublimiores affectiones

B ad Deum, ita quod ad ipsum afficitur et accedit tanquam ad familiarem amicum, aut tanquam ad patrem dulcissimum, aut tanquam ad fidelissimum conservatorem aut misericordissimum provisorem. Sicque diversæ sunt affectiones circa Omnipotentem in peccatoribus nondum conversis, serviliter tamen timentibus, et in peccatoribus conversis ac incipientibus, et in proficientibus ac perfectis.

Hinc quidam invocant Deum ut judicem justum, cum ingenti formidine dicentes :

C Loquar in amaritudine animæ meæ, dicam (*Job* X, 1, 2.) Deo, Noli me condemnare ; itemque : Non (*Ps.* CXLII, 2.) intres in judicium cum servo tuo, Domine.

Quidam Dominum deprecantur ut servi in multis obnoxii et transgressi, attamen pœnitentes, ut eis præteritas indulgeat culpas et veram infundat contritionem, et ad pristinum gratiæ decus reducat, ad prioris caritatis affectum admittat, atque de cetero præstet cautius conversari, dicentes : Non secundum peccata nostra facias (*Ps.* CII, 10; LXXVIII, 9.)

D nobis, et propitius esto peccatis nostris. Sic et Tobias justus oravit : Ne reminisca- (*Tob.* III, 3.) ris, Domine, delicta mea, neque vindictam sumas de peccatis meis.

Aliqui vero Deum orant tanquam in magnis periculis positi hostibusque obsessi, tentati aut infirmitatibus laborantes, et per impatientiam aut consensum vinci et cadere formidantes, atque dicentes : Tri- (*Ps.* CXIV, 3, 4.) bulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi ; o Domine, libera animam meam. Et rursus : Custodi me, Do- (*Ps.* CXL, 9.)

mine, a laqueo quem absconderunt mihi; A
Ps. CXLII, 9. et, Eripe me de inimicis meis, Deus meus.

Nonnulli autem Deum exorant sicut mendicus patremfamilias, rogantes sibi desuper dari panem supersubstantialem, mentis refectionem, et quidquid necessarium aut utile eis est ad salutem, juxta il-
Matth. VI, 11. lud in Oratione dominica : Panem nostrum quotidianum da nobis. Hinc dixit Psal-
Ps. XXXIX, 18. mista : Ego autem mendicus sum et pauper, Dominus sollicitus est mei; Deus meus, ne tardaveris.

Quidam invocant Creatorem sicut filius B patrem, ex sincero amore optantes et deprecantes ut Pater cœlestis ab eis atque a cunctis hominibus debite honoretur, ac fervide jugiter diligatur, secundum illud :
Luc. XI, 2. Pater, sanctificetur nomen tuum, id est, tibi a cunctis in sanctitate et justitia sic serviatur, ut verbis et factis te sanctum et summe honorabilem fateantur. Unde ad-
Matth. V, 48. monuit Christus : Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Et
Lev. XI, 44, 45; XIX, 2; etc. Deus per Moysen sæpius est locutus : Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum, C Dominus Deus vester. Filiorum namque est suis patribus assimilari. Orant ergo ut Deus eis præstare dignetur gratiam et virtutem honorandi ipsum ex totis præcordiis in cunctis et singulis, juxta quod Moyses
Exod. XV, 2. ait : Iste Deus meus, et glorificabo eum; Deus patris mei, et exaltabo eum.

Alii orant Deum ex familiari fiducia, tanquam amicum et omnium regem, ut cunctis hominibus sit benignus, infideles convertat, fideles reformet, universos salvificet, detentos in purgatorio relevet et D educat.

Alii quasi in Deum absorpti, et ardentissima caritate unum cum ipso effecti, atque in affectum boni honesti penitus transformati, incessabiliter ardent amore boni communis, zelo divini honoris, generali affectu salutis totius communitatis : qui pro proximorum (præsertim subditorum, si qui eis commissi sint) salute ita solliciti sunt, ut de summi Regis inhonoratione maxime doleant, totius mundi peccata deplangant, infinitæ beatitudini Conditoris præsertim congratulentur, cunctis bene agentibus ac Deum venerantibus intime collætentur; qui tanquam secretarii et consiliarii Dei ipsum exorant pro omnis mali suppeditatione omnisque boni promotione et completione.

Ceteri orant Deum sicut sponsa suavissimum sponsum; quorum virtuosæ animæ sponsæ sunt Christi, cui intime uniri desiderant, in quo quiescere, a quo amplecti, deosculari, repleri, fecundari cupiunt ac precantur, dicentes : Osculetur me osculo *Cant.* I, 1.
oris sui; et item : Dilectus meus mihi, et *Ibid.* II, 16.
ego illi; itemque : Ego dilecto meo, et ad *Ibid.* VII, 10.
me conversio ejus.

Postremo, quidam sic inflammati, repleti et quasi inebriati sunt zelo justitiæ, ardore boni communis, confidentia Dei, compassione miserorum, ut interdum quasi cum quadam indignatione, querela et objurgatione Deum exorare et alloqui videantur, ut quum Habacuc ait Altissimo : Mundi sunt oculi tui ne videas malum, et *Habac.* I, 13.
respicere ad iniquitatem non poteris; quare non respicis super inique agentes, et taces devorante impio justiorem se? Jeremias quoque : Quare percussisti nos, ita *Jer.* XIV, 19.
ut nulla sit sanitas? Sicut refert Hieronymus, quum Paulus Simplex quemdam obsessum et rabidum tam celeriter ut optabat non posset curare, quasi comminans aut indignans locutus est Deo : Vere non comedam hodie, nisi curaveris eum. Moxque curatus fuit insanus. Conformiter fertur in libro Apum, quod quodam tempore prædominante grandi caristia, quidam solitarius sanctus Dominum durius objurgavit, quod populum sic afflixit; cessitque Dominus gloriæ objurganti, subveniens plebi. Tam infinite bonus et clemens est Deus, ut sic piis ac ferventissimis cedat et quasi obediat suorum affectibus amicorum. Ex præfato affectu videntur Moyses *Exod.* XXXII, 32;
et Paulus orasse pro reis, ut vel delerentur *Rom.* IX, 3.
de libro vitæ, aut reis ignosceretur.

Amplius, non tantum diversi tam diversimode orant, sed etiam unus et idem, se-

cundum quod variis modis se ipsum attendit atque afficitur, et prout diversimode tangitur a Spiritu Sancto. Nam et Psalmista omnibus modis his invenitur locutus ac deprecatus in Psalmis. Imo unus et idem in eadem totali et protracta oratione orat interdum omnibus modis atque affectibus nunc prætactis, utputa : pro se ipso, pro sua purgatione ac venia, pro recuperatione caritatis amissæ, pro gehennæ evasione et impetratione salutis æternæ, pro sui ipsius profectu et perfectione in omni gratia et virtute, pro visitatione secreta Sponsi cœlestis ; pro omnibus propinquis, benefactoribus et commissis, pro vivis ac mortuis, pro reformatione totius Ecclesiæ in omni gradu, statu et ordine, pro infidelium conversione, pro honoratione Creatoris ab omnibus creaturis, atque ut Deus omnipotens provideat undique suæ Ecclesiæ de sanctis idoneisque prælatis.

ARTICULUS XXIII.

Qualiter Deus diversimode videtur se habere circa orantes.

MULTITUDO viscerum tuorum et miserationum tuarum super me continuerunt se. Is. LXIII, 15.

Quemadmodum orantes ex diversis affectibus et considerationibus diversimode invocant Deum, sicut jam præcedenti articulo patuit, sic diversis oratoribus in orationibus suis apparet quod Deus valde diversimode se habeat circa ipsos : imo uni et eidem oranti per temporum intervalla hoc ipsum apparet.

Etenim personis devotis et virtuosis interdum dispensative ad tempus consolatio divina subtrahitur, ita quod in quadam ariditate atque duritia animi relinquuntur, subtracta devotione sensibili ; interdum quoque gravissimis tentationibus, infirmitatibus, adversitatibus, persecutionibus exponuntur, in quibus si spiritualis consolatio desit, cœlum æneum et terra ferrea esse videntur : sicque videtur oranti quod A Deus ipsum respicere et audire penitus dedignetur, quoniam diu orando nullum in se sensit fructum suæ orationis.

Imo interdum oranti apparet quasi omnia casu et fortuna decurrant, nec utile sit orare, meliusque succedat iniquis et impiis qui non orant, quam justis orantibus. Ex quorum persona Malachias ait : Quod emolumentum habuimus, quia ambulavimus *Malach.* III, 14. tristes coram Domino? Et Psalmista : Avertisti (inquit) faciem tuam a me, et factus *Ps.* XXIX, 8. sum conturbatus. Nam et sanctus Job amaritudinibus B afflictionibusque repletus : Clamo (ait) ad te, et non exaudis me. *Job* XXX, 20. Denique istud quandoque ita apparet oranti ex suggestionibus inimici; quandoque vero ex subreptione vel obscuratione, hebetudine aut tædio animi, dum Deus dispensative permittit suos fideles sic fluctuare et concuti, ut probet eorum constantiam, et virium suarum insufficientiam pensent, ac postea relevati et exauditi cordialius regratientur, sicque exercitati reddantur et experti in spirituali militia, atque idonei C consulere aliis, præsertim tentatis. Nam et Paulus apostolus protestatur : Supra modum gravati sumus supra virtutem, ita *II Cor.* I, 8. ut tæderet nos vivere.

Interdum apparet oranti, quod Deus non solum non audiat neque respiciat eum oculo suæ clementiæ, verum etiam tanquam indignans et iratus aut implacabilis sibi resistat, seque abjiciat, et suæ iracundiæ plagas augeat in se : quoniam quanto plus orat, tanto plus crescit in se sterilitas seu afflictio cordis, sive tribu- D latio corporis, aut certe utrumque. Hinc scriptum est : Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti *Ps.* LXXXVII, 8. super me. Et rursus : Ut quid, Domine, repellis orationem meam? *Ibid.* 15. Unde et sanctus Job locutus est Domino : Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. *Job* XXX, 21. In tali eventu habenda est patientia, et certa tenenda est fides quod juxta testimonia Scripturarum Omnipotens non relinquit sperantes in se, nec continuatas orationes despicit. *Judith* XIII, 17.

Interdum apparet oranti, quod Deus pie se habeat circa se, non tamen suam orationem advertat, quia orando non experitur signum aliquod acceptionis aut benevolentiæ Dei circa id pro quo orat : unde ambiguus redditur an id quod deprecatur placeat Deo ; vel si tale est ut nequeat displicere, veretur an pro aliqua sua culpa Deus differat exaudire, an potius dispensative, ut postea copiosius præstet quod petitur.

Interdum vero orans mox in precibus suis consolationem ac spiritualem sentit dulcedinem, juxta illud Psalmi : Ad ipsum ore meo clamavi, et exsultavi sub lingua mea. Sicque ad deprecandum magis accenditur. Unde in Ecclesiastico scriptum est : Qui in oblectatione orat *, suscipietur.

Ps LXV, 17. — *Eccli.* XXXV, 20. — * adorat

Aliquando vero apparet oranti, quod intra se audiat Dominum suis desideriis favorabiliter respondentem, ac suæ petitioni gratiose ac misericorditer annuentem, juxta quod scriptum est : Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Hinc legitur apud Isaiam : Miserans miserebitur tui ; ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi. Unde rursus Dominus per eumdem ait Prophetam : Adhuc illis clamantibus dicam, Ecce adsum. Et istud solet esse indicium exauditionis divinæ, secundum illud in Psalmo : Desiderium pauperum exaudivit Dominus ; præparationem cordis eorum audivit auris tua.

Ps. LXXXIV, 9. — *Is.* XXX, 19. — *Ibid.* LXV, 24 ; LVIII, 9. — *Ps.* X, 17, sec. Hebr.

ARTICULUS XXIV.

De diversis nominibus orationis.

STETIT angelus ante altare, habens thuribulum aureum in manu sua, et data sunt ei incensa multa, ut adoleret et *daret de orationibus Sanctorum super altare aureum quod est ante thronum Dei ; et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu angeli coram Deo.* Apoc. VIII, 3, 4.

A Tanta est dignitas et efficacia orationis, ut non queat paucis exprimi verbis : ideo in Scripturis diversa et præclara nomina sortitur oratio. Ipsa namque in primis est interpres desiderii, id est piæ affectionis expositrix, atque internæ dispositionis animæ declaratrix. Idcirco, ut Climacus loquitur, oratio est speculum * mentis, quia in ea refulget dispositio cordis. Nempe qualis sit orans, quantum et quousque profecerit, ex ejus orationibus innotescit : quia quo mente exstat ferventior, quo humilior, purior atque stabilior, quanto perfectior ac divinior fuerit, tanto affectuosiores, humiliores, mundiores sublimioresque preces offeret Deo, et in suis orationibus stabilior erit. Idcirco, ut asserit Augustinus, unusquisque ex qualitate suæ orationis sibi ipsi innotescere potest : si enim in precibus suis hinc inde distrahitur, si frigida orat mente et circumspicientibus oculis, si sine præparatione, reverentia ac timore, signum est interioris inopiæ ac miseræ mentis.

Scal. parad. grad. XXVIII. — * illuminatio

B

C Sic ergo oratio vocatur in primis interpres desiderii. Secundo, speculum mentis. Tertio, nuntius et legatus orantis, non quiescens donec veniat ad thronum atque præsentiam summi Regis. Unde oravit vir sanctus : Intret in conspectu tuo oratio mea. Insinuat enim orantis affectum Deo, non quasi ignoranti, sed ut patrocinium conferenti. Juxta quem modum ait Propheta : Delictum meum cognitum tibi feci. Hinc scriptum est : Oratio humiliantis se nubes penetrabit ; et donec propinquet, non consolabitur ; et non discedet, donec Altissimus adspiciat.

Ps. LXXXVII, 3. — *Ps.* XXXI, 5. — *Eccli.* XXXV, 21.

D

Quarto oratio vocatur sacrificium quod ex medullis atque visceribus animæ Creatori offertur. Hinc scriptum est : Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo ; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Hoc sacrificium igne caritatis est inflammandum, sicque celerrime fertur in altum.

Ps. CXL, 2.

Quinto oratio nominatur spirituale unguentum, et vitiorum emplastrum ac me-

Eccle. x, 1. dicina. Unde Salomon fassus est : Muscæ A morientes perdunt suavitatem unguenti. Hæ etenim muscæ sunt distractiones illicitæ et cogitationes extraneæ, quæ orationis suavitatem impediunt.

Sexto vocatur thus seu immolatio, vapor et fumus thuris : quia devotionis dulcedinem, pietatis et caritatis suavitatem includit, et instar fumi ascendit ac dulciter redolet coram Deo. Idcirco et thymiama boni odoris potest vocari. Unde in Apo-
Apoc. v, 8. calypsi habetur : Habebant singuli seniores citharas et phialas aureas plenas B odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.

Septimo appellatur oratio vitulus labio-
Osee xiv, 3. rum, secundum illud Osee : Reddemus vitulos labiorum nostrorum. Cui consonat
Hebr. xiii, 15. illud Apostoli : Per Christum offeramus hostiam laudis Deo semper, id est fructum labiorum nostrorum confitentium nomini ejus. Oratio namque instar vituli est sacrificium spiritualiter pingue, tenerum ac suave.

Octavo oratio nominatur gladius, per C quem orans fugat invisibiles hostes, et qui penetrat cordis secreta et ejus scin-
Ephes. vi, 17. dit duritiam. Unde Apostolus dixit : Sumite gladium spiritus, quod est verbum Dei.

Nono vocatur lucta. Orans enim sua oratione iræ Dei resistit, et a Deo sua assiduitate ac importunitate extorquet quod postulat. Nec dubium quin orans contra invisibiles hostes sua oratione luctetur.
Gen. xxxii, 24-29. Sic enim sanctus Jacob contra angelum fertur luctatus, et benedictionem ab illo extorsit, in tantum quod contra Deum for- D tis fuisse describitur.

Decimo oratio dicitur satisfactio pro peccatis : siquidem oratio, eleemosyna et jejunium partes satisfactionis dicuntur. — Oratio quoque est reconciliatio Creatoris, tutamen et præservatio a culpis futuris, refugium viatorum in omni necessitate, consolatio ac relevamen in omni infirmitate, armatura atque victoria in omni tentatione, columna in prosperis et adversis.

ARTICULUS XXV.

De industriis ac adjutoriis orandi devote.

L*EVEMUS corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos.* Thren. iii, 41.

Non est semper in potestate nostra æque devote orare : hinc indigemus industriis quibus excitemur ac adjuvemur ad orandum fervide ac devote.

Prima industria est ex parte corporis, utputa talis situatio, incurvatio seu dispositio ejus quæ amplius juvet ac provocet ad inflammandum dilectionis, compunctionis sive devotionis affectum. Unde quidam leguntur orasse manibus ac oculis in cœlum elevatis : ut Moyses pro victoria *Exod.* xvii, 11, 12.
filiorum Israel contra Amalec orans, Sa- III *Reg.* viii, 22.
lomon quoque in templi dedicatione, similiter Christus in Lazari resuscitatione. Sed *Joann.* xi, 41.
Moyses sic oravit sedendo, quoniam tota die oravit sic ; Salomon autem genibus flexis. Christus vero, ut creditur, stando oravit ita ; sed passioni jam proximus, oravit sic etiam genibus flexis. Hinc et *Luc.* xxii, 41.
Apostolus : Volo (inquit) viros orare in I *Tim.* ii, 8.
omni loco, levantes puras manus, sine ira et disceptatione. Unde Isaias : Levate (ait) *Is.* xl, 26.
in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. Sic legitur beatissimus Thomas apostolus, quum esset in nuptiis filii regis, fixos in cœlum oculos tenuisse. Et gloriosus præsul Martinus oculos suos corporales assidue erexit in cœlum. Nam et ex intuitu et consideratione cœlestium corporum ac astrorum et motus atque influxus eorum, levatur mens in contemplationem Creatoris ordinatorisque omnium, juxta illud Sapientiæ : A magnitudine spe- *Sap.* xiii, 5.
ciei et creaturæ poterit Creator cognosci. Talis quoque elevatio oculorum valet ad considerationem cœlestium gaudiorum ac patriæ Beatorum, quæ est regnum cœlorum, ad quod mentis intuitum et cordis affectum assidue decet nos elevare, imo ad Dominum ipsum præsidentem et regnantem in cœlis, exemplo dicentis : Ad *Ps.* cxxii, 1.

te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Hinc, ut sciremus quo et ad quem debeamus orando dirigere oculos ac desideria cordis, Christus in exordio dominicæ ait Orationis : Pater noster, qui es in cœlis. (*Matth.* VI, 9.)

Porro alii leguntur orasse genibus flexis : quemadmodum et sacratissimus Bartholomæus apostolus recitatur centies in die genua in oratione flexisse. Alii oraverunt toto corpore in terram prostrato : quemadmodum Moyses in monte Sinai pro venia impetranda idololatris Israelitis, prout ipsemet in Deuteronomio refert. (*Deut.* IX, 18.) Sic quoque et Christus passione imminente oravit. (*Matth.* XXVI, 39 ; *Marc.* XIV, 35.) Et talis prostratio videtur majorem humiliationem prætendere : tamen, si diu duret, potest faciliter somnolentiam provocare. Eligat ergo unusquisque situm suæ devotioni magis deservientem.

Præterea, ad majorem compunctionem in se provocandam, potest orans se coram Dei præsentia exhibere manibus retro ligatis aut junctis, instar latronis, homicidæ ac furis, ac dicere : Ecce, o Domine Deus, ego sum pessimus ille latro qui scandalo ac persuasione et variis modis animas proximorum ac propriam animam interfeci, eas ad mortalia vitia inducendo, qui honorem, laudem et gloriam tibi debitas sacrilege usurpavi, sicque innumerabilibus vicibus suspendium merui infernale.

Secunda industria est ex parte loci, cujus dispositio multum confert ad deprecandum devote. Nam et Christus describitur ascendisse in montem, ut solus oraret; (*Matth.* XIV, 23.) tempore quoque passionis a tribus etiam familiarioribus avulsus discipulis, solus oravit. Quo constat quod altitudo solitudoque loci ad orandum devotius conferant, ut declaratum est supra. (art. XVI.) Similiter consecratio loci : unde Anna sancta non discedebat de templo. (*Luc.* II, 37.)

Tertia industria est ex parte temporis, quia nocturnum tempus ad orandum est aptius, ut supra dictum est plenius. (art. XV.)

Quarta est invocatio suffragationis Sanctorum, juxta illud in Job : Ad aliquem Sanctorum convertere. (*Job* V, 1.) Nam et Moyses orando pro filiis Israel, frequenter commemoratus est sanctorum patriarcharum Abraham, Isaac et Jacob, illorum postulans meritis adjuvari et exaudiri (*Exod.* XXXII, 13 ; *Deut.* IX, 27.) : quanto magis nos defectuosissimi vitia nostra pensantes, reputare debemus indignissimos nos esse per nos ipsos immediate ad Deum sanctitatis ac dignitatis immensæ accedere, idcirco illorum suffragia implorare, qui jam confirmati in bono et beati effecti, indesinenter et immediate adstant vultui gloriæ majestatis, ut ipsi præparent nobis iter, veniam postulent, gratiam impetrent, et omne nostrum suppleant imperfectum ? Specialissime autem unire debemus nos ipsos ac meritoria opera nostra Domino nostro Jesu Christo, tanquam capiti nostro, per fidem, spem et caritatem : quatenus virtute ac meritis totius conversationis Christi in sæculo isto ac suæ salvificæ passionis exaudiamur, adjuvemur et acceptemur in omnibus. Hinc Ecclesia orationes suas concludit, dicendo : Per Dominum nostrum Jesum Christum. Sed quoniam Christus est Deus et homo, metuendissimus judex, indigemus quoque mediatore ad ipsum aut mediatrice : idcirco dignissimam ac benignissimam Genitricem ipsius, advocatam et dominam nostram, indesinenter cum omni caritatis fervore, pia fiducia et profunda humilitate debemus accedere, salutare, honorare et invocare ut oret pro nobis, deinde Sanctos et Sanctas ad quas majorem habemus devotionem. Et expedit ut unusquisque specialiter invocet unum specialem Apostolum, unum martyrem, unum confessorem unamque Sanctam, aut plures. Sed et quilibet angelum suum custodem valde specialiter debet diligere, venerari ac invocare, et suis beneficiis atque dignativis obsequiis regratiari.

Quinta industria est, pectus tundere, suspirare ac gemere, ut per talia generetur compunctio. Quemadmodum enim quædam aves sunt leves et agiles corpore,

A et ad volandum protinus expeditæ, quædam vero sunt corpore graves, et quibusdam præambulis alarumque motibus se præparant ad volandum : sic personæ virtuosæ, contemplativæ, perfectæ, sine prætactis industriis in omni loco et tempore sunt aptæ ac dispositæ ad elevationem cordis sui in Deum per sapientiæ donum, per caritatis incendium, per devotionem et compunctionem (mox enim ut nomen Dei conceperint, elevantur et accenduntur in ipsum) ; imperfectæ vero et incipientes adminiculis atque industriis indigent tactis B nunc et tangendis.

Sexta industria est, ab exercitio assiduæ orationis non cessare, sive sensibilis adsit devotio sive non, ut in sanctam consuetudinem orandi perveniatur. Et studeat orans ac psallens, non ex superficiali et arida consuetudine orare ac psallere, sed quo frequentius, eo ferventius tam sanctos et angelicos actus exercere conetur.

Septima industria est diligens et affectuosa ac compassiva recordatio dominicæ passionis, ex qua ad Deitatis con- C templationem et amorem anima præcipue elevatur.

Octava est vigilans consideratio propriarum indigentiarum, culparum, calamitatum, periculorum : ex quorum attenta ponderatione generatur grandis compunctio.

Nona est consideratio indigentiæ proximorum et compassio eorumdem, sicque ex caritate velle pro posse succurrere ipsis tanquam sibimetipsi, et orare ex corde pro *Matth.* vi, 12. omnibus, dicendo : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus D nostris. Imo tota Oratio illa dominica ex ferventi affectu pro viatoribus cunctis, præsertim fidelibus, est dicenda.

Decima industria est quotidiana diligensque attentio quatuor novissimorum, quorum sollicita consideratio omnem expellit negligentiam ac torporem, juxta *Eccli.* vii, 40. quod ait Scriptura : Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.

His utamur industriis, incitamentis ac dispositionibus ad orandum quotidie magis ac magis fervide ac devote, quousque ad illum pertingamus gradum perfectionis in quo sine adminiculis istis simus idonei, expediti ac validi ad orandum contemplative in omni loco, actu et tempore, mox atque repente quum Deum conceperimus mente.

ARTICULUS XXVI.

Quod in privatis orationibus in aliorum præsentia factis vitanda sint gesta singularia, insolitam specialem devotionem repræsentantia ; et quod voce suppressa orandum sit cum exteriorum custodia sensuum.

QUUM *esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter,* et *loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur.* I Reg. i, 10, 13.

Juxta evangelica et apostolica documenta, abstinendum est ab omni specie mala, *Matth.* vi, 1 et seq. ; I *Thess.* v, 22. a singularitate, hypocrisi et ostentatione operum supererogationis, omnique vanitate atque cupidine laudis humanæ. Idcirco coram aliis private orans, nil agat quo aliorum in se intuitum provocet, quo singulari devotione videatur perfusus, aut ultra debitum solitumque devotus. Non ergo in aliorum præsentia gemat, suspiret, ploret, pectusve tundat aut brachia extendat ultra consuetudinem generalem, et dummodo queat vitare. Interdum namque ex præventione divina inflammationeque subita et repletione mentis gratiosissima, repente et irrevocabiliter erumpunt lacrimæ, gemitus, singultus, suspiria, aut etiam signa spiritualis lætitiæ. Nempe, quum Seneca protestante, nulla res carius ematur quam quæ precibus obtinetur, fons totius liberalitatis, Deus munificentiæ infinitæ, multa largitur etiam non rogatus. Orandum est quoque cum exteriori modestia, et sensuum (præsertim oculorum) custodia, ne orans distractionis incitamenta hauriat sibi.

Insuper, coram aliis orans sic verba suæ A moderetur orationis, ne sibilo oris aut sono prolationis vicinos ab orationis eorum attentione impediat, aut tædium, tentationem turbationemve pariat eis. Sic enim debemus proximorum vitare offensam ac detrimentum ut proprium, et ne occasio simus offensionis in Deum. Idcirco, secundum Chrysostomum super Matthæum, qui alte orando ac sibilando impediunt alios, non solum non exaudiuntur a Domino nec eum reconciliant sibi, sed iram colligunt sibi, et peccant in Deum ac pro- B ximum. Hinc libro de Institutis sanctorum
lib. II, c. 10. Patrum recitat Cassianus, quod monachi in Ægypto cum tanta vocis suppressione orabant, atque cum tanto silentio et quiete eum qui publice legebat aut orabat adverterunt, ut innumerabili Patrum ac Fratrum multitudine congregata, nullus putaretur adesse nisi qui publice oravit aut legit. Toto igitur posse vitandum est ne quis oscitando, exscreando tussimve faciendo, alte orando, præter eum cui ex officio hoc incumbit, aut aliter perstre- C pendo seu sonitum grandem agendo, alios inquietet, impediat aut offendat.

ARTICULUS XXVII.

Quod quædam sint orationes ferventissimæ, quæ tamen per modum orationis non exprimuntur.

E*GO autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum.* Ps. XXIX, 7.

Prædominatio excessus ac fervor sanctæ D affectionis frequenter vincit et opprimit rationem, nec in verbis servat ordinem consuetum aut solitam formam. Hinc viri virtutum caritate succensi, interdum leguntur Dominum exorasse non per modum orantium, sed instar persuadentium, probantium, aut (quod mirabilius sonat) etiam præcipientium, prohibentium, aut pie omnino præsumentium, sicut in Genesi describitur, quod quum audisset Abraham Sodomam subvertendam, Sodomitis vehementissime condolens, quasi arguens Dominum exoravit ex ardentissima caritate, loquendo : Numquid perdes justum *Gen.* XVIII, 23-25. cum impio ? Si fuerint quinquaginta justi in civitate, peribunt simul, et non parces loco illi propter quinquaginta justos, si fuerint in eo? Absit a te ut rem hanc facias et occidas justum cum impio. Non est hoc tuum, qui judicas omnem terram ; nequaquam facies hoc judicium. Ecce quantus sancti amoris fervor ! quomodo sanctus ille Patriarcha interrogavit, et personaliter sibi ipsi respondit, arguit et conclusit ! Insuper, sancti viri sic deprecari exorsi, quandoque sumpserunt medium arguendi ex parte honorabilitatis et honorificentiæ Dei, quemadmodum Josue visa fuga filiorum Israel dixit : Mi Domine, quid dicam, *Josue* VII, 8, 9. videns Israelem hostibus suis terga vertentem ? et quid facies nomini tuo magno ? Moyses quoque : Ne, quæso (inquit), di- *Exod.* XXXII, 12. cant Ægyptii, Callide eduxit eos ex Ægypto, ut interficeret in montibus et deleret de terra. Et Psalmista : Non nobis, Domi- *Ps.* CXIII, 1, sec. Hebr. ne, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Hoc genus orandi tanto efficacius est ad impetrandum, quanto plus in eo quæritur quod Dei est, quam quod suum est.

Præterea, species illa orationis quæ insinuatio appellatur, de qua dictum est, art. III. valde fervens oratio est, quamvis per modum petitionis non proponatur, ut quum sacratissima Virgo dixit ad Filium suum : Vinum non habent ; Martha quoque et *Joann.* II, 3. soror ejus ad Christum : Domine, ecce *Ibid.* XI, 3. quem amas infirmatur.

Insuper, sicut Hugo declarat, supplicatio quandoque fit per sola nomina, ut est illud : Misericordia mea et refugium meum, *Ps.* CXLIII, 2; XVII, 3. susceptor meus et liberator meus, Deus meus, adjutor meus. Aliquando fit per sola verba, ut est : Respice, miserere, pla- *Dan.* IX, 19. care, attende et fac. Aliquando per nomina simul et verba, sicut est illud : Verba *Ps.* V, 2, 3. mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum ; intende voci orationis meæ, rex meus et Deus meus. Supplicatio

autem quæ fit per nomina sola, quanto A
plus imperfectum quid est foris in significatione, tanto plenior intus est dilectione, quæ per nomina illa amorosa continuatur ac inflammatur. Affectus enim hoc proprium habet, quod quanto intus exstat ferventior atque intensior, tanto minus foris explicari potest per vocem : nam et magnitudo affectionis verba abrumpit. Unde amantium est uti sermonibus defectivis, abruptis, imperfectis, truncatis, in quibus ratio aliquid intelligere debet, sic-
Cant. VII, 10. ut in Canticis loquitur Sponsa : Ego dile- B
cto meo, et ad me conversio ejus ; item-
Ibid. II, 16. que : Dilectus meus mihi, et ego illi. Christus quoque in Evangelio, deflens Je-
Luc. XIX, 42. rusalem, ait : Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi ; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Porro supplicatio quæ per sola verba exprimitur, minorem habet devotionem quam illa quæ per sola fit nomina, et majorem quam quæ fit per nomina simul et verba.

Postremo, inter omnia verba depreca- C
tiva, verbum hoc, Miserere, videtur efficacissimum et insuperabile esse, et Omnipotenti quodammodo prævalere. Nam quidquid dicenti, Miserere, dixerit Deus, ipse orans opponere potest et dicere : Miserere. Si dixerit Deus, Impius es, et omni misericordia mea indignus ; respondeat miser : Miserere. Nam quia indignus sum, imo indignissimus, et quasi infinite indignior quam ego ipse comprehendere valeo, ideo dico et oro : Miserere mei. Et
quidquid huic orationi objiciatur, videlicet D
quod non oro ex zelo justitiæ, ex caritatis affectu, semper idem verbum resumam, dicamque : Miserere. Etenim, quia ex zelo justitiæ et caritate non oro, peto ut mihi miserrimo miserearis, et des mihi ex zelo justitiæ atque ex caritate et ut tibi placeat, orare. A tua justitia ad misericordiam tuam confugio, quæ in infinitum major est omni malitia et miseria mea : ideo miserere mei ; a cujus verbi prolatione nunquam cessabo.

ARTICULUS XXVIII.

De duabus alis et multis pennis orationis.

LEVA *orationem pro* populo. Is. XXXVII, 4.

Piissimus Ezechias ex humilitate reputans se insufficientem ad deprecandum ac impetrandum a Domino opem optatam contra Assyrios, mandavit Isaiæ sanctissimo, ut levaret orationem pro rege et Israelitico populo, quasi diceret : Nostra oratio jacet, sed tua ascendit ; leva ergo orationem pro nobis. Quo exemplo docemur, non solum postulare subsidia Beatorum cum Deo regnantium, sed etiam devotorum in terris adhuc peregrinantium.

Quæ igitur sunt quæ levant orationem ? Ad quod multiplex datur responsio. Chrysostomus etenim ait, quod eleemosyna et jejunium sunt duæ alæ orationis. Quod dictum est valde convenienter, et consonat verbo angeli Raphaelis, qui Tobiæ ait :
Bona est oratio cum jejunio et eleemo- *Tob.* XII, 8.
syna. Et potest per eleemosynam intelligi omne opus misericordiæ, tam corporale quam spirituale. Nam quanto quis pronior ac liberalior est ad subveniendum egentibus et ipsum petentibus, tanto omnipotens dator, cujus divitiæ nec deficere queunt nec minui, pronior et munificentior est succurrere et benedicere ei, ac ultra quam
petit largiri. Ideo ait Altissimus : Qua *Matth.* VII, 2 ; *Luc.* VI, 38.
mensura mensi fueritis, remetietur vobis ;
itemque : Date, et dabitur vobis. Denique posuit nobis regulam Deus, ut sicut ab ipso nobis fieri volumus, sic proximis fa-
ciamus. Ideo dixit Tobias : Noli avertere *Tob.* IV, 7.
faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Jejunium vero purificat mentem, et veniam promeretur ac gratiam : ideo levat orationem. Ideo angelus Gabriel dixit ad Dani-
elem : Ex quo posuisti cor tuum ut affli- *Dan.* X, 12.
geres te in conspectu Domini Dei tui, exaudita sunt verba tua. Hinc Chrysostomus hortatur fideles, ut si velint in ecclesia et in suis habitaculis exaudiri a

Domino, eleemosynas in utrisque faciant A locis.

Ideo, quum indesinenter indigeamus ineffabiliter multum misericordia et miserationibus Dei, simus intenti jejuniis, atque ad opera misericordiæ corporalia ac spiritualia totis viribus proni, et cum omni affectu hilariter exerceamus opera pietatis. Et si magna retribuere non valemus, parva cum largissimo conferamus affectu, Eccli. xxxv, 11. quemadmodum scriptum est : In omni dato hilarem fac vultum tuum. Nam et II Cor. ix, 7. Apostolus protestatur : Hilarem datorem B diligit Deus. Porro, qui multum jejunare non potest, opera misericordiæ copiosius operetur. Tot namque pennas habet misericordiæ ala atque oratio nostra, quot opera misericordiæ exercemus, et quot sunt species operum pietatis : inter quas præcipue valet orationemque levat, ignoscere propter Deum injurianti atque in se peccanti.

Præterea, secundum Hugonem, duæ alæ orationis sunt consideratio propriæ miseriæ et contemplatio divinæ misericordiæ. C Consideratio namque propriæ defectuositatis, calamitatis et culpæ, periculorum quoque quibus expositi sumus, excitat ad orandum ; contemplatio autem pietatis divinæ præstat orandi fiduciam. Et quia ad hoc quod oratio sit efficax et exauditione condigna, oportet quod cum debita reverentia, custodia, attentione et perseverantia fiat ; idcirco contemplatio præsentiæ Dei, et omnipotentiæ atque justitiæ ejus pensatio, sunt pennæ orationis eam non mediocriter erigentes, quoniam ex specu- D lationibus præsentiæ, omnipotentiæ ac justitiæ Creatoris inducimur ad orandum reverenter, timorate, attente et perseve- art. vi et s. ranter, prout declaratum est supra.

Insuper dici potest, quod alæ orationis sunt compunctio et lacrimæ, fides quoque et obedientia, maxime autem fervor dilectionis divinæ et zelus salutis fraternæ. Caritas etenim ignis est sursum ascendens, et desideria pura et fervida orationem faciunt in superna volare. Ideo Moyses affectuosissimis precibus suis exauditus fuit etiam in arduissimis causis et pro aliis.

Postremo, quoniam scriptum est, Orationes justorum exaudiet Dominus ; et rur- Prov. xv, 29. sus, Oratio humiliantis se nubes penetrabit : Eccli. xxxv, 21. dicere possumus, quod justitia atque humilitas sunt alæ orationis. Justus enim Ps. x, 8. Dominus justitiam diligit ; et qui se humiliat, Luc. xiv, 11; xviii, 14. exaltari meretur. Consimilia quoque quæ juxta documenta Scripturæ reddunt orationem præcipue exaudibilem, dici possunt alæ aut pennæ ejus, ut fides, mansuetudo, puritas, et patientia in adversis, quum scriptum sit : Cum ipso sum in tri- Ps. xc, 15. bulatione. Et Paulus ait : Levantes puras I Tim. ii, 8. manus, sine ira et disceptatione ; Jacobus quoque : Postulet in fide nihil hæsitans. Jacob. i, 6. Imo et Christus : Si habueritis (inquit) fi- Matth. xvii, 19 ; Marc. xi, 23. dem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, Mittere in mare, et fiet ; et nihil impossibile erit vobis. Sicque fidei plenitudo facit hominem fragilem et impotentem in se, quodammodo omnipotentem in Deo. Sed et venerabilis Judith dixit ad Dominum : Mansuetorum et humilium tibi sem- Judith ix, 16. per placuit oratio ; et Psalmista : Respexit Ps. ci, 18. in orationem humilium, et non sprevit precem eorum.

ARTICULUS XXIX.

De speciebus infructuosæ orationis.

APPROPINQUAT populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me. Is. xxix, 13.

Hæc verba Christus apud Matthæum sic allegat : Populus hic labiis me honorat, Matth. xv, 8. cor autem eorum longe est a me. Hinc prima species infructuosæ orationis, est oratio inattenta atque oratio inobedientis orantis, qui verbis Deum honorat, sed mente et opere offendit ac contradicit. De quo ait Scriptura : Qui declinat aurem suam Prov. xxviii, 9. ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. Talem orationem quidam simoniacam vocant, quia pro sola corporali voce

aut sono verborum vult spiritualia obtinere charismata. De qua asserit Augustinus, quod oratio sine attentione et vox sine devotione, est quasi clamor brutorum et tanquam mugitus boum.

Secunda infructuosæ orationis species dicitur insalutaris, id est saluti contraria, qua petitur quod veræ beatitudini adversatur. Unde post Cœnam dixit Salvator
Joann. xvi, 24. discipulis suis : Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. In nomine enim Christi non petitur quod ad salutem non suffragatur. Unde et Jacobus ait apostolus :
Jacob. iv, 3. Petitis et non accipitis, eo quod male petatis. Talis fuit oratio qua divinus Apo-
II *Cor.* xii, 7, 8. stolus petiit a se stimulum carnis auferri.

Tertia appellatur perversa oratio, qua postulatur quod prohibet peti Deus qui exoratur : ut dum injuste rogatur vindicta de inimico, pro quo jubetur fundi oratio.
Ps. cviii, 7. De tali oratione fertur in Psalmo, Fiat oratio ejus in peccatum : quoniam talis non solum non promeretur, sed etiam demeretur.

Quarta species orationis infructuosæ vocatur simulata et ficta, dum quis verbis efflagitat quod mente impetrare non cupit, imo impetrare formidat, quemadmodum ait Gregorius : Fundit os precem, sed utinam cor teneat amorem. Nam vitam inimicorum petimus, et tamen ne exaudiamur timemus. Sic orans conatur Deo
Ps. xxvi, 12. illudere ; sed mentitur iniquitas sibi, et illudit miser sibimetipsi.

Quinta hujus orationis species vocatur præsumptuosa, dum quis meritis propriis orando nimis innititur ac confidit, aut aliis præferri inordinate deposcit. Ideo filiis Zebedæi nondum spiritualibus factis et ceteris anteferri Apostolis precantibus, dixit
Matth xx, 22. Judex : Nescitis quid petatis.

Sexta vocatur ridiculosa et fatua, dum orans coram Deo se reputat spiritualiter opulentum ac ceteris meliorem, nec suam attendit inopiam, defectuositatem, atque culparum suarum congeriem : similis ei qui eleemosynam petiturus, suas jactat divitias, vestesque induit pretiosas. Talis est
A oratio hypocritarum et spiritualiter superborum, ac Pharisæi qui dixit : Jejuno bis *Luc.* xviii, 12.
in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Unde in Apocalypsi Christus ait ad quemdam : Dicis quia dives sum et nul- *Apoc.* iii, 17.
lius egeo ; et nescis quia tu es miser et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.

Septima species orationis infructuosæ dicitur diffidentialis aut hæsitans, juxta illud Jacobi : Qui hæsitat, similis est flu- *Jacob.* i, 6, 7.
ctui maris : non ergo existimet homo talis quod aliquid accipiat a Domino. — Oratio
B quoque non perseverans frequenter est infructuosa. Porro oratio pro aliis fusa ex caritate, quamvis interdum pro illis non exaudiatur, non tamen infructuosa censetur, quia in profectum orantis convertitur, quemadmodum ait vir sanctus : Oratio mea *Ps.* xxxiv, 13.
in sinu meo convertetur.

Omnes has infructuosas vitemus orationes, atque orationes ferventes, sinceras, attentas, confidentiales ac humiles Deo jugiter offeramus.

C

ARTICULUS XXX.

Quod Deum laudare sit nobilissimus, cœlestis atque angelicus actus, et dignior quam oratio.

LAUDABIT *usque ad mortem anima mea Dominum.* Eccli. LI, 8.

Sicut orare convenit civibus militantis ac triumphantis Ecclesiæ, magis tamen civibus Ecclesiæ militantis, quoniam amplius indigent adjutoriis Dei atque Sancto-
D rum, et in medio ambulant laqueorum periculisque diversis vallantur, et viatores exsistunt ; ita laudare utriusque Ecclesiæ civibus ac filiis convenit, potius tamen civibus Ecclesiæ triumphantis, qui ad terminum pervenerunt beatum, suntque confirmati in bono, nec ulli subjacent unquam periculo, nec indigent pro se ipsis orare, ideo cum incessabili atque plenissima jucunditate laudes et gratiarum actiones suo offerunt Creatori, dicentes : Laqueus con- *Ps.* cxxiii, 7.
tritus est, et nos liberati sumus. De quibus

Is. LI, 11. loquitur Isaias propheta : Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et lætitiam obtinebunt. Hinc, ut abbas Evagrius dixit, majus est Deum laudare quam orare : quia, ut tactum est, laudare est actus magis angelicus ac cœlestis, juxta illud *Ps.* LXXXIII, 5. Psalmistæ : Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Laudare quoque Deum est actus simplicior et minus ad commoda sua reflexus quam orare.

Verumtamen imperfectis et pusillis magis convenit orationi quam laudationi insistere : quoniam egent purgatione, multisque defectuositatibus involvuntur, propter quas ad laudandum Altissimum nondum satis aptati sunt. Perfectis vero et contem- *Philipp.* III, 20. plativis, quorum conversatio est in cœlis, competit laudibus Dei jugiter immorari, atque angelicam vitam inchoare ac (quantum possibile est) continuare in terris : nam et futuræ illius beatitudinis suavi prægustu jam recreantur.

Denique, quamvis inter laudare, benedicere et glorificare Deum soleat assignari distinctio, nunc tamen laudationem Dei tam extense accipio, quod benedictionem et glorificationem ejus includit, ut Deum laudare, sit bonitatem, virtutem et perfectionem ejus recta intentione proferre atque extollere. Sicque laudandus et superlaudandus est Deus in se ipso et in suis operibus, in suis beneficiis ac promissis, in operibus naturæ et gratiæ ac gloriæ, in operibus creationis, reparationis et glori- *Ps.* CXLIV, 17. ficationis. Etenim justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, in quibus omnibus excellentia, bonitas, sapientia, omnipotentia et incomprehensibilitas Creatoris relucent.

Porro orationibus Ecclesiæ militantis communiter adjunctæ sunt laudes Dei, sic- art. II. ut præhabitum est. Imo orans quamvis præconia Dei in suis orationibus formaliter non exprimeret, tamen ipsa oratio est Dei laudatio : quoniam orans eo ipso quo invocat Deum, fatetur ac præsupponit insufficientiam propriam, et omnipotentiam, A providentiam atque clementiam Dei, quem non invocaret, nisi crederet eum potentem ad adjuvandum, et omnium provisorem, ac pium ad succurrendum. Psalmi quoque communiter constant ex laude et prece, quamvis multi sint psalmi, præsertim in tertia quinquagena, ex solis Dei laudibus consistentes, in quibus non continentur orationes.

B

ARTICULUS XXXI.

De multiplici laude supergloriosissimi Dei in se ipso.

B*ENEDICENTES Dominum, exaltate eum quantum potestis : major est enim omni laude. Exaltantes eum, replemini virtute ; ne laboretis : non enim pervenietis. Quis videbit eum et enarrabit ? Et quis magnificabit eum sicut est ab initio ?* Eccli. XLIII, 33-35.

Unumquodque tanto laudabilius reputatur, quanto melius, virtuosius perfectiusque consistit. C Primo ergo laudandus est Deus, quoniam sicut omnis intellectus creatus deficit infinite a plena comprehensione et comprehensiva cognitione ipsius, ita deficit infinite a plena laude honoratione que ejus. Ideo insufficientissimos reputare debemus nos ad laudandum Deum æternum. Nec tamen debemus a laudibus ejus cessare, sed totis viribus eum laudare assidue ac ferventer, cum humili recognitione totius insufficientiæ nostræ : ita quod dum eum toto laudaverimus posse, fa- D teamur nos nihil condignum egisse, imo potius infinite distare ab excellentia ac plenitudine laudis qua ipse in se ipso dignissimus est, qui in omni perfectione est penitus infinitus, et infinite in omni excellentia, nobilitate, virtute ac felicitate perfectus. Et hoc est Deum laudare secundum multitudinem magnitudinis suæ. *Ps.* CL, 2. Idcirco, quum Deum incomparabilis excellentiæ totis viribus laudaverimus ac venerati fuerimus, nequaquam vane ac stolide gloriemur aut extollamur quasi magnum quid-

quam egerimus; sed Dominum majestatis A immensæ humillime deprecemur, ut nostras imperfectissimas laudes ac venerationes dignanter acceptet et pie dignetur admittere. Nam et totum hoc quod eum utcumque laudamus devote, donum ipsius est, et effectus gratiæ ejus.

Ex hac consideratione excellentiæ Dei sanctus Job fassus est se esse indignum alloqui eum, inter cetera sic loquens : *Job* IX, 13, 14. Deus, cujus iræ nemo resistere potest, sub quo curvantur qui portant orbem : quantus ergo sum ut loquar verbis meis cum eo ? B Unde et primo Regum conscriptum est : I *Reg.* VI, 20. Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus ?

Consequenter Deum excelsum specialiter collaudemus quoniam bonus est, et dicamus : Tu, Domine Deus, essentialiter bonus es et bonitas infinita. Tu bonitas sempiterna, non dependens ab alio nec indigens aliquo : quia tu bonitas prima et increata, a nulla causata, et tua natura est bonitas pura, incircumscripta omniformiterque perfecta. Ab excellentia tuæ boni- C tatis omne bonum creatum distat, occumbit et deficit in immensum. Tuæ adorandæ bonitati nil mali, nil invidiæ, nihil impuritatis exstat admixtum : quoniam simplicissima bonitas tua est sanctitas plena ac infinita. Tu, Deus altissime, solus es naturaliter, substantialiter, totaliter ac omnifarie bonus; tu solus super omnia summe et incomparabiliter amabilis ac desiderabilis. Te omnia appetunt, sine quo nec ad momentum subsistere queunt. A te cuncta bona emanant, tuamque bonitatem uni- D versa aliquo modo participant. Tu bonitatem tuam copiosissime communicas et diffundis. Non tam naturale est soli lumen diffundere, aut fonti rivum producere, quam naturale est tibi bonitatem tuam communicare : verumtamen intellectualiter ac libere hoc agis in creaturis secundum tuæ propositum voluntatis. Ob hanc tuam bonitatem aufer a nobis omnem pravitatem; in totius boni honesti affectum *Ps.* CXVIII, 68. transforma et verte cor nostrum. Bonus es tu, et in bonitate tua doce nos justificationes tuas. Tibi laus, honor, virtus et I *Tim.* I, 17. gloria indesinenter per sæcula cuncta. Amen.

ARTICULUS XXXII.

Laus divini esse ac divinæ et increatæ vitæ.

DIXIT *Dominus ad Moysen : Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos.* Exod. III, 14.

Tibi, o Deus superdignissime, tibi soli ex te ipso plenarie competit esse, ita quod comparatione tui esse omnis creatura est quasi non ens. Tibi competit omnis essendi nobilitas plene ac infinite. A te cunctis derivatum est esse ac vivere : his clarius, his autem obscurius. Tuum simplicissimum ac perfectissimum esse est tua essentia; et quantum quis recedit a te per errores et vitia, tantum deficit a vero esse, et quasi nihil efficitur, cadens ad vana. Tu, Dominator sublimis, es primum vivens ac vita æterna. A te omnis vita creata. Tu in te ipso immobilis permanens, omnia moves ad proprium finem. In te prorsus idem sunt esse, vivere ac intelligere : ideo tua vita est intellectualis, non sensitiva, tuumque vivere est sapientia tua et tuum cognoscere.

Tu actualissima, opulentissima ac beatissima vita, cujus opulentiæ ac beatitudinis nullus est finis. Da nobis vitam gratiæ in præsenti, et vitam gloriæ in regno cœlesti. Qui enim peccat in te, moritur morte culpæ, et perdens vitam gratiæ, meretur mortem infernalis miseriæ. Qui mortuus est per culpam, ad vitam gratiæ non resurgit, nisi a te fonte vitæ resuscitetur, et eum misericordia tua præveniat. Tu solus I *Tim.* VI, 16. habes immortalitatem, hoc est omnimodam incommutabilitatem : cujus vita est invariabiliter et infinite deliciosa. A te viatores fideles vitam gratiæ, esse spirituale et actus meritorios sortiuntur. A te comprehensores beati vitam gloriæ beati-

ficam, tui visionem tuæque bonitatis suavissimam fruitionem adipiscuntur. O quam gloriosa, felix et plena est vita tua in semetipsa, in qua idem sunt vivens et vita ac vivere, cujus vitales rivi sunt ita amabiles creaturis, tam salubres hominibus, tam jucundi angelis sanctis! Tu mentes nostras semper vivifica; fac eas fructuosas et alacres per divina charismata. Tibi serviat incessanter omnis vitalis intellectualisque creatura. Tibi magnificentia, honor et gloria in æternum et ultra. Amen.

ARTICULUS XXXIII.

Laus æternæ et increatæ Sapientiæ.

SOLI *sapienti Deo per Jesum Christum honor et gloria in sæcula sæculorum.* Rom. XVI, 27.

Incomprehensibilis est, Domine Deus, *Ps.* CXLVI, 5. tuæ sapientiæ altitudo, quoniam sapientiæ tuæ non est finis nec numerus. Infinita est tuæ scientiæ multitudo, quam nullus C penetrat intellectus. A tua sapientia omnium rerum fluxit ordo, omnium specierum coordinatio, totiusque mundi dispositio speciosa ac ordinata. Tua sapientia in quantum universorum gubernativa, providentia nuncupatur; in quantum novit cuncta creata, scientia appellatur; vocatur quoque prædestinatio secundum quod provisiva est electorum, et præscientia ut præcognitiva est reproborum. Tu, supersapientissima mens, ars es rationibus plena. Tu omnium exemplaris idealisque D causa, juxta tuæ conceptionis formam universorum productiva, rectiva atque dispositiva. *Eccli.* XXIV, 8; *Prov.* VIII, 30; *Sap.* VIII, 1. Gyrum cœli tu circuis; in orbe terrarum ludis; a fine usque ad finem potenter attingis, et suaviter cuncta disponis. Quamvis in mentibus Beatorum tanquam in thronis pulcherrimis commoreris, *Prov.* VIII, 31. tamen esse cum filiis hominum tuas esse delicias protestaris.

Tu lux vere immensa; puritas incontaminabilis, nulli permixta; sanctitas in se A subsistens invariabiliter, separata. Te mentem illuminante, serenatur, splendet et contemplatur; tua illuminatione subtracta, obtenebratur, peccat aut labitur. Unico intuitu te ipsum et alia cuncta clarissime intueris: imo infinita quæ nec sunt nec erunt, cognoscis intelligentia simplicis visionis. In mundi gubernatione, ordinatione, tamque diversorum entium connexione, gloriose resplendes. In uniformi cœlorum motu universorumque gubernatu inclyte repræsentaris. Tu in infinitum spe- B ciosior sole, imo universis singulisque creatis simul acceptis incomparabiliter delectabilior, pulchrior atque splendidior esse cognosceris. Tu qui omnem angelicam mentem lumine gloriæ imples, corda nostra lumine gratiæ implere digneris, et ea indesinenter possidere, perficere et gubernare non cesses. Tibi laus, honor et gloria. A te omnis bona victoria: in cujus manu regnum, potestas, imperium per omne incessabiliter sæculum. Amen.

ARTICULUS XXXIV.

Laus divinæ et increatæ veritatis, unitatis ac simplicitatis.

HIC *est verus Deus et vita æterna.* I Joann. V, 20.

Tibi soli, Deus omnipotens, competit deitas vera, quæ est ipsa divina essentia; et hæc est simplicissima unitas ac summa una simplicitas, in qua nulla materia, nulla passiva potentia aut limitans differentia. Tu omnium veritatum veritas exemplaris, fontalis atque causalis. A te veritas rei et veritas propositionalis. Tu causa et fons triplicis veritatis, utputa vitæ, doctrinæ et justitiæ. Sicut ab uno vultu diversæ imagines in pluribus speculis lucent ac derivantur, ita ab una tua increata veritate multæ ac variæ veritates in creaturis causantur, splendent ac repræsentantur. Et sicut in speculo uno relucent similitudines quamplurium facierum, sic in tua veritate æterna, una ac simplici, idealiter

exemplariterque relucent veritates omnium A rerum. A tua unitate omnis multitudo profluxit, quoniam omnis multitudo necessario est ab uno. Sicut multitudo totius exercitus ad unum militiæ principem ordinatur, sic universitas rerum ad te omnium Creatorem ac Regem reducitur ac refertur. Tua simplicitas est simplicitas perfectionis, exclusiva totius compositionis, quoniam sine necessitate non est ponenda pluralitas.

Fac nos tuæ veritatis sincerissimos amatores, omnis mendacii contemptores, veri- B tatem vitæ, doctrinæ atque justitiæ jugiter
Sap. I, 11. amplectentes. Etenim os quod mentitur,
Ps. V, 7. occidit animam; et tu perdes omnes qui loquuntur mendacium. Fac nos omnes in te unum per caritatem; fac nos concorditer coordinatos per finalem ad te reductionem. Mentes nostras in te simplificare, reducere ac stabilire digneris; atque ab omni vana distractione eas retrahere non moreris. Ab omni duplicitate, calliditate et simulatione eas purifica; omni sinceritate et columbina simplicitate ipsas ador- C na. Tibi laus, honor ac reverentia, servitus sancta, incessabilis obedientia a cunctis semper exhibeantur rationalibus creaturis, imo et materialiter ab universis creatis naturis.

ARTICULUS XXXV.

Laus Dei de ceteris suis perfectionalibus attributis.

I*NVISIBILIA Dei per ea quæ facta* D *sunt conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas.* Rom. I, 20.

Sicut omnis effectus est participata quædam suæ causæ similitudo, sic omnis creatura est tuæ majestatis atque perfectionis, o Deus, quidam radius et imago. Quidquid perfectionis, nobilitatis et decoris, quidquid bonitatis, desiderabilitatis et valoris, quidquid dulcedinis, potestatis et opulentiæ, quidquid virtutis, sanctitatis et excellentiæ in totius universi entibus invenitur, hoc totum in te cum infinita eminentia esse scitur. Væ ergo insensatis, excæcatis ac miseris, qui ad creaturas magis quam ad te Creatorem afficiuntur; qui in rebus vanis et turpibus amplius quam in te delectantur; qui mortales magis quam te æternum ac immortalem Dominum verentur ac venerantur.

Tu igitur solus absolute perfectus, quem nullus potest comprehendere intellectus, nullus affectus satis potest diligere aut optare, nulla creatura condigne sufficit honorare. Quidquid, absolute loquendo, melius ac dignius est inesse quam deesse, hoc tibi inest et competit : imo tu ipse hoc es cum infinita prorsus perfectione. Ideo in te ipso felix et deliciosus es, plenus omnino immensa jucunditate.

Tu substantialiter et incircumscriptibiliter pulcher es et superpulcherrimus, ad intuendum incomparabiliter delectabilis et amœnus. A tua pulchritudine omnis pulchritudo creata occumbit ac deficit in immensum; et tua pulchritudo immensa, est tua incircumscripta essentia in æternum. O quam decorus et speciosus es, Creator omnipotens! Quam inæstimabiliter delectabile est tuam pulchritudinem in se ipsa clare conspicere, artifex cuncta pulchrificans, qui rebus corporalibus ac terrenis et vilibus tantam pulchritudinem indidisti, atque in modica quorumdam facie tantam speciositatem constituisti!

Tu solus vere omnipotens, et tua majestas est infinita potestas, qui propria, non aliunde sortita potestate, omnium gloriosissime ad libitum dominaris. Per comparationem ad te omnis creatura infirma est; et nisi indesinenter conservaretur a te, redigeretur in nihilum. Nihil tibi impossibile neque difficile, imo omnia sunt æque facilia; nec potes tot et tanta, quin possis in infinitum plura atque majora.

Tu solus immaterialiter ac perfectionaliter infinitus, nullo loco aut tempore, nulla mensura aut termino circumscriptus, mensus aut comprehensus. Tua, Domine, magnitudo non est nisi immensa tua per-

fectio; et tua infinitas non est extensio A corporalis, sed simplicissima tua essentia, interminabilis tua potentia, et sapientia tua prorsus immensa. Respectu tuæ infini-
Is. XL, 15. tatis est totus mundus tanquam pulvis exiguus, nec ulla comparatio creaturæ finitæ ad te Creatorem ac Dominum infinitum. In omni loco et tempore præsens es, per essentiam, potentiam et præsentiam ubilibet ades. Quemadmodum circulus in se continet centrum et punctum, sic in te totum concludis et contines universum.

Tu, beatissime Deus, es voluntate liber- B rimus, et juxta tuæ voluntatis propositum cuncta libere operaris. Tu solus essentialiter et interminabiliter felix et gloriosus, omni ratione et causa gloriandi in te ipso sine mensura ac termino plenus. Te ipsum et omnes divitias gloriæ tuæ cum infinita lætitia inspicis. Propriam voluntatem tam infinite diligis quam infinite amabilis est, atque cum illimitata delectatione ac suavitate ea perfrueris. Tuam majestatem, felicitatem et gloriam omnes Beati in patria cum ingenti et summa reverentia admi- C rantur, avidissime atque clarissime ac jucundissime contemplantur, ardentissime amplexantur, atque eisdem dulcissime perfruuntur.

Tu, Domine, es universorum primus motor, prima causa, primum principium ac ultimus finis. Tu quoque es primus actus, id est natura in se ipsa tam actualis atque perfecta, quod ejus est omnia alia movere, alterare, perficere, et a nullo moveri, alterari aut perfici. Tu mentes nostras ad te amandum jugiter move et exci- D ta, eas inflamma, perfice, perduc, guberna. Te omnia laudent, honorent, glorificent; tibi universa obediant, adhæreant ac ministrent.

ARTICULUS XXXVI.

Laus divinæ misericordiæ ac justitiæ.

D*OMINATOR Domine, misericors et clemens, patiens et multæ miserationis ac verax, qui custodis misericordiam in millia; qui aufers iniquitatem et scelera atque peccata, nullusque apud te per se innocens est; qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam et quartam progeniem.* Exod. XXXIV, 6, 7.

Quemadmodum, Domine Deus, tua natura est bonitas, sic tua proprietas est pietas. Tibi enim proprium est misereri ac parcere, largiri et subvenire, gratiam et salutem conferre. Tam infinita et incomprehensibilis est misericordia tua, quod omni peccatori quantumcumque iniquo *Ezech.*
omnia sua dimittis peccata, mox ut inge- XVIII, 21, 22.
muerit ex pœnitentia vera. Misereris qui- *Exod.*
bus volueris, et clemens es in quem tibi XXXIII, 19; *Rom.* IX, 15.
placuerit. Tanta est tua benignitas, quod abundare gratiam facis ubi abundat ini- *Rom.* V, 20.
quitas. Impiis et ingratis multa indesinenter beneficia tradis. Multos sceleratissimos diu suffers, nec eos a diabolo jugulari permittis. Miserans pro malis bona rependis, et usque ad iniquorum mortem eorum pœnitentiam præstolaris.

Verumtamen non minor est tua justitia quam misericordia tua, qui impœnitenti pro una mortali brevique culpa infligis post vitam hanc tormenta perpetua. Tanta est, dominator Domine, tua justitia, quod nullam culpam quantumlibet parvam de- *Job* XXIV,
seris impunitam, sicut nec ullum bonum 12; *Eccle.* XII, 14; *Rom.*
irremuneratum relinquis, sed unicuique II, 6.
juxta quod meretur retribuis. Nihilo minus multos misericorditer prævenis, quibus pro ira et ultione gratiam et veniam exhibes: non tamen eorum culpas deseris penitus impunitas, quia contritionem ad minus, aut etiam aliqualem satisfactionem ab eis requiris. Juste Domine, justitias di- *Ps.* X, 8.
ligis, justos amas, salvas, glorificas. Justæ et veræ sunt viæ tuæ, quibus tamen misericordiæ sunt admixtæ. Electos misericorditer prædestinasti, quos misericordiæ tuæ *Rom.* IX,
vasa facere decrevisti; reprobos quoque 23, 22.
juste ad pœnas præscisti, quos vasa iræ consistere permisisti: ut sic misericordia tua et dulcor tuæ clementiæ ac munificentiæ in electis resplendeant, atque in repro-

bis tua justitia et rigor tuæ animadversionis appareant.

Immensitatem tuæ misericordiæ, metuendissime Judex, in nobis ostende, mirifica et adimple ; pietate tua et gratia mentes nostras semper informa, comple et perfice. Cui honor et gloria per sæcula infinita.

ARTICULUS XXXVII.

Laus superaltissimæ et superbeatissimæ Trinitatis.

NUMQUID ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus. Si ego qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero? ait Dominus Deus tuus. Is. LXVI, 9.

Quemadmodum quidquid fecunditatis, causalitatis et perfectionis in creaturis reperitur, tibi Creatori infinite excellentius atque perfectius inesse et convenire censetur, sic et paternam fecunditatem in te perfectissime esse cognoscimus. Sicut, o Deus dignissime, infinita est bonitas tua, ita communicabilitas et fecunditas tua est vere immensa. Ideo in te ipso æternaliter germen tuæ fecunditati adæquatum et proportionatum producis ; nec divitias gloriæ tuæ tibi soli reservas, sed nato ex te eas plene, non participative, communicas. Natum ex te non minus diligis quam te ipsum ; ac simul cum ipso æternaliter producis et habes condilectum tibi ac nato, ex te æque dilectum, non creatum, nec natum, sed ad intra procedentem invariabiliterque spiratum. Sicque tu simplicissima monas gignis monadem, et in te

Ps. XXXII, 6. tuum reflectis ardorem. Hoc Verbo tuo cœli firmati sunt, et hoc Spiritu oris tui

Ps. XLIV, 2. omnis virtus eorum. Hoc Verbum eructavit, o Pater æterne, cor tuum ante tempora ab æterno, amorque utriusque ab utroque processit absque temporali initio.

Quumque in te, Deus sublimis, sint intellectus et voluntas, Unigenitum tuum intelligendo profers et gignis, atque Spiri-

A tum Sanctum per voluntatem producis ac spiras. Etenim Filius tuus, quum sit verbum non foris sonans nec transiens, sed intus incommutabiliter manens, est emanatio intellectus; et Spiritus Sanctus, quum sit amor et nexus Patris et Filii, est emanatio voluntatis. Quumque in Patre et Filio sit una voluntas, fatemur quod ab utroque procedit Spiritus Sanctus.

Tu, Pater æterne, te ipsum plene et æternaliter intuendo atque intelligendo, tui ipsius conceptum et Verbum in te su-

B perpurissime profers ac gignis ; te ipsum quoque ac Filium tuum volendo ac diligendo, simul cum illo te ac se volente ac diligente producis in momento et nunc æternitatis Spiritum Sanctum. Hæc generatio et ista spiratio est intellectualis, invariabilis, sancta et immanens : in qua non est essentiæ aut deitatis distinctio, sed unitas et identitas, personarumque trinitas et inseparabilis unio. Quidquid enim est Patris, in te, o Unigenite ejus, plene et perfecte relucet, continetur ac permanet. Con-

C formiter quidquid est Patris ac Filii, in te, o Spiritus Sancte, æternaliter continetur, splendet ac perseverat. Sicut tu, Pater æterne, es potentiæ, sapientiæ ac pulchritudinis penitus infinitæ, ita et Unigenitus tuus : idcirco in ipso infinitam complacentiam habes, in ipso interminabiliter gloriaris, tamque infinite et superardentissime diligis eum sicut te ipsum. Ita et tu, superpulcherrime Unigenite Dei, Patrem æternum diligis amore intensive immenso, eumque comprehensive et superclarissime

D intueris cum gaudio penitus infinito. Insuper, o Pater æterne, et tu, Unigenite ejus, Spiritum Sanctum utrique consubstantialem, coæternum et coæqualem, diligitis cum complacentia et delectatione intensive immensa : sicut et tu, adorande Paraclete, plenarie comprehendis ac superdulcissime diligis Patrem ac Filium.

O Trinitas adoranda, invariabilis, supersancta, æterna, quam voluptuosissima, superoptima et superbeatissima est vita tua! Imaginem tuam in nobis benigne reforma,

illustra, accende, indesinenterque rege ac perfice. Ob emanationem et communicationem tuam ad intra naturalem ac superplenissimam, effunde liberaliter ac benigne misericordiæ tuæ dona ad extra, et ea in nobis multiplica et conserva. Ob tuam mutuam intuitionem superjucundissimam, comprehensivam et superclarissimam, fac nos te jam per fidem illuminatam et sapientiæ donum sinceriter contemplari, theologiamque mysticam experiri, atque immensæ felicitati, perfectioni ac gloriæ tuæ totis præcordiis congratulari, ac demum post vitam hanc te per speciem feliciter cernere, sicque in beatifica tua fruitione cum plena contentatione sine fine quiescere. Ob mutuam complacentiam tuam æternam et infinitam, fac nos tibi jugiter complacentes, acceptos et quotidie magis gratos. Ob tuam mutuam dilectionem superæstuantissimam et immensam, accende nos tuo sancto amore totaliter; atque ob tuam inseparabilem unionem fac nos tibi adhærere inavertibiliter. Ob tuam consubstantialitatem fac nos invicem et in te unum per ferventem ac sincerissimam caritatem. Ob universas et infinitas divitias gloriæ tuæ dita nos pauperculos tuos charismatibus gratiæ, omni sapientia et virtute, profectu assiduo et vera perfectione. Tibi beatitudo et gloria sempiterna, laus perennis, honor et reverentia prorsus perpetua. Amen.

ARTICULUS XXXVIII.

Laus Dei pro beneficiis ejus.

G*RATIAS agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es et qui eras, qui accepisti virtutem tuam magnam et regnasti*. Apoc. XI, 17.

Quidquid sumus et habemus, a te, Deus præstantissime, nos suscepisse fatemur: corpus et animam, vires et membra, sensus, intellectum, rationem, memoriam, voluntatem, a te nos esse sortitos recognoscimus et lætamur. Esse, vivere, sentire, vegetari, moveri, ratiocinari, et quidquid scientiæ aut virtutis in nobis est, scimus a te dari. Quantum tibi pro omnibus his regratiari obligemur, patet ex hoc quod tam invite uno sensu aut membro privaremur.

A te bona fortunæ, necessaria vitæ, sanitatem et robur habemus. A te supernaturalia dona gratiæ ac virtutum, dona quoque gratiæ gratis datæ, sacramenta Ecclesiæ obtinemus. A te hucusque conservati sumus in vita. Multipliciter atque enormiter nos peccantes tam diu misericordissime tolerasti in via, atque post tantos excessus paratissimus es largiri gratiarum charismata. Frequenter nos misericorditer prævenisti; angelos sanctos ad custodiendum nos deputasti, divinis quoque instinctibus frequenter nos admones. Cœlos et luminaria magna, solem et lunam, astra, planetas, elementa et mixta in ministerium nostrum creasti, atque ad tui ipsius beatificam visionem ac deliciosissimam fruitionem nos condidisti. Te ipsum et dona gloriæ tuæ, dotes animæ et corporis, glorificationem plenissimam utriusque et omnium Beatorum jucundissimam societatem promisisti nobis pro præmio, pro temporali, brevi ac modico quod tibi jam exhibere valemus obsequio.

Ps. XC, 11.

O quanta est caritas hæc, quanta pietas, quam immensa liberalitas ista! Tibi nequaquam satis regratiari valemus, munificentissime et superoptime Deus. Nihil condignum tibi rependere possumus, præsertim quia tu, Pater æterne, Unigenitum tuum dedisti nobis, quem propter nos incarnari, inter homines conversari ac mortem voluisti subire durissimam. Et quia, tu, Unigenite Dei, tot et tanta pro nostra salute dignatus es assumere, facere et perferre, atque in Sacramento te ipsum nobis quotidie tam mirabiliter ac supernaturaliter et liberalissime confers: quid tibi retribuemus pro omnibus quæ largitus es nobis?

Joann. III, 16. *Ps.* CXV, 12.

Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Misera-

Ps. CII, 2. *Is.* LXIII, 7.

tionum tuarum, Domine, recordabor; laudabo te super omnibus quæ contulisti nobis et quæ largitus es nobis secundum indulgentiam tuam. Fac nos, omnipotens Deus, tibi quotidie tanto plus gratos, obsequiosos, humiliter subjectos, quanto plura atque majora scis nos a te beneficia esse sortitos, et quo eminentiora nobis bona
Apoc. VII, 12. ac præmia polliceri dignatus es. Eia, benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio tibi Domino Deo nostro, omnium bonorum fonti largissimo et æterno.

ARTICULUS XXXIX.

Laus Dei in suis effectibus.

MAGNA et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens. Apoc. XV, 3.

Tu, Deus sublimis, qui es ens per essentiam, ens primum, æternum et independens, propria bonitate et potestate omnia produxisti, atque in rerum creatione, in totius mundi plasmatione, omnipotentiam tuam monstrasti. Amor tuus non reliquit te sine germine esse; et ut bonitatem tuam entibus communicares, cuncta te scimus
Ps. XV. 2. fecisse. Etenim bonorum nostrorum non indiges, nec ex creaturis aliqua tibi venit utilitas.

Tu in exordio omnium angelicorum spirituum personas ac choros, hierarchias et ordines condidisti, et eos qui se converterunt ad te, æterna felicitate munerasti ac confirmasti. Omnia quoque visibilia, cœlestia corpora, elementa et prima specierum individua a te constat esse producta, atque ex tuo imperio et statuto, ex similibus similia nuncusque sunt procreata.

In multiplici ac celerrimo motu, influxu et causalitate cœlestium orbium et astrorum ac planetarum, omnipotentiam ac sapientiam tuam magnifice manifestas. In elementorum collocatione, coordinatione ac mutua alteratione, excellentia sapientiæ ac virtutis tuæ ostenditur. Nam inter elementa inter se magis contraria, elementum cum utroque conveniens situatum conspicitur. Tua sapientia infinita universarum rerum species et naturas, differentias, proprietates, vires ac ordines originaliter constituit ac produxit; et quidquid entitatis, bonitatis, veritatis et unitatis in universo consistit, ex te fontaliter fluxit. In totius mundi pulchro stabilique regimine, et in rerum tam diversarum mira connexione, conservatione ac omnium dispositione et provisione elucescit sapientiæ tuæ immensitas, benevolentia ac potestas.

Verumtamen in humani generis gubernatione providentiam tuam, pietatem et gratiam specialiter ac copiosissime declarasti. Contulisti namque hominibus legem naturalem, legem scriptam ac evangelicam, sacram quoque utriusque Testamenti Scripturam. Misisti ad eorum instructionem, subsidia atque solatia, angelos sanctos, Patriarchas, Prophetas et gloriosos Apostolos, virtuosos prælatos, prædicatores idoneos, imo innumerabiles viros heroicos, per quos magna et mirabilia, supernaturalia miraculosaque opera innumerabilia perpetrasti. Tu electis et sanctis martyribus in eorum atrocissimis pœnis invictissimam præstitisti constantiam, et per præclara ac summa miracula approbasti et confirmasti eorum fidem ac legem. Porro in Jesu Christi incarnatione ceterisque mysteriis bonitatem, caritatem, misericordiam, sapientiam, justitiam ac omnipotentiam tuam præclarissime ostendisti. In consummatione quoque mundi, in generali mortuorum resurrectione, in universali et finali universorum judicio, et in reproborum damnatione æterna et electorum glorificatione perpetua inæstimabiliter elucescunt tua potentia, clementia, sapientia atque justitia. Quotidie quoque in impiorum justificatione ac multiformi tuæ pietatis, miserationis ac gratiæ operatione, divitias tuæ longanimitatis, miserationis et patientiæ non desinis mirifice declarare.

Hinc ergo te laudet, adoret, glorificet

tota machina mundialis, omnis spiritus rationalis, universa contenta in cœlo et in terris.

Tua in nobis dona magnifica ; nos tibi semper gratiose assimila ; nos incessabiliter posside et guberna, quousque te duce ad gaudia pertingamus æterna. Interim a tua laude, cultu, dilectione ac reverentiali timore nequaquam cessemus ; tibi laudem, gloriam et honorem cum felici perseverantia immolemus. Amen.

ARTICULUS XL.

De modo et practica pertingendi ad stabilitatem mentis in orationibus.

O*PTIMUM est gratia stabiliri cor.* Hebr. XIII, 9.

Quemadmodum passiones et vitia hominem reddunt instabilem et instar venti fluctuantem ac mobilem, juxta illud in Psalmo, Impii tanquam pulvis ante faciem venti ; sic gratia, sapientia ac virtutes stabiliunt mentem in Deo. Ideo scriptum est : Si iniquitatem abstuleris, stabilis eris, et levare faciem poteris. Imo quanto quis virtuosior fuerit factus, tanto invenietur in omni actu virtutum stabilior. Potissime autem virtutes quæ immediate circa Deum versantur, figunt cor ac roborant id in eo, et maxime caritas (quemadmodum communiter fertur : Ubi amor, ibi oculus) ; sapientia quoque, secundum illud Ecclesiastici : Homo sanctus in sapientia manet ut sol ; nam stultus sicut luna mutatur. Quod potissime verum est de sapientia salutari, quæ est unum et primum inter septem dona Spiritus Sancti ; quæ et tantum crescit in homine, quantum in eo creverit caritas Dei.

Ps. I, 4 ; XXXIV, 5. — *Job* XI, 14, 15. — *Eccli.* XXVII, 12.

Itaque volens in suis orationibus, meditationibus ac laudibus Dei, in psalmodiis et Horis esse fixus stabiliterque intentus, satagat et conetur in omni virtute proficere, in gratia et sapientia crescere, in caritate Dei augeri, perfici et accendi. Denique, quotiescumque pulsaverit eum

T. 41.

A tentatio aliqua, statim convertat cor suum ad cogitandum de Deo, de pertinentibus ad salutem, de passione dominica, de quatuor novissimis ; pectusque suum percutiens, invocet Deum.

Præterea, ut sic queat stabiliri in Deo, assuescat in omni loco et tempore, in omni actu et motu atque sermone cogitare præsentiam Dei omnipotentis omnia intuentis, et cum Elia sanctissimo intra se dicere : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Sic enim agendo veniet ad saluber- III *Reg.* XVII, 1.
B rimam consuetudinem attendendi Dei præsentiam, et erit sibi facillimum mentem suam elevare ad Creatorem, sicut facillimum atque connaturale est igni ascendere, et terræ descendere. Consuetudo enim est altera natura, et ex multis actibus producitur habitus, qui per modum naturæ inclinat ad operandum, et faciliter ac delectabiliter operatur.

Porro ex consideratione assidua divinæ præsentiæ cuncta cernentis, oritur erubescentia viliter et inique se habendi coram C oculis majestatis divinæ, et in conspectu infinitæ sanctitatis Dei altissimi, sicque vitantur peccata, et bona opera strenue exercentur. Propter quod dixit Psalmista ad Dominum : Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Sic quoque idem vir sanctus consideravit indesinenter præsentiam Dei, dicens : Oculi mei semper ad Dominum ; et, Providebam Dominum in conspectu meo semper.

Ps. CXVIII, 168. — *Ps.* XXIV, 15. — *Ps.* XV, 8.

Denique ex tali meditatione divinæ præ- D sentiæ generatur in homine timor salubris Judicis summi. Et sicut ad custodiam castri deputatur diligens custos in porta, ita in introitu et ostio mentis stat timor Dei repellens, abjiciens et conculcans tentationes ac vitia, et quidquid nocivum est animæ ac impeditivum spiritualis profectus. Ideo Salomon dixit : Timor Dei fons vitæ, ut declinet a ruina mortis ; itemque : Qui timet Deum, nihil negligit. Sic cogitavit præsentiam Dei sanctus Job, loquens : Nonne Deus considerat vias meas, et om-

Prov. XIV, 27. — *Eccle.* VII, 19. — *Job* XXXI, 4.

nes gressus meos dinumerat? Et rursus : Semper (inquit) quasi tumentes super me fluctus timui Deum. *Job* XXXI, 23.

Amplius, ex tali assidua consideratione præsentiæ Dei vere superpulcherrimi, incomparabiliter optimi, amabilissimi, beatissimi ac perfecti, inflammatur cor in amore ipsius, et crescit in sancta dilectione sui Creatoris, a quo maxima beneficia jam accepit, et multo majora præstolatur sibi promissa, utputa gloriæ dona. Etenim assidua consideratio beneficiorum Dei et promissionum ipsius amorem accendit divinum.

Præterea, sæpe diligimus hominem quem nunquam conspeximus, propter bona quæ de ipso percepimus : quanto magis debemus ardentissime nostrum diligere Creatorem, de quo tot et tanta excellentissima bona cognovimus ex ratione, ex fide, ex Scripturis, ex Chronicis et Legendis, ex propria experientia communique fama, ex theologorum et philosophorum doctrina, ex intuitu cujuslibet creaturæ? Universa namque creata sui Creatoris excellentiam repræsentant. Ideo quidquid bonitatis, amabilitatis, dulcedinis, speciositatis, delectationis in creaturis conspicimus, mox ad Creatoris admirationem, laudem et dilectionem referre debemus, dicendo : Si tam bona, tam amabilis, suavis, pulchra aut delectabilis est creatura, quam bonus, amabilis, dulcis, speciosus et delectabilis est Creator, qui in omni perfectione in infinitum cuncta excedit creata? Sicque debemus ad ipsum cordialiter adspirare et affici, ac propriam tepiditatem, ingratitudinem, negligentiam increpare, atque Omnipotentem assidue invocare, ut in vera mentis stabilitate ac sancta dilectione dignetur corda nostra quotidie magis ac magis corroborare ac inflammare. Multum quippe valet talis oratio.

In primis ergo necesse est ut per humilitatem, mansuetudinem, patientiam, ceterasque virtutes morales, ab omni inquietudine, impulsu, motu ac turbulentia passionum reformemus animas nostras, et mentes nostras a cunctis vitiis expurgemus; sicque per indesinentem divinæ præsentiæ considerationem ac ferventem dilectionem et sapientiam spiritualem stabiliamus cor nostrum in Domino, et quandocumque ab ipso nos distractos senserimus, protinus recordemur et intra nos proferamus verba illa prætacta : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Coram quo debemus conscientias nostras quotidie examinare, discutere, exercere, purgare, bonisque actibus adimplere, omnem negligentiam, otiositatem ac torporem perpetuo devitantes. III *Reg.* XVII, 1.

ARTICULUS XLI.

Qualiter perveniatur ad contemplativam orationem quæ terminatur in raptum.

A*SCENDIT Petrus in superiora, ut oraret,* et eo orante *cecidit super eum mentis excessus.* Act. x, 9, 10.

Sicut præhabitum est, oratio est ascensus mentis in Deum aliquid deprecantis obtinere. Idcirco qui orat, levet se super se; sensum, phantasias et imaginationes cunctasque distractiones transcendat, saltem paulatim et quantum sensus permittit orationis. Interdum enim expedit in oratione imaginari tormenta inferni, rigorem divini judicii, et consimilia quædam. Paulatim vero erigenda est mens in admirationem et ferventem amorem ejus quem invocat, ita ut ejus immensitatem in omni sapientia, pulchritudine, omnipotentia, felicitate, bonitate, pietate, perfectione et gloria intuendo, præ vehementia admirationis et sinceritate contemplationis atque ardore divini amoris rapiatur in divitias gloriæ ejus, et suspensa in lumen illud supersplendidissimum, increatum, suavissimum et immensum, absorbeatur in pelagus incomprehensibilis et superamabilissimæ Deitatis ac supergloriosissimæ Trinitatis. art. I. *Thren.* III, 28.

Porro, ut homo ad hanc perfectionem pertingat, atque dispositus sit ad frequen-

tem hujuscemodi elevationem ac raptum, A necesse est mentem ab omni privato amore penitus emundari, ab omni labe peccati diligentissime præcavere, et actibus sanctæ devotionis atque internæ exercitationis jugiter occupari.

Itaque cupiens ad contemplativam orationem pertingere, studeat Deum toto cordis affectu sincere diligere, et quidquid offensivum est Dei incessanter vitare ; se ipsum quoque et proximos universos non nisi in Deo pure amare. Quidquid utile sibi est ad complacendum Altissimo, ad profi- B ciendum in ejus amore, ad obtinendum beatitudinem æternalem, hoc totum toto affectu acceptet. Sicque gaudeat in adversis quasi in cunctis divitiis ; cupiat increpari et corrigi ; injurias ferat hilariter. Nihil proprii honoris aut commodi optet : imo quidquid filii sæculi hujus et servi privati amoris, quo quis amat se in se, appretiantur et optant, toto corde abhorreat. Malit subesse, vituperari ac despici, quam præesse, laudari aut reputari, salva tamen exemplaritate, ad quam omnes te- C nemur. Proprium corpus jejuniis, abstinentiis, disciplinis, vigiliis, duritia strati asperitateque vestis domet. Totis præcordiis afficiatur ad Deum, atque immensæ perfectioni, opulentiæ, felicitati ac gloriæ ejus cordialiter congratuletur ; ipsum ab universis ac singulis semper coli, amari et honorari desideret, ac pro posse, orando, exhortando ac aliis sibi possibilibus modis procuret. Commune bonum ferventer desideret ; et in totius boni honesti affectum mens ejus totaliter transformetur, ita ut aliud quam justitiam et virtuositatem esurire ac sitire non queat, omni carnali et sensuali amore prorsus evulso, et omni inordinata reflexione ad se, omni pravæ intentionis obliquitate, omni simulatione et calliditate penitus exstirpatis, sicque exercitiis virtuosis omni tempore ordinate et gaudiose inhæreat.

Quum Deus omnipotens, naturaliter bonus ac pius, viderit mentem hominis ita esse dispositam, ornatam et affectam, habebit in ea complacentiam grandem, eamque sibi intime applicabit, et intra se rapiet, stabiliet obdormireque faciet : imo in his frequentissime præveniet eam, ac quasi sopita arbitrii libertate præstringet, deosculabitur, amplectetur ac possidebit. Ad laudem et gloriam sui ipsius, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS TRACTATUS DE ORATIONE.

DE MEDITATIONE

PROŒMIUM

COGITATIONES *meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur.* Job xx, 2.

Intellectus et voluntas sibi invicem sunt connexa, atque se mutuo in agendo perficiunt. Nam et actio intellectus, puta cognitio, meditatio seu consideratio, sine affectione informis est, nuda, inefficax. Voluntas quoque de se cæca perhibetur et indigens dirigi intellectu, qui est veluti oculus voluntatis. Propter quod voluntatis objectum est bonum intellectum, id est intellectualiter apprehensum seu cognitum. Hinc bonæ, virtuosæ et sanctæ affectiones voluntatis ex sinceris, utilibus salubribusque meditationibus oriuntur, dependent et conservantur. Ad omnem igitur profectum ac salutem animarum nostrarum necesse est custodiæ intellectus insistere, evagationibus mentis resistere, ac per hoc virtuosis invigilare affectibus. Propterea Salomon dixit : Omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Denique Christus, fons vitæ et judex noster, deprompsit : Beati mundo corde. *Prov.* IV, 23. *Matth.* V, 8.

Hinc, frater carissime, ante aliquot annos me rogasti ut meditationes meas tibi conscriberem. Ex qua petitione rubor (fateor) me depressit, protinusque respondi : Distractiones meas et phantasias inanes potius possem conscribere tibi, si ad ædificationem prodesset. Interea, te in petitione persistente, cogitavi obtemperare pro posse, non tam eas quas habeo, sed quas merito haberem tangendo.

DE MEDITATIONE[1]

ARTICULUS PRIMUS.

De nocumento cogitationum pravarum.

QUOTIDIE confitemur nos peccasse cogitatione : et tamen quis potest cor a cogitatione claudere ac frenare? Denique plus peccamus affectione quam cogitatione : qua tamen contingit multipliciter graviterque peccare. Primo, diutius immorando. Unde per Jeremiam Deus increpat
4. insipienter cogitantem, dicens : Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?

Secundo, per inordinatam et pravam affectionem cogitationi annexam seu ex ea nascentem : ut quum quis historias de rebus et gestis carnalibus audiendo, legendo aut meditando, tangitur libidine et illicite stimulatur, etiam interdum in divino Officio et locis sacratis : quod prorsus vitandum est.

Tertio, ex parte temporis et impertinentiæ : ut qui tempore divinorum et dum melioribus ac spiritualioribus rebus actibusque vacare habent, temporalibus ac exterioribus sunt intenti, quibus tempore opportuno licenter possent vacare. Quod, heu! tempore orationis et psalmodiæ celebrationisque frequenter accidit nobis.

Quarto, ex parte inordinationis et pravitatis cogitationum in se ipsis : sicut qui vanas imaginationes, cogitationes inutiles intra se revolvit ac tenet, quæ sub ordine divini amoris non sunt constitutæ, nec ad illum proficuæ, ut sunt melancholicæ apprehensiones, cogitationes amaræ, dijudicationes temerariæ, suspiciones iniquæ,
A perscrutationes quoque immoderatæ de altis et incomprehensibilibus rebus, phantasiæ de inopinabilibus rebus et magnificationibus sui ipsius. De his et consimilibus, ac fatuis gloriationibus in eisdem, loquitur Dominus in Prophetis : Auferte malum *Is.* I, 16.
cogitationum vestrarum ab oculis meis ; et item : Væ qui cogitatis inutile ; item- *Mich.* II, 1.
que : Spiritus Sanctus auferet se a cogi- *Sap.* I, 5, 3.
tationibus quæ sunt sine intellectu ; cogitationes perversæ separant a Deo. In istis tempus infructuose expenditur, et sæpe
B vitiose deperditur, et in se ipsa mens quoque discerpitur, amaricatur, affligitur, secundum quod dicitur : Animus inordinatus sibi ipsi pœnalis est. Omnes itaque tales cogitationes penitus sunt vitandæ, celeriter abjiciendæ, vehementer spernendæ ac odiendæ.

ARTICULUS II.

De his quæ salubriter ac jugiter sunt meditanda et consideranda.

C

DE viro sapiente ac virtuoso jamque inchoative beato fertur in Psalmorum
exordio : In lege Domini voluntas ejus, et *Ps.* I, 2.
in lege ejus meditabitur die ac nocte. Un-
de et alibi scribitur : Quæ præcepit tibi *Eccli.* III, 22, 24.
Deus, illa cogita semper, et in supervacuis rebus noli scrutari multipliciter. Hoc egit
qui cecinit et fatetur : Quomodo dilexi le- *Ps.* CXVIII, 97.
gem tuam, Domine! tota die meditatio mea est. Nonne et Deus in Deuteronomio
hoc præcepit, Meditaberis (inquiens) in *Deut.* VI, 7.
D volumine legis hujus, sedens in domo tua

[1] Ex editionibus Coloniæ, Petri Buscii, 1530, et Petri Quentel, 1534.

et ambulans in itinere, pergens dormitum et consurgens? Præterea alibi Scriptura monet : Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.

Eccli. VII, 40.

Amplius, Christum pro nobis cruci affixum et quasi in cruce pendentem, juxta omnem modum quo in illa pendebat, indesinenter et diligentissime debemus attendere, totam etiam conversationem ejus in sæculo isto, documenta et hortamenta ipsius, ac conversationem Sanctorum in hac vita ; sed et præsentiam majestatis divinæ incessabiliter debemus perpendere, et qualiter valeamus placere, respondere ac satisfacere ei, sicque in omni virtute idonee profectum sortiri.

ARTICULUS III.

Increpatio ignaviæ, negligentiæ et irreverentiæ miserarum ac infelicium animarum nostrarum coram Altissimo.

FREQUENTER Deus per Prophetas contra impudenter peccantem conquestus est ; nunc inquiens : Projecisti me retro corpus tuum ; alibi vero de inverecunde peccantibus : Verterunt (dicens) ad me dorsum et non faciem, et ambulaverunt ex adverso mihi. Diffusius quoque per Salomonem : Pro eo quod vocavi, et renuistis ; extendi manum meam, et non fuit qui adspiceret ; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis : ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, quum vobis quod timebatis evenerit. Similem etiam sententiam per patrem Salomonis Judex deprompsit cœlestis, dicendo : Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos; tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos. Quid his horribilius dici potest aut cogitari? Quapropter Psalmographus oravit : Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me ; et sanctificatus in utero Jeremias (de quo in commento ejusdem protulit sacer Hieronymus : Certe neminem æstimo sanctiorem Jeremia) : Corripe me, Domine, verumtamen in judicio (haud dubium quin discretionis), ne forte ad nihilum redigas me. Certe, ut fatur Apostolus, horrendum est incidere in manus Dei viventis, adeoque horrendum, ut sanctus Job dixerit, affectuosissimeque precatus sit : Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus in quo recorderis mei?

III Reg. XIV, 9. — Jer. II, 27; Lev. XXVI, 40. — Prov. I, 24-26. — Ps. II, 4, 5. — Ps. VI, 2.

Quid ad hæc dicis, o misera anima mea? Quid dissimulas? Quid torpes et marces ignavia? Cur per multa distraheris, et vanis ac frivolis cogitationibus dissiparis? Imo cur cum dæmonibus in turpibus et vilibus imaginationibus fornicaris, præsertim quum habeas tot tamque copiosissimas meditationum salubrium materias, tot necessariarum ad salutem atque profectum cogitationum copiam et objecta, tot nobilium ac cœlestium considerationum et contemplationum causas, incitamenta, et occasiones præclaras, consolatorias ac jucundas? Usquequo ebria eris vino, insana et amens? Digere paulisper, imo totaliter evome vinum uvarum Sodomæ et suburbanorum Gomorrhæ quo mades, quatenus expurgata a vitiosis ac infernalium fluviorum gurgitibus, fonti vitæ propinques, ac torrente voluptatis deificæ potari, perfundi, repleri incipias. Væ tibi, quæ hominum magis quam Dei honoras præsentiam ; quæ in summi Dei præsentia et adspectu non horres cogitare, revolvere, loqui, admittere, facere quod coram notabilibus et reputatis personis vel hominibus verecundareris loqui aut agere, sicque tam viliter habes te coram angelo tuo sancto, tui custode, imo et coram omnium Sanctorum exercitu. Nonne frons mulieris meretricis facta est tibi, quæ de tam enormi impudentia, irreverentia et perversitatibus tuis non vehementissime erubescis nec expaves coram cordium indesinenti inspectore ac judice Deo, cui loquitur sanctus Job : Nonne ipse considerat vias meas, et omnes gressus meos dinumerat?

Præterea te hic, o excæcate et miser, convenio, qui frequenter ais te valide admirari, quod Deus naturaliter pius atque misericors peccata tam dire ulciscitur, ut pro uno mortali peccato pœnam infligat tam intensive quam extensive intolerabilem et ineffabiliter gravem, utpote æternalem, potissime quum tam grandis sit humana fragilitas, et pronitas hominum in omne malum. Certe id accidit, quia non ponderas enormitatem peccati ex omni parte qua pensanda profunde ac rite foret. Atqui, frater mi, non minus miror ineffabilem misericordiam, longanimitatem et patientiam Dei erga iniquos, quam prætactam districtionem divinæ justitiæ.

Frater. — Circa hæc sciscitor qualiter dicat Hieronymus, Neminem æstimo san-
xi, ctiorem Jeremia ; quum dicat Salvator, inter natos mulierum non surrexisse majorem Joanne Baptista.

Auctor. — Hieronymus, qui præallegato loco dixit verba jam tacta, alibi loquitur : Omnibus illis, puta Prophetis, secure Apostolos præfero. Itaque secundum diversas considerationes Sancti de eadem re diversimode interdum loquuntur, nunc hunc, nunc illum præferendo. Nam et de uno-
v. quoque confessore cantat Ecclesia : Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. Quis autem simpliciter sanctior sit, Dei est judicare, juxta quod Sa-
2. lomon protestatur, dicens : Spirituum ponderator est Dominus.

ARTICULUS IV.

Quod in meditationibus ordo servandus sit.

QUEMADMODUM in dilectione ordo servandus est, ita in meditatione : ita quod sicut omnis affectio circa alia, ordinanda est ad Dei amorem (cui, quantum possibile est, indesinenter actualiterque insistere, immorari ac inhærere debemus), sic omnem circa creata meditationem, cogitationem et considerationem, ad Deitatis

A contemplationem, intuitionem, attentionem referre nos congruit, atque incomparabilis bonitatis sincerissimæ intuitioni et contemplationi infatigabiliter intendere et vacare, per singula quæque attributa pergendo, discurrendo, volando. Et sicut aves quædam ac volatilia moventur successive de flore ad florem, de fructu ad fructum, ad ramum de ramo, de arbore una ad aliam, super singula ad morulam quiescendo, ac aliquid refectionis carpendo, seu quidpiam grossioris materiæ pro nidi

B structura ferendo ; ita et nos de unius divini attributi contemplatione ad alterius intuitionem volemus, et in cujuslibet sincera speculatione ad horulam repausemus, resideamus ac quiescamus, sicque per sanctam delectationem et congratulationem de illius excellentia et infinitate reficiamur, itemque de ejusdem operibus domicilium in hac nostra peregrinatione ædificemus.

In primis ergo bonitatem Dei meditando intueamur quam vere et incomprehensibi-

C liter infinita consistat, unumquodque secundum ipsius capacitatem, dispositionem seu dignitatem implendo, aperiens manum *Ps.* CXLIV,
suam et implens omne animal benedictio- 16.
ne, simul et omnem animam bonitate, nec quidpiam in toto universo expers suæ bonitatis participatione relinquens, imo et ea quæ abundantius summæ bonitatis dona participant, ad communicandum et distribuendum hæc aliis, præsertim inferioribus ac imperfectioribus, movens et excitans.

D Denique omnia hæc mere gratuite, liberaliter et incessabiliter operatur. Neque ob rerum ingratitudinem, vilitatem, aversionem retrahitur : quin potius influentias suas innovat, multiplicat, auget, et providet universis, influens esse, vivere, sentire, necessaria conservationi et vitæ, vimque prolificandi distribuens, et species rerum jugiter manutenens, generativis principiis amorem ad prolificata ab eis irremobiliter et tenacissime imprimens, ita quod a suorum germinum custodia,

alimonia, defensione non cessant, juxta legem eis desuper introductam. Denique hæc in donis naturæ multiformiter operatur, sublimius autem in actibus gratiæ, præclarissime vero in effectibus gloriæ.

Etenim solem suum facit oriri quotidie super universos incolas terræ : quod quidem de maximo illo luminari omnibus constat ; doctioribus vero acutiusque pensantibus, de ceteris quoque astris, planetis ac stellis patescit. Omnium quippe horum influentiæ et effectus in entibus universi concurrunt et permiscentur, quemadmodum de hoc philosophi atque astrologi hujus sæculi multa scrutati sunt et scripserunt. Nec hoc ipsum tamen penitus tacuerunt Scripturæ sacræ, imo multo efficacius, cordialius devotiusque locutæ sunt, præsertim in libro Job : in quibus omnipotens Deus ex suis naturalibus effectibus magnifice commendatur, pulchre laudatur, devote præconizatur, tanquam omnipotens omnium institutor, sapientissimus gubernator, irreprehensibilis Judex, quatenus quocumque verterimus nos, undique objiciantur ac præsententur nobis objecta, incitamenta et copiosæ memoriæ excellentiarum, mirificentiarum et misericordiarum Domini Dei nostri.

Qui in exordio mundi sensibilis, species ac genera rerum produxit per intervalla
Gen. I. sex dierum (ut Scriptura insinuare videtur), concausans et inserens illis rationes primordiales, vires causales, productiva principia, fecunditates multiplices : in quibus omnibus natura occulte, per temporum vices, juxta Creatoris imperium operatur, ex similibus similia procreans.
Ibid. 11, 12. Quod Scriptura designans : Producat (inquit) terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam. Et factum est ita. Deinde de fecundatione aliorum elementorum et productione irrationalium animalium in eisdem subditur ibidem :
Ibid. 20, 21. Dixit etiam Deus : Producant aquæ reptile animæ viventis et volatile super terram.
A Creavitque Deus cete grandia et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ secundum species suas, et omne volatile secundum genus suum. Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia et bestias terræ secundum species suas. Et factum est ita. Hinc in Scripturis opera vegetativæ naturæ ac sensitivæ Deo attribuuntur; actus item generativæ et nutritivæ, dicente beato Job : Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me totum in
B circuitu. Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti ? Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me.

Conformiter ex pusillis minutissimisque seminibus grandes arbores, magna corpora ac procera arbusta nascuntur, in quibus mirum in modum tota integralia in modicissimis rebus virtualiter continentur, et innumerabiles formæ substantiales in portiunculis materiarum inchoatæ, inclusæ
C aut radicatæ videntur, in tantum ut pene quodlibet in quolibet latere putetur, et modus latitationis, inchoationis, egressionis et productionis vix a philosophantibus aut theologizantibus exprimi queat et elucidari certive et clare : quod ex opinionum varietate et contrarietate illorum ostenditur.

Ad quod aliquo modo potest spectare quod Ecclesiastes dicit : Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone. Et iterum dicit : Mundum tradidit
D Deus disputationi hominum, ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus ab initio usque ad finem. Itemque post nonnulla profatur : Est homo qui diebus et noctibus non capit oculis somnum ; et intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum quæ fiunt sub sole, et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniet. Hinc denuo dixit sapiens ille : Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis ;

sic nescis opera Dei, qui fabricator est A omnium.

Salubrius est ergo studere virtutibus, quæ et facilius et salubrius addiscuntur ac capiuntur, principalius quoque desuper requiruntur ab homine. Unde et alius pro-
i. III, tulit sapiens : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris ; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus ejus operibus ne fueris curiosus. Propterea demum Salomon librum suum in quo instar concionatoris in diversorum personis varias et quasi mutuo B repugnantes deprompsit sententias, una
e. XII, solidissima conclusit doctrina : Finem (dicens) loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo.

ARTICULUS V.

De profectu hominis in salutari scientia et virtutibus et in caritate divina.

I, 1. RECTISSIME ait Scriptura : Vani sunt C omnes homines in quibus non subest
. III, scientia Dei. Omnia siquidem fecit Deus ut timeatur, ut diligatur, ut debite honoretur, colatur jugiterque laudetur. Causa quippe in suo refulget effectu, Creator in
26. creaturis. Propterea monuit Isaias : Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. Denique per Jeremiam Dominus inconsiderationem et imperitiam no-
1, stram redarguit : Audi (inquiens), popule stulte, qui non habes cor : me non timebitis, qui posui arenam terminum mari, D præceptum sempiternum quod non præteribit ?

Itaque immensitatem omnipotentiæ ac sapientiæ suæ declaravit Altissimus, non solum in rerum creatione, in tantorum suorum effectuum incomprehensibili ex nihilo imperiosissima productione, sed in eorum quoque mirabili collocatione, sicut de hoc pulchre disseruit apud alium Pro-
XVIII, phetam : Ubi (inquiens) eras quando ponebam fundamenta terræ ? Quis posuit mensuras ejus ? aut quis tetendit super eam lineam ? Super quo bases ejus solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem ejus ? De situatione quoque et mira dispositione Oceani ibi subjungitur : Quis *Job* XXXVIII,
conclusit ostiis mare, quando erumpebat 8-11.
quasi de vulva procedens, quum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi infantiæ pannis involverem ? Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia, et dixi : Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. Nempe, quum leviora gravioribus altius collocentur, videretur aqua arctam terram operire debere, nisi disponente ac imperante Altissimo, propter conservationem et habitationem hominum et animalium, pars ejus discooperta esset ab aquis. Quod et increata Sapientia se fecisse pandit in Proverbiis : Quando præparabat (inquiens) cœlos, ad- *Prov.* VIII,
eram ; quando certa lege et gyro vallabat 27-30.
abyssos, quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent terminos suos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Hoc quoque tangens Psalmista : Congregans (ait) sicut *Ps.* XXXII, 7.
in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.

Amplius, super his philosophans Isaias : Quis mensus est (ait) pugillo aquas, et cœ- *Is.* XL, 12-
los palmo ponderavit ? Quis appendit tri- 14.
bus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera ? Quis adjuvit spiritum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi ? Cum quo iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam justitiæ, et erudivit eum scientia, et viam prudentiæ ostendit illi ?

Idcirco ait Apostolus : Quis prior dedit *Rom.* XI, 35,
ei, et retribuetur illi ? Quoniam ex ipso et 36.
per ipsum et in ipso sunt omnia. Ab ipso utique est totus ordo universi, cursus rerum, et ipse omnibus legem præfixit : quo jubente, sunt facta, quo et mandante, *Ps.* XXXII, 9; CXLVIII, 5.

sunt condita; in cujus potestate sunt omnia; *Ps.* cxxxv, 8, 9. qui dat solem in lumen diei, lunam et stellas in lumen noctis. Ab ipso naturalia omnia, mineralia ac meteorologica suas habent origines, productiones, naturas, vires, processus, motus, agilitates et celeres cursus. Quod Scriptura designat, præsertim in libro Job: *Job* xxxvi, 27-30. Qui aufert (dicens) stillas pluviæ, et effundit imbres ad instar gurgitum, qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper. Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. *Ibid.* xxxvii, 6. Qui præcipit nivi ut descendat in terram, et hiemis pluviis. *Ibid.* xxxviii, 25-27. Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitrui, ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur, ut impleret inviam et desolatam, et produceret herbas virentes? Præterea de naturis bestiarum quarumdam ac avium multa ibidem tanguntur. *Ibid.* 36, 39 et seq. Quanto magis de naturis cœlestium corporum influentiisque illorum, de motibus quoque atque effectibus eorum, quasi incomparabiliter majora, mirabiliora et præclariora dici possent? Verumtamen omnia permodica essent respectu illorum quæ de supercœlestibus rebus, de angelicis spiritibus, de hierarchiis supermundanis essent dicenda.

Ecce in omnibus his majestatem incomparabilis Creatoris possumus pro viribus contemplari, qui non solum in se ipso, sed in suis item effectibus, imo in inferioribus ac infimis rebus, tam admirabilis et incomprehensibilis nobis est.

De his plura et copiosissima possent adduci ex libris de Proprietatibus rerum, de Naturis animalium, de Virtutibus herbarum, gemmarum, pretiositateque metallorum, quæ in tantum miranda sunt, ut aliquid quintæ essentiæ ipsis inclusum, impressum imbibitumque feratur. Unde et rite in Ecclesiastico scriptum est: *Eccli.* xlii, 16. Gloria Dei plenum est opus ejus. *Ibid.* xviii, 1-5. Deus solus justificabitur, et manet invictus rex in æternum. Quis sufficiet enarrare opera ejus?

A Quis enim investigabit magnalia illius? Virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit? Et quis adjiciet enarrare misericordiam ejus? Non est minuere neque adjicere, nec est invenire magnalia Dei. Nonne Deus fecit Sanctos suos enarrare *Ecc* 17. omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Deus omnipotens stabilis in gloria sua?

Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum *Job* 14. ejus; et quum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri? *Ibi* xxx 23, Nos B quippe involvimur tenebris, et digne eum invenire non possumus. Magnus fortitudine, judicio et justitia, et enarrari non potest: ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes. Quis enim hominum *Sap* 14, potest scire consilium Dei? Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore; quæ autem in cœlis sunt quis investigabit?

C

ARTICULUS VI.

De compendiosissimo et optimo modo ac medio obtinendi sapientiam salutarem et vere salubrem scientiam.

SICUT asseruit magnus ille Philosophus, omnes homines naturaliter scire desiderant. Scientia namque est perfectio intellectus. Imo in cognitione Veritas summa statuit beatitudinem nostram: xvii non plane D in qualicumque cognitione, sed in ejus notitia qui est substantialiter veritas æterna, ac bonitas prima, pura simpliciterque perfecta et infinita, utputa veritas Dei. De qua multiplex habetur cognitio: una viæ, alia patriæ; una per fidem, alia per speciem. Illa est per speculum in ænigmate, *I C* 12. ista facie ad faciem. Ad illam tendimus desiderando, puritati studendo, ceterisque virtutum exercitiis insistendo, potissimum in divino ac sancto amore crescendo, in quo quanto plus profecerimus, tanto fon-

tem illum infinitæ munditiæ, superbeatissimum, superpulcherrimum et superamabilissimum Deum, clarius atque jucundius in æternum absque omni interpolatione conspiciemus.

Ecce quanta felicitas nobis promittitur : clara, certa, facialis, fruitiva, contentativa ac prorsus quietiva intuitio Dei. Quo sic viso, nil amplius poterit appeti : imo, sicut qui in medio æstuantissimæ fornacis undique circumclusæ nudus jaceret, certus quod inde nunquam exiret, intus et foris tam plenus esset doloribus ac tormentis, ut se ipsum vix caperet, prorsus absorptus suppliciis ; sic beatissimi illi tam pleni et superrepleti sunt omni suavitate ac gaudio, omni pace, omni securitate, dulcedine, tranquillitate, ut se ipsos vix capere queant. Ecce iste est fons noster, ad quem indefesse et infatigabiliter proficisci debemus, Dominum Deum nostrum in isto exsilio assidue, etsi non continue, contemplando, laudando, totisque viribus honorando, per actus latriæ interiores et exteriores.

Quæ quum ita se habeant, quid tu, miser et miserabilis homo, imo stulte et negligens, per multa distraheris, vagaris, et instar navis in medio pelagi fluctuantis, hinc inde jactaris ? Immobilita te in Deo, nusquam et nunquam te avertas ab illo.
Ps. xxiv, 15. Sectare dicentem : Oculi mei semper ad
Ps. xv, 8. Dominum ; et, Providebam Dominum in conspectu meo semper.

Sed dices : Quis hoc potest implere? Audi consilium et doctrinam. Quid facilius quam adspicere ubique et semper præsentem et in omnibus relucentem seque ubilibet præsentantem, per universa quoque ac singula exhortantem ut convertamur et
Matth. v, 34. perseveremus in ipso ? Suspice cœlum, quia thronus est ejus. Et tu ipse, si vis, thronus es Dei, qui justorum est habitator. Attende te ipsum, quis fecerit te. Quis animam tuam creavit ? Quis corpus tuum formavit ? Quis membra tua dearticulavit, distinxit, et organa sensuum tuorum interiorum ac exteriorum paravit, eisque vires

A sensitivas largitus est, ita ut in momento nictuque oculi, in permodica oculi pupilla cœlestia ac terrestria percipias corpora, tam differentium rerum imagines, colores, figuras, multitudinem, differentias, convenientiam deprehendas ? Quis hanc sensibilium et sensuum, objectorum ac virium cohabitudinem, proportionem, influentias excogitavit, instituit et conservavit, ita ut sensibilia per species et similitudines suas se imprimant sensibus, et tale esse habeant species illæ in mediis ac sensibus
B ipsis ? Qualiter lumen sensibile circumferentialiter se ipsum multiplicat ac diffundit ? Ecce hæc infirma tam mirabiliter atque subtiliter fiunt, ut nec exprimi plenarie valeant, nec satis mirari ; et nisi experimentaliter constaret quod sic fiunt, diceremus ea sic fieri impossibile esse. Quomodo ergo difficile reputamus eum in omnibus intueri ac præsentem sentire, quem per evidentissimos admirabilesque effectus prorsus innumerabiles præsentem et operantem ac influentem agnoscimus et
C sentimus ?

Verumtamen de his Scriptura nos erudit planius, salubrius et plenius, ut scilicet per orationes ferventes, per adspirationes præcordiales, per inspirationes splendifluas, per contemplationes ignitas, per allocutiones internas, per amorosos amplexus accedamus ad ipsum, qui intra nos est, etiam intimior nobis quam ipsimet nobis, et quoties in ipsum visum mentis defigimus, toties ejus sancto ac dulci succendamur amore et resolvamur in ipsum.
D Quo etenim modo tam superpulcherrimum et superdeliciosissimum poterimus bonum inspicere sine inflammatione ad ipsum, et sine sensibili degustatione ipsius, nisi quod adhuc nimis pusilli et parvuli sumus, et modicum lumen in nobis est, nec sinus miserrimi cordis nostri aperitur in ipso, nec in ipso luminose expanditur ?

Quid igitur restat, nisi ut ei amplius propinquemus, non loco, a quo nec loco distamus, sed similitudine, abjiciendo ac indesinenter vitando peccata, quæ sola ab

ipso non sunt, quia nec sunt, id est, positive et formaliter nihil sunt, et creatam mentem suo Creatori reddunt dissimilem, displicentem, contrariam et rebellem. Hæc sunt vanitas, improbus amor sui ipsius, elongatio et aversio ab ipso, qui solus essentialiter verus, bonus et felix est, ac omnium nostrum salus. In eo solo sit tota nostra affectio, tota intentio, totus conatus. Apprehendamus eum, nec dimittamus nisi benedixerit nobis, hoc est, per gratiæ incrementa, per miserationum suarum continuationes, perducat et transferat nos in regnum vasorum misericordiæ suæ, ubi in eo in sempiternum stabiles, immobiles et immutabiles persistamus, amplius non crescentes, sed in æterno æterni amoris amplexu felicissime repausantes ac quiescentes.

Gen. XXXII, 26.

ARTICULUS VII.

De incessabili mentis defixione in Deo.

Sponsus. — Non diligitur nisi cognitum : quod quanto in se ipso et ex propria sua natura melius, perfectius atque præstantius est, connaturaliusque cognoscitur, tanto validius excitat et allicit intuentem ad sui amorem, nisi aliunde contingat oppositum seu defectus, puta indispositio aut inexercitatio cognoscentis. Porro mens devota Deo suo per gratiarum charismata et exercitia interna assimilata, atque divinis seriose intenta, jam a vitiis et passionum immoderantiis emundata, omnem torporem, pigritiam negligentiamque vehementer detestans, strenue persequens ac viriliter calcans, per supernaturales virtutes theologicas in divinæ naturæ consortium est translata, in Creatoris ac Salvatoris sui sponsam assumpta, qui ait ad eam : In caritate perpetua dilexi te : ideo attraxi te miserans. Idcirco ad assiduas in suo dilecto inflammationes aptata est et elevata, per sapientiæ donum ac fidem illuminatam et diligentem frequentiam. Hinc connaturale est ei et jucundum in Deo quiescere, morari et commanere. Siquidem ubi thesaurus ejus, ibi et cor ejus; et ubi amor, ibi et oculus. Quid equidem tam valenter trahit et attrahit, tam propinque et intime jungit et stringit, tam inseparabiliter sociat et connectit, ut præcordialis et viscerosa dilectio?

Jer. XXXI, 3.

Matth. VI, 21.

Anima. — Et ecce, o Domine, qui essentialiter caritas es, quam gratiose et dulciter sonant hæc! Sed qualiter misera ego, gravi, lutosa et sordida carnis mole gravata, pertingam ad culmen hoc, quæ tot ac tantis necessitatibus, occupationibus, accessibus impedior, revocor et distendor?

I Joann. IV, 8, 16.

Sponsus. — Nunc, nunc adverte, o pessima, ne dicam trufatrix et meretrix, quæ jugiter cum ligno et lapide fornicaris, quæ omni occurrenti phantasmati aditum præbes, et pro facillimis occasionibus, et causis levissimis, imo tam vilibus, ut nec causæ dicendæ sint, sed figmenta stultissima, me relinquis, et tuis distractionibus insaniisque intendis. Nescis qualiter amatores ac amatrices sæculi hujus ac fœdæ carnis se invicem amant? quomodo nocturnis quoque discurrunt temporibus? quantis in his exponuntur periculis, et interim vulneribus, et præ insania amoris vix valent dormire aut manducare? Nonne arescunt, marcent, et interdum dire languent amore? Et quid amabilitati et acceptabilitati contrarium invenisti in me, ut tam intense affici nequeas ad me ut illi ad se invicem, et ad caduca et vana, ad argentum, ad aurum, et similia peritura? Cur nec ratione corrigeris, nec præceptis arceris? Cur potius vis esse adultera dæmonum, quam Dei tui amica et sponsa?

Anima. — Absit a me, Domine, ista vesania. Te super omnia diligo, ac semper diligere opto. Verum ad prætactam tuæ divinæ dilectionis sublimissimam ac intimam unionem summumque gradum qualiter ascendere queam, edoceri peropto.

Sponsus. — Qui alteri cupit præcipue complacere, atque ab eo in omnibus exaudiri, quid ei incumbit? quid necesse est ei?

Anima. — Ut eum in nullo offendat, et quæ placita illi sunt faciat semper.

Sponsus. — Quid concludis ex hoc?

Anima. — Deprehensam me video : quia ex parte mei defectus est, et negligentiis meis ac vitiis imputandum conspicio, quod te sincere ac mere non diligo, nec toto tibi corde adhæreo, neque in tuæ dilectionis flamma perduro, quoniam coram te in debita custodia non persisto. Imo quotidie innumerabilibus sum vicibus culpabilis, et tuæ dilectioni contraria vel ejus minorativa admitto in commissionibus et omissionibus, in cogitationibus et evagationibus mentis, in verbis et actibus, in motibus affectionum et passionum, in irrefrenationibus interiorum exteriorumque sensuum, in sumptione necessariorum corruptibili carni; et certe, ut protulit Isaias,
Is. LXIV, 6. quasi pannus menstruatæ justitiæ meæ. Porro si tam fœdæ sunt justitiæ meæ, quid de ipsis injustitiis meis fateri ac dicere habeo?

Sponsus. — Jam veritati ac luci propinquas.

Ps. CVIII, 26. Anima. — Adjuva me, Domine Deus
Ps. XVII, 29. meus; Deus meus, illumina tenebras meas.

Sponsus. — Quomodo intelligis quod Sa-
Eccle. VII, 19. lomon dixit, Qui timet Deum, nihil negligit?

Anima. — Quantum ad simplicem pertinet intellectum, bene credo quod qui filiali et actuali Deum timet timore, nihil negligit de necessariis ad salutem. At vero sicut diversi sunt gradus amoris, humilitatis, virtutumque ceterarum, ita et timoris : idcirco quanto quis creverit in vero et sancto, aut etiam initiali, vel saltem servili timore, tanto minus negligens erit, magisque diligens ad cavendum peccata, prout ad suum spectat timorem.

Sponsus. — Intelligisne ex iis quo sensu
Job XXXI, 23. locutus sit Job, Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum?

Anima. — Ille qui dixit hoc, etiam ait :
Ibid. XXVII, 6. Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea. Si tam indesinenter consideravit et advertit omnipotentis Dei præsentiam

A ac Judicis summi adspectum, potuit (ni fallor) talia fari ad Dei honorem et aliorum ædificationem, pensata nihilo minus communi hominum fragilitate et imbecillitate, qua nemo prorsus a culpa immunis asseritur.

Sponsus. — Quomodo ista stant simul, quum scriptum sit, In multis offendimus *Jacob.* III, 2.
omnes?

Anima. — A te, Domine, instrui posco.

Sponsus. — Animæ virtuosæ, sanctæ et timoratæ, super suam custodiam jugiter *Habac.* II, 1.
B stantes, nec ullam temporis particulam inutiliter expendentes, plurimarum virtutum actus exercent successive ac ordinate : jam orantes pro quotidianarum remissione culparum, et incremento gratiæ ac virtutum, jam pro communi bono Ecclesiæ, nunc pro vivis ac mortuis, et aliis plurimis piis causis; interdum vero intentæ sunt diligentissimæ ac formidolosæ discussioni conscientiæ suæ, atque contritioni internæ prævalidæ : in quibus secretissimis actibus sentiunt sibi frequenter C infundi et admisceri consolationes internas de spe veniæ, et impetrationis abundantioris adsistentiæ Spiritus Sancti. Sicque quamvis quotidie peccent in his sine quibus præsens vita non agitur, ex alia tamen parte plus crescunt proficiuntque per actus virtutum prætactos, et assiduas ac ferventes adspirationes, elevationes, inflammationes ad Deum, et per cetera bona quæ gerunt assidue, quibus se ipsas offerunt Deo in holocaustum. In adversis quoque patientiam servant, ac Deo re-
D gratiantur.

ARTICULUS VIII.

Prosecutio hujus materiæ.

Ex introductis colligere debes, o anima mea, quod ad proficiendum in stabilitate sanctæ dilectionis, necesse sit tibi conari ad hoc, ut incessabiliter agas quæ complacent Deo, et vites quæ offensiva et inhonorativa sunt ejus, deinde ut ejus

amabilitatem, honorabilitatem et excellen- A tiam semper perpendas, sicque ad eam pro posse digne ac jugiter afficiaris. In his continentur pro maxima parte quæ in Scripturis docentur, jubentur, consuluntur ac sparsim contenta sunt. O quam beatus est qui incessanter coram Deo sollicitus est ne eum in ullo offendat, et jugiter formidolosus ne illi displiceat, operosus ac diligens ne elongetur ab ipso !

Præterea ad hoc peragendum præcipue valet, ut quis, qualis, et quantus sit Deus, pro posse, gratia auxiliante, imo totum B præstante, intuearis. Ipse quippe est Deus ille altissimus, de cujus incomparabili et incomprehensibili et superessentiali prorsusque infinita et incircumscriptibili natura ac majestate multa et magna disseruerunt excellentiores virorum, ut quod ipse sit ipsum purissimum, actualissimum, omnifarie simpliciterque perfectum esse, in quo omnis essendi nobilitas, et quidquid ad eminentiam, præclaritatem ac nobilitatem essendi pertinet, æternaliter possidetur. Et quid amplius dici potest ? Ipse est C bonitas pura, pulchritudo immensa, dulcedo interminata, cujus comparatione ce-
Is. xl, 15. tera universa sunt tanquam pulvis exiguus minutissimaque arena. Denique ipse est infinita potestas, virtus omnipotens, sanctitas separata, sapientia omniformiter interminata : cujus divitiæ finem non habent, cujus deliciæ intensive immensæ sunt ; a cujus laude condigna et honoratione plenaria deficiunt cuncta quæ circa ipsum sunt penitus infinite. Ipsum, ut
Porphyrius. unus fassus est philosophorum, tellus, pon- D tus polusque contremunt, et ipsa demum numina perhorrescunt.

Eccli. xvi, 20. Et in omnibus his insensatum est cor hominis. Et tu, o miserrima anima mea, remanes surda et obscurata, nec inflammaris in Deum. Et si forsan ad horulam brevem accenderis, cito infrigidaris, nec in tam infinitæ pulchritudinis admiratione manes suspensa. Quid delectabilius ea poteris invenire, aut certe quid tam delectabile, a cujus suavitate reliqua omnia deficiunt infinite ? Qui auro et gemmis præferret lutum et stercora, qualis judicaretur ?

Jugiter ergo intuere Dei tui excellentiam, pretiositatem et gratiositatem tam infinitam, tam incomparabilem, tam superamabilissimam ; ab illius intuitu, degustatione ac veneratione nihil te retrahat; in ejus præsentia et conspectu ubique te colloca, imo constitutam perpende; oculum mentis nusquam ab eo averte, a quo indesinenter et limpidissime cerneris ac diligentissime consideraris ; atque in tantum magni pende et reputa illius præsentiam et adspectum, ut cetera non advertas nisi prout ipse edocuit aut præcepit. Ipsum itaque incomparabiliter ac ferventissime dilige, quem et ubique et semper habes præsentem, imo et incessabiliter paratum ad alloquendum in orationibus et laudibus ei oblatis, et in omni rationabili allocutione, in qua nunquam repellit aut differt accedentem. Adverte quod omnis ratio honestæ dilectionis in ipso consistit et invenitur cum infinito excessu. Omnis videlicet bonitas, pulchritudo, sapientia, dulcedo, sanctitas, liberalitas, nobilitas, opulentia, caritas, pietas, sinceritas, excellentia, et omnino æterna perfectio, beneficentia, universaque ratio bonæ et virtuosæ amicitiæ et amoris in Deo est cum infinita transcendentia et excessu.

Si unumquodque in tantum amabile est in quantum bonum est, quam amabilis ille est qui est pura et incircumscriptibilis bonitas, cujus natura est bonitas pura, perfecta et infinita ! Quantæ insaniæ est illi quidquam præferre aut æque diligere, seu quidpiam quærere extra aut præter ipsum, quasi in ipso non habeatur ! Si veniret ad te homo quem scires tantæ bonitatis ut sanctus exstitit Paulus, Antonius aut Martinus, cum quanta reverentia assurgeres ac reciperes eum ! cum quanta aviditate ac diligentia adspiceres illum ! quam affectuose et libenter cum eo maneres ! quam moleste ferres, si quis tibi illum auferret ! Quæ est ergo ista perversitas,

ista dementia, quod ad gratiosam Dei præ- A sentiam, ad consolatorium ejus adventum, imo ad saluberrimam ejus inhabitationem, non totis adspiras præcordiis, ad secretas illius allocutiones non vehementer afficeris, ad commanendum et perseverandum cum ipso non summo anhelas affectu?

Audi hæc, externe et miserabilis homo, præsertim tu qui speciem geris religiosi, sed ejus virtutem dereliquisti; quem magis delectat cum hominibus fabulari et rumores inanes percipere, quam cum Do- B mino Deo tuo miscere colloquia, quam in hymnis, psalmis et orationibus loqui Altissimo, ac coram ipso cor tuum effundere. (*Thren.* II, 19. *Jer.* III, 2.) Vide ubi prostratus sis, quam abjectus coram omnibus Sanctis viliterque dejectus. Hæc legens compungere, pectus tunde non sine verecundia et dolore ingenti. Respice cœlum, invoca Deum, et ex profundissima humilitate, contritione prægrandi, gemitu et singultu ac defluentibus lacrimis clama: Deus, propitius esto mihi infelicissimo peccatori. (*Luc.* XVIII, 13.) Heu! quid C agam? quo me vertam, qui hucusque tam negligens fui, et tempus mihi ad pœnitendum et proficiendum indultum, tam insipientissime perdidi, imo et tam vitiose consumpsi? Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, confundor et erubesco levare faciem meam ad te præ innumera multitudine et gravitate culparum mearum. (*Dan.* XIII, 42; I *Esdr.* IX, 6.)

Vides præterea quam multum diliguntur, delectabiliter adspiciuntur, avide amplexantur pulcherrimi adolescentuli in D quibus nulla est macula: quam incomparabiliter ergo et vehementissime amandus, desiderandus et amplectendus est Dominus ille omnipotens qui essentialiter pulcher est, et infinite decorus, cujus respectu omne pulchrum, luminosum et speciosum creatum nullius momenti est, etiam si centies, si millies, si inexplicabiliter pulchrius, amœnius et acceptius esset quam est? Quomodo tu, obtusissima mens, ita depressa es et demersa, quod ista tibi non sapiunt, nec te accendunt, nec te super te levant, ne dicam rapiunt? De pulchritudine Absalonis, Paridis atque Adonidis multa leguntur, et qualiter ad illos conspiciendos multi properabant: et ecce quam modica et parvi pendenda fuit illorum formositas in superficie parens, quæ sub hujusmodi cute tot turpitudinibus, fœtoribus atque stercoribus, tot immunditiis superfluitatibusque scatebat! Verum animæ eorumdem sordidissimis vitiis polluebantur, tetris ambitionibus, libidinibus, obscenitatibus sceleribusque gravissimis. Præterea contemplare quam superspeciosissimus sit Conditor ille in semetipso, qui in tam modica carnis parte tantam pulchritudinem posuit, ut inspicientes vix satientur aut fatigentur. Quomodo ergo tu, detestanda anima mea, non delectaris in consideratione et contemplatione superpulcherrimi Dei tui, cujus superexcellentem venustatem omnia tibi creata denuntiant, præsertim cœlestia et supercœlestia, ordo cœlorum, universitas angelorum, hierarchiæ cœlestes, chori superni?

Ita de ceteris ejus proprietatibus eminentiisque perpende. Scis quod universa terra desideravit vultum conspicere Salomonis propter sapientiam ei desuper datam. (III *Reg.* X, 24.) Et quid sapientia illa comparatione sapientiæ increatæ, nisi insipientia et caligo? Fonti ergo sapientiæ infinitæ totis unire præcordiis, et de omni excellentia ejus gaude, et ei toto congratulare affectu. Dic illi: Benedictus et superbenedictus sis tu, Domine Deus meus, cujus sapientiæ nullus est finis, qui solus æternaliter, independenter et incomprehensibiliter sapiens es et ipsa superessentialis sapientia, cui idem est esse sapientem intelligentemque esse. Amplius, tu vere solus omnipotens es, qui universa conservas, sine cujus manutenentia nec ipse mundus ad momentum posset subsistere aut durare. Imo quidquid excogitari potest amabile, nobile, appretiabile, dulce, pretiosum aut dignum, totum in te est, et tu ipse es hoc cum perfectione et excellentia

infinita. Nunc ergo tu ipse super omnia A mihi sapias et dulcescas, totum meum affectum in te rapias et suspendas. Quidquid a te impedit, abstrahit aut elongat, fastidiam, vitem, abhorream; omne quo tibi placere, appropinquare aut honorare te potero, jucundum et leve sit mihi. Pone, *Agg.* I, 5,7. o anima mea, oculum tuum super vias tuas, ne quidquam in eis sit quod displiceat Omnipotenti, cujus omnes viæ sunt *Prov.* III, 17. viæ pulchræ.

ARTICULUS IX.

De sui ipsius examinatione assidua et intenta.

QUA fronte, o anima mea, petis quotidie omnique hora tibi ignosci, quæ a præteritis et consuetis negligentiis, torporibus atque acediis non desistis, imo assidue mala malis accumulas, in tantum quod ea enumerare non vales, nec in confessione sacramentali universa et singula distincte depromere, quamvis confitearis quotidie? Adverte, paupercula, et deplange C vehementer calamitates, defectuositates et culpas tuas innumeras.

Heu, heu, heu me, Domine Deus meus, quam infinita est mea miseria! Confiteor quotidie quod, proh dolor! in Horis meis, in psalmodiis, in orationibus et celebrationibus et in omni divino Officio distractus sum corde, irreverenter et incustodite me habens: et ecce in omni psalmo, seu potius in quolibet versu, distrahor mente, nec sensum cum debita diligentia penso, et interdum ipsa verba vix integre pro- D fero. Impatiens sum, irascens, indignans, si alii juxta meam voluntatem non psallunt, non legunt, non cantant; et non potius mihi ipsi indignor, quod tam irreverenter, tam defectuose et pessime me habeo coram te in omni tuo obsequio. Heu, quam imparatus ad celebrandum accedo! quam indigne in celebrando me habeo! quam ingratus invenior! quam cito ad fabulationes revertor, ad pristina mala præcipitor!

Quid prodest tibi, o miser, quotidie confiteri, qui paulo post, confessione jam facta, celebratione quoque peracta, tam intimoratus, levis et incustoditus es ut ante? Cujus contritionis signum est hoc? imo quantæ dissolutionis, ingratitudinis, oblivionis, indecentiæ indicium et effectus est hoc, quanti reatus atque supplicii causa, præsertim quum etiam laici eo quo communicant die, solito maturiores, devotiores et exemplariores soleant esse? Ubi, o insensate, est spiritualis impinguatio ex B tam frequenti cœlestium ac divinorum sumptione alimentorum? Deplange ergo te ipsum. Etenim qui tam superliberalissime se ipsum tibi præbet in alimentum, proprium corpus et sanguinem in refectionem, paratus est utique tibi conferre gratiam ampliorem et exauditionem piissimam, nisi tu ipse obicem poneres, et quotidiana præberes obstacula. O utinam rite recoleres quomodo juxta divini descriptionem Dionysii, in primitiva Ecclesia *De Eccl.* sacerdotes ad celebrandum cum admiran- *hier.* c. III. da devotione ac diligentissima præparatione proficiscebantur! Ideo copiosissimum fructum sortiebantur, et tanquam leones flammam spirantes, terribiles adversariis potestatibus, cœliformiter enutriti regrediebantur.

Intende quam sobrium te esse oporteat in cibo potuque corporis, quam immunem a culpabilibus verbis, qui per os tuum accipis tam sacratissimum corpus dominicum sanguinemque divinum, et cœlestia illa profers eloquia. Itemque diligentius contemplare quam sis graviter ac multipliciter in his reus. Porro a vitiis carnis, a libidinoso contactu, ab inverecundo adspectu, te in infinitum elongare, abstrahere, abstinere oportet, et indefesse properare ad meliora ac viciniora saluti. Quid *Hebr.* VI, 9. tibi cum vilibus rebus, cum infructuosis colloquiis, cum sterilibus studiis, qui ad tam supernaturale ac divinissimum sacerdotium es vocatus? Ne et in te damnabiliter impleatur quod sermo divinus effatur: *Ps.* XLVIII, Homo quum in honore esset, non intelle- 13, 21.

xit. Hæc est magnanimitas bona et cordis nobilitas vera, nolle a gratiæ nobilitate degenerare. Tota tua conversatio sit jugis ad celebrandum dispositio : imo incessabilibus vicibus offer Deo Patri unicum Filium ejus, hoc est cuncta quæ ipse pro hominum salute assumpsit, fecit ac pertulit.

ARTICULUS X.

De meditandis circa unigeniti Filii Dei incarnationem atque alia mysteria ejus.

I *Cor.* I, 30. CHRISTUS factus est nobis a Deo Patre sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio. Gloria et sapientia Christiani est Christum et ejus mysteria jugiter recordari. Recole ergo, o anima mea, unicum Filium Patris æterni pro tua salute missum in mundum, quatenus sua incarnatione te deificaret, sua amarissima passione te ab æterna damnatione eriperet, sua exspiratione in cruce te vita gratiæ in præsenti vitaque gloriæ in futuro in æternum vivificaret.

Quid tam jucundum et gratum vero Christifideli ut ista assidue recogitare, quemadmodum mundissima ac innocentissima Virgo, omni sanctitate excellentissime præornata, sancto denuntiante Archangelo, superpulcherrimum Dei Filium integerrima permanens ineffabiliter concepit, ex ipsa infantulum factum, verum utique hominem, a primo suæ incarnationis momento in omni sanctitate et perfectione virtutum quantum ad animam consummatum, imo et beatifica fruitione completum, deinde tempore suo de sanctissimo illius utero prodeuntem ? De quibus divinissimis mysteriis quantum quotidie gloriandum sit devoto fideli, hinc innotescit, quod tunc angelorum exercitus super his tam vehementer gloriabatur, regratiabatur, ac cecinit : Gloria in excelsis Deo. *Luc.* II, 14.

Perpende tu, homo paupercule, quæ et quanta pro tua salute tunc gessit Altissimus, qui tam extremam ac maximam pro

A tua salvatione et ædificatione assumpsit paupertatem, humiliationem, dejectionem, ita quod involutus fuit panniculis, in præsepii angustiis reclinatus, Matris uberibus refocillatus ; sicque deinceps a nativitatis suæ exordio usque ad exspirationem suam, in cunctis elegit quidquid ad paupertatis plenitudinem et adversitatum ac tribulationum abundantivam potuit pertinere perpessionem. Tu ergo quis es, qui a Christo Christianus vis dici, et non in his Christi vestigia sequi ? Quem te ipsum facis ? An *Luc.* II, 12.
B Filio Dei excellentiorem te putas ? Væ tibi qui divitiis cupis affluere, honoribus elevari, deliciis refoveri, delicate nutriri, huic sæculo conformari. Inspice, miser, cujus capitis membrum sis, cujus domini servus, cujus magistri discipulus. Intuere in quanto rigore disciplinæ, in quantæ humilitatis profunditate, in quanta patientia et rigiditate afflictioneque corporis imitati sunt illum ab exordio Ecclesiæ electissimi Christiani, sed et martyres gloriosi, imo et quamplurimæ tenerrimæ virgines nobilis-
C simique adolescentes ac juvenes claustrum eremumque ingressi. Et tu horum exemplo te ipsum extreme humilia ; corpus tuum cum vitiis et concupiscentiis crucifige ; per arctam viam salutis strenue ambula. Noli deficere benefaciendo : imo quotidie fervori fervorem addendo cresce in melius, quousque feliciter consummes in optimo. *Galat.* V, 24. II *Thess.* III, 13.

ARTICULUS XI.

D *De meditanda Christi conversatione.*

QUI se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. I *Joann.* II, 6.
Tota verorum Christianorum occupatio, tota Christifidelium intentio et omnis eorumdem affectio, in passione consistit unigeniti Filii Dei. Mysterium hoc magnum est, imo profunditatis immensæ, omnium gentilium philosophiam transcendens, universam naturalis inquisitionis artem excedens.

O abditum ac profundissimum divinæ theoriæ objectum, speculamen radiantissimum, qualiter per mortem vitæ a morte æterna redemptum sit genus humanum! Primi illi parentes, imo peremptores suæ propaginis, suæ prævaricationis demerito suam infecerunt posteritatem, ita ut originalis dono justitiæ sit privata, velut si princeps aut rex terrenus subtrahat militi suo bonum feudale, quod ei largitus fuit pro se et sobole sua, dummodo sub obsequio fidelis persisteret. Quemadmodum ergo universitas posterorum sui progenitoris demerito tanto gratiæ dono est destituta, ita virtute et merito sui Creatoris in assumpta ab illo pro ipsis humanitate a tanto damno est reparata, imo et eminentioribus gratiarum muneribus decorata. Etenim cunctis in incarnatum Filium Dei
Joann. I, 12. credentibus, dedit potestatem filios Dei fieri atque salutem consequi æternalem. Itaque merito obedientiæ Christi, et eorum quæ ipse pro nobis assumpsit, effecit ac pertulit, salvati sumus, in quantum Filius Dei ex summa caritate, maxima pietate, plenissima obedientia, tam vehementissima humilitate, se ipsum et Patrem honoravit æternum, ac hostes humanæ prostravit salutis. Viam quoque efficacissimam pertingendi ad bravium vocationis supernæ, in se ipso et per se ipsum monstravit exemplis suis et documentis, dans item saluberrima ac sapientissima consilia, per quorum observantiam compendiosius ac gloriosius ad beatitudinem illam immensam perveniatur: quæ in se excellentissime adimplevit, in omnimoda hic vivens paupertate, in summa humilitate, in tranquillissima patientia in persecutione multiplici.

In his, o anima mea, bonum est nos permanere, atque cum Domino Jesu quasi in sua pueritia ambulare. Exeamus cum sanctissima et supermundissima Virgine a Nazareth versus Bethlehem, imminente jam puerperio ejus; et dicamus ad Joseph: O tu, bone et innocens senex, quo ire disponis cum tenerrima, incomparabi-
A liter morigerata Domina ista, instante nunc partu ipsius? Ubi pro ea invenies quietum et aptum hospitium in tanta itinerantium copia? Audiesque eum tibi in spiritu respondentem: Mysterium est a Deo dispositum; ipse cuncta in itinerario isto juxta altitudinem et excellentiam providentiæ suæ disponet. Et tu dices: Sequar vos a longe, si forte in aliquo potero vobis deservire, et Dei mirabilibus interesse, ad promulgandum et protestandum de ipsis.

Sicque propinquante jam media nocte,
B contemplare quemadmodum benedictissima virgo Maria, familiarissima Deo, ferventissima mente, devotione plenissima, genibus flexis affectuosissime orans pro mundi salute, ac Deo Patri præcordialissime gratias agens, instantanee parit Deum et hominem in una persona; moxque gaudebis in spiritu impleta esse Prophetarum oracula, et natum esse regem Messiam, jamque in mundo opus esse divinitus factum, majus, mirabilius atque præclarius ipso mundo: in quo incomprehensibili
C opere artifex ille omnipotens, et prorsus infinitæ sapientiæ auctor et opifex, immensitatem sapientiæ, omnipotentiæ ac benignitatis suæ gloriosius ac eminentius declaravit quam in productione mundi totius.

Præterea audi angelum sanctum pastoribus protestantem: Annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. In horum auditione et denuntiatione etiam tu ipse intime gratu- *Luc.* II, 10, 11.
D lare, Deo totis viribus gratias age, et de tam inæstimabili pietate et gratia humano generi exhibita et impensa totis exsulta præcordiis, eo quod Deus et Creator eorum factus sit frater et salvator ipsorum. Unde adverte protinus militiam cœlestis exercitus, haud dubium quin innumerabilium angelorum etiam de suæ instauratione ruinæ vehementer gloriantium, supergloriosissimum Deum laudantem, dicendo: Gloria in excelsis Deo. *Ibid.* 13, 14.

Insuper adverte et tu in his qualis et

quanta sit hæc singularissima Virgo, ab A æterno præelecta a superincomparabili Trinitate ad concipiendum et pariendum unigenitum Filium Patris æterni, ad contrectandum et educandum eumdem, ad ministrandum et cohabitandum ei familiarissima conversatione. Quæ quum facta sit Patri æterno comparentalis, et Unigeniti ejus, veri Dei, mater verissima, ejus quoque genitrix a quo Spiritus Sanctus vere æternaliter procedit, constat quam proxima atque carissima facta sit toti superdignissimæ Trinitati. Quæ quum sit ve- B ri Dei Genitrix gloriosa, est utique dignitatis quodammodo infinitæ, atque post Deum omnibus nobis summe amanda ac veneranda.

Præterea devotissime ac jucunde contemplandum est tibi, pie Christicola, quemadmodum tres Magi stella duce venerunt Bethlehem infantulum adorare, ac mystica ei munera obtulerunt, et quomodo post hæc puer Jesus in Ægyptum translatus sit, et reductus; in templo demum a Virgine Matre inventus est, deinde in humilitate C subticuit usque tricesimum circiter annum, quo a suo sacratissimo ministro baptizari dignatus est; paulo post a Satana est tentatus, ac deinde palam evangelizare, docere, miraculis coruscare cœpit, et evangelicam legem fundare.

Matth. II, 1 et seq.

Luc. II, 46 et seq.

ARTICULUS XII.

De Christi passione.

Galat. II, 19.

CHRISTO confixus sum cruci. Tota ve- D rorum Christianorum conversatio, omnis eorum intentio, affectio atque devotio, circa passionem Christi versatur, in qua omnium perfectiones virtutum plenissime splendent.

Contemplare Jesum, expletis regni cœlestis sermonibus ac doctrinis, ferventissime anhelantem ad redimendum genus humanum, ad educendum animas patrum ex limbo, ad instaurandum ruinam cœlestis Jerusalem, ad debellandum aerias potestates, ad convertendum sæculum per sanctos Apostolos, suam eis prædicere passionem de proximo imminere, atque cum eis cœnam celebrare novissimam, in qua evangelicæ legis supernaturale instituit sacramentum. Potissimum quoque suam caritatem ac humilitatem, primo operibus, deinde verbis, monstravit, commendavit, edocuit. Deinde cum gloriosis Apostolis egressus est, exponendo eisdem suæ passionis, resurrectionis Sanctique Spiritus missionis mysterium. Hinc coram tribus familiaribus discipulis cœpit pavere quantum et quomodo voluit, propter rationabilissimas causas; ivitque imperterritus obviam hostibus, quos, ut voluit, repente prostravit. A quibus captus, tentus et crudelissima ac ignominiosissima morte occisus, die tertia, sicut prædixerat, victoriosissime resurrexit. Sua quoque resurrectione sufficienter patefacta ac comprobata, coram discipulis ascendit in cœlum, angelis sanctis adstantibus, et ipsum in fine sæculorum ad judicandum vivos ac mortuos rediturum testantibus.

Matth. XXVI, 2, 20 et seq.

Joann. XIII, 4 et seq.

Marc. XIV, 33.

Joann. XVIII, 4 et seq.

Act. I, 9-11.

Porro in hac Christi saluberrima passione considera ac pro viribus imitare summam ac perfectissimam Christi caritatem, qua sic animam suam posuit pro suis oviculis; integerrimam obedientiam, qua Patri obediens factus est inclusive usque ad hujuscemodi mortem; patientiam, qua et pro crucifixoribus intercessit; humilitatem, taciturnitatem, mansuetudinem, et omnem virtutem quam in sua edocuit passione. Quæ omnia, ad compatiendum, ad imitandum, ad regratiandum, ad inflammandum, ad admirandum, ad contemplandum, ad pugnandum, idonee debes perpendere : non cursorie, sed mature, assidue, compuncta ac gratissima mente, ad prævalendum celerrime in omni adversitate, persecutione et tentatione : siquidem omnis tribulatio vitæ præsentis æquanimiter toleratur, si acerbitas dominicæ passionis rite recolatur.

Joann. X, 15.

Philipp. II, 8.

Luc. XXIII, 34.

At vero in hac intentissima recordatione omnium quæ pro te Deus tuus susti-

nuit, summam studii tui reponere debes. In horum affectuosa ac intime compassiva reminiscentia plenitudinem sapientiæ tuæ constituas ; et Dominum Salvatorem in ea dispositione, forma et apparatu et dolorositate, omnique modo quo pro te pependit in cruce, cordi tuo profundissime et indelebiliter imprime, ac oculis cordis tui incessabiliter objice, atque in eum sic appensum aciem mentis in omni distractione et dispersione indefesse revocare, reducere, defigere assuesce. Quod indicibiliter tibi et omni sic facienti proderit ad salutem, ad copiosum profectum, ad omnem mentis dissolutionem, levitatem inertiamque frenandam.

Cogita et recogita omnia illa quasi præsentialiter ea conspiceres. Quis, qualis et quantus sit ille qui passus est ea, affective perpende, et cur, quo fructu, quo fine omnem sui tenerrimi corporis afflictionem in violentissima sui distentione, in pœnosissima flagellatione, in sanctissimorum suorum tenerrimorum pedum ac manuum perforatione, in sui divinissimi capitis spinea coronatione, in amorosissimi quoque sui cordis dolorosissima compassione, quæ quidem tunc passionis corporeæ excessit dolorem. In his sit occupatio tua frequens, assidua, perseverans. Quæ recolendo, pro totius mundi salute lacrimose ac jugiter ora, pro vivis ac mortuis, pro omnibus propinquis, commissis ac benefactoribus, pro gratia et profectu condigno, pro abstinentia a peccatis, pensando quantæ improbitatis, ingratitudinis et perversitatis sit talem ac tantum benefactorem offendere.

ARTICULUS XIII.

De excellentia et magnitudine gratiæ a Christo distributæ fidelibus.

TEMPUS evangelicæ legis non immerito tempus gratiæ nuncupatur : quamvis ab exordio sæculorum Omnipotens magna et varia gratiarum munera hominibus sit A largitus. Verum ex ea die qua verus Deus factus est homo, potissimum decuit ea quæ Dei sunt copiosius hominibus impertiri.

Hinc post Christi passionem et resurrectionem protinus Spiritus Sanctus visibiliter missus ac datus est ejus discipulis ac primitivæ Ecclesiæ : qui admirabilissime repleti sunt supernaturalibus donis Spiritus Sancti, tam donis gratiæ gratum facientis quam donis gratiæ gratis datæ ; et orsi sunt loqui omnium gentium linguis, B et scripturas veteris Testamenti clarissime intellexerunt ac promptissime allegaverunt, miraculis quoque abundantissime coruscaverunt, ut effectus plenissime et certissime demonstravit. Quippe qui non obstante omni rabie innumerabilium Judæorum, præsertim superiorum, puta pontificum et ceterorum præsidentium ac majorum, qui implacabiliter sævierunt in Christi discipulos admodum paucos, nihilo minus quotidie creverunt, profecerunt et invaluerunt supra omnes adversarios suos, C in tantum quod infra modicum tempus converterunt tot millia Judæorum, tam in sua metropoli civitate Jerusalem, quam in omni Judæa et Galilæa atque Samaria circumvicinisque locis, ita ut plures videantur credidisse in Christum quam non, quamvis perfidi Judæi omni modo eis possibili conabantur ipsos credentes omnes exstinguere.

Deinde ipsi discipuli Christi, præsertim sancti et gloriosi Apostoli, relictis incredulis in Judæa, per universum orbem dis- D persi sunt et profecti, quousque per se et per suos discipulos maximam humani generis partem ad Christum converterunt. Quod revera fuit summum mirabile, quod scilicet pauci illi, virtute divina, sine humana potentia et magica arte, ad tam arduissimam legem et incomprehensibilem fidem converterunt tot gentes, nationes et populos, resistentibus undique Imperatoribus, regibus, principibus et tyrannis, qui et crudelissimas mortes intulerunt credentibus ; resistentibus item magis at-

A que philosophis et omni calliditate ipsorum. Sicque tandem in toto orbe excrevit et invaluit christiana religio, potissimum inter tyrannides impiorum, ita quod tot et tanti fuerunt sanctissimi patres, anachoretæ et eremitæ spiritualissimam et arduissimam vitam ducentes in desertis, antris et eremis : vitam certe tam angelicam et divinam, tam superhumanam et virtuosissimam, tot et tantis miraculis plenam, ut plene describi nequiverit, imo revera pro modica parte vix in speciali descripta sit. Enimvero, sicut de his pauca devenerunt scripta ad Christianos quamplurimos et prorsus innumerabiles in remotissimis partibus Indiæ, Armeniæ, Persiæ, Mediæ, etc., habitantes ; ita ex gestis et mirabilibus prodigiis et magnificentiis martyrum, patrum, præsulum ac divinissimorum virorum, imo utriusque sexus personarum cœlestium, vix centesima aut millesima pars ad nos occidentales pervenit. Verumtamen hæc ipsa, comparative loquendo, tot et talia, tamque præclara et innumera exstiterunt, ut omnem narrandi, laudandi, mirandi modum et facultatem transcendant, ut quæ olim in lege Mosaica contigerunt, nullam videantur comparationem ad ista habere.

Unde supercertissima est veritas fidei christianæ, et omnis cœlestis doctrina Ecclesiæ, quamvis nunc, proh dolor! propter Christianorum ruinam, carnalitatem, perversitatem, ingratitudinem enormissimaque facinora, mutatum sit aurum et versum in scoriam, mutatusque color pulcherrimus in mortiferum pallorem. (*Is.* I, 22. *Thren.* IV, 1.) Heu! ubi nunc venustissimus decor sanctarum religionum, splendidissimus fulgor innumerabilium devotissimorum claustrorum, venerabilium collegiorum? O quem non tædeat vitæ præsentis, si legat, advertat, recogitet quæ de his scripta sunt in libris authenticis beatissimi ac divinissimi Dionysii, aliisque historiis, chronicis, legendis, historialibus speculis et libris fide dignissimis, ac simul perspiciat, penset ponderetque per singula qualiter, heu, heu! modo omnia sint mutata, deformata, discolorata, subversa!

ARTICULUS XIV.

Deploratio malorum Ecclesiæ.

A VOCE gemitus mei adhæsit os meum carni meæ. (*Ps.* CI, 6.) Quo Dominum Deum nostrum sincerius intensiusque diligimus, eo ipsius venerationem, laudem et gloriam cordialius affectamus, et de glorificatio-
B ne ipsius vehementius gloriamur, instantius quoque et infatigabilius pro hoc ipso laboramus, exemplariter conversando, indesinenter et ferventer orando, proximos exhortando, delinquentes corripiendo, et omni modo nobis possibili pro animarum laborando salute, potissimum laborando pro bono communi. Conformiter, quo proximos ac totum genus humanum strictiori amplexamur caritatis affectu, eo ampliori inardescimus zelo pro illorum salvatione. Consimili modo, quo
C Dominum ac Salvatorem, Deum et hominem, perfectius spiritualiusque zelamur, eo passionem ipsius, sanguinis pretium, et universa quæ pro nostra egit salute sustinuitque, affectuosius fructificare appetimus. Præterea, quo novissima eorum quos sicut nos ipsos diligere obligamur, profundius intuemur, eo intolerabilem illam damnationem ipsorum formidolosius exhorremus, salvationem quoque eorum desiderabilissimam intimius peroptamus.

Ex his innotescit quam indicibiliter ve-
D rus Dei amator spiritualisque homo de ruina et deformatione Ecclesiæ et innumerabilium animarum quotidiana perditione assidue affligatur, tristetur et doleat, potissimum quum et tanta sit vitiorum monstruositas, et crudelissimorum dæmonum gloriatio in omnibus malis. Quum itaque cernamus indesinenter tot flagitia fieri, tot animas disperire, nonne vehementissime ingemiscere, contristari, dolere habemus, et nunquam vanitati, dissolutioni, jocis, ludis locum præbere? Nonne

videmus quod servi fideles ac probi, potissimum filii boni, dominorum ac patrum suorum injurias, contumelias, aspernationes æquanimiter ferre non valent?

Itaque, si in te sunt viscera christianæ pietatis et veræ caritatis affectus, in horum consideratione intime ingemisce, plora assidue, ora præfervide; resiste machinationi diaboli, satage honorificentiæ Dei. Detruncationem Ecclesiæ in omnibus finibus sanguineis defle guttis, et affectuosissime intercede ut omnipotens et misericordissimus Dominus dignetur Ecclesiæ suæ de veris ac idoneis providere pastoribus et prælatis, atque in omni statu, gradu et ordine emendationem conferre. Hæc sit exercitatio et occupatio tua quotidiana. Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui pro animabus pusillorum, ne scandalizati intereant.

Thren. II, 19.

Eccli. VII, 40.

Memorare, o anima mea, novissima tua, et omnium tecum in vita peregrinantium. Exhortare cunctos pro posse. Discute vitam tuam frequenter, præsertim aliqua hora competenti. Attende qualiter singulas horas diei expendas; quot, quales et quantas in eis læsiones incurras, qualiter eas quotidie possis vitare, opusque omne Dei diligenter ac magis reverenter solvere ac implere. Contemplare fideliter felicitatem et gloriam eorum æternam qui Creatori suo in vita hac cum debita diligentia subjecti fuerunt; vide quam inæstimabilem felicitatem sortiti sunt, quanta mala et pericula evaserunt, quam inamissibilem securitatem adepti sunt, et ipsos strenue imitare. Indesinenter ea quæ Dei sunt tracta et retracta, atque salubria meditare. Oculos mentis tuæ ubique et semper ad Dominum dirige; ejus sanctam et supervenerandissimam præsentiam jugiter pensa, formida, et venerari non cesses. Omnem beatitudinem electorum perambula, quam gloriose et deliciosissime superfelicissima Trinitate fruantur, mutuamque illius intuitionem, fruitionem, dilectionem, amplexum, pacem, æternaliter ac invariabiliter sentiant et degustent, atque se invicem in Deo et Deum super omnia sine fine cum inæstimabili tranquillitate atque dulcedine diligant.

Hoc meditationum mearum opusculum, quas non tam habeo quam merito haberem, gratanter suscipite, fratres carissimi, atque pro me jugiter exorate, qui de cetero ad securæ taciturnitatis portum transferre me intendo, et ad securum exitum, prout Dominus dederit, parare, præsertim quia et vires corporis multum deficiunt. Et istud opusculum anno vitæ meæ sexagesimo septimo finio, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS OPUSCULI DE MEDITATIONE.

DE FONTE LUCIS AC SEMITIS VITÆ

PROŒMIUM

QUIS sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc? Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis, prævaricatores vero corruent in eis. Osee XIV, 10.

Verba ista ad litteram protulit sanctus propheta Osee, primo ad insinuandum difficultatem sui voluminis; secundo, ad designandum paucitatem intelligentium sua dicta. Et horum rationem subjungens, adjecit: « Quia rectæ » sunt « viæ Domini ». In quibus justos asserit ambulaturos, transgressores vero casuros in eis : quia etsi interim forte in eis cœperint proficisci, non tamen in eis salubriter perseverant. Porro juxta mysticum sensum, verba hæc rite suscipiuntur de cognitione idonea triplicis viæ qua itur ad fontem beatitudinis, ad ultimum finem, ad Creatorem omnium, Deum sublimem et benedictum : in cujus limpidissima, amorosa et fruitiva contemplatione omnium mentium creatarum consistit felicitas, quemadmodum ipse testatur Unigenitus Patris æterni, loquens ad Patrem : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum. Et rursus alibi : Ego sum (inquit) Alpha et Omega, principium et finis. De quo Jeremias propheta : Vere (inquit) in Domino Deo nostro salus Israel. *Joann.* XVII, 3. *Apoc.* XXII, 13. *Jer.* III, 23.

Denique, quoniam pauci ad hunc beatissimum ac beatificum finem, Deum incomparabiliter gloriosum, per rectas ambulant vias, his potissimum diebus, de quibus dixit Apostolus, Scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines amantes se ipsos, cupidi, elati, voluptatum amatores magis quam Dei; idcirco ad insinuandum paucitatem intelligentium efficaciter vias tres quibus ad Altissimum est tendendum, utpote viam purgativam, illuminativam ac perfectivam, merito præinductum assumpsi verbum propheticum : « Quis sapiens, et intelliget ista? » etc. Siquidem hæc ipsa quæ de hac triplici via dicentur, non nisi vere sapientibus innotescunt aut elucescere queunt. Quod si quispiam aliorum se dixerit ea cognoscere, factis negabit; eritque cognitio ejus aut nulla, aut certe informis, nuda et arida, atque damnationis meritoria gravioris, quemadmodum ait Salvator : Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit, plagis vapulabit multis. Præterea omnes iniquos vias Domini ignorare, sacra copiose docet Scriptura. Scriptum est enim : Rebelles lumini nescierunt vias Dei. Universi autem in mortali exsistentes peccato, rebelles sunt lumini, lumini scilicet increato, Deo sancto ac vero, et rectæ rationis judicio. Hinc etenim dicit Propheta : Viam sapientiæ nescierunt, nec meminerunt semitarum ejus. Propterea omnes hujusmodi in Scripturis divinis insipientes ac fatui appellantur. De quibus Salomon loquitur : Stultorum infinitus est numerus. Apostolus quoque : Stultam (inquit) fecit Deus sapientiam hujus mundi. Est quippe in talibus vitium puerilitatis, quod quoque stultitia nuncupatur, veræ ac

II Tim. III, 1, 2, 4. — *Luc.* XII, 47. — *Job* XXIV, 13. — *Baruch* III, 23. — *Eccle.* I, 15. — *I Cor.* I, 20.

salutari sapientiæ contrarium. Nam sicut infantuli poma et pira præferunt auro ac gemmis, ita miserrimi hujus sæculi amatores atque turpissimi immunditiarum carnalium dilectores, summo et incommutabili, incircumscripto et incomparabili bono præeligunt ac præponunt ista caduca, vana et vilia : quo nihil stolidius, nihil irrationabilius, nihil iniquius valet excogitari. Itaque constat quam pauci sunt veraciter sapientes, utpote soli in caritate et gratia consistentes, quorum cor a mortali immune est culpa. Quum etenim supergloriosissimus Deus fons sit totius lucis ac sapientiæ, certum quod omnes a Deo aversi in tenebris atque stultitiis conversantur,
Ps. LXXXI, 5. Psalmographo concinente : Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.
Rom. I, 21. Apostolus quoque : Obscuratum est (ait) insipiens cor eorum.

Quum ergo hæc ita se habeant, ego te, o carissime mi in Christo, cupiens veræ ac salutaris sapientiæ esse alumnum, atque per Dei itinera ad æternæ beatitudinis bravium gradientem, propono, auxiliante ac peragente superdulcissimo Spiritu Sancto, ex tuo amore conscribere aliquid de viis Dei sinceris ac splendidis, præsertim de triplici via salubri qua vera ac sempiterna obtinetur felicitas. Procedamque breviter ac succincte, quasi pro quotidiano exercitio ista compingens, quemadmodum jam frequenter ac devote rogasti. Denique ante annos fere duodecim opusculum tibi scripsi de Arcta via salutis ac mundi contemptu : nihilo minus interim per vias latas ac tenebrosas ambulasti. Nunc vero maturioris factus ætatis, ac pœnitens corde, sacros in urbe ex devotione ordines assumpsisti, proponens posthac sacerdotaliter atque canonice conversari. Et quoniam Domino annuente, intra dies quindecim primam cantaturus es Missam, ego in ea aliquid tibi offerre desiderans, aurum vero et argentum non habens, cogitavi caritati tuæ præsens devotionale exercitium ac paupertatis meæ opusculum in illa offerre, confidens hoc ipsum probitati ac prudentiæ tuæ magis quam nummos aliquot aureos placiturum : affectuosissime precans ut in eo perseveranter posthac exercearis quotidie, sicut nunc firmiter decrevisti, ne in pristina ruas mala. Ad quod te multa sane nunc obligant, utputa canonicatus, sacerdotium, litteratura, et alia id genus quamplurima.

DE

FONTE LUCIS AC SEMITIS VITÆ[1]

ARTICULUS PRIMUS.

De multiplici via de qua sacra agit Scriptura.

INTERROGATE quæ sit via bona, et ambulate in ea; et invenietis refrigerium animabus vestris. Jer. VI, 16.

Via dicitur medium inter duo extrema. Quædam ergo sunt viæ Dei per quas Deus ad suas creaturas, præsertim intellectuales ac rationales, procedit : non locum mutando, sed eis aliquid influendo, aut in ipsis aliqua disponendo, sive judicia exercendo. Sicque processus et influentiæ, operationes, decreta et exsecutiones Dei vocantur viæ ipsius. De quibus per Sapientem increata ac genita Sapientia, quæ est Verbum æternum et unicus Filius Dei,
Prov. VIII, 22. fatetur : Dominus possedit me in initio viarum suarum. De quibus et apud Job
Job XXVI, 14. quoque asseritur : Ecce hæc ex parte dicta
Rom. XI, 33. sunt viarum ejus. Et Apostolus : Quam incomprehensibilia (inquit) sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ipsius! Aliæ sunt viæ Dei per quas rationalis creatura graditur ac pertingit ad ipsum : ut sunt divina præcepta et evangelica Christi consilia, opera bona, desideria virtuosa, cogitationes sanctæ, locutiones fructuosæ, atque adversa
Apoc. XV, 3. pro Deo æquanimiter tolerata. De quibus viis scriptum est : Justæ ac veræ sunt om-
A nes viæ tuæ, Domine Deus omnipotens, Rex sæculorum. Christus quoque in Evangelio : Arcta (inquit) est via et angusta Matth. VII, 14.
porta quæ ducit ad vitam. De primis autem viis ait Propheta : Universæ viæ Do- Ps. XXIV, 10.
mini misericordia et veritas; de secundis vero : Vias tuas, Domine, demonstra mihi, Ibid. 4.
et semitas tuas doce me.

Præterea, secunda viæ distinctio est, quod una est via electorum, alia reproborum. De quibus Salomon : Justorum (in- Prov. IV, 18, 19.
quit) semita quasi lux splendens, procedit
B et crescit usque ad perfectum diem; via autem impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruunt. Via electorum est conversatio virtuosa, vita pœnitentialis, observatio præceptorum. De qua canit Psalmista : Beati Ps. CXVIII, 1.
immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Via autem reproborum est vita iniqua, conversatio carnalis et intimorata, transgressio legis divinæ. De qua via ait Salvator : Lata est porta et spatiosa via Matth. VII, 13.
quæ ducit ad perditionem. Porro via hæc electorum recte splendida appellatur ac
C pulchra. Primo, quia ex piissima directione Spiritus Sancti procedit et ejus luce perfunditur. In omni equidem actu meritorio indigemus actuali motione ac directione Spiritus Sancti, qui (teste Apostolo) operatur in nobis et velle et posse. Secun- Philipp. II, 13.
do, quia ex gratia gratum faciente et caritate, quæ sunt spiritualia lumina mentis,

[1] Ex editionibus Coloniæ, Melchioris Novesiani, 1530, 1540.

progreditur, atque earum splendore formatúr et clarificatur. A Tertio, quia ex rectæ rationis judicio oritur. Omnis etenim actio virtuosa ex deliberata nascitur ratione. Quarto, quoniam Deo, qui est lux pura ac infinita, supersplendidissimus ac superpulcherrimus omnium finis, nostra corda conjungit. (I *Joann.* IV, 16.) Nempe qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. (I *Cor.* VI, 17.) Et qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo. Quinto, quoniam vitiorum tenebras fugat ab anima, eamque venustat ac lucidam facit atque formosam, in tantum ut Sponsus cœB lestis loquatur ad eam (*Cant.* IV, 1.) : Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es ! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet ; capilli tui, etc. Et quoniam via impiorum istis luminibus caret, mentem deornat, obtenebrat atque a Deo avertit, eam quoque dæmonum efficit mansionem, et ad infernalem trahit caliginem ; idcirco rite tenebrosa vocatur, juxta illud Jeremiæ: (*Jer.* XXIII, 12.) Via impiorum quasi lubricum erit in tenebris, impellentur enim et corruent in ea.

C Sed quæri potest quomodo via impiorum tenebrosa feratur, in tantum ut impii quo ruant ignorare dicantur, quum aliqui ex certa scientia et ex deliberata ratione atque proposito peccent : qui, teste Jeremia (*Ibid.* IV, 22.), sapientes sunt ut faciant mala ; qui quasi de industria recedunt a Deo ; qui utique sciunt se mala agere, et ea ad quæ tenentur negligere, in profundum etiam cadere vitiorum, ac promereri supplicia infernorum. Et respondendum, quod juxta theologos atque philosophos, omnis pecD cans ignorat, errat maleque judicat : quia etsi bene judicet in communi, non tamen in particulari ; imo passione, ignorantia aut malitia, rationis suæ judicium in certis agendis seu fugiendis corrumpitur, excæcatur ac depravatur, et malum sub specie alicujus boni acceptat. Idcirco divinus Dionysius protestatur (De Divin. nom. c. IV.), quod nullus ad malum respiciens agit. Et Sapiens (*Prov.* XXI, 2.) : Omnis (ait) via viri recta sibi videtur ; et rursus (*Ibid.* XIV, 9.) : Stultis illudit peccatum ; itemque (*Sap.* II, 21.) : Excæcavit (inquit) eos malitia eorum.

Insuper, tertia viæ distinctio est, quod quædam est via intrinseca et formalis, ut actio bona aut mala. De qua sanctus Job profitetur (*Job* XXXI, 4.) : Deus considerat viam meam, et omnes gressus meos dinumerat. Alia est via extrinseca et objectalis. Sicque Filius Dei asserit de se ipso (*Joann.* XIV, 6.), Ego sum via, veritas et vita. Et Isaias loquitur Israeli (*Is.* LI, 23.) : Præbuisti corpus tuum viam omni pertranseunti.

Quarta distinctio est, quod quædam est via evidenter mala ; alia vero est via apparenter seu verisimiliter bona, et tamen veraciter mala. De qua apud Sapientem legitur (*Prov.* XIV, 12.) : Est via quæ videtur homini justa, et novissima ejus ducunt ad mortem. Hæc via solet et bonos decipere, quoniam quædam sunt vitia quæ virtutes esse putantur : ut immoderatus rigor, justitia ; remissio, pietas ; dissolutio, hilaritas ac recreatio bona. Sic quidam persuadent sibi ecclesiasticorum pluralitatem beneficiorum licere, ut valeant hospitalitatem et cetera misericordiæ opera copiosius exercere : non attendentes quemadmodum, divino Dionysio edocente (De Divin. nom. c. IV.), bonum oporteat esse ex integra causa ; nec bona malis permixta Deo placere, nec eleemosynas de rapina esse acceptas, nec opera pietatis quæ in divini cultus vergunt minorationem ac derogationem, et in Ecclesiæ demembrationem defunctorumque destitutionem, Deo grata consistere. Sic miseri decipiunt semetipsos.

Postremo, quinta viæ distinctio est, quod triplex est via salubris. Prima est via purgativa, secunda illuminativa, tertia unitiva seu perfectiva. De qua via triformi in præsenti opusculo tractare nostra stat sententia.

ARTICULUS II.

Qualiter Dominus noster Jesus Christus sit via purgativa, illuminativa et perfectiva.

U*NUS* est *mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* I Tim. II, 5.

Dominus Jesus Christus, qui in unitate A personæ est verus Deus et verus homo, secundum suam deitatem est finis noster, et secundum suam humanitatem est via ad (*Joann.* XIV, 6.) ultimum finem. Propter quod dixit : Ego sum via ; nemo venit ad Patrem nisi per (*Ibid.* X, 9.) me. Et alibi : Ego (inquit) sum ostium ; per me si quis introierit, salvabitur. Ipse equidem est via objectalis et exemplaris, quum sit exemplar rectissimum quod nobis proponitur imitandum, sicut in prima sua Canonica Joannes scribit apostolus : (I *Joann.* II, 6.) Qui se dicit in Christo manere, debet sicut B ille ambulavit et ipse ambulare. Unde et beatissimus princeps Apostolorum testatur (I *Petr.* II, 21.) : Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Et ipsemet Christus est locutus : (*Joann.* XII, 26.) Si quis mihi ministrat, me sequatur. Sic itaque Christus est via inter fontem beatitudinis nostræ, Deum unum ac trinum, qui est omnium summus vertex ac ultimus finis, et inter viatores mortales, videlicet homines, quos Deo reconciliavit. Propter quod Dei et hominum mediator C perhibetur.

Denique, Christus est via purgativa quadruplici ratione. Primo, quoniam suis terribilibus comminationibus, justissimis increpationibus, sanctissimis documentis a peccatis nos retrahit et emendat; ut quum (*Luc.* XIII, 3, 5.) in Evangelio ait : Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis ; et rursus : (*Matth.* X, 28.) Eum timete qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam ; (*Ibid.* XXV, 41.) itemque : Dicet Rex et his qui a sinistris erunt, Discedite a me, maledicti, in ignem D æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Secundo, quoniam suæ sanctissimæ conversationis exemplis ab immunditia culpæ nos revocavit, eripuit et purgavit. (*Joann.* VIII, 12.) Unde et ipse ait : Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Tertio, quoniam suæ salvificæ passionis virtute ac merito totum redemit genus humanum a vinculis (*Apoc.* I, 5.) peccatorum, juxta illud Apocalypsis : Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis no- (*Is.* LIII, 5.) stris in sanguine suo. Et Isaias : Ipse (inquit) vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Quarto, quoniam per sacramenta Ecclesiæ suos fideles purgat quotidie. Sacramenta namque a Christi passione purgandi ac sanctificandi vim sortiuntur, suntque vasa medicinalia quibus animarum languores curantur.

Amplius, Christus est via illuminativa. Primo, quoniam evangelicæ legis sapientia nos instruxit, ac divinorum contemplatione edocuit, juxta illud Joannis : Erat lux vera, quæ illuminat omnem ho- (*Joann.* I, 9.) minem venientem in hunc mundum. Hinc rursus in epistola sua Joannes : Scimus (I *Joann.* V, 20.) (ait) quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum. Unde et ipse loquitur Deo Patri : Manifestavi nomen tuum hominibus. Se- (*Joann.* XVII, 6.) cundo, quia a Christo tanquam a capite dona gratiæ et lumen sapientiæ descendunt in membra ipsius, virtute ac merito suæ sacratissimæ in hoc sæculo vitæ ac passionis, quæ totæ nobis fuerunt meritoriæ. Idcirco apud Joannem habetur : Gratia et veritas per Jesum Christum fa- (*Ibid.* I, 17, 16.) cta est, et de plenitudine ejus omnes accepimus.

Insuper, Christus est via perfectiva. Primo, quoniam legem totius perfectionis plenitudinem continentem donavit, perfectam caritatem præcepit, omniumque consummationem virtutum monstravit. Ipse quippe est Legifer summus, in cujus lege omne malum abigitur, omne bonum docetur. De quo illud in Job verissime perhibetur : Ecce Deus excelsus in fortitudine, et nul- (*Job* XXXVI, 22.) lus ei similis in legislatoribus. Nimirum qui Deum toto corde, tota mente, tota ani- (*Luc.* X, 27.) ma totisque viribus docuit et præcepit esse amandum, nec solum amicos, sed etiam inimicos diligi jussit ; et inter cetera quo- (*Matth.* V, 44.) que dixit : Estote perfecti, sicut et Pater (*Ibid.* 48.) vester cœlestis perfectus est. Secundo, quoniam veram ac plenam nobis beatitudinem meruit, et ultimo fini immediate nos jungit. Propterea dicit : Ego vitam (*Joann.* X, 28.) æternam do eis. Et rursus ait ad Patrem :

Joann. xvii, 24. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum A ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam. Tertio, quia præceptis Decalogi evangelica adjecit consilia, per quæ obtinetur caritas ardentissima, puritas summa, perfectio vera, et futuræ beatitudini in hac vita quantum possibile est propinquatur. Quarto, quoniam caritatem et omnem virtutem perfectissime adimplevit, *Ibid.* xv, 13. prout ipse protestatur : Majorem hac caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Quinto, quoniam tam ardentissime nos amando et tanta pro nostra B salute agendo ac sustinendo, ad sui amorem atque divinæ caritatis fervorem nos maxime provocavit, et quantum in ipso est inflammavit. Quod perpendens *Galat.* ii, 20. Apostolus : In fide (inquit) vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Hinc lex evangelica dicitur lex amoris.

Itaque Christus est via purgativa in *Luc.* xix, 10. quantum salvator, juxta illud : Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. Sicque competit ei hoc no- C men, Jesus, angelo ad Joseph loquente : *Matth.* i, 21. Vocabis nomen ejus Jesum ; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Est autem Christus via illuminativa in quantum magister ac doctor, prout de *Ibid.* xxiii, 8, 10. se ipso in Evangelio fassus est : Unus est magister vester, Christus ; et item : *Joann.* xiii, 13. Vos vocatis me Magister et Domine ; et bene dicitis, sum etenim. Sicque merito Consiliarius appellatur, prout prophetico hoc *Is.* ix, 6. prædictum est præsagio : Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius. Ipse demum D est via perfectiva in quantum sacerdos et pontifex ardentissimusque amator. De quo in prima sua ait Canonica summus Apo- I *Petr.* ii, 25. stolus : Conversi estis ad pastorem et episcopum animarum vestrarum. Ordo autem pontificalis præsertim est perfectivus, ut De Eccl. hier. c. v. magnus theologorum princeps Dionysius *Is.* ix, 6. loquitur. Sicque competit Christo ut Pater futuri sæculi et Princeps pacis vocetur, quemadmodum apud Isaiam legitur prophetatum.

ARTICULUS III.

Quid sit via purgativa formalis.

P*ER unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* Rom. v, 12.

Quemadmodum sacra docet Scriptura, Deus ab initio fecit hominem rectum, quia *Eccle.* vii, 30. hominem protoplastum in originali creavit justitia, per quam caro spiritui, sensitiva pars rationi, et ratio Deo in omnibus prompte et absque renisu fuit subjecta. Sed primo parente divinum transgrediente præceptum, caro spiritui mox cœpit esse rebellis, et sensualitas rationi, ac ratio Deo. Hinc omnes in originali nascuntur peccato, et fomes peccati manet in nobis, et caro contra spiritum concupiscit, et *Galat.* v, 17. vulneratæ sunt ratio ac voluntas, atque ad omne malum sumus proclives, ad resistendum quoque infirmi. Indigemus ergo in primis ut in via nos purgativa exerceamus, quatenus a cunctis vitiis expurgemur præteritis, et innumerabilia undique vitemus peccata, atque a vitiorum reliquiis emundemur, utputa a pronitate et inclinatione ad culpas, sicque ad originalis justitiæ redeamus conformitatem.

Est igitur via purgativa exercitium et conatus seu occupatio qua tanquam per iter ac medium ad vitiorum expulsionem, ad passionum et concupiscentiarum refrenationem, ad omnium affectionum animæ reformationem, ad cordium sensuumque custodiam ac omnium evitationem culparum tendimus ac conamur. Hoc est plane non conformari huic sæculo nequam, exu- *Rom.* xii, 2. ere veterem hominem atque in interiori *Coloss.* iii, 9; *Rom.* xii, 2. homine reformari, corpus castigare et in spiritus servitutem redigere, actibus quo- I *Cor.* ix, 27. que pœnitentiæ digne insistere, sicque *Act.* xxvi, 20. animæ expurgationi ac puritati invigilare, intendere, immorari. Nempe, quum Dominus Deus noster sit essentialiter sanctus et interminabiliter purus, bonus, verus ac sapiens, animam puram ac virtuosam et sapientem requirit, amat, amplectitur; nec

quidquam ab eo nos separat et ab ejus A
gratiis impedit nisi peccatum, per quod Creatori nostro dissimiles odibilesque efficimur. Hinc igitur in primis a peccatis emundari et ea semper vitare oportet,
Is. xxvii, 9. sicuti testatur Isaias : Hic est omnis fructus, ut auferatur peccatum ; et Sapiens :
Sap. xiv, 9. Odio sunt Deo impius et impietas ejus.
Ps. v, 7. Unde Psalmographus : Odisti (inquit) omnes qui operantur iniquitatem. Et denuo ait
Sap. vii, 28. Scriptura : Neminem diligit Deus nisi qui cum sapientia inhabitat.

Verumtamen, quia quotidie, heu ! pec- B
Jacob. iii, 2. camus, et in multis offendimus omnes
Prov. xxiv, 16. (nam et justus septies cadit), propter quod
Is. lxiv, 6. revera universæ justitiæ nostræ tanquam pannus sunt menstruatæ ; hinc quotidie in via hac purgativa nos exercere debemus, quemadmodum in Ecclesiastico legitur :
Eccli. xxi, 1. Fili, peccasti ? ne adjicias iterum ; sed et de præteritis deprecare ut tibi remittantur. Nunc igitur practica hujus viæ breviter est tangenda.

ARTICULUS IV.

Qualiter in via purgativa debeamus nos quotidie exercere.

L*AVAMINI, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, discite benefacere, dicit Dominus.* Is. i, 16-18.

In omni peccato inveniuntur plerumque duo. Primum est mentis aversio a summo et invariabili bono, Deo altissimo et immenso. Secundum est conversio mentis ad D
bona creata, caduca, vana, fœda ac vilia. Ratione primi peccator Deum maxime inhonorat ac parvi pendit, cui tam vana ac vilia præponere ac præeligere non veretur ; ratione secundi inordinate atque illicite delectatur in rebus creatis ac vanis. Et ratione utriusque debetur homini pœna pro culpa sua : nam ratione aversionis suæ a Deo debetur ei pœna damni, videlicet divinæ ac beatificæ visionis carentia ; ratione vero secundi debetur eidem pœna sensus, hoc est infernalis incendii cruciatus.

Hinc volens in via purgativa se exercere, veraciter pœnitere atque purgari et a vitiis præservari, tria per ordinem facere debet. Primo etenim, pro Dei contemptu et parvipensione, debet se ipsum summe ac profundissime humiliare, dejicere, aspernari, omnique confusione ac pœna dignissimum arbitrari, et tanto plus, quanto omnipotentem et incomparabilem Dominum majestatis gravius frequentiusque offendit ; Deum quoque toto corde debet extollere ac laudare. Secundo, pro sua libidinosa ac vitiosa delectatione quam habuit in peccando, debet præcordialem dolorem ac veram, condignam ac proportionatam contritionem assumere, ut quo enormiora ac plura fuerint ipsius peccata, eo intensior contritio sit atque præcordialior dolor : quia, ut fatetur S. Hieronymus, oportet ut contritio peccatum adæquet seu ei proportionetur, quatenus magnitudini multitudinique culparum correspondeat
C magnitudo doloris, ac per hoc tanto intensior habeatur dolor de peccato quam de quocumque corporali damno temporalique nocumento, quanto malum culpæ majus est malo pœnæ, et quanto damnabilius est ac infelicius bonum increatum immensum quam temporalia amisisse, quanto item deterius est animam vulnerasse et pœnam æternam promeruisse, quam corporale damnum sive incommodum incurrisse : quod non est absolute incommodum, si sapienter attendatur aut æquanimiter toleretur, imo tunc spiritualiter ac multipliciter prodest. Tertio, pro pœnis quæ suis debentur peccatis, se ipsum spontanea pœnitudine castiget, et corripi ac corrigi humiliter sinat, atque ad sui arbitrium confessoris ac judicis satisfacere non omittat.

Itaque volens purgari, Deo reconciliari, placere, uniri, ponat se quotidie bis aut ter dum amplius sibi vacat, præsertim sero aut nocte, coram Judice summo in loco secreto et quieto ; et se ipsum discutiens, ac mala præterita ad memoriam revocans,

Deum cum profunda humilitate, cordiali contritione et vera ad satisfaciendum promptitudine alloquatur, sic dicendo aut meditando :

Omnipotens et æterne ac benignissime Deus, misericordissime Domine Jesu Christe, Creator meus et Redemptor animæ meæ, ecce ego sum impiissimus, vilissimus ac nequissimus ille peccator, totus abominabilis, contemptibilis atque miserrimus, omni bruto vilior ac deterior peccando effectus, qui tam enormiter ac frequenter, tam audacter et impudenter tuam majestatem atque præsentiam inhonoravi, tuam sanctitatem offendi, tuam bonitatem, caritatem et pietatem contempsi, tua præcepta transgressus sum, tuis donis abusus sum, tuis beneficiis ingratissimus fui. A te Deo meo, Deo totius salutis meæ, cor meum averti, et quotidie tam sum culpabilis negligensque. Illa et illa peccata commisi, et tot bona omisi.

Tunc specialiter recordetur, penset ac ponderet aliqua sua peccata graviora, et quædam etiam quotidiana, et dicat : O Salvator et miserator piissime, tu scis quam enormiter in hoc et in hoc tuam sanctitatem offendi. Et si in peccatis excessit carnalibus, illorum recordationi non diu immoretur, ne aliqua sibi tentatio, titillatio aut delectatio inde nascatur. Sicque ad cujuslibet peccati recordationem specialiter atque pro omnibus generaliter intime doleat, gemat, suspiret ; pectusque suum cum publicano percutiens, et præ verecundia ac rubore turpitudinis ac malitiæ vitiorum suorum oculos ad cœlum levare non audens, dicat ex corde istud cum Esdra : Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates meæ multiplicatæ sunt super caput meum, et delicta mea creverunt usque ad cœlum; et illud : Deus, propitius esto mihi peccatori ; itemque : Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me. Interea, peccata sua recogitando modo prætacto, consideret diligenter cir- A cumstantias et omnia ex quibus gravantur peccata, videlicet locum, tempus, modum, frequentiam, et si fuit in sacris, beneficiatus, aut litteratus, seu aliis præsidens, seu ex proposito et certa scientia peccans.

Luc. xviii, 13.

I Esdr. ix, 6.

Luc. xviii, 13. Ps. xxxvii, 5.

Denique his peractis, genua flectens aut toto corpore se in terram prosternens, manibus simul junctis aut in formam crucis extentis, oret pro plena remissione his aut consimilibus verbis : O misericordissime Deus, summe amabilis, præstantissime ac super omnia desiderabilissime B Domine Jesu Christe, propter infinitam bonitatem, caritatem et misericordiam tuam, per omnia quæ pro mea salute assumpsisti, egisti ac passus es, per tuam benedictam incarnationem, sanctissimam in hoc mundo conversationem, amarissimam passionem, per tuam carissimam Genitricem, dulcissimam ac benignissimam virginem Mariam, per omnium Sanctorum ac devotorum preces ac merita, ignosce mihi gravissimo atque vilissimo peccatori, et gratiam tuam piissimam mihi infunde, per C quam deinceps omnia peccata devitem, timorate et virtuose me coram te habeam, neque deinceps mentem meam miserrimam a te Deo meo avertam.

Præterea, ut peccator in se ipso contritionem et compunctionem accendat validius, potest sibi manus suas instar furis ligare, seu eas in dorsum reflectere, et coram Altissimo sic stando dicere : Ecce, o Deus gloriosissime, Judex æterne ac metuende, ego sum ille pessimus latro et injustissimus fur, qui toties peccando et D alios scandalizando propriam animam aliorumque animas interemi, et eas tibi Creatori ac Salvatori suo nefarie abstuli atque dæmonibus tradidi ; sicque fructum passionis et sanguinis tui, quantum in me fuerat, impedivi, ac superbiendo gloriam et honorem quæ tibi soli debentur, sacrilege usurpavi, et super arenam peccavi. Et ista dicendo ex præcordiis doleat, lacrimas fundat, seque non satis dolere pœniteat; pro gratia quoque condignæ contritionis divinam deprecetur clementiam. Quibus

jam completis, proponat se firmiter emendare, occasiones peccandi vitare, opportuno tempore confiteri, satisfacere, seque in omnibus custodite habere.

ARTICULUS V.

De prosecutione exercitii hujus; et de vigilanti consideratione beneficiorum Dei generalium ac specialium.

CUSTODI *temetipsum et animam tuam sollicite; ne obliviscaris verborum* Domini *cunctis diebus vitæ tuæ.* Deut. IV, 9.

Quoniam vulnera repetita sunt graviora, et post indultam veniam recidivare, majoris perversitatis est et ingratitudinis; idcirco non sufficit se modo præfato accusare, exercere, veniam gratiamque postulare, nisi post illa sit homo jugiter custoditus et indefesse sollicitus ne Dominum majestatis rursus offendat. Propterea est necesse ut Omnipotentis præsentiam et ejus districtum judicium incessabiliter penset, interiores et exteriores suos custodiat sensus, verba vitet illicita, motus passionum refrenet, neminem scandalizare et omnes ædificare conetur, opusque Dei faciat reverenter, quum sit maledictus qui facit hoc negligenter; in cibo, potu, somno, vestitu sit moderatus, atque in cunctis sit recta ejus intentio. In his atque similibus ad suam vocationem spectantibus, et quæ Deus ab ipso requirit, se habeat perseveranter, fructuose ac strenue. Et quia in Dei itinere non proficere, est deficere, studeat omni die in virtutibus crescere, in gratia stabiliri, in devotione firmari. Quod si ad modicum tempus sic egerit, magnum indubitanter experietur profectum, tranquillitatem atque dulcedinem mentis (vel nonnunquam certe) in Deo. Sed quia hæc adimplere non est fragilitatis humanæ, idcirco Dei auxilium invocare non cesset, atque ad resistendum omni tentationi sit semper paratus.

Jer. XLVIII, 10.

Præterea, quoniam diligens consideratio A beneficiorum Dei non solum caritatem excitat, auget, accendit, sed desperationem quoque repellit ac præstat fiduciam, et ad cordialem vitiorum detestationem inducit, ea etiam facit amplius ponderare, eorumque gravitatem clarius intueri; ideo, ut peccator excessuum suorum enormitatem acutius cernat ac penetret, detestetur et odiat, nec tamen desperet, sed respiret atque confidat in Domino, expedit valde ut beneficia Dei corporalia ac spiritualia, naturalia et supernaturalia, generalia et B specialia, vivaciter recordetur, ac Dominum taliter alloquatur:

O summe et gratiosissime ac superdulcissime Deus, quid tibi retribuam pro omnibus quæ mihi ingratissimo contulisti? Tu enim ex nihilo me plasmasti; non lapidem aut bestiam, sed rationalem me creaturam fecisti, tua imagine et similitudine me consignans; ad Baptismi gratiam me perduxisti, in quo animam meam non solum ab originali mundasti peccato, sed gratia ac virtutibus etiam eam ornasti. Tu C usque in præsens me conservasti in esse, et contulisti necessaria vitæ, atque a plurimis præservasti periculis; meque tam diu in meis sustinuisti criminibus, et quotiescumque pœnitens veniam postulavi, tu misericordissime indulsisti, et semper bona pro malis retribuisti. Quumque complures jam æterna damnatione percusseris qui multo minus peccaverunt quam indignissimus ego, et qui minora quam ego dona susceperunt a te, mihi tamen pepercisti hucusque, et post tot ac tanta D facinora me ad gratiam, pœnitentiam et illuminationem hanc perduxisti, sacris litteris instruxisti, donaque varia mihi contulisti. Insuper tu, Pater æterne, unigenitum Filium tuum pro mea salute misisti in mundum; incarnari, inter homines conversari, prædicare ac crucifigi hunc voluisti; ejus pretiosissimo corpore et sanguine nos reficis incessanter; sed et Spiritum Sanctum fidelibus infudisti ac contulisti. Tu quoque, Unigenite Patris æterni, tot et tanta pro nostri salvatione

assumere, operari ac pati dignatus es, et te ipsum in Sacramento nobis ita impendis, atque per angelos sanctos et homines præsidentes, tuos vicarios, nos semper custodis et a multis ac magnis retrahis vitiis. Sed, o benignissime Deus, quanto major est dilectio, dignatio, beneficentia tua circa me, tanto, heu! ingratitudo mea est gravior, et pravitas mea inexcusabilior atque deterior. Verumtamen, quoniam tantum nos dilexisti, tanta pro nobis fecisti ac tolerasti, tam clementissime nos prævenisti, tam diu in vitiis sustinuisti, nuncque ad istam me recognitionem ac pœnitentiam ex tua pietate immensa duxisti, desperare nec possum nec audeo : præsertim quoniam tu ipse desperationem vehementissime prohibuisti, et qui desperat, tuæ bonitati ac pietati incircumscriptibili maxime derogat, quum ipsa in infinitum sit major quam omnis malitia, culpa ingratitudoque nostra. Quamvis ergo, o Deus sanctissime, tam dire peccaverim, ut omnium creaturarum tuarum usu et obsequio sim indignus, imo hoc millies promeruerim, ut cuncta adversum me creata consurgant, et sui in me Creatoris ulciscantur injuriam ; non tamen despero nec desperabo, sed in tua pietate et miseratione infinita respiro, in tuæ benignitatis abyssum me modo projicio, in Christi vulneribus me ab ira tua abscondo, per omnia quæ ipse pro me egit ac pertulit, misericordiam et salutem consequi obsecro, tibi posthac inavertibiliter adhærere, subdi, servire propono.

ARTICULUS VI.

De frequenti et affectuosa meditatione dominicæ passionis, et quibusdam generalibus remediis atque auxiliis contra tentationes et vitia.

M*EMORIA memor ero, et tabescet in me anima mea.* Thren. III, 20.

Sicut philosophi dicunt, ex actibus sæpe iteratis generatur habitus seu consuetudo, A quæ est velut altera natura, quia per eam homo promptissime atque delectabiliter operatur. Ut ergo semper habeamus ad manum de Christi passione promptissime meditari, eam quoque oculis cordis amorose, fructuose efficaciterque inspicere, assuescamus eam quotidie diligenter ac plene recolere, ac taliter imaginari quasi realiter et præsentialiter Christum pro nobis pati, crucifigi ac mori intueamur, ut sic eam cum intima recordemur compassione.

B Itaque attendamus quemadmodum Filius Dei, Agnus mitissimus, Deus et homo, Creator, Salvator et amator nostri, post cœnam novissimam, et trinam suam orationem, ac maximam contristationem et tremefactionem atque sudorem sanguineum, a crudelissimis, impiissimis ac vilissimis illis satellitibus est captus, ligatus, impulsus, distractus, et ad domum Annæ et Caiphæ ductus, et ibidem morti addictus, ac oculis velatus, consputus, percussus, blasphematus ; deinde tanquam C latro præsidi impio vinculis constrictus præsentatus, falsissime accusatus, ad Herodem missus, ab illo alba veste illusus, præsidique remissus, nudatus, columnæ alligatus, flagellisque laceratus, spinis coronatus, arundine cæsus, purpura quoque irrisus, ac rursus consputus, blasphematus, et sacro vultu beato cruore perfusus ; post hæc morti turpissimæ adjudicatus, et ad eam propriis humeris crucem bajulans ductus, cruci affixus, inter latrones suspensus, per manus ac pedes diris clavis D perfossus, aceto et felle potatus, lancea perforatus, suæ dulcissimæ Matri ineffabiliter nimis compassus, acerbissima et ignominiosissima morte occisus.

Marc. XIV, 17 et seq., 32 et seq. *Luc.* XXII, 44. *Joann.* XVIII, 12-24. *Marc.* XIV, 64, 65. *Matth.* XXVII, 2 et seq.; *Luc.* XXIII, 1 et seq. *Joann.* XIX, 17 et seq.

Intueamur quoque quam patientissime, mansuetissime, quam silenter, quam amorose quamque humillime omnia ista sustinuerit Dominus Jesus Christus : qui quasi ovis ductus est ad immolandum, et quasi agnus coram tondente obmutuit; qui quum malediceretur, non remaledicebat ; quum pateretur, non comminabatur.

Is. LIII, 7. I *Petr.* II, 23.

Præterea, circa hanc Christi passionem A ponderare debemus quis, qualis et quantus sit ipse qui ista perpessus est; item a quibus, et qualibus et pro quibus, et quo loco ac tempore, quo fructu et fine. Non enim quicumque, sed Unigenitus Dei, verus Deus et verus homo, Dominus virtutum, Rex gloriæ, ista pro nobis est passus, a populo utique olim peculiari, in regia urbe, in solennissimo die, coram multis millibus hominum. Quæ omnia si diligenter pensentur, non mediocriter augent compassionem, accendunt amorem, ædificant B meditantem.

Denique hæc dominicæ meditatio passionis valde justa, virtuosa atque salubris est. Primo, quoniam caritas qua Christum amare tenemur, et virtus gratitudinis, exigunt ut eorum quæ pro nobis Christus fecit ac tulit reminiscamur: alioqui siquidem inerter essemus ingrati, quum beneficiorum oblivio pars ingratitudinis dicatur maxima.

Secundo, quoniam passio Christi est velut liber conspicua relucens doctrina, in C quo universæ virtutes compendiosissime ac optime addiscuntur, videlicet: caritas summa, quia pro nobis hæc pertulit Dominus, et animam suam dedit pro ovibus suis; patientia maxima, quoniam tot et tanta ferendo, nulla inordinata tristitia, nullo dolore, nulla turbatione contra suos motus est hostes; humilitas profundissima, quod in nullo se extulit, sed corde, verbis ac moribus mansit humillimus; fortitudo firmissima, quoniam mortem suam amarissimam constanti ac solido pertulit D animo.

Joann. x, 15.

Tertio, quoniam passionis Christi memoria est contra omnes tentationes vitiorumque acies, contra vanitates et voluptates ac pompas, fortissima armatura, invictum remedium maximumque subsidium. Quis enim ita incontinens, qui Christi passionem intimo recolendo corde non se refrenet? Quis ita ambitiosus, superbus et vanus, qui ejus contumelias, injurias, blasphemias, aspernationes et profundissimam ipsius humilitatem pensando non deprimat animum? Quis tam iracundus, gulosus aut cupidus, qui Christi humilitatem, patientiam, nudationem, paupertatem, acetosam ac felleam potationem considerando non compungatur? Itaque in omni tentatione, præsertim carnali, in omni commotione iræ, superbiæ, gulæ aliorumque vitiorum, dominicam passionem cordi nostro objiciamus, imprimamus, intueamur; sicque omnes inutiles, phantasticas, vitiosas occupationes, cogitationes, affectiones, nostris a cordibus propellemus.

Sunt insuper alia contra tentationes et vitia quædam communia vigorosa remedia, utputa: fervens ac frequens oratio, juxta illud in Psalmo, Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero; quatuor quoque novissimorum meditatio cordialis, juxta illud, In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis; item, occasiones peccandi ac otia devitare, videlicet locum, tempus, munuscula, incautos adspectus, indecentes attactus, vana colloquia; diligens quoque occupatio in Scripturis, sed et invocatio Virginis gloriosæ et angeli proprii custodis, atque Sanctorum ad quos majorem quis habet dilectionem ac devotionem, multaque alia, de quibus alibi diffusius scripsi.

Ps. xvii, 4.

Eccli. vii, 40.

ARTICULUS VII.

Qualiter sacerdos ante celebrationem, in celebratione et post celebrationem habere se debeat.

LAVABO inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine. Ps. xxv, 6.

Qualis debeat esse conversatio sacerdotum evangelicæ legis, Paulus apostolus in Epistolis suis, videlicet ad Timotheum atque ad Titum, describit. Nempe quod ibi de episcopis loquitur, de sacerdotibus quoque maxima ex parte est intelligendum,

secundum omnes doctores; et de hoc in Decreto plenissime pertractatur. Imo ex Evangelio comprobatur quam sancte debeant vivere. Nempe quam virtuosa et exemplaris debeat cujuslibet Christiani consistere vita, evangelica pandit doctrina. Christianus namque a Christo nomen sortitur. Nec vere ac digne Christianus quis dicitur, nisi qui Christi vestigia sequitur, discens a Salvatore quia mitis est et humilis corde; qui amicos inimicosque diligit; qui omne mortale fugit peccatum, et universa Dei atque Ecclesiæ implet præcepta; qui habens victum et quibus tegatur, contentus est; qui conversus ut parvulus factus est, simplex, pius, justus et innocens, superfluitatem, pompam et vanitatem in vestitu, apparatu ac ceteris vitans, castus, sobrius, hospitalis.

Decret. p. I, dist. 25 et s.

Matth. XI, 29.

I *Tim.* VI, 8.

Matth. XVIII, 3.

Porro sacerdotes præ vulgo tanto laudatioris et exemplarioris vitæ esse tenentur, quanto in sublimiori sunt gradu ac ordine. Et quoniam superdignissimum Eucharistiæ sacramentum quotidie conficiunt, tractant, offerunt, sumunt, oportet eos omnino puræ ac divinæ consistere vitæ, ut spiritualis ardore amoris sint pleni, et circa divinissimum Sacramentum prorsus intenti, ne pollutis id manibus tractent, nec ore accipiant inquinato, populo quoque nequaquam præbeant occasionem minus digne se habendi ad supernaturalissimum Sacramentum angelicis spiritibus formidandum.

Verum de ista materia tot et tanta jam in aliis scripsi opusculis, ut tædium pariat plura nunc inde conscribere. Nihilo minus, ut breviter quædam tangam, pensandum quia (ut sanctus asserit Augustinus) in omni sacrificio sunt quatuor attendenda, scilicet quis, quid, cui et quare. Sacerdos ergo, antequam ad celebrandum procedat, penset hæc quatuor. Primo, *quis* sit ipse qui celebraturus est: revera defectuosus ac fragilis homo. Idcirco conscientiam suam examinet, vitam discutiat, et quidquid in se deprehenderit culpæ, redarguat, pœniteat, veniam deprecetur, con-

Cf. t. XXXV, p. 329 et s.; 400 B et s.; 463 A et s.

A fiteatur, satisfacere ac emendare integro corde proponat. Secundo perpendat *quid* sit quod consecrare ac immolare proponit: profecto corpus et sanguinem Salvatoris. Ergo totum Christum, Deum ac hominem, offerre proponit. Ex tanta igitur hujus incomparabilis sacramenti dignitate ac reverentia considerata totus in se contremiscat, imperfectionem indignitatemque propriam fateatur, et non nisi cum ingenti præparatione, profunda humilitate, reverentiali timore, interna puritate et fervida dilectione accedat. Tertio penset *cui* offert: nimirum Deo Patri altissimo, quem cœlum, terra pontusque contremunt, quem et angelicæ mentes et universi Sanctorum exercitus perhorrescunt. Non igitur tam infinitæ excellentiæ Regi ac Domino omnipotenti se præsentare, adstare, sacrificare, ejusque Filium unicum ac dilectum offerre præsumat corde intimorato, impuro, carnali ac frigido. Quarto perpendat *quare* sacramentum hoc offert. Est namque duplex intentio officii Missæ. Una generalis ipsius Ecclesiæ: et ita sacramentum istud offertur primo et maxime pro communi bono totius Ecclesiæ militantis, et ceteris, prout in Canone continetur. Alia est intentio propria celebrantis, qui pro diversis personis et causis celebrat atque sacrificat: qui etiam ardentem debet habere affectum, ut exaudiatur pro omnibus pro quibus orat ac celebrat. Sic ergo ad celebrationem se debet disponere.

B

C

Porro in ipso celebrationis officio habere se debet valde recollecte, devote ac fervide, singula verba distincte proferendo, sensum sapienter ac affectuose pensando, Sacramenti dignitatem et Patris æterni incircumscriptibilem majestatem sinceriter contemplando, ut sic ejus oratio tanquam incensum dirigatur in conspectu divino. *Ps.* CXL, 2.

D

At vero post celebrationem devotissime gratias agat Deo, orationibus, psalmis ac meditationibus sanctis insistat saltem ad tempus, totaque die decenter, timorate, custodite, exemplariter ac sincere se ha-

beat, atque hoc modo tota conversatio sacerdotis sit una continua ad celebrandum præparatio salutaris; nec unquam vanitati, voluptati, iniquitati consentiat; neque per os ejus, quo sacratissima protulit verba ac venerandissimum sumpsit Sacramentum, inania, infructuosa, illicita unquam profluant verba.

Sed, proh dolor! multi sunt sacerdotes qui etsi in principio aliquantulum sint devoti, tamen tempore procedente, quo frequentius celebrant, eo quid agant minus perpendunt, et frigidiores tepidioresque fiunt; atque ex arido quodam usu sine contritione interna confitentur, et sine præparatione condigna, imo absque fervore et puritate, absque reverentia et timore accedunt et celebrant. O quanta est horum impietas, quanta impudentia et insipientia, quanta ingratitudo ac cæcitas! Quam item intolerabilis et immensa erit eorum damnatio!

Tu autem, carissime Christi sacerdos, nunquam hujusmodi fias, sed quanto frequentius, tanto ferventius, tanto devotius ac fructuosius confitearis ac celebres: quatenus tanti sacramenti gratiis, virtutibus atque effectibus quotidie copiosius implearis, et omni ejus spirituali pinguedine mentaliter dilateris, omnipotentique Domino ac munificentissimo Salvatori quotidie magis gratus efficiaris; nec tepidorum frangaris exemplis, sed sacris semper occupationibus, quantum tibi possibile est, sis intentus, in cibo, potu, vestitu, somno, colloquio moderatus, verbis et factis omnibus exemplaris.

ARTICULUS VIII.

Quid sit via illuminativa.

ACCEDITE *ad eum et illuminamini.* Ps. xxxiii, 6.

Is. lix, 2. Quum solæ iniquitates inter Deum et rationalem dividant creaturam, et charismata Spiritus Sancti suspendant ab ea; idcirco anima a vitiis emundata, a passio-

A num immoderantiis reformata, a peccatorum reliquiis (quæ sunt pronitas et grandis inclinatio ad peccandum) defæcata, ipsa mox capax est illustrationis supernæ, apta est radium sapientiæ salutaris suscipere, fulgore contemplationis perfundi, ad æternorum ac divinorum speculamina elevari. Itaque, quum juxta formam præscriptam art. iv et s. se exercitaverit homo in via purgativa, viam illuminativam protinus ingredi debet, et exerceri ac proficisci in ea.

Porro via illuminativa est studium seu B occupatio mentis circa contemplanda sublimia Dei, præsertim in contemplatione superbeatissimæ Trinitatis ac simplicissimæ et superpulcherrimæ Deitatis, deinde in speculatione bonorum cœlestium et supernaturalium veritatum fidei christianæ ac spiritualium rerum. Quum etenim in clara et immediata per speciem horum contemplatione tota consistat nostra felicitas, profectus noster hic est, ut contemplationi illi tam beatificæ ac perfectæ nunc quotidie propinquemus, proficiendo C in fidei illustratione, in dono sapientiæ, in summæ et increatæ Veritatis ac divinorum cognitione.

Denique, quum Deus, cujus opulentiæ ac munificentiæ nullus est finis, sit essentialiter sapientia infinita et lux supersplendidissima, prorsus incircumscripta; quum videt animam modo prætacto purgatam, humilitate, patientia, mansuetudine, castitate, justitia, ceteris quoque virtutibus moralibus informatam, veritatisque avidam et fonti sapientiæ inhiantem, ac
D desuper illustrari affectantem, mox vul- *Ps.* lxvi, 2.
tum suum super eam illuminat, sapientiæ radio eam clarificat, se ipsum ei præ solito
clarius gratiosiusque ostendens, atque in- *Ps.* l, 8.
certa et occulta sapientiæ suæ ei propalans, ita ut ea quæ fidei sunt, rationesque credendorum et nexum ac ordinem credibilium subtiliter speculetur; ita ut
lætabunda ac grata mente decantet: Be- *Ps.* xv, 7.
nedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum. Quod quam desiderabile sit ac
præclarum, fatetur Propheta, dicens: Bea- *Ps.* xciii, 12.

tus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. Unde et S. Joannes apostolus in prima sua epistola scribit purgatis hujusmodi fidelibus : Unctio ejus docet vos de omnibus. (I Joann II, 27.)

ARTICULUS IX.

Qualiter in via illuminativa exercitare se debeat homo.

Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter ; et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Jacob. I, 5, 6.

Doctrina Philosophi est, quod actus activorum sint in patiente disposito ; et item, quod unicuique competat agere secundum modum suæ naturæ atque potentiæ ; rursus, quod sicut se habet visus vespertilionis ad lumen solis, sic intellectus humanus ad intuitum divinorum, videlicet immaterialium substantiarum, et maxime supersimplicissimi et prorsus incomprehensibilis Dei.

Hinc et sacra Scriptura ab immoderato, incauto et præsumptuoso divinorum scrutinio atque intuitu nos coercet, per Salomonem dicens : Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum ; sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. (Prov. XXV, 27.) Et in Ecclesiastico quoque legitur : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris ; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. (Eccli. III, 22.) Verumtamen est quædam divinorum perscrutatio studiosa, moderata, humilis, atque auxilio gratiæ Dei innitens : quæ laudabilis est. De qua ait vir sanctus : Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea ; (Ps. CXVIII, 129.) et denuo : Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam ; (Ibid. 34.) et iterum : Beati qui scrutantur testimonia ejus. (Ibid. 2.) Itaque, sicut (teste Scriptura) dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem ; (Eccle. XI, 7.) nihilo minus figenti oculum immoderate in solem visus obtunditur, reverberatur ac læditur : sic dulcis est Veritas summa, et jucundum contemplari æternum totius luminis fontem ; verumtamen immoderate, intimorate, irreverenter contemplari, scrutari, penetrare præsumens, gravius excæcatur, dejicitur, vulneratur. Sic itaque contemplari conemur, ut a veritate Scripturæ, a doctrina Ecclesiæ nullatenus discedamus. Quod non observantes hæresiarchæ pravissimi, erraverunt, et alios in errorem miserunt.

Hinc, juxta præhabita, exercitium viæ illuminativæ præcedere debet exercitatio purgativæ ; (art. præced.) atque, ut illustrissimus pater ac doctor noster Joannes Cassianus testatur, actualis et ethica seu moralis scientia, (Collation. Patr. collat. XIV, c. 2.) quæ circa passionum refrenationem versatur, theoricam, id est sapientialem divinorum contemplationem, debet præire.

Volens ergo in via illuminativa se exercere, ab humilitate incipiat, ita ut de propriis viribus, de naturali ingenio, de acquisita scientia non præsumat, sed in Domino sit spes ejus, et ejus subsidio innitatur, quemadmodum per Isaiam edocetur : Quis ambulavit in tenebris, et non est lumen ei ? (Is. L, 10.) Speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum. Deinde ab exterioribus abstrahat mentem suam, et eam recolligat, ejus dispersiones ac evagationes abjiciendo. Sicque, juxta divini Dionysii documentum, (Epist. IX, ad Titum.) se convertat ad radium, supernam illustrationem optando, et pro ea orando, seque ad Dei considerationem aut contemplationem pro viribus elevando. Et tunc Deus sublimis, qui sapientiæ dux est et princeps totius illuminationis, videns diligentiam hominis fidelem ac pium ejus conatum, manum applicabit ac porriget adjutricem, mentem per donum sapientiæ illustrando, prout Isaias asserit : Requiem dabit tibi Dominus, (Is. LVIII, 11.) et implebit splendoribus animam tuam. Ipse enim est sol sapientiæ ac intelligentiæ : quo in anima resplendente ac radiante, omnia mox clarescunt, venustantur, tranquillantur et exhilarantur in ea ; sicque Creatoris sui majestatem immensam, pulchritudinem infinitam, sapientiam, omnipotentiam, atque beatitudinem, perfectionem et emi-

nentiam prorsus interminabilem incipit A intueri ac vehementissime admirari, jucunde conspicere, ferventer diligere, eique intime congaudere, et in ea ad horam quiescere.

ARTICULUS X.

Quid sit contemplatio, et de speciebus ipsius.

ECCE Deus magnus, vincens scientiam nostram. Ideo timebunt eum viri, et B *non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.* Job XXXVI, 26; XXXVII, 24.

Quemadmodum libro de Civitate Dei B. Augustinus frequenter fatetur, intellectus est suprema vis animæ. Idcirco in in prooemio. ejus actu beatitudo est sita, sicut jam ante Joann. XVII, 3. ex verbis patuit Christi, dicentis : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum. Quod etiam decimo Ethicorum probat Philosophus. Nec tamen in quocumque intellectus actu consistit felicitas, sed (ut Aristoteles loquitur) in optima speculatione C optimi spectabilis collocatur. Nam, teste eodem, beatitudo est optima actio optimæ potentiæ in optimo objecto, quod Deus est.

Hinc contemplatio rite sic definitur : *Contemplatio est summæ Deitatis atque effectuum ejus affectuosa, prompta et sincera cognitio.* Nam primo ac principaliter circa Deum versatur; secundario circa creata, per respectum eorum ad Deum, videlicet prout ab eo fontaliter profluunt, D gubernantur, atque ad ipsum finaliter ordinantur : quia sic Deus est finis et ratio considerationis eorum, et quidquid in eis consideratur et de eis cognoscitur, ad Omnipotentis notitiam et amorem, gloriam et honorem refertur, qui fabricam universi idcirco tam venustissime decoravit, tam sapienter distinxit, tam ineffabiliter ordinavit, tamque mirande in nihilo statuit ac firmavit, tanta magnitudine, multitudine et virtute complevit mirifice, ut sua in eis bonitas, sapientia et potestas resplendeant, honorentur, laudentur, formidentur ac diligantur. Hinc scriptum est : Universa propter se ipsum operatus est Dominus. Et Prov. XVI, 4. iterum Salomon : Omnia (inquit) fecit Deus Eccle. III, 14. ut timeatur. Sapiens quoque alius : A magnitudine (ait) speciei et creaturæ poterit Sap. XIII, 5. Creator horum cognoscibiliter videri. Et Isaias hortatur : Levate in excelsum oculos Is. XL, 26. vestros, et videte quis creavit hæc.

Denique, contemplatio ista actus est doni sapientiæ quæ inter septem dona Spiritus Sancti sortitur primatum; nec potest esse informis, quum sit affectiva et saporosa divinorum notitia caritati inseparabiliter juncta. Nec proprie contemplatio actus est sapientiæ qualiscumque, sed ejus quæ perfectionem quamdam includit, quæ prompte ac libere procedit in actum. Ideo dictum est, quod contemplatio est « prompta » ac facilis divinorum agnitio, quæ instar ignis celerrime fertur in altum, et transcensis creatis pertingit ad Deum. Propterea ait Richardus : Contemplatio volatu libero quocumque eam fert Spiritus mira agilitate circumfertur. Contemplationem quoque definiens : Contemplatio, inquit, est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa. Unde et Hugo de S. Victore sic eam definit : Contemplatio est perspicax et liber animi contuitus in res perspiciendas usquequaque diffusus. Postremo, contemplatio debet esse « sincera cognitio », ne errori, passioni aut culpæ mixta fœdetur, sed certitudine ac splendore veritatis valletur.

Præterea, hujus contemplationis ponit S. Bernardus quatuor species. Prima est admiratio majestatis : dum scilicet in contemplatione divinæ et increatæ sublimitatis et in contuitu incomprehensibilitatis divinæ substantiæ mens ipsa cum admiratione intenta est et suspensa. Secunda est consideratio judiciorum Dei. In quorum consideratione dum se homo deficere cernit, cum Apostolo vociferatur : O altitudo Rom. XI, 33. divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam

incomprehensibilia sunt judicia ejus! Tertia est inspectio beneficiorum Dei. Quarta, consideratio est promissorum ipsius, quæ
I Cor. II, 9. nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.

ARTICULUS XI.

De alia assignatione ac declaratione specierum contemplationis.

P*ATER gloriæ det vobis spiritum sapientiæ in agnitione ejus.* Ephes. I, 17.

Quamvis species contemplationis a diversis diversimode assignentur, ista tamen quam modo inducam, rationabilior convenientiorque videtur.

Itaque prima species contemplationis est supernaturalis contemplatio adorandæ atque altissimæ Trinitatis. Cujus contemplationem supernaturalem appello, quia ex naturali ratione trinitas personarum in Deo nunquam hominibus patuit, sed ex divina revelatione primo innotuit. Ad hanc itaque contemplationis speciem pertinet intueri quemadmodum in vero ac simplici Deo sit æterna, immaterialis, invariabilis, actualissima ac superpurissima generatio, utputa emanatio Verbi æterni a Patre summo : qui se ipsum perfecte æternaliterque cognoscens ac intuens, sui ipsius conceptum et Verbum internum in se profert ac gignit. Quod namque in se et de se cognoscit ac intuetur, hoc intra se loquitur ac producit. Et quoniam unico actu intelligendi, se ipsum et omnia perfecte intelligit, idcirco una prolatione interna seu generatione mentali se ipsum et cuncta plenissime intra se exprimit, et unicum dumtaxat Verbum gignit, quod est ipsius perfecta ac naturalis imago, splendor ac Filius, omniumque creaturarum exemplar, idea et ratio, atque totius universi forma archetypa in mente divina. De quo Augustinus : Qui negat, ait, mundum archetypum, negat et Dei Filium. Hinc in Verbo isto æterno tota Patris natura resplendet,
A totaque ejus majestas ac perfectio repræsentatur in eo : idcirco vera deitas continetur atque consistit in eo. Unde quintodecimo de Trinitate asserit Augustinus : Pater tanquam se ipsum dicens, genuit Verbum sibi æquale. Amplius, ad hanc contemplationis speciem pertinet intueri quemadmodum Pater et Filius se invicem intuentes, volentes, ac mutuo incomprehensibiliter ac supersuavissime complacentes, producunt et intra se spirant unum increatum, plenum ac infinitum amorem
B propriæ amabilitati proportionatum, qui est amor et nexus osculumque amborum. Quemadmodum enim verbum est emanatio intellectus, sic amor est emanatio voluntatis. Rursus spectat ad hanc speciem contemplari quam vere superbeatissima ac superdeliciosissima hujus altissimæ Trinitatis sit vita : quemadmodum hæ supervenerabiles, supersublimes ac supersanctæ Personæ se mutuo intueantur intuitione penitus comprehensiva, jucundissima et æterna, se invicem quoque diligant
C amore superardentissimo et immenso, sibique mutuo perfecte ac supergaudiose complaceant, atque se invicem superfelicissime perfruantur, et qualiter sit in eis plena communio, superjucunda diffusio, consistentia supergloriosissima et æterna.

Ecce hæc omnia humiliter ac sincere, quiete et amorose sunt contemplanda, cum præcordialissima congratulatione tam infinitæ beatitudinis et excellentiæ Trinitatis superexaltatæ ac adorandæ.

Præterea, causæ seu rationes amoris
D sunt cognitio, bonitas, similitudo, propinquitas, unio, communio, beneficentia et prævia seu alterna dilectio. Quumque omnes hæ rationes in superessentiali et consubstantiali Trinitate perfectissime prorsus consistant (siquidem unaquæque earum* *personarum
aliam quamlibet omnino perfecte ac comprehensive cognoscit; quælibet quoque earum est bonitatis immensæ; estque inter eas plena similitudo ac summa propinquitas, quia secunda earum emanat a prima, videlicet Filius a Patre, et tertia ab utra-

que, utpote Spiritus Sanctus a Patre ac A Filio; inseparabiles quoque sunt, quia consubstantiales; unaquæque alteri se totam communicat; et Filius a Patre infinitum bonum accepit, nempe plenitudinem deitatis, quemadmodum ipse protestatur, *Joann.* x, 29. Pater quod dedit mihi majus omnibus est, divina scilicet essentia, unde ibidem subjungit, *Ibid.* 30. Ego et Pater unum sumus; et hoc ipsum bonum immensum a Patre ac Filio accepit Spiritus Sanctus, Patri et Filio verissime consubstantialis, coæternus et coæqualis; unaquæque demum earum scit B se ab alia infinita dilectione amari), hinc constat quod inter eas sit prorsus superæstuantissima et immensa dilectio.

Secunda species contemplationis est veræ ac simplicissimæ Deitatis speculatio naturalis. Et hanc nomino naturalem, non quod naturalis et acquisitæ sapientiæ sit actus, aut sine caritate et gratia queat haberi, sed quoniam ea de Deo conspectat quæ per naturalem possunt rationem cognosci, ut quod Deus sit ens primum, æternum, incausatum, independens, per- C fectum, infinitum, immateriale, simplicissimum, adorandum, prima causa omnium gubernativa. Unde affirmat Apostolus: *Rom.* I, 20. Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas. Itaque ad hanc speciem pertinet contemplari quemadmodum Deus sit bonitas pura, veritas sempiterna, unitas simplicissima, purus actus, omnipotens virtus, sanctitas exemplaris, sapientia æternalis, causa et ratio omnium idealis, esse purum, in se subsistens ac separatum, uni- D versorum principium, prima omnis rectitudinis omnisque justitiæ, veritatis et virtutis regula et mensura, ens in quo est omnis nobilitas, omnis pulchritudo, omnis felicitas ac dulcedo, omnis pietas et justitia, summa caritas, plena libertas, omnisque perfectio absque omni mensura ac fine et prorsus simplicissime: ita ut omnia ista sint unum unitasque in Deo, scilicet simplicissimum ac superditissimum ejus esse, tam infinite incomprehensibiliterque perfectum, ut omnia ista in se simplicissime ac supereminentissime comprehendat. Hæc omnia de Deo excelso ac glorioso limpide, amorose et congratulatorie contemplari ad hanc secundam contemplationis speciem attinet.

Tertia contemplationis species est speculatio humanitatis Christi, utputa qualiter ipsa a Verbo æterno hypostatice sit assumpta, atque in increato esse ejus personali suppositata; et qualiter in eodem puncto quo ex purissimis Virginis gloriosæ sanguinibus corpus Christi a Spiritu Sancto formatum est, anima quoque ejus creata sit corporique unita, et utrumque simul a Verbo assumptum; quomodo item eodem momento anima Christi omni gratia, virtute, dono, fructu et beatitudinibus fuerit adimpleta ac speciosissime perornata, lumine quoque gloriæ ac beatifica visione præ omnibus Sanctis ineffabiliter decorata, impleta ac sublimata. Insuper ad hanc speciem pertinet contemplari quemadmodum ex Virgine natus sit Christus, circumcisus, adoratus a Magis, præsentatus in templo, ac cetera omnia quæ de ipso evangelica narrat historia, puta qualiter in mundo hoc in omni humilitate, paupertate, patientia, mansuetudine, caritate sit conversatus, quanta sustinuit, quomodo genus humanum redemit, quanta miracula fecit, quomodo resurrexit, apparuit et ascendit.

Quarta species contemplationis est consideratio munerum gratiæ Dei, scilicet supernaturalium ac gratuitorum beneficiorum et donorum ipsius: ut sunt virtutes infusæ, sacramenta Ecclesiæ, diversaque dona gratiæ gratum facientis ac gratiæ gratis datæ, donaque gloriæ et omnis illa beatitudo cœlestis.

Quinta species est speculatio donorum naturæ, id est naturalium omnium. Ad quam speciem spectat consideratio ordinis universi, et omnium separatarum substantiarum seu supernorum spirituum, atque cœlestium corporum ac elementorum omniumque mixtorum, potissimum hominis.

In quibus omnibus Creatoris bonitas, sapientia ac omnipotentia gloriose resplendet, et honoranda, formidabilis amabilisque monstratur.

Hæc solum brevissime tango : nam alibi, in tractatu scilicet de Contemplatione, plenius est inde conscriptum.

ARTICULUS XII.

Quid sit via unitiva seu perfectiva.

P*ATER juste, notum feci* hominibus *nomen tuum, ut dilectio* tua *in ipsis sit, et ego in ipsis.* Joann. XVII, 25, 26.

In his verbis innuit Christus cognitionem ad amorem referri, et sine eo esse informem.

art. I. Porro præinducta triplicis viæ distinctio ex verbis divini Dionysii sumpta videtur. cap. III, X. Ipse siquidem libro de Angelica hierarchia ponit tres actiones hierarchicas in angelis sanctis, videlicet purgationem, illuminationem et perfectionem. In libro quoque cap. V. Ecclesiasticæ hierarchiæ docet quemadmodum quidam ordo est purgativus, quidam illuminativus, quidam perfectivus. Atqui angeli purgari dicuntur, non utique ab immunditia culpæ, sed a hierarchicæ lucis minoratione. Illuminari quoque ac perfici asseruntur, non quod in beatifica divinæ contemplatione essentiæ crescant, aut in summi boni amore beatificam visionem consequente proficiant aut amplius inflammentur : nequaquam enim in essentiali præmio sortiuntur augmentum, sed sunt omnino quoad illud in termino. Sed in divinorum cognitione effectuum atque in dilectione illam concomitante suscipiunt incrementum, et in accidentali proficiunt præmio, et hoc usque ad finalis consummationem judicii. Sicque intelligendum est quod septimo Angelicæ hierarchiæ capitulo divinissimus ac sacratissimus Dionysius loquitur : Seraphim, inquiens, ad divini caliditatem amoris inferiores mentes angelicas quantum possibile est incen- A dunt; Cherubim quoque datæ sibi sapientiæ communione mentes cœlestes se inferiores copiose illustrant.

Porro in ecclesiastica hierarchia purgatio, illuminatio et perfectio aliter inveniuntur : quoniam viatores a culpis quotidie emundari, in Dei cognitione et ejus amore proficere indigent. Et primo quidem oportet a culpa purgari, deinde illuminari et veritatem cognoscere, tertio perfici, id est amore accendi, atque per hoc Deo nostræ salutis uniri. Verumtamen, B sicut in angelis sanctis prætacti tres actus hierarchici reipsa coincidunt (siquidem per hoc quod unus illuminat alium, a minoratione lucis purgat eumdem, et in amore ipsum succendit), sic in hominibus prædictarum trium viarum una aliam secundum aliquem gradum comprehendit atque includit : quoniam via unitiva purgativam illuminativamque præsupponit, nec sine illuminatione contingit Deo uniri, amore perfici, aut caritate affici. Conformiter via illuminativa unitivam quodammodo C comprehendit : quoniam divinorum cognitio nec contemplatio nec illuminatio proprie nuncupatur, nisi dilectionis affectu formetur ac perficiatur. Sic et via purgativa aliquid habet admixtum de via illuminativa et perfectiva : quoniam sine veræ sapientiæ directione, caritate et gratia nemo purgatur a culpa nec passiones reformat.

Itaque via perfectiva seu unitiva, est studium, occupatio seu actio ad sincerissimæ caritatis ardorem, ad Deitatis ecstati- D cum flammigerumque amorem, ad mysticæ sapientiæ æstuantissimum, quietissimum ac secretissimum tendens intuitum. Consistit namque hæc via in hoc, ut ex contemplatione Dei per negationem mens divino amore tota accendatur, et velut ignea atque seraphica efficiatur, sicque se ipsam et cuncta creata relinquens, transcendens ac obliviscens, superincomprehensibili Deo, tanquam prorsus ignoto, per hierarchicæ lucis illapsum, per occultissimæ inspectionis alloquium, per supersplendentem ca-

liginem ac sapientissimam ignorantiam uniatur, prout hoc infra elucidabitur.

ARTICULUS XIII.

De duplici Deitatis contemplatione ; et quid sit mystica theologia.

TERRIBILIS *Dominus, et magnus vehementer,* et *omnipotens super omnia opera sua. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio?* Eccli. XLIII, 31, 30, 35.

Quemadmodum primo de Divinis nominibus capitulo divinus Dionysius loquitur, duplici via ad Dei cognitionem ex creaturis procedimus. Prima est via positionis seu affirmationis, dum quidquid bonitatis, perfectionis ac eminentiæ reperitur in creaturis, Deo tanquam omnium primo et effectivo principio excellentissime, omni imperfectione seclusa, adscribimus. Secunda est via ablationis seu abnegationis, dum quidquid in entibus invenitur creatis, negamus de Deo, tanquam de superexaltato, superessentiali et superincomprehensibili, qui nec genere, specie, nec aliquo univoco convenit cum creatis, nec ei aliquid competit prout nos comprehendere id valeamus. Hinc secundo Mysticæ theologiæ capitulo S. Dionysius : Hoc, inquit, est Deum vere cognoscere, supersubstantialem supersubstantialiter per omnium entium ablationem laudare.

Denique contemplatio ista Dei per negationem sublimior atque perfectior est quam contemplatio ejus per positionem : quia in ista per negationem infinita excellentia et superessentialis majestas ipsius clarius, acutius atque profundius cernitur quam in illa. Propterea secundo de Angelica hierarchia capitulo magnus Dionysius ait : Negationes in divinis sunt propriæ, id est proprie ac veraciter dictæ ; affirmationes autem ibi sunt incompactæ, hoc est inconvenientes, non cohærentes nec propriæ. Quum equidem a Deitatis plena cognitione in infinitum deficiat mens om-
A nis creata, quo in hac vita quis Deo plus appropinquat, quo abundantius illustratur, quo summo enti nullam causam habenti, æterno et independenti magis unitur acutiusque infigitur, eo ipsius incomprehensibilitatem, inaccessibilitatem, infinitam quoque supertranscendentiam limpidius contemplatur. Quumque in apice mentis fuerit ei propinquissime et immediate (prout in hac vita per creatam lucem ac speciem fieri potest) unita, infixa, intenta, immersa, fit in omnimoda
B ignorantia ejus quoad *quid est* ipsius ; sed hoc est ei videre et contemplari, incomprehensibilitatem ejus clarissime intueri.

Et hæc contemplatio qua Deus per omnium negationem conspicitur, mystica theologia vocatur : quæ est interna ac abditissima mentis cum Deo locutio, atque caliginis, hoc est divinæ, supersplendidissimæ ac impenetrabilis et invisibilis lucis, per ignorantiam quamdam intuitio amorosa. Quæ, ut quidam eam definiunt, est
C anagogica seu superductiva motio, elevatio seu defixio mentis in Deum per purum fervidumque amorem. Estque experimentalis cognitio Dei per unitum amplexum amoris, seu sapida Deitatis notitia, dum ei supremus affectivæ apex per amorem unitur ardentem.

Postremo, hæc mystica theologia seu unitiva sapientia realiter est ipsum sapientiæ donum, nempe sapientia illa quæ inter septem dona Spiritus Sancti primum est atque dignissimum : quæ est habitus
D supernaturalis infusus, Dei per gustum internum cognoscitivus ; per quam mens bene de Deo sentit ac judicat per connaturalitatem et conformitatem affectus ad ipsum, seu per mentalem saporem. Cujus sapientiæ triplex est gradus. Et ipsa secundum gradum suum supremum, quo inest viris heroicis ac perfectis, efficiens eos quasi consiliarios ac secretarios omnipotentis ac supersapientissimi Creatoris, est sapientia unitiva ac mystica theologia.

ARTICULUS XIV.

Quod duobus modis ad mysticæ theologiæ visionem ecstaticumque amorem ac ardentissimam caliginis intuitionem, seu contemplationem præfatam per omnium ablationem, anima perducatur.

F*ACTUS sum quasi vir ebrius et quasi homo madidus vino, a facie Domini, et a facie verborum sanctorum ejus*. Jer. xxiii, 9.

Quum prætacta Dei contemplatio amorosa et mystica, quæ et raptum facit ac ecstasim, sit nobilissima atque altissima, spiritualissima ac divinissima operatio hominis, ad ipsam exigitur præcipua abstractio mentis ab exterioribus, ac summa recollectio ejus in se, et simplificatio sui in Deo purissima : quatenus nullo inordinato affectu, nulla consideratione circa creata, nulla occupatione distractiva impediatur aut retrahatur a summo et increato objecto.

Itaque ad hanc unitivæ sapientiæ mysticam contemplationem uno modo pertingit homo, se ipsum excitando ac disponendo ad eam per abstractionem præfatam, per recollectionem et simplificationem, per orationem et meditationem, atque considerationem eorum quæ divinæ dilectionis fervorem magis provocare ac parere solent in animo, donec apex voluntatis valide accendatur ac pure afficiatur in Deo, sicque vertex intelligentiæ desuper illustretur ad contemplandum modo prætacto. Denique hunc modum ejusque practicam divinus Dionysius primo Mysticæ theologiæ docens capitulo : Tu, inquit, Timothee carissime, intentissima contuendis spectaculis mysticis exercitatione, et sensus linque et intellectuales operationes, et sensibilia et intelligibilia omnia, et quæ non sunt et quæ sunt omnia ; et ut illi jungaris qui super omnem substantiam omnemque scientiam est, ignote pro viribus te ipsum intende. Hæc ille.

Alio modo ad contemplationem istam
A pertingit homo, absque suo conamine ac præparatione prædicta, dum scilicet misericordissime desuper prævenitur, atque divinitus fortiter illustratur, valide inflammatur, gratiosissime præoccupatur ac mirabiliter nimis præstringitur, in tantum ut etiam resistere nequeat, et quamvis velit, non possit effugere, gratia prædominante ipsi naturæ non violenter, sed convenientissime. Et primus modus solet esse laboriosus ; hic vero est facillimus. Hinc beatus ait Bernardus : Quidam trahuntur, qui
B dicere possunt : Trahe me post te. Alii du- *Cant.* i, 3.
cuntur, qui dicunt : Introduxit me rex *Ibid.* ii, 4.
in cellam vinariam. Alii rapiuntur. Et primi quidem felices, qui in patientia sua *Luc.* xxi, 19.
possident animas suas ; secundi feliciores, quia ex voluntate sua Domino confitentur ; *Ps.* xxvii, 7.
tertii felicissimi, qui in profundissima Dei misericordia quasi quodammodo sepulta jam arbitrii potestate, in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur.

Hi spreto ipso rerum ac sensuum usu, non ascensoriis gradibus, sed inopinatis
C excessibus evolare interdum per contemplationem ad supersubstantialem Deum altissimum solent. Horum unus fuit devotissimus frater ille Rogerius, Ordinis S. Francisci, qui dixit : Facillimum quid est hominem rapi et mente elevari in Deum. Nam scio, inquit, hominem qui pluries raptus fuit in uno matutino ; et homo iste infinities restitit raptui ; et aliquando tantam vim oportet eum facere ut recedat a Deo suo et fugiat, quantam alius facit ut appropinquet. Hæc autem protulit de se
D ipso. Unde et rursus testatus est : In tantum se Deus animæ meæ communicat, ut præ nimia dulcedine eum non valeam sustinere, sed compellar dicere et clamare : Domine, recede a me, quia non possum sustinere multitudinem dulcedinis tuæ. Talis fuit et sanctus ille frater Ægidius, unus ex primis Francisci sanctissimi sociis, de quo Bonaventura scribit, quod toties vidit eum raptum, ut inter homines vitam angelicam ducere videretur ; beatissimus quoque abbas Sisois, de quo in

Vitaspatrum refertur, quod quando in oratione manus extendit, statim eas retraxit, ne raperetur : alioqui protinus rapiebatur.

Ecce quam infinita et admiranda est gratia Dei in quibusdam suis electis misericordiæ suæ vasis. Vere, sicut ait Salva-
Joann. III, 8. tor, Spiritus ubi vult spirat; et incircumscriptibilis mirificentia ac opulentia Dei nullis terminis clauditur, nullis legibus coarctatur, sed ubi et quando et quantum et qualiter ei placet, liberrime ac misericordissime se diffundit. Atque plus etiam interim offert, plus influit, quam homo fragilis queat sufferre. Quod sanctus ille Ephrem experiens in se ipso, in suis orationibus ac meditationibus consuevit clamare : Domine, contine undas gratiæ tuæ.

ARTICULUS XV.

De sancto, ardenti, divino ac deificante amore ad viam unitivam, ad mysticam contemplationem pertinente; atque privati amoris exstirpatione.

PONE *me ut signaculum super cor tuum : quia fortis est ut mors dilectio.* Cant. VIII, 6.

Tanta est omnipotentis ac superpiissimi Creatoris ad homines dilectio atque digna-
Prov. VIII, 31. tio, ut ipse per Salomonem testetur : Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum ; et
Jer. XXX, 21. item per Jeremiam : Quis est iste qui applicet cor suum ut appropinquet mihi ? Quibus verbis docemur quantum Deus naturaliter omnimodo bonus nostram optet salutem, quam paratus sit nobis gratiarum suarum donare charismata, quam libenter velit esse nobiscum, inter nos commorari, imo et habitare in nobis, dummodo nos ipsi obicem non ponamus, dummodo corda nostra ei præparare et applicare curemus, quod in nobis est faciendo. Hinc
Job XXXIV, 14. etenim apud Job asseritur : Si direxerit homo ad Deum cor suum, spiritum illius
Apoc. III, 20. et flatum ad se trahet. Et Christus : Ego sto (inquit) ad ostium, et pulso ; si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi
A januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum eo, et ipse mecum.

Porro per nullam virtutem tam directe ac intime, tam valenter, pure et immediate applicat et conjungit homo cor suum Deo sicut per caritatem, quæ mentem amantis spiritualiter aperit capacemque facit amati. Quum ergo per unitivæ ac mysticæ sapientiæ contemplationem altissimam mens humana Deo propinquissime, quantum in hac fieri valet vita, jungatur ac infigatur, imo in ipsum absorbeatur, atque supernis
B fulgoribus, sacris ardoribus charismatibusque divinis abundantissime perfundatur, ditetur ac impleatur ; hinc sancti Doctores fatentur quod hæc mystica visio per divinum præfervidum fiat amorem, ita ut purus ac æstuans amor Dei ad hanc unitivam ac mysticam contemplationem immediate ac summe disponat, utpote actualis, sincera et fervens ad Deum affectio, quæ mentem aperit Sponso cœlesti, ac influentiis, coruscationibus, fecundationibus atque amplexibus ejus.

C Præterea, amor iste divinus tam purus ac fervidus esse nequit, nisi privato amore prorsus evulso. Etenim amor privatus, qui dicitur amor sui crescens usque ad contemptum Dei, efficit hominem servum ac membrum diaboli civemque Babylonis, id est ecclesiæ malignantium. Porro amor Dei crescens usque ad contemptum sui, constituit hominem civem Sanctorum, membrum ac militem Christi, amicum filiumque Altissimi. Hi duo amores, quorum unus origo est omnis peccati, et alter fons omnis ope-
D ris boni, sibi invicem sunt contrarii. Et quanto quis plus crescit in uno, tanto amplius decrescit in alio : ita quod sicut venenum amoris divini, est amor privatus ; sic privati amoris minoratio, divini est amoris profectus, privati vero amoris mera evulsio, divini amoris est perfectio.

Præterea, quid sit uterque hic amor, breviter tangam. Amor igitur privatus vocatur quo quis diligit se in se, non in Domino Deo, volens videlicet ac cupiens sibi quæ ei in se secundum propriam in-

clinationem et affectionem sunt delectabilia, utilia aut honesta. Ex quo quidem amore mox oriuntur concupiscentia carnis, avaritia, pompa, ambitio, atque universa mentis ac corporis inquinamenta. Amor vero Dei, quæ caritas appellatur, est quo Deum super omnia toto corde diligimus, et nos ipsos in Deo, videlicet ordinate, secundum exigentiam ultimi finis nostri, volendo appetendoque nobis quæ animabus nostris vere expediunt ad complacendum proprio Creatori, ad proficiendum in caritate et gratia ejus ac omni virtute, ad obtinendum beatitudinem consummatam. Sicque ex isto procedunt amore gloriatio in adversis, castigatio carnis, custodia cordis, humiliatio mentis, despectio terrenorum, desiderium æternorum, et omnis actus virtutum. Quumque amor privatus omnium radix sit vitiorum, constat quod eo evulso cuncta eradicentur peccata. Quo facto, insunt cordi interna munditia et caritas Dei pura, fortis, fixa ac fervida. Sicque ad omne bonum et illuminationes altissimas ac frequentes et quasi continuas, ad inflammationes æstuantissimas, ad transformationem deificam, ad raptum et ecstasim, ad exercitationem secretissimam, tranquillationem dulcissimam, imo ad vitam angelis proximam, est anima tum disposita; statque velut in contactu continuo solis æterni, solis justitiæ, solis sapientiæ infinitæ, ut exuberantissime ac indesinenter illustretur, calefiat, penetretur, impleatur ac inundetur ab illo; et instar speculi tersi, pervii et politi, luminosi atque clarissimi, objecta, substrata ac applicata est superlucidissimo soli immenso. Idcirco non cessat sol ille liberalissimus stillicidia gratiæ, fluenta sapientiæ, caritatis scintillas in illam diffundere.

Denique amor Dei purus censetur, dum ipsum non proprii intuitu commodi, neque mercedis cupidine, sed ob infinitam ipsius bonitatem ac amabilitatem diligimus, sicut et ipse dilexit nos non ob suam
Ps. xv, 2. utilitatem, qui bonorum nostrorum non
A eget, sed ut suæ bonitatis ac felicitatis simus participes ad ipsius gloriam ac honorem. Insuper, quum amare sit alicui bonum velle, et Deus excelsus ac sanctus sit bonitas interminata, omniformiter simpliciterque perfecta : non possumus ipsum magis amare, nisi cum præcordiali affectu ac complacentia gratulabunda volendo et favendo ei quod ipse habet et est, puta bonitatem, sapientiam, pulchritudinem, opulentiam, omnipotentiam, beatitudinem et perfectionem suam omnifariam ac im-
B mensam; deinde præcordialiter affectando ut ipse Creator ac Dominus universorum ab universis decenti ac debito modo colatur, honoretur, diligatur ac formidetur, ita ut nos ipsi in primis id totis viribus peragamus, et alios ad id quantum possumus inducamus.

Itaque qui in Dei amore modo prætacto perfectus est, nihil sui relinquit sibimetipsi, sed totum se Deo impendit, ipsum toto posse colendo, totis præcordiis cupiendo, toto fervore amando, ad ejus ho-
C norem, laudem ac gloriam omnia referendo, vehementissime cupiens bonum commune, universorum salutem, quatenus Deus in omnibus atque ab omnibus debite honoretur. Idcirco de ejus injuriis et offensis, de pereuntium ingratitudinibus, vitiis ac perditionibus intime contristatur; de honorificentia vero Dei, de reformatione lapsorum operibusque justorum et emendatione errantium summe lætatur, gratias agit; pro omnibus intercedit, et totus in bonitatis affectum, in zelum justi-
D tiæ, in ignem amoris convertitur, resolvitur, transformatur. Propter quod jugiter sursum movetur, ad unionem, ad amplexum, ad mysticam visionem erigitur.

ARTICULUS XVI.

De mystica, flammigera, anagogica et transformativa contemplatione.

IN *manibus Deus abscondit lucem, et præcipit ei ut rursus adveniat ; annuntiat de ea amico suo quod possessio*

ejus sit, et ad eam possit ascendere. Job xxxvi, 32, 33.

Incomprehensibilis, omnipotens et superliberrimus Deus (qui cujus vult miseretur, et clemens est in quem ei placuerit; a quo non est appellare aut subterfugere; cui nullus valet resistere; cui nemo dicere potest : Cur ita facis?), quos vult illuminat et inflammat, prævenit, immutat, convertit ac ditat : qui et interdum nondum paratos repente misericordissime afficit, quocumque voluerit vertit, et ad gratiam illuminationis supernæ ac contemplationis theoricæ perducit altissimam, ut patet in Paulo apostolo, quem ad Christianorum persecutionem grassantem convertit in via, rapuitque ad contemplandum sublimia atque ad audiendum verba arcana; qui etiam pusillos ac imperfectos, imo et quosdam adhuc mundanos, volens sic allicere, ad altiora ac spiritualiora provehere, nonnunquam gratia contemplationis, suavitate internæ consolationis ad horulam eos tangit, perfundit ac recreat, genus servorum ponens quasi ad mensam filiorum. Hic Deus sublimis, quum viderit mentem hominis spiritualis zelo justitiæ penetratam, caritate flammigeram, puritate ac omni virtute fulcitam, ad divina fortiter adspirantem; mox dignantissime, exuberantissime, amorose ac frequentissime ei occurrit, succurrit, cooperatur, seque ei communicat, manifestat, infundit, eam ad se elevat, intra se rapit, deosculatur, amplectitur, atque se ei intuendum, gustandum, fruendum offert ac exhibet, habetque complacentiam magnam in ea, et tanquam amicam ac sponsam apprehendit, fecundat et sibi adstringit eamdem; lucem quoque quam abscondit in manibus, quam in manibus suis tenet absconsam, ei propalat ad horam aut horulam, prout sibi omnium sapientissimo moderatori placuerit.

Rom. ix, 18; Exod. xxxiii, 19.
Esther xiii, 9, 11.
Job ix, 12.
Act. ix, 3 et seq.; II Cor. xii, 2-4.

Verum, ut hæc clarius intelligantur, manus Dei sunt sapientia et potestas, justitia, clementia et voluntas ipsius : quæ sunt principia operationis divinæ ad extra. « In » his « manibus Deus » omnipotens

A « lucem abscondit », quia tam lucem gratiæ quam lumen gloriæ in sua habet ac continet potestate, et juxta sapientiæ suæ censuram, juxta omnipotentiæ suæ arbitrium, juxta voluntatis suæ propositum, lumen gratiæ abscondit et pandit, retinet et effundit, aufert ac reddit. Ideo dicitur : « Præcipit ei », videlicet lumini gratiæ, « ut rursus adveniat » : quoniam lumen hoc indignis celatum aut peccanti subtractum, Deo jubente, iterum advenit ac infunditur pœnitenti, et augetur ferventer
B amanti, atque ostenditur contemplanti. In quo lucis hujus reditu « annuntiat » Deus per allocutionem internam « amico suo », scilicet homini bono cum quo tam gratiose operari dignatur, « quod » lux ista « possessio ejus sit », ita ut eam possit stabiliter possidere, « et » si ad horam amiserit eam, « ad eam » rursus recuperandam « possit ascendere », et per eam ad lumen gloriæ pervenire.

Insuper, lucem contemplationis theoricæ ac mysticæ radium visionis tenens
C Deus in manibus, eamdem lucem pulcherrime radiantem ad libitum suum menti purgatæ nunc pandit et influit, nunc retrahit et abscondit : sicque lux ista venustissima ad tenentis Dei arbitrium latet ac patet, et nunc copiosius clariusque infulget, nunc minus. Quumque hanc lucem Omnipotens menti ostenderit, mox mole magnitudinis ejus, actualitate et excellentia majestatis, perfectionis ac luciditatis ejus immensæ, mentem in momento, in ictu oculi, in puncto, sic dulciter, non
D violenter, vincit et opprimit, ut ipsa defluat atque deficiat a se ipsa, et victa amore ac stupens præ admiratione ejus quam contemplatur majestatis ac claritatis immensæ, præ Deitatis quam cernit deliciosissima serenitate nihil sciat de se ipsa : siquidem repente tam valide illustratur ac inflammatur, ut prorsus succumbens, vires et sensus corporales amittat. Tunc mens in increatæ lucis secretum inducta, in infinitæ lucis abysso demergitur, in æternæ felicitatis oceano rapta deperditur,

in amoris igne immensi resoluta comburitur, atque in supervastissimæ ac superplanissimæ solitudinis impertransibili et immensa amplitudine securissime errat, feliciter deviat, perdens se ipsam, nesciens ubi vel quomodo. Verum in hac intuitione tranquillissima ac cherubica, mens humana ut plurimum non diu defigitur, sed Deus « lucem » quam paulo ante infudit, retrahit et « abscondit in manibus » ; atque post modicum denuo « præcipit ei ut » menti « adveniat » et oriatur majori nonnunquam cum claritate quam ante. Qua luce menti fulgente, mens iterum intus splendescit, ignescit, alteratur, miratur, opprimitur, deficit. Tuncque Deus amœnitatis immensæ « annuntiat de ea », hoc est de luce ista quam paulo ante abscondit in manibus, « amico suo », fervido scilicet amatori, « quod possessio ejus sit », eo quod ipse cuncta carnalia et caduca aspernans, præter Deum et extra eum nil concupivit, ideoque Deo suffragante « ad eam possit ascendere », ita ut in ea crescens quotidie, tandem Luci fontali, suavissimo Deo, beatifice stet intentus, fruitive unitus, amorose æternaliterque immersus.

Denique, quoniam ista tam supernaturalis elevatio mentis, tam admiranda et alta contemplatio, nobilitatio ac deificatio ejus, signum ac opus est infinitæ dignationis ac magnæ dilectionis Dei ad eam ; idcirco post verba præallegata protinus subditur : Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo. Etenim in hac profundissima contemplatione gratia Dei præveniens ac pertransiens, sensum perstringit amantis, et eripit eum illi infigitque sibi ; atque, ut horum expertus ait S. Bernardus, rapit eum in diem qui est a tumultu rerum ad gaudia silentii, hoc est in splendorem clarissimum lucis supremæ, in quo ab omni profluvio desideriorum carnalium, inquietorum phantasmatum, fluctuantium cogitationum suaviter conquiescit, obdormiens in Dilecto. Sicque pro modulo suo ad momentum et punctum id ipsum ostenditur ei videndum sicuti est. Inter hæc namque Deus efficit ipsum in id ipsum, ut sit ipse pro modulo suo sicut et illud est. Tunc plerumque in osculo Patris et Filii medium invenit se contemplator hujusmodi.

Job XXXVII, 1.

Postremo, de hac re satis profunde scripsit in libro de Perfectione filiorum Dei, juxta experientiam suam, Joannes Rusbrochius, inter cetera dicens : Oportebit nos fundare vitam nostram supra infinitæ profunditatis abyssum, et ita poterimus in amorem æternaliter mergi, atque a nobis in ipsam imperscrutabilem profunditatem demergi. Et in eodem amore modo carente palpabimus et a nobis deviabimus ; et ipse nos ducet ac seducet in immensam et incomprehensam amoris Dei amplitudinem, in quam quidem nos fluemus, et a nobis defluemus in ignotas delicias opulentiæ ac bonitatis divinæ, in quibus liquebimus et deliquebimus, profundabimur et deprofundabimur in gloriam Dei. Hæc et alia multa scribit : quæ pie ac sapienter sunt intelligenda, ne fiant alicui erroris occasio. Clare siquidem nisi ab expertis nequeunt intelligi.

ARTICULUS XVII.

De diversis effectibus Sponsi cœlestis in anima contemplativa, heroica, amorosa ; et de actibus ac gradibus caritatis ardentissimæ ac perfectæ.

QUAM magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Ps. XXX, 20.

Sicut divinus loquitur Dionysius, caritas virtus est unitiva. Primus itaque caritatis actus et gradus, est mentem amantis Deo conjungere : nam et mentem aversam ad ipsum reducit et vertit. Hinc in prima sua Canonica ait Joannes apostolus : Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. Unde et sine caritate nulla virtus mentem Deo proprie simpliciterque conjungit.

De Divin. nom. c. IV.

I *Joann.* IV, 16.

Secundus actus ac gradus caritatis, est cor amantis in Deum transformare : quo-

niam caritas virtus est conformativa seu assimilativa ac penetrativa, voluntatem amantis conformans voluntati amati. Imo amantem a se ipso quodammodo alienat, et in dilectum transfert atque commutat. Propterea, S. Dionysio contestante, divinus amor ecstasim facit, quia non sinit amantes esse sui ipsorum, sed eorum quos diligunt, in quos quasi extra se positi tendunt, moventur et afficiuntur. Hinc sicut ferrum ac carbonem calor ignis quasi transformare videtur in ignem, ita ut ignis proprietatem, actum et similitudinem induant, sic caritas in amatum transformat ac transponit amantem. Propter quod asserit Augustinus, quod anima verius est ubi amat, quam ubi animat. Et Christus in Evangelio : Ubi (inquit) thesaurus tuus (id est res quam præcipue diligis), ibi est et cor tuum ; et rursus : Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum ; haud dubium quin per caritatem, sicut et apostolus Paulus dicit : Qui adhæret Deo, unus spiritus est. Ecce quantam transformationem et unitatem efficit caritas ! Nam et de primitiva Ecclesia omni caritate repleta fertur : Multitudinis credentium erat cor unum et anima una. Amicorum etenim est eadem velle atque eadem nolle, secundum Philosophum. Et Plato ac Aristoteles professi sunt, quod amicus est alius idem, seu alter ego. Unde et Sponsa in Sponsum cœlestem per caritatem transformata fatetur in Canticis : Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.

(De Divin. nom. c. IV.) (Matth. VI, 21.) (Joann. XVII, 11.) (I Cor. VI, 17.) (Act. IV, 32.) (Cant. VII, 10.)

Tertius caritatis actus ac gradus, est diligentem cum dilecto indissolubiliter colligare. Idcirco dixit Isidorus, quod diligere dicitur quasi duo ligare. Nempe quo amor amplius crescit et invalescit, eo validius amantem amato adstringit ac colligat, producendo quasi continuam memoriam et affectionem dilecti in animo diligentis. Cujus caritativæ affectionis tanta est vis, ut nulla adversitas, nulla prosperitas, nullus eventus eam valeat confringere, vincere aut auferre. Propterea Deum sic diligens, cum Apostolo dicere potest : Quis nos separabit a caritate Dei ? Sic Christum inclytus ille martyr Genesius diligebat : Non est, inquiens, rex præter Christum, pro quo si millies patiar et occidar, ipsum mihi de corde auferre nunquam poteritis.

(Rom. VIII, 35.)

Quartus caritatis actus ac gradus, est amantem præ vehementia affectionis vulnerare amore dilecti, juxta illud in Canticis : Vulnerata caritate ego sum ; itemque : Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa. Nonne corde vulneratus, percussus, perforatus caritatis acumine ac sagitta tibi videtur amator, dum vehemens ille amoris aculeus mentem ejus medullitus penetrat, affectivam vim ejus in tantum concutiens, tam acute transverberans, ut desideriorum suorum effervescentiam, gestus, effectus ac signa reprimere nequeat, celare non possit, dissimulare non valeat, desiderio ardeat, ferveat affectu, æstuet et anhelet, profundissime ingemiscens, separationis impatiens, ac longa suspiria trahens ? Hic caritatis gradus interpolationem interim admittit, instarque febris nunc intensius, nunc remissius urit ac stimulat, imo frequenter fortior redit. Ad quem quidem gradum pervenerat nimirum Augustinus, quum confitens Deo diceret : Sagittaveras tu cor meum caritate tua, et gestabam verba tua visceribus meis infixa ; coruscasti in animo meo, et fortiter inflammasti et commovisti omnia intima mea.

(Cant. II, 5, juxta LXX. Ibid. IV, 9.)

Quintus actus et gradus, est amantem præ amore languidum facere, juxta illud Canticorum : Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Ex vulneratione quippe oritur languor, dum prætacto modo mens amore vulnerata Dilecti, nec tamen ejus ad libitum habens præsentiam, duplici mœrore atque desiderio bipartito affligitur. Quum siquidem ipsa increata Sapientia testetur, Qui edunt me, adhuc esurient ; constat quod mens Deum in hac vita contemplans, quo eum limpidius contemplatur, eo ad facialem ac beatificam ejus visionem vehementius inflammatur. Ideoque de illius visionis ab-

(Ibid. II, 5.) (Eccli. XXIV, 29.)

sentia, de plenæ fruitionis carentia contristatur; ad eam quoque æstuanter suspirans, cum Apostolo vociferatur : Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? itemque : Cupio dissolvi et esse cum Christo ; et cum Propheta : Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Rursus, dum anima ad actualem Dei contemplationem claram ac deliciosam secundum possibilitatem vitæ præsentis provehitur, et interdum repente ab ea dilabitur, atque ad pristinas suas ærumnas, distractiones, imagines, tentationes resolvitur; tunc mœrore conficitur, ad elevationem suspirans priorem, quæ ei interdum dispensative, nunc brevius, nunc longius, Deo moderante subtrahitur. Itaque duplex hic mœror ac gemebundum desiderium, languor vocatur animæ contemplativæ ac amorosæ, cujus est dicere : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus ; sitivit anima mea ad Deum fontem vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Tali etenim Deitatis fervidissimo amatori nil libet, nil sapit in rebus caducis. Unde sanctissimus abbas Silvanus post contemplationes et visiones suas altissimas rediens ad se ipsum, ad exteriora quæque progrediens vultum suum operuit, dicens : Quid necesse est lucem istam corporalem videre, in qua nihil est utile? Et Gregorius : Lux, inquit, fastidio est. Ideo Deum deprecans, effatur : Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo.

Rom. VII, 24. — *Philipp.* I, 23. — *Ps.* CXIX, 5. — *Ps.* XLI, 2, 3. — *Ps.* CXLI, 8.

Sextus actus et gradus, est a se ipso prorsus deficere atque defluere, ita ut taliter amans cum Apostolo fateatur : Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus. Languorem namque mors consequi solet. Itaque superdulcissimus ac superpiissimus Deus se ab anima amorosa cum tanto mœrore exspectari, cum tanto desiderio appeti cernens, cum ingenti dignatione ac mira liberalitate ad illam revertitur, ad clariorem quam ante sui contemplationem ac calidiorem amorem erigens eam, in tantum ut ferre nequeat, quemadmodum Jeremias propheta testatur : Factus est (inquiens) sermo Domini in corde meo quasi ignis æstuans ; et defeci, ferre non sustinens. Et alius : Concupiscit (inquit) et deficit anima mea in atria Domini. Raptus etenim et absorptus, introductus et immersus animus in divitias gloriæ, in oceanum Deitatis immensæ, præ admiratione incircumscriptibilis majestatis et entis æterni, prorsus independentis nulliusque indigentis, cujus nulla est causa, in cujus manu sunt omnia, defluit prorsus ac deficit a se ipso, transitque totus in Principem majestatis, in fontem luminis, in Deitatis abyssum, conquiescens atque obdormiens in Dilecto, et aliud nil advertens, prædominante in eo intuitione caliginis, totumque præoccupante ardore amoris. Quod vir sanctus expertus : Inflammatum est (inquit) cor meum, et renes mei commutati sunt ; et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi. O quam bene et optime est tunc animæ amorosæ! quam serena, quam jucunda, quam cœliformia ac tranquilla sunt omnia tunc in ea! Ubi tunc nebulæ vitiorum, turbines passionum, involutiones phantasmatum, varietas distractionum, inquietudo tentationum? Nonne a præsentia Solis justitiæ, a conspectu et ardore atque fulgore Solis sapientiæ fugiunt omnia illa?

Galat. II, 20. — *Jer.* XX, 9. — *Ps.* LXXXIII, 3. — *Ps.* LXXII, 21.

Septimus gradus et actus, est mentem ad mysticæ theologiæ visionem theoricam, caliginosam ac supersplendentem provehere. De qua re supra jam tacta sunt plura. Estque visio illa inter communem contemplationem et beatificam patriæ visionem medio modo se habens.

art XIII et s.

Octavus gradus et actus, est mentem tam fervidam post hujus incolatum exsilii ad facialem ac felicissimam primæ veritatis inspectionem, ad divinæ essentiæ visionem, ad infinitæ bonitatis plenissimam, summe contentantem ac quietantem fruitionem perducere. Quo facto, desiderium repletum est et quiescit, capacitas mentis est satiata, omnisque potentialitas animæ ad actum perducta censetur quoad finale

ac principale objectum. Propter quod scriptum est : Satiabor quum apparuerit gloria tua ; et, Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. *Ps.* xvi, 15. *Ps.* xv, 10.

ARTICULUS XVIII.

Prosecutio hujus materiæ ; et quam mire ac gratiose agat Sponsus cœlestis in anima inflammata, sanctificata ac deificata.

S*APIENTIAM amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam eam mihi assumere, et amator factus sum formæ illius, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa : non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium.* Sap. viii, 2, 9, 16.

Sponsus et sponsa se mutuo complectuntur, diligunt, deosculantur, adstringunt, adulterinum despicientes amorem. Itaque increata Sapientia, quæ est Deus æternus, sponsa creati spiritus ac fervidi amatoris rite vocatur : quoniam talis amator eam sincerissime ac unice diligit, ardentissime ac interne eam sibi adstringit, eam præ omnibus amplexatur, alienum atque impurum amorem penitus aspernatur. Rursus Deus, qui est Sapientia ista, sponsus dicitur animæ, quæ est spiritus rationalis ; et anima amorosa, sponsa est Dei sui : quoniam Deus per caritatem eam amplectitur, per unionem præfervidam dulcissime eam deosculatur, lumine gratiæ suæ eam fecundat, eamque sibi fidelem, integram, inviolatam manere jubet et exigit. Quod quidem fit dum ipsa præter Deum et extra eum nil diligit. Etenim, juxta præhabita (art. præced.), nulla actio in tantum conformat sicque identificat unum cum alio sicut dilectio. Hinc nimirum anima fervens ac sancta de cœlesti loquitur Sponso in amoris dialogo, in Cantico canticorum : Dilectus meus mihi, et ego illi ; (*Cant.* ii, 16.) itemque : Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. (*Ibid.* vii, 10.) Hoc est : ego tota sum unice illius, quem super omnia tam singularissime amo, tam unice diligo, ejus obsequio me totam impendo, amori voluntatique ejus me integre offero, illi intenta sum, ei vaco atque complaceo ; ad me quoque conversio ejus, quoniam ab ipso me redamari seu potius præamari experior, ipse mihi vicem rependit, ipse me clementissimo ac dignantissimo adspicit vultu, non sum fraudata meo affectu.

Talem itaque animam, quæ cum Apostolo vere pronuntiat, Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo, (*Galat.* vi, 14.) ita ut quidquid mundus magnum, dulce ac commodum arbitratur, mihi crux sit, illud vilissimum rear et pro nihilo adspiciam : talem, inquam, animam Sponsus cœlestis dulcissime visitabit, familiariter amplectetur, amorose alloquetur, communicabitque ei de bonis suis, luce gratiæ, splendore virtutum, donis ac fructibus Spiritus Sancti eam fecundans mirabiliterque inflammans, ut sit tanquam oliva fructifera in domo Dei. (*Ps.* li, 10.) Tunc plane gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus. (*Is.* lxii, 5.)

O anima inclyta et electa, tam plene ad Creatorem tuum conversa, concupiscit Rex decorem tuum, (*Ps.* xliv, 12.) et dicet tibi : Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. (*Cant.* ii, 14.) Et erunt deliciæ ejus esse tecum, ac demorari in medio cordis tui. Tunc certe videbis, et afflues, et mirabitur cor tuum ex tanta dilectione ac dignatione Dei tui ad te, et dilatabitur in amore ipsius cum gaudio. (*Is.* lx, 5.) Feliciterque gustabis quam magna sit multitudo dulcedinis ejus quam perficit et ostendit sperantibus in se, quos abscondit in abscondito vultus sui a conturbatione hominum ; (*Ps.* xxx, 20, 21.) qui renuunt forinsecus consolari, quietem solitudinemque optantes ; quorum mentes Deus gloriæ, superdulcissimus ac munificentissimus Sponsus, ineffabiliter adimplebit, consolabitur,

tranquillabit, radiose perfundet, vehementer accendet, dulciter unget, stabiliter possidebit, imo nonnunquam etiam, et forte crebrius, amorose ac misericordissime prorsus præveniet, spiritum nostrum et flatum ad se trahens improviseque erigens, et absque nostro conatu inopinate sustollens, immutans, succendens et absorbens. Implebiturque in nobis quod in Deuteronomio scriptum est : Amantissimus Domini habitabit confidenter ; in eo quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet.

Job xxxiv, 14.

Deut. xxxiii, 12.

Denique, sicut amor carnalis prædominans, qui amor ἔρως appellatur, facit amantem considerationi et amori amati gnaviter intentum ejusque jugiter memorem ; singula quæque intime cogitantem, omnia percurrentem ; de amati præsentia hilarem, de ejus absentia ac recessu mœrentem; semperque cupit uniri ac frui dilecto, in ejus intuitu complacentiam habet, ipsum adstringit, comprimit, deosculatur ; nec in his ipsis percipit moras, imo omne tempus quod in istis expenditur breve videtur : ita omnino sincerissimus ac insignissimus amor Dei contemplationi dilectionique Dei efficit mentem amantis vigilanter, diuturne, et si non continue, tamen sæpissime prorsus intentam, ejusque innumerabilibus vicibus memorem, non in divinis dumtaxat, verum etiam in omni loco, actu ac tempore, in strato, mensa, domo, via, otio atque negotio, ita ut ad litteram impleat talis homo illud Deuteronomii : Erunt verba Domini in corde tuo, et meditaberis ea sedens in domo tua, et ambulans in itinere, et dormiens atque consurgens, eruntque et movebuntur inter oculos tuos. Insuper amor hic sanctus ac ardens facit mentem ea quæ Dei sunt intime meditari, et cuncta diligenter percurrere ; nunc incomprehensibilem Dei bonitatem ac pietatem, nunc ejus infinitam sapientiam, jam opulentiam, jam omnipotentiam, pulchritudinem, justitiam, beatitudinem, æternitatem ac ceteras proprietates ipsius sinceriter contemplando, vivaciter admirando, incomparabiliter diligendo, amplectendo, laudando ac honorando. De gratiosa quoque et experimentali Dei præsentia amor iste lætificat mentem, serenam et tranquillam efficit, et mira bonitate perficit ; porro de absentia dilectissimi et superdilectissimi Dei parit tristitiam, afflictionem ac defectionem. Ex tanto quoque contemplationis excessu amorisque impetu, ardore et ebullitione, generantur per redundantiam quamdam in parte sensitiva ac corpore languor, debilitas, mœror ac macies, detestatio corporei alimenti, impotentia usus ac motus membrorum ac sensuum, et totius corporis rigor. Nec in his actibus sanctis mens tempus advertit, moras non percipit : imo in his vehementissime admiratur nec sufficit admirari anima sancta caritatem, pietatem, dignationem et munificentiam Dei circa se et in se, quod tam amorose ac familiariter, tam gratiose et munificenter se ei ostendit, communicat, applicat et infundit.

Ibid. vi, 6-8.

Amplius, quoniam amor ingreditur ubi scientia permanet foris, dum mens contemplationi mysticæ est intenta, inflammato et velut commoto ac irritato amore, incipit amor ipse quodammodo ebullire ac superfervere, suaque sacra violentia totum corpus concutere. Quod autem fervet, quadam caloris ac desiderii sui violentia extra se ipsum projicitur, et supra se tollitur, quasi ibi esse dedignetur unde tam vehementer se jactat. Sic et mens transfixa amoris fervore quasi extra corpus jactare se nititur, et usque in summum volare molitur.

Postremo, ex prædictis supernaturalibus ac mirandis cœlestis Sponsi et caritatis in anima, certissimum sumitur argumentum veritatis fidei christianæ : ita ut quicumque hæc experitur, in tantum ex eis in fide certificetur, ut quamvis totus mundus averteretur a fide, ipse tamen de fidei veritate non posset ambigere, prout de hoc in tractatu de Contemplatione et alibi plenius disputavi.

ARTICULUS XIX.

De effectibus atque indiciis amoris ecstatici.

AVERTE *oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Cant. VI, 4.

Deus sublimis et benedictus, suæ æternæ veritatis actualitate et cognoscibilitate ac suæ immensæ bonitatis amabilitate omnem intellectum atque affectum creatum infinite transcendit ac superat : ideo animam contemplantis a se ipsa penitus alienat, rapit, absorbet atque deficere facit.
Ps. CXVIII, 81. *Ps.* LXXII, 26. Propter quod ait Psalmista : Defecit in salutare tuum anima mea ; et rursus : Defecit caro mea et cor meum. Spiritualia autem per corporalia declarantur : idcirco proprietates et actus ac signa amoris spiritualis ecstatici, per actus et signa amoris carnalis qui ἔρως sive prædominans aut ecstaticus nominatur, elucidare oportet.

Itaque primum opus ac signum carnalis amoris ecstatici, desiccatio est membrorum. Taliter etenim amorosi arefiunt in membris, pallescunt et marcescunt : quoniam ex intensissima cordis applicatione circa dilectum multiplicantur spiritus, et calor naturalis in sua operatione debilitatur, sicque corporis desiccationem incurrunt. Conformiter ex vehementi ac intimo amore spirituali ecstatico et applicatione occupationeque ejus circa Dilectum, videlicet superamabilissimum Deum, cor ab omni carnalis voluptatis arescit profluvio, a concupiscentia et omni affectione terrena,
Josue IV, 23, 24 ; *Exod.* XIV, 21. siccante Domino aquas maris Rubri, id est carnalium motus humorum, flante vento vehementi atque urente, id est, Spiritus Sancti virtute intus gratiose ac fortiter operante. Nempe quo anima amplius circa spiritualia ac divina se occupat, eo a carnalibus magis abstrahitur et ea fastidit. Hoc S. Augustinus expertus, dixit : O Deus meus, quam subito mihi in fastidium versum est quidquid ante male amaveram !
Cant. IV, 16. Hinc Sponsa orat in Canticis : Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum

A meum, et fluent aromata illius. Per Aquilonem, qui est ventus durus ac frigidus, torpor et gravitas intelligitur vitiorum. Per Austrum vero, qui est dulcis et calidus ventus, accipitur Spiritus Sanctus, quo in animam flante, spirante seque piissime infundente, aromata, id est spiritualia desideria, carnalibus pulsis affectibus, fluunt ab ea, dicente Gregorio : Gustato spiritu, desipit omnis caro.

Secundus effectus atque indicium amoris carnalis ecstatici, concavitas est ocu- B lorum. Nam taliter amorosi consueverunt oculos habere profundatos ac concavos, eo quod oculi sequuntur spiritus, sese ad intra retrahentes et ad æstimativæ organum concurrentes. Sic interiores oculi animæ spirituali amore ecstatico inflammatæ profundantur in corde, et introversa est anima talis : quoniam intus est, intus fulget ac invenitur totum quod quærit, quod diligit, quo delectatur, in quo conquiescit, Deus videlicet, lux vera, veritas summa, bonitas infinita. Cui ait cum Isaia : Vere *Is.* XLV, 15.
C tu es Deus absconditus ; et rursus : Secretum meum mihi ; et cum Psalmista : Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. *Ibid.* XXIV, 16. *Ps.* LXXII, 26.
Præterea intra se profundat hujusmodi anima intuitum aciei visus interni, ut consideret ac scrutetur ne quid in ea sit quo offendatur Sponsus cœlestis, qui solus cor intuetur, juxta illud : Meditatus sum nocte *Ps.* LXXVI, 7.
cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum. Rursus visum mentalem profundat, quatenus occultos cœlestis Sponsi accessus et recessus pro posse
D observet ac noscat. De quibus apud Job scriptum est : Si venerit ad me, non video eum ; si abierit, non intelligam. *Job* IX, 11.
Quamvis etenim quidam tales accessus et recessus certo sciri seu observari non valeant, probabiliter tamen possunt. Nec dubium quin talis amator exteriores quoque custodiat sensus, quorum incustodia incustoditæ mentis est signum. Ideo Salomon contestatur : Oculi sapientis in capite ejus; *Eccle.* II, 14 ; *Prov.* XVII, 24.
stultorum autem, in finibus terræ, seu in calcaneo.

A Tertium amoris carnalis ecstatici signum, est siccitas oculorum seu lacrimarum carentia, nisi ex parte dilecti veniat fletus. Hinc nec damna rerum neque mors proximorum valent in taliter amorosis excutere lacrimas. Conformiter anima spiritualiter ecstatice amorosa propter nulla damna ad superdilectum Sponsum supernum non pertinentia contristatur, sicut et Salomon loquitur : Non contristabit justum quidquid ei acciderit. (*Prov.* xii, 21.) Adeo quippe quærit ac diligit tantique facit essentialiter bonum, ut alia parvi pendat. Unde et sanctus B Job gravissima passus patiensque adversa, patientissime dixit : Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. (*Job* i, 21.) Sic et de Tobia quoque scribitur : Non est Tobias contristatus contra Deum quod plaga cæcitatis evenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, gratias agens Deo omnibus diebus vitæ suæ. (*Tob.* ii, 13, 14.) Non ergo pro rebus vilibus contristemur, non pro parvis ac transitoriis commoveamur. Justus namque quasi fundamentum æternum. (*Prov.* x, 25.) C

Quartum signum ac opus amoris carnalis ecstatici, est profunda sollicitudo et cogitatio versa ad interiora, non utique ad spiritualia aut divina, sed magis ad vana et fœda phantasmata intus reclusa, in quibus dilectam rem speculatur, atque carnalia imaginatur : ita ut taliter amorosus quasi dormientis imaginem gestare videatur, ad exteriora evigilare vix valens, nisi quum ei de re amata fit verbum, eo quod tota sua cogitatio, intentio et affectio fixa sit in amato. Consimili modo anima spiri- D tualiter ecstatice amorosa in tantum sollicita est et intenta circa secretissimum Deum, ut ad verba mundana, inania, impertinentia, ad vanos rumores ac fabulas claudat sensum, et invita talia audiat, dicens illud propheticum Deo : Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. (*Ps* cxviii, 85.) Si autem de Christo et pertinentibus ad salutem fit sermo, statim evigilat et advertit, juxta illud : Qui ex Deo est, verba Dei audit. (*Joann.* viii, 47.)

Quintus effectus atque indicium amoris carnalis ecstatici, est pulsus inordinatus. Taliter quippe amorosi pulsum habent aut nimis tardum, aut valde velocem, secundum diversas apprehensiones et affectiones de amato conceptas. Dum enim de ejus adeptione desperant, tardum mox habent pulsum ; velocem vero, quando de eo vicem amoris reportare confidunt. Sic anima spiritualiter ecstatice amorosa pulsus, id est affectiones, habet mirabiliter celeres ac veloces, quando de Sponsi sui adeptione confidit, quando ab ipso se visitari, impleri, consolari, amplecti experitur, dum de ejus gratiosa præsentia jucundatur, aut de ejus beatifica fruitione habenda quodammodo certificatur, quemadmodum ait Apostolus : Ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro quod filii Dei sumus. (*Rom.* viii, 16.) Talem habuit pulsum internum Sanctus qui dixit : Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum ; (*Ps.* lxxxiii, 3.) et denuo : Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum. (*Ps.* cxviii, 32.) At vero, dum anima ariditatem spiritus incidit, et solita alacritate ac consolatione privatur, dum de beatitudinis adeptione graviter anxiatur, aut de reproborum numero esse veretur ; tardum mox habet pulsum, dicens cum sancto Job Domino : Clamo ad te, et non exaudis me ; sto, et non respicis me ; mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. (*Job* xxx, 20, 21.)

Sextum opus ac signum amoris carnalis ecstatici, est quod taliter amorosus videndo rem rei amatæ consimilem inflammatur, concutitur, adspicit, et quasi insanire videtur. Sic anima spiritualiter ecstatice amorosa, Deum in hac vita in se ipso videre ac degustare non valens, dum ejus bonitatem, dulcedinem, venustatem et excellentiam in suis contemplatur ac gustat effectibus, atque in prælibatione quadam per genera speciemque creatam, protinus alienatur, concutitur, alteratur, ut quasi insaniens videatur, imo ab inexpertis ac temerariis insana ac fatua judicetur, dum anima sursum tendente ac corpus suum

relinquente, corpus inclinatur seu variis A modis movetur ac casum minatur.

Septimum signum amoris carnalis ecstatici, est defectiva et truncata locutio et modica allocutio cum dilecto dum præsens est. Nam taliter amorosi in absentia concipiunt multa ; dum vero conveniunt, proferunt pauca, et eadem imperfecte : siquidem magnitudo affectionis verba abrumpit et mentem absorbet, in amplexum et oscula ruens. Sic anima spiritualiter amorosa ecstatice defectivis atque truncatis utitur sermonibus loquendo cum Spon- B
Cant. II, 16. so, sicut dum ait : Dilectus meus mihi, et ego illi. In quibus ratio verba amoris debet supplere et explanare, quemadmodum
Exod. IV, 14, 16. eloquens Aaron fuit os Moysis infacundi. Unde quum loquitur Sponsa, Dilectus meus mihi ; supplendum est : gratiose se exhibet, et super omnia mihi placet, estque carissimus. Et ego illi, supple : intenta sum, placere desidero, uniri peropto.

ARTICULUS XX.

Quod ad jam prædictam triplicem viam plurima reducuntur quæ passim a doctoribus sunt scriptitata.

QUAM *magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti.* Ps. CIII, 24.

Primo de Cœlo et mundo Aristoteles ait : Per hunc quidem numerum (puta trinarium) adhibeamus nos ipsos magnificare unum Deum eminentem proprietatibus eorum quæ creata sunt. Quod ideo dixit Phi- D losophus, quia in cunctis creatis apparet perfectio quædam in trinario, sicut in principio et medio ac fine. Idcirco antiqui Deum honoraverunt orationibus ac sacrificiis triplicatis, prout Commentator ibi
dist. III, q. 1, a. 4 ad 1um. exponit, et Thomas super primum Sententiarum allegat. Itaque numerus iste trinarius perfectionem et excellentiam quamdam importat, atque in creatis omnibus invenitur, et in ipso creaturarum consistit perfectio. Hinc superbenedictæ Trinitatis vestigium dicitur in omnibus relucere. In omni namque creato quædam est trinitas (præsertim in entibus esse completum habentibus), utpote : essentia, potentia et operatio, seu esse, posse et agere ; principium, medium et finis ; potentia et actus, et utriusque connexio, seu quod est et quo est, et amborum conjunctio ; modus, species et ordo, seu mensura, numerus et pondus : unde per Sapientem Deo dicitur : Omnia in mensura et numero et pondere *Sap.* XI, 21.
constituisti. Rectissime ergo Psalmographus cecinit Creatori : Quam magnificata (id est valde magnifice, valde eminenter ac ordinate facta) sunt opera tua ! Nam omnia in sapientia fecisti, id est sapientissime.

Conformiter in rationali creatura ad trinarium quoddam quasi omnia reducuntur, etiam viæ et exercitia ac media quibus ad Deum pertingitur, ad viam videlicet purgativam, illuminativam ac perfectivam seu unitivam. Nempe ad viam purgativam pertinet status incipientium, ad illuminati- C vam status proficientium, ad unitivam status perfectorum. Rursus ad purgativam pertinet status animalis, ad illuminativam status rationalis, ad perfectivam status spiritualis. Item ad purgativam pertinet principium reformationis rationis, voluntatis atque memoriæ, ad illuminativam profectus reformationis hujusmodi, ad unitivam reformationis ejusdem perfectio. Præterea, quum triplex sit veritas, scilicet veritas vitæ, veritas doctrinæ, veritasque justitiæ ; ad purgativam pertinet veritas vitæ, ad illuminativam veritas doctrinæ, ad perfectivam veritas justitiæ. Adhuc autem ad purgativam pertinent virtutes politicæ, ad illuminativam virtutes purgatoriæ, ad unitivam virtutes purgati animi. Postremo ad purgativam pertinent servi fideles, ad illuminativam secreti amici, ad perfectivam occulti filii. Potest etiam dici, quod ad purgativam pertineant virtutes morales, præsertim ad sensitivum appetitum spectantes, quæ circa passionum refrenationem versantur ; ad illuminativam

virtutes intellectuales, ad unitivam virtutes theologicales, præsertim secundum suum esse perfectum, et maxime caritas.

ARTICULUS XXI.

Declaratio prædictorum, videlicet distinctio inter servos et mercenarios ac secretos amicos occultosque filios.

J*AM non dicam vos servos,* sed *amicos : quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Joann. xv, 15.

Ista sunt verba Christi, quibus inter servos et amicos distinguit, quum tamen omnes boni ac virtuosi sint servi ipsius. Porro abbas Cassianus mercenarios præfert servis. Sed divinissimus ille Joannes Ruysbroeck mercenariis servos præponit. Iterum idem Joannes occultos filios præponit amicis. Cancellarius autem Parisiensis amicos prætulit filiis. Considerandum est igitur qualiter ista distingui, intelligi concordarique debeant.

Collation. Patr. collat. xi, c. 7.

Itaque, juxta Cassianum, triplex est incitamentum seu motivum vitandi peccata faciendique bona. Primum est timor supplicii, puta æternæ damnationis, aut certe temporalis incommodi aut tormenti. Et iste est timor pure servilis, quem caritas excludit, dicente Joanne apostolo in prima sua Canonica : Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Siquidem timor pure servilis et caritas simul esse prorsus nequeunt : quoniam solum serviliter timens non diligit bonum virtutis, nec Dei intuitu ac amore deserit vitium agitve bonum, sed ex sui ipsius amore privato, ne scilicet patiatur quod horret ac gravat. Ex quo quidem amore reciproco, improbo et reflexo servilis scaturit timor, quum ex eadem procedat radice appetere et amare proprium bonum et fugere ac timere malum contrarium. Idcirco qui solum serviliter timet, semetipsum plus amat quam Deum, nec in Deo, sed in bono creato, caduco sibi constituit finem :

I *Joann.* iv, 18.

A ideo in mortali est culpa damnationisque statu. Hinc magni doctores, videlicet Alexander de Hales et Guillelmus Antisiodorensis, in suis asserunt Summis, quod quis posset pro fide pati martyrium, et tamen damnari, videlicet si ex solo servili id ferat timore. Nec mirum, quum et Apostolus fateatur : Si tradidero corpus meum ita ut ardeam (id est, pro fide igne comburar), caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Nempe, quamvis timor servilis vitet culpam et faciat bonum ex genere,

I *Cor.* xiii, 3.

B nullum tamen horum facit bene et sicut oportet, puta recta intentione et ex bona ac viva radice. Alius vero est timor initialis, quo quis vitat peccatum facitque bonum partim timore supplicii et partim amore Dei ac præmii. Et hic timor est bonus, quamvis sit imperfectus. Tertius est timor filialis, qui est fuga offensæ Dei, vitans culpam et faciens bonum ne Deus offendatur ac deserat hominem : sicque timor iste ex caritate procedit. Secundum incitamentum mala vitandi ac bona agen-
C di, est spes seu desiderium præmii. Tertium vero, est amor Dei, affectus boni honesti ac zelus justitiæ.

Itaque eos qui ex servili timore fugiunt culpam ac faciunt bonum, Cassianus vocat servos, nimirum a servitute, scilicet servilis timoris. Juxta quem sensum ait Salvator : Servus non manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum. Porro mercenarios nominat Cassianus eos qui Deo deserviunt intuitu præmii speque mercedis (juxta illud : Inclinavi cor meum
D ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem), nec solum quidem, sed simul etiam ex amore Dei et zelo justitiæ, ut ibi dicemus. Eos autem qui ex amore puro Deo ministrant, vocat Cassianus amicos et filios : inter quos non distinguit, sicut nec sacra Scriptura.

Joann. viii, 35.

Ps. cxviii, 112.

Præterea, divus ille Joannes Ruysbroeck aliam habuit considerationem. Nam servos vocavit qui divina præcepta ex caritate observant, mortalia declinantes peccata, et opera vitæ activæ, videlicet actus mise-

ricordiæ, exercentes, nondum tamen ad A contemplativæ vitæ saporem evangelicorumque observantiam consiliorum se dantes. Et isti sunt servi servitute timoris initialis partimque filialis. Juxta quem modum Christus in Evangelio loquitur : *Matth.* xxv, 21, 23. Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui. Viri quoque perfecti et Sancti in patria, servi Dei vocantur servitute filialis ac casti timoris, qui etiam in patria perseverat. Unde in Apocalypsi legi- *Apoc.* xxii, 3-5. tur : Servi Dei servient illi, et videbunt faciem ejus, et regnabunt in sæcula sæculorum. Imo sic Christus prout homo, servus Dei in Scripturis vocatur. De quo Deus *Is.* xlii, 1. Pater per Isaiam testatur : Ecce servus meus, suscipiam illum ; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Et rur- *Ibid.* liii, 11. sus : In scientia sua justificabit ipse servus meus multos, et peccata illorum portabit. — Porro mercenarios vocat noster Ruysbroeck, qui Deo ministrant principaliter intuitu desiderioque mercedis. Ideo in caritate et gratia non sunt : quoniam Deo ex caritate et amore boni honorisque C Dei principaliter obsequi est necesse, ut Deus sit finis, non ipsemet operans seu proprium bonum. — Amicos demum appellat idem eos qui non solum ex caritate observant præcepta et opera pietatis exercent, sed contemplationi quoque insistunt, interna ac amorosa adhæsione Domino cohærentes, atque ad spiritualem saporem se extendentes, et etiam evangelica observantes consilia. Verumtamen nondum plene nudi effecti sunt, seu ab omni proprietate (id est conversione ad se ipsos ac D spiritualia dona) nudati : quia ad consolationem internam, devotionem sensibilem, dulcem adhæsionem plus adspirant et afficiuntur quam admittit perfectio. Unde, quum talia eis adsunt, alacres sunt ; pusillanimes vero, si talia desint. Idcirco nondum perfecte sibi ipsis sunt mortui, nec sincerissime integerrimeque ad Deum conversi. Hos ergo appellat fideles Dei amicos. — Occultos autem Dei filios vocat qui prædictis omnibus moriuntur, et a se ipsis seu reflexione ad dona præfata nudati sunt atque ad Deum plenissime versi, eum dumtaxat, non dona ipsius, adspicientes, quærentes, pensantes, nisi forte in quantum per ea Deum valeant honorare ac adipisci, quod aliter nequeunt. Hinc isti Deo potissimum placent, et visitantur, implentur, rapiuntur ac summe beatificantur ab ipso, qui sive sensibilem devotionem et consolationem internam experiantur, sive non, æquali accipiunt animo, ac Deo cohærent, non aliud quam ipsius hono- B rificentiam, gloriam, complacentiam ac unionem sincerissimumque amorem optantes.

ARTICULUS XXII.

De triplici gradu reformationis internæ.

R*ENOVAMINI spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est.* Ephes. iv, 23, 24.

Quum in tribus supremis animæ viribus, videlicet intellectu, memoria, voluntate, attendatur summæ et increatæ Trinitatis imago in anima rationali, modicum de harum reformationibus virium est tangendum.

Itaque initium reformationis intellectus seu rationis, est per fidei veritatem et sacræ Scripturæ doctrinam et per Ecclesiæ documenta ab erroribus et ignorantia saluti contrariis expurgari, et necessariorum ad salutem agnitionem adipisci. Porro profectus reformationis, est ex illustratione divina rationes credibilium per donum intellectus conspicere, et in Scripturis desuper erudiri, atque in summæ veritatis notitia salutari sumere incrementum, quemadmodum ad Colossenses ait Apostolus : Postulamus ut impleamini agnitione vo- *Coloss.* i, 9, 10. luntatis Dei in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo, semper crescentes in scientia Dei. Quamvis etenim fides christiana sit penitus supra rationem et de incomprehensibilibus rebus,

nihilo minus mens sincera divinitus illustrata, A nexum, rationes ac ordinem credendorum intelligens, cernit nihil rationabilius esse fide catholica, dum omnia comportantur. Perfectio autem reformationis rationis, est per mentis excessum supra se rapi, et non per argumenta ratiocinationum, nec per corporearum ænigmata similitudinum, sed pura et anagogica intelligentia Altissimum contemplari, juxta illud Apostoli : Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate B in claritatem.

II *Cor.* III, 18.

Præterea initium reformationis voluntatis, est vitiis reluctari, et eam divinorum rectitudini præceptorum subjicere, nec passionibus subjacere, sed prævalere. Profectus vero hujus reformationis, est sensitivas affectiones habere voluntati subjectas, et cuncta voluntatis desideria habere in Deo adunata ac ordinata. Perfectio autem reformationis istius, est unum esse cum Deo in spiritu per amorem, ut jam aut non aut vix possit velle nisi Deum et C quæ ei sunt placita, et inavertibilis sit ab eo. Quod confirmatis in bono potissimum convenit, et viris perfectis non nihil competit, qui cum Apostolo dicere habent : Certus sum quia neque mors, neque vita, nec aliqua creatura, etc.

Rom. VIII, 38, 39.

Insuper initium reformationis memoriæ intellectualis, est eam a suis distractionibus ad Dei commemorationem orando, legendo, meditando reducere. Profectus reformationis memoriæ, est in ipsis orationibus, lectionibus ac meditationibus D mentem in Deo fixam sine importuna evagatione tenere, atque in latitudine cordis cum Deo deambulare. Perfectio autem reformationis memoriæ, est ita in Deum esse absorptum, ut sui ipsius ceterorumque omnium obliviscatur homo, atque in Deo absque volubilium cogitationum imaginationumque strepitu dulciter conquiescat.

Ecce ad hæc ordinanda ac fortiter prosequenda sunt omnia exercitia nostra bona.

ARTICULUS XXIII.

De veritate atque multiplici veritatis distinctione, præsertim de triplici veritate ad triplicem viam præhabitam pertinente.

EST *autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Rom. III, 4.

Quum omnis perfectio sit in Deo, quanto magis veritas? Rursus, ens et verum convertibilia sunt, dicente Philosopho : Sicut se habet res ad esse, ita ad veritatem. Est ergo Deus verus et veritas ipsa. Primo, quoniam habet esse summe ratum, perfectum, incommutabile, uniforme ac solidum. Propter quod ait S. Hieronymus : Solus Deus vere est, cujus essentiæ comparatum nostrum esse non est. Et Avicenna octavo Metaphysicæ suæ affirmat : Quidquid necesse est esse, veritas est. Secundo, quoniam esse divinum est purum ac impermixtum, nihil de non esse, nihil de vanitate aut falsitate habens admixtum : quod nulli creato competit enti. Tertio, quoniam Deus per suam essentiam ostendit quod est. Quarto, quia per eam suo intellectui est conformis. Quinto, quoniam omnis veritatis creatæ est causa fontana.

Insuper in intellectu divino est veritas, quia divinam essentiam et alia omnia intelligit sicut sunt, estque institutor, mensura ac regula omnis veritatis creatæ. Rebus vero creatis competit veritas per comparationem ad intellectum divinum, in quantum conformantur rationi ideali quam habent in mente æterna, ac sortiuntur naturam quam Deus creator ipsis præstitit atque largitus est. Unde Richardus de Mediavilla super primum Sententiarum, distinctione octava, testatur quod veritas consistit in conformitate rei ad suum exemplar.

Est itaque multiplex veritatis divisio. Prima, quod alia est veritas creata, alia increata. — Secunda, quod veritas increata ponitur duplex, videlicet veritas di-

vinæ essentiæ et veritas intellectus divini: quæ duæ veritates realiter idem sunt, sola ratione distinctæ. Iterum, quamvis veritas conveniat Deo absolute, et tribus superbenedictis Personis communis sit, imo omnes tres una sint veritas sicut et una essentia; nihilo minus veritas Filio appropriatur, quemadmodum caritas Spiritui Sancto, eo quod Filius sit emanatio intellectus, ad quem pertinet veritas, sicut Spiritus Sanctus emanatio est voluntatis, ad quam pertinet caritas. Hinc ars, veritas, sapientia, ratio idealis, exemplar, pulchritudo, species, Filio attribuuntur. Itaque, juxta hoc, veritas increata adhuc duplex asseritur, sicut et sapientia increata, utputa: veritas genita, scilicet Filius; atque ingenita, quæ est divina essentia. — Insuper veritas creata est multiplex, videlicet veritas entis et veritas propositionis, ac veritas signi et veritas ostensionis. Interdum quoque accipitur veritas pro virtute morali ad justitiam pertinente: per quam veritatem homo ita se habet in factis sicut promisit et dixit. Est item quoque tripartita divisio veritatis, videlicet veritatis vitæ, doctrinæ et justitiæ: unde jam aliqua tangam.

Præterea, sicut verum tripliciter dicitur, ita et vanum sibi oppositum. Primo siquidem dicitur verum prout cum ente convertitur. Et sic omne ens dicitur verum.
Dan. IV, 34. Unde Daniel: Omnia (ait) opera Dei vera sunt. Sicque vanum vero huic oppositum dicitur non ens, ut Chimæra. Secundo dicitur verum prout ultra hanc veritatem seu veram rei entitatem, addit ordinem ad operationem ac finem: quemadmodum dicitur verus ignis, qui habet operationem igni convenientem; et verus homo, qui utitur ratione. Sicque vanum huic vero oppositum dicitur per privationem ordinationis in finem. Et ita abusiones et iniquitates sunt vanæ. Tertio dicitur verum prout addit super veritatem rei impermixtionem et omnimodam impotentiam ad non esse. Et sic dicitur verum esse habere quod habet omnino invariabile esse, scili-

A cet Deus, qui (teste Apostolo) solus habet *I Tim.* VI,
immortalitatem, id est omnimodam inva- 16.
riabilitatem. Sicque vanum huic vero contrarium dicitur quod habet commutabile esse. Et ita omnis creatura vanitati subjecta est. Quæ vanitas est distantia ac deficientia a vero et incommutabili esse. Hinc apud Ecclesiasten legitur: Omnia subja- *Eccle.* III,
cent vanitati. Et Apostolus: Vanitati (in- 19. *Rom.* VIII,
quit) creatura subjecta est. Omnis namque 20.
creatura ex se habet deficere, ac dependentiam a Deo, sine cujus manutenentia
B nec ad momentum posset subsistere. Propter quod Plato in primo Timæi Deum inducit loquentem: O dii deorum! quorum pater et opifex ego. Natura quidem corruptibiles estis, mea autem voluntate incorruptibiles permanetis. Idcirco in primo Metaphysicæ suæ loquitur Avicenna: Quidquid est præter necesse esse (id est præter incommutabilem Deum), in se falsum est, id est vanum ac defectivum, indigens ac dependens. Hinc etiam in Job habetur:
Ecce qui serviunt Deo non sunt stabiles, et *Job* IV, 18.
C in angelis suis reperit pravitatem.

Denique, juxta Thomam, est quadruplex veritas, quarum posterior a priori dependet, videlicet: veritas prima, veritas rei, veritas intellectus creati rem apprehendentis, et veritas signi seu propositionis.

Porro Petrus de Tarantasia super pri-
mum Sententiarum scribit, quod veritas dist. VIII.
uno modo opponitur falsitati. Et sic veritas essentiæ non est propria Deo. Alio modo opponitur permixtioni: quemadmodum
D dicitur verum aurum, cui nil alieni metalli est mixtum. Et sic veritas, esse atque essentia Deo est propria, quoniam nil privationis aut defectus divino esse miscetur. Omni vero enti creato multiplex non entitas est admixta per negationem multiplicis gradus entitatis ab eo. Hinc veritas creaturæ non est pura neque perfecta.

Postremo, veritas vitæ est vita seu conversatio vitalisve actio secundum divinæ legis rectitudinem regulata, seu juxta di-

vinorum tenorem præceptorum exhibita A
ac directa. Consistit namque veritas vitæ in hoc quod rationalis creatura actiones suas conformat divinæ mentis judicio, operando secundum censuram ac jussa regulæ mentis æternæ, agens quæ approbat Deus, et vitans ac reprobans quæ reprobat
Joann. III, 21. ille. De qua veritate ait Salvator : Omnis qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt
I *Tim.* VI, 17-19. facta ; et Apostolus : Divitibus præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed divites fieri in operibus B
bonis, ut apprehendant veram vitam. Per
Is. LXI, 8. Isaiam quoque loquitur Deus : Dabo opus eorum in veritate. Hæc veritas fictionem et simulationem excludit, ut sit homo in vita sua sincerus, non simulator et callidus. Veritas autem doctrinæ est ipsa doctrina divinæ et increatæ veritati ac sapientiæ conformata, utpote expers erroris.
Galat. I, 8. De qua scribit Apostolus : Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Veritas vero justitiæ dupliciter C
dicitur : primo, prout ipsa justitia est quædam rectitudo secundum divinæ et increatæ justitiæ regulam mensurata ; secundo, prout quis ex justitiæ zelo veritatem fatetur, sicut fit in judicii foro. — Hinc quidam sic dicunt : Veritas consistit in hoc, ut homo in dictis et factis suis rectitudini divinæ legis ac sapientiæ conformetur illamque imitetur, cui se homo conformare debet : primo in his quæ ad cognitionem pertinent, quod spectat ad veritatem doctrinæ ; secundo in his quæ per se ipsum D
agere debet, quod ad veritatem pertinet vitæ ; tertio in his quæ debet circa alios observare aut observanda promulgare, quod ad veritatem justitiæ certum est pertinere.

De hac triplici veritate dixerunt adver-
Matth. XXII, 16. sarii veritatis Christo : Magister, scimus quia verax es (ecce veritas vitæ), et viam Dei in veritate doces (ecce veritas doctrinæ), et non est tibi cura de aliquo (ecce veritas justitiæ).

ARTICULUS XXIV.

Quod Deus est prima, actualissima, opulentissima ac beatissima vita ; et de multiplici vitæ distinctione, specialiter de triplici vita.

APUD *te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Ps. XXXV, 10.

Quum esse divinum tanquam pelagus quoddam omnem essendi plenitudinem, nobilitatem excellentiamque contineat et includat, certum quod esse Dei sit esse vivum ac intellectuale. Quumque Deus sit vere atque in fine totius simplicitatis penitus simplicissimus, in quo, sicut in libro de Causis probatur, nullorum compositio est modorum ; elucescit quod ipse sit per se ac essentialiter vivens ipsaque actualissima vita : imo in ipso prorsus sunt idem, esse, vivere, intelligere et amare. Insuper, quum supergloriosissimus Deus, prout duodecimo Primæ philosophiæ Aristoteles demonstravit, sit purus actus, cujus est omnia alia transmutare, movere, perficere, atque a nullo mutari, moveri aut perfici ; palam est quod fontalis plenitudo vivendi ac superditissima possessio vitæ ei conveniat. Denique, in rebus creatis vivere perhibentur quæ movent se ipsas ad actum. Quum itaque superpræstantissimus Deus se ipsum liberrime, juxta sapientiæ suæ censuram ac operis sui rationem exemplarem ac idealem, ad omnem quam in creaturis efficit operationem inducit, clarissimum est quod ipse verissime vivere affirmetur, præsertim quum ipse sit, juxta philosophos, intellectus universaliter agens, in quo omnia intellectualiter idealiterque consistunt, quemadmodum et Joannes asserit : Quod factum est (omnis certe *Joann.* I, 3, 4.
creata essentia), in ipso vita erat, id est, vitaliter ac exemplariter et sapientialiter fuit in Deo. Hinc ipse apud Joannem unigenitus Dei Filius testatur : Sicut habet *Ibid.* V, 26.
Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. Et princeps quoque Apostolorum dixit ad Salvatorem : *Matth.* XVI, 16.
Tu es Christus, Filius Dei vivi.

Opulentissima ergo et prorsus nobilissima ac deliciosissima est vita entis altissimi, Dei sublimis et benedicti, qui est ipsa veritas prima, sapientia infinita, voluntas liberrima, caritas sempiterna, mens supersanctissima, incomprehensibiliter incircumscriptibiliterque perfecta. Itaque beatissima est vita ipsius, in quo omnis perfectio tam infinite ac simplicissime est consistens, quum felicitas dicatur status omnium bonorum aggregatione perfectus.

Nonne superbeatissimus ac supervoluptuosissimus est Dominus Deus noster, qui intuendo se ipsum, conspicit se omnibus interminabiliter præeminere, omnia incomparabiliter prorsus transcendere, a nullo penitus dependere, nulliusque indigere; cujus cetera cuncta sic indigent, ut absque ipsius conservatione atque imperio nec ad punctum possint durare; qui videt se esse bonitatem immensam, omnipotentem virtutem, supersanctissimam mentem, universorum fontale principium; in quo est omnium bonorum omniumque pulchrorum ac desiderabilium infinita possessio? Contemplatur se esse pulchritudinis infinitæ, suavitatis ac gloriæ illimitatæ; videt quod suæ dignitatis, auctoritatis atque clementiæ, suæ libertatis ac opulentiæ, suæ securitatis, æternitatis, justitiæ atque præexcellentiæ nullus sit finis, nulla mensura, nullum obstaculum, et quod ipse sit summus Judex ac Rex universorum, in cujus ditione cuncta sunt posita, in cujus manu est salvare et condemnare. *Esther* XIII, 9.

Rite ergo Deus beatissimus prædicatur, qui pro felicitate contemplativa habet sui ipsius ac omnium perfectam scientiam; pro beatitudine activa, totius mundi gubernationem liberrimam. Pro felicitate quoque terrena ac falsa quæ in divitiis, potestate, voluptate, et fama, laude ac honore exquiritur, habet pro divitiis, in se ipso perfectionem opulentiamque immensam, ac universorum dominantissimam possessionem; pro potestate, omnipotentiam; pro voluptate, de se ipso in se infinitam lætitiam, et de suis effectibus gaudium (juxta illud : Sit gloria Domini in *Ps.* CIII, 31.
sæculum; lætabitur Dominus in operibus suis); pro fama, omnium intellectualium creaturarum admirationem; pro laude, jugem triumphantis ac militantis Ecclesiæ collaudationem; pro honore, latriæ cultum ab omni consortio devotorum.

Præterea, a præfata actualissima vita Dei profluit omnis vita creata, vita naturæ, vita gratiæ vitaque gloriæ. Vita autem naturæ in vegetativam, sensitivam, secundum locum motivam, rationalem seu discursivam ac intellectivam partitur. Vita vero gratiæ appellatur quævis actio virtuosa procedens a gratia, seu conversatio bona, aut ipse habitus gratiæ gratificantis, aut certe primus interior et elicitus actus ipsius, quæ est habentem Deo facere gratum, acceptum spiritualiterque viventem, vel quæcumque virtus caritate formata, seu caritas ipsa, quæ vita animæ nuncupatur. Postremo, vita gloriæ est beatitudo æterna, aut lumen gloriæ ad beatificam Dei visionem mentes Beatorum disponens, seu actio quælibet civium supernorum jucunda ac gloriosa.

ARTICULUS XXV.

De bonis industriis quibus ad incrementum virtutum, ad perfectionem contemplationisque gratiam pervenitur.

QUUM quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ. Deut. IV, 29.

Ut sanctus ait Gregorius, ars artium est regimen animarum. Sic itidem scientia scientiarum revera dici potest, Deo servire, in virtutibus crescere, tentationibus prævalere, non deficere neque tepescere a bono incepto, sed digne ac strenue perseverare in eo, sicque ad perfectionem ac bravium supernæ vocationis pertingere. *Philipp.* III, 14.
Itaque ad hæc peragenda indigemus multis laboribus, multis industriis, diligentia grandi, discretione ingenti. Quamvis etenim Deus liberrimus, cui licet facere

quidquid vult, quosdam misericordissime, etiam dum pravitatibus suis intenti sunt, præveniat, tangat, convertat; regulariter tamen et generaliter loquendo, oportet ut homo ad dona gratiæ Dei se præparet, quod in se est faciendo. Hinc etenim in *Zach.* I, 3. Zacharia legitur : Convertimini ad me, et convertar ad vos, dicit Dominus. Ja- *Jacob.* IV, 8. cobus quoque apostolus : Appropinquate (inquit) Deo, et appropinquabit vobis.

Nunc ergo breviter aliqua sunt tangenda ad proficiendum accommoda satisque necessaria.

Primum est frequens et intenta oratio. Quum enim tota sufficientia nostra ex Deo sit, sine quo nil boni valemus, oportet ut Dei auxilium jugiter ac fervide invocemus, *Ps.* LXIX, 2. cum Psalmista dicentes : Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina ; aut verba similia. Hinc *Luc.* XVIII, 1. in Evangelio ait Salvator : Oportet semper orare et non deficere. Denique ad istud etiam pertinet, propriam imperfectionem, fragilitatem ac defectuositatem pensare, de se nihil præsumere, totam in Deo spem *Osee* XIII, 9. ponere, qui per Osee loquitur : Perditio tua ex te; in me tantummodo auxilium tuum.

Secundum est, propriam vitam quotidie vigilanter discutere, seque coram Deo cordialiter accusare, profunde humiliare, petere veniam, atque proponere emendationem. Nam, sicut in Ecclesiastico fertur, *Eccli.* XXXV, 21. oratio humiliantis se nubes penetrabit. Et *Ps.* CI, 18. Psalmista loquens de Deo : Respexit (ait) orationem humilium, et non sprevit pre- *Ps.* L, 19. cem eorum ; itemque : Sacrificium Deo spiritus contribulatus.

Tertium est, omnipotentis Dei præsentiam omnia intuentem sapienter perpendere, sicque coram Deo de fœditate peccati rubore perfundi. Ideo dixit Propheta ad *Ps.* CXVIII, 168. Dominum : Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in con- De Consolat. lib. V, pros. 6. spectu tuo. Et ut ait Boetius, magna nobis est indicta necessitas bene agendi, quoniam ante oculos cuncta cernentis Judicis omnia agimus.

Quartum est, divini rigorem judicii et

A acerbitatem infernalis incendii profunde considerare, immensitatem quoque felicitatis justorum, sed et brevitatem atque incertitudinem vitæ præsentis, mortis horrorem, futurique sæculi perpetuitatem. Propter quod scriptum est : Memorare no- *Eccli.* VII, 40. vissima tua, et in æternum non peccabis.

Quintum est, occasiones peccandi vitare, præsertim prava consortia, quum dicat Scriptura : Cum perverso perverteris ; *Ps.* XVII, 27. et, Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. *Eccli.* XIII, 1.

Sextum est, dominicam passionem juxta B modum præhabitum frequenter recolere. art. VI.

Septimum est diligens cordis custodia. Quod ut valeat efficaciter custodiri, necesse est linguam a praviloquiis refrenare, ventrem a crapula coercere, et sensus exteriores reprimere, ne quis incaute ac libidinose intueatur quemquam, nec illicita audiat verba, si possit evadere; quod si nequit, audiat mœsta facie et invite, quum Salomon contestetur : Per tristitiam vultus *Eccle.* VII, 4. corrigitur animus delinquentis. Inordinatum vero attactum oportet penitus devitare.

C Præterea ad proficiendum assignantur laudabiles quædam industriæ. Prima est, per corporis situationem ad devotionem se provocare : ut se prosternendo in terram, aut genua flectendo, aut pectus tundendo. Verumtamen in aliorum præsentia nihil singularitatis in talibus est agendum.

Secunda est, secretum quietumque locum captare, in quo homo cor suum coram Deo confidenter effundat, et sine aliorum inquietatione meditationi vacet et orationi. Unde, ut ait Evangelista, Christus ascendit *Matth.* XIV, 23. D in montem solus orare. Et ipsemet docet : Quum oraveris, intra cubiculum tuum, et *Ibid.* VI, 6. clauso super te ostio, ora Patrem tuum in abscondito. Hinc quoque, passione sua instante, a tribus etiam prædilectis familiarissimisque discipulis est avulsus, ut *Luc.* XXII, 41. separatus oraret, non utique ob indigentiam suam, sed ad nostri instructionem.

Tertia est, tempus magis accommodum observare. Tempus quippe nocturnum ad vacandum devotioni magis est aptum. Hinc monet Propheta : Consurge, lauda in no- *Thren.* II, 19.

cte, in principio vigiliarum, et effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui, leva ad eum manus tuas, et miserebitur tui. Tempus quoque diluculi, dum sensus sunt sobrii, aptum est. Propter quod ait Sapiens : Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum. Isaias vero utrumque hoc tempus tetigit, dicens : Anima mea desideravit te, Deus, in nocte ; de mane vigilabo ad te. Nihilo minus actus et orationes quibus certa præfixa sunt tempora, præordinatis sunt horis solvendi.

Eccli. xxxix, 6.

Is. xxvi, 9.

Quarta est, Sanctorum invocare suffragia, præsertim Virginis gloriosæ ac proprii angeli. Idcirco monet Job : Ad aliquem Sanctorum convertere.

Job v, 1.

Quinta est, in cunctis discrete procedere, quatenus (juxta apostolicum documentum) omnia secundum ordinem fiant atque decenter. Hinc sanctus pater Antonius discretionem omnium virtutum asseruit maxime necessariam et opportunam. Ipsa namque est virtutum auriga, modum mediumque observans, ac regia via incedens. Idcirco dixit Apostolus : Rationabile obsequium vestrum.

I Cor. xiv, 40.

Rom. xii, 1.

Sexta est, naturalem sive inolitam dispositionem bene advertere, et contra vitia ad quæ quis proclivior est, singulariter præliari, atque vitiorum amputare radicem.

Septima, ut propriam penset vocationem, et juxta illius exigentiam digne Deo studeat ambulare, ea quoque quæ Deus primo ac principalius a se requirit, sollicitius adimplere. Hinc namque hortatur Apostolus : Obsecro vos in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine et patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unde et in Ecclesiastico dicitur : Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.

Ephes. iv, 1-3.

Eccli. iii, 22.

Octava est, ut cunctis misericordiam pro posse promptissimo exhibeat animo, quatenus ita sibi fiat a Deo. Juxta quod ait Salvator : Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et breviter, sic proximis faciat, prout sibi a Domino fieri optat. Hinc quippe docet Tobias : Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini.

Matth. v, 7.

Tob. iv, 7.

Nona est, ut Deo semper cupiat complacere, atque ad ipsum assuescat cor ubique et semper vel saltem omnino frequenter levare. Ad quod peragendum brevibus ac internis utatur orationibus, dicens, Cor mundum crea in me, Deus; aut aliquid simile ; et adspirando ad Deum per verba affectuosa hujusmodi : O dulcissime Deus, quando te totis præcordiis diligam? quando te amorose adstringam? quando tuo accendar amore ? quando tibi stabiliter inhærebo ?

Ps. l, 12.

Decima, ut id ad quod omnia exercitia sua ordinantur, menti suæ proponat ac imprimat, et quoties se ab illo elongatum, lapsum, distractum sentit, mox doleat, atque ad illud mentis reflectat intuitum. Hoc autem est actualis unio mentis cum Deo, seu puritas cordis.

Undecima, ut bona ac solita exercitia sua devotionalia non cesset continuare, sive sensibilem experiatur devotionem et alacritatem, sive non : imo plus insistat vitiorum detestationi, et promptitudini mentis ad ea quæ sunt cultus ac honorificentiæ Dei, quam devotioni ac fervori experimentali atque sensibili; et toto affectu intentioneque purissima ad Deum adspiret, ipsum totis viribus veneretur, et ab omnibus cupiat venerari, pro omnibus intercedat vivis ac mortuis, specialiter pro propinquis, commissis ac benefactoribus, potissimum pro bono communi atque parentibus. Omne denique temporis spatium ac momentum studeat fructuose expendere, ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS OPUSCULI DE FONTE LUCIS AC SEMITIS VITÆ.

DE CONTEMPLATIONE

LIBRI TRES

DE CONTEMPLATIONE[1]

LIBER PRIMUS

DE CONTEMPLATIONE ET SPECIEBUS AC PRACTICA EJUS.

PROŒMIUM.

SAPIENTIAM amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam eam mihi assumere, et amator factus sum formæ illius, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. Sap. VIII, 2, 9, 16.

Sapientiam nobis potissime amandam desiderandamque unigenitus Filius Dei edocuit, qui in actu sapientiæ felicitatem B nostram constituens, Patri æterno deprompsit : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. (Joann. XVII, 3.) Etenim, quum Deus sit summa, vera ac plena sapientia, participatione sapientiæ Dei humana mens deificatur, atque angelicis mentibus parificatur ; et quamvis in vita præsenti nequeat mentis humanæ sapientia angelicorum spirituum sapientiæ adæquari, potest tamen homo fidelis nunc eatenus in caritate sapientiaque infusa proficere, ut mereatur C in patria nonnullis supernis spiritibus in sapientiæ venustate ac gloria præfulgere, tanquam fontanæ et increatæ Sapientiæ intimius feliciusque unitus. Denique, sapientia decor est animæ, claritas mentis, nobilitas intellectus; sine qua nemo redditur Deo amabilis, neque a læsione peccati curabilis, protestante Scriptura : Neminem diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia (Sap. VII, 28.)

A inhabitat ; et alibi : Per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi, Domine, ab initio. (Sap. IX, 19.)

Hæc est vera, divina ac salutaris sapientia, quam solus Spiritus Sanctus diffundit et condit in mente creata : quam nemo reproborum sortitur usque in finem, nullus quoque philosophorum cognovisse aut recepisse censetur. Siquidem in malevolam animam non introibit hæc sapientia : imo quando ipsa ingreditur mentem quam invenit malam, efficit bonam. (Ibid. I, 4.) Sine B hac sapientia tenebræ ignorantiæ et caligo peccati operiunt mentem ; fuscant confunduntque animam passionum venti, fumique a sensualitate jugiter emergentes. Porro spargente se, radiante ac diffundente hujus sapientiæ luce interna per omnia animi interiora, vitiorum nebulæ dissipantur, passionum motus sedantur, ignorantiæ caligo detergitur, totaque insuper anima clarificatur. Quemadmodum enim in universitate machinæ mundialis cuncta corporalia solis fulgore illustrantur, or- C nantur aut fecundantur ; sic sapientiæ hujus splendore omnia mentis intima irradiantur, decorantur atque fecunda redduntur.

Hanc igitur ardenter amemus, cordialissime exquiramus ; itemque in sponsam nostri rationalis spiritus assumamus, brachiis caritatis eam intra nos in cordis cubiculo spiritualiter complectentes, in ejus castis amplexibus dulciter quiescentes, ex ea quoque multiformiter fructificantes,

[1] Ex editione Coloniensi Petri Quentel, 1534.

sinceras meditationes, sanctas affectiones, circumspectos sermones virtuosaque opera producentes et quasi gignentes ex ea. Sic nempe « communicabit » nobiscum « de bonis », animum nostrum præfatis germinibus fecundando, spirituali lætitia perfundendo, ac ceteris suis effectibus contemplationibusque divinis ditando.

ARTICULUS PRIMUS.

De quo sit præsentis editionis intentio.

PATER *gloriæ det vobis spiritum sapientiæ in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis.* Ephes. I, 17, 18.

In omni multitudine rite disposita oportet ordinem esse, videlicet convenientem reductionem ad unum. Et sicut omnis multitudo procedit ab uno, sic redit ac tendit ad unum. Procedit equidem multitudo ab uno principio effectivo, et tendit ad unum finem. Quoniam ergo multæ sunt vires animæ rationalis, atque quamplurimi actus ipsarum, oportet in viribus itemque in actibus ordinem esse, ita quod una sit vis animæ ceteris celsior, unusque actus aliis potior.

Porro jam tactum est, quod in cognitione Dei beatitudinem nostram Salvator constituit. Cognitio autem Dei contemplatio potissime appellatur. Itaque, quia in contemplatione perfectio nostra felicitasque consistit, idcirco de contemplatione, tanquam de omnium exercitiorum, desideriorum atque laborum nostrorum quietissimo ac suavissimo fine, aliquid scribere (prout Spiritus veritatis dare dignabitur) cupio et intendo, potius pro mei ipsius excitatione, quam aliorum instructione, præsertim quum de hac re alios informare, parvitatis meæ vires experientiamque transcendat. Jam quoque de contemplatione a viris magnis multa copiose conscripta sunt. Unde et fateor me præsumptionis argui posse, eo quod de contemplatione conscribere expertorum sit, divinorum sublimiumque virorum; ego autem inexpertus, vilis et

A infirmus sum. Verum ne de temeritate prorsus redarguar, de præsenti materia non nisi simplici modo loqui intendo, magnorum Doctorum sanctorumque Patrum ac contemplativorum virorum inhærendo doctrinis.

ARTICULUS II.

De multiplici sapientia.

OMNIS *sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante*
B *ævum.* Eccli. I, 1.

Quemadmodum Deus ut primum ens omnibus est causa essentiæ et essendi, atque ut primum bonum omnibus est causa bonitatis et appetendi, item ut primum vivens omnibus est causa vivendi et vitæ; ita ut primum sapiens, seu prima, fontana et exemplaris sapientia, omnibus est causa sapientiæ, intelligentiæ atque notitiæ. Etenim in omni ordine ac quolibet genere, primum est potissimum, perfectissimum causalissimumque in ordine et ge-
C nere suo.

Verumtamen non uniformiter eodemque modo est Deus omnibus causa sapientiæ atque scientiæ. Hoc quippe omni menti creatæ est commune, quod intellectualem naturam et intellectivam potentiam a summa et increata mente immediate sortitur; ipsam vero habitualem seu actualem sapientiam sive notitiam non omnes immediate a Deo causaliter sortiuntur, sed aliqui per considerationem, laborem aut studium aliorumque instructionem, sapi-
D entiam et notitiam adipisci noscuntur. Denique angelicis mentibus sapientia atque scientia naturales, utpote ad quas naturalis earum proprietas, conditio vel capacitas se extendit, sunt concreatæ; sapientiam vero beatificæ fruitionis, et scientiam qua creata cognoscunt in Verbo, receperunt divinitus in sua conversione ad Deum et confirmatione in bono. De ceteris vero supernaturalibus perfectionibus, quando et quomodo eas a Deo susceperint, opiniones sunt variæ, quibusdam dicentibus an-

gelos in gratia gratum faciente et caritate fuisse creatos, imo in fide quoque et spe : quam opinionem S. Thomas secutus est. Hi itaque simili ratione dicere habent, angelis fuisse concreata Spiritus Sancti dona, inter quæ sunt sapientia atque scientia, secundum unam earum acceptionem. Præterea alii tenent oppositum. Sed omnes isti, Aristotelem et Peripateticos imitando, adstruunt mentibus humanis scientias non esse concreatas nisi secundum habitum quemdam confusum, quo naturaliter primis consentit principiis quilibet homo, tam in speculativis quam practicis.

Est itaque in hominibus primo quædam sapientia naturalis et acquisita ac philosophica ; estque sapientia ista immaterialium, intellectualium immortaliumque naturarum (præsertim ipsius supersimplicissimi ac invariabilis Dei) cognitio, quantum ex rerum cursu, natura ac ordine hujus-
Rom. I. 20. modi queunt cognosci. Invisibilia namque Dei per ea quæ facta sunt, ab homine intelliguntur, juxta Apostolum. Effectus quippe causam repræsentat et cognitam facit.

Verum, quum homo propter supernaturalem beatitudinem sit creatus, non ei suffecit sapientia naturalis, sed fide ac supernaturali sapientia eguit : per quam sapientiam ea de Deo cognoscit quæ naturali ratione non elucescunt, nec inveniri comprehendique possunt, sed divinitus revelata sunt Patribus sanctis, Apostolis ac Prophetis, sicut ea quæ subcadunt fidei articulis.

Insuper, sapientia ista supernaturalis est duplex. Una quæ numeratur inter dona gratiæ gratis datæ : quæ scholastica nuncupatur, quia humano discitur studio, quamvis primo et originaliter supernaturaliter sit infusa atque divinitus revelata. Potest quoque esse, imo et est informis in multis, qui quum sine caritate et gratia gratificante infeliciter vivant, prædictam tamen sapientiam discunt, habent aut do-
I Cor. XII, 8. cent. De qua ait Apostolus : Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ. Hæc in veteris et novi Testamenti scriptura docetur, con-
A tinetur atque describitur ; et per eam de divinis vera habetur cognitio rectumque judicium, quoad simplicem quamdam notitiam. — Alia demum supernaturalis sapientia ponitur inter dona gratiæ gratum facientis, quoniam sine gratia ista et caritate nequit haberi ; estque desuper infusa, formata ac salutaris : per quam mens nostra bene discernit, sentit et judicat de Deo atque divinis sub fide cadentibus, non solum per veram notitiam et clarum quemdam rationis intuitum, sed etiam per con-
B formitatem et connaturalitatem nostri affectus ad ea, quemadmodum virtuosus, temperatus et castus bene judicat de virtute, sobrietate et castitate : quod fit per sapidum quemdam amorosumque gustum divinorum. Unde sapientia quasi sapida scientia dicitur, juxta illud Ecclesiastici :
Sapientia secundum nomen est ejus. Hæc *Eccli.* VI, 23.
autem sapientia inter septem dona Spiritus Sancti sortitur primatum, estque in omnibus qui sunt in statu salutis, secundum aliquem gradum, sicut et reliqua sex
C dona. Postremo, hujus sapientiæ actus potissime contemplatio ipsa asseritur, sicut post pauca clarius deducetur.

Loquitur autem sacra Scriptura frequenter de unigenito Filio Dei sub nomine sapientiæ : ipse enim est increata Sapientia, Verbum et Veritas Dei Patris. Et quamvis divina essentia ipsaque Trinitas superbenedicta, quælibet quoque divina Persona sit sapientia æterna, summa, infinita et increata, Filio tamen sapientia appropriatur, qui proprie dicitur Sapientia
D genita. Filius quippe Dei est Verbum Patris æterni. Verbum vero est emanatio intellectus. Ad intellectum autem certum est sapientiam pertinere : ideo ipsa appropriata est Filio Dei.

ARTICULUS III.

Quid sit contemplatio.

DENIQUE, contemplatio proprie sumpta, est superessentialis Divinitatis et eorum quæ referuntur ad eam, affectuosa,

prompta atque sincera cognitio. Consideratio enim creaturarum per habitudinem et respectum ad Deum, secundum quod ab ipso originaliter profluunt, providentialiter gubernantur, ad ipsum quoque finaliter tendunt, et a theologis considerantur, ad contemplationem utique pertinet. Sic enim Deus æternus et sanctus, est finis et ratio considerationis earum : quoniam quidquid in eis consideratur vel de ipsis cognoscitur, ad Creatoris notitiam et amorem, honorem gloriamque refertur, qui universitatis machinam idcirco tam pulchriformiter adornavit, tam sapienter distinxit, tam mirabiliter in nihilo collocavit, tanta magnitudine, multitudine et virtute implevit, ut ex omnium horum consideratione ipsius magnificentia cognoscatur, ejus majestas glorificetur, ejus sapientia, bonitas, pulchritudo, potestas jugiter honoretur, laudetur atque ab omnibus admiretur. Primo autem et maxime contemplatio ipsam concernit Divinitatem, cujus cognitio omnium finis esse debet scientiarum ac notitiarum.

Porro cognitio Dei, si non fuerit caritate formata virtuosisque actibus perornata, frigida, sterilis et informis consistit. Hinc necesse est affectuosam hanc esse, si contemplatio dici merebitur: præsertim quum (juxta prætacta) contemplatio sit actus sapientiæ quæ donum vocatur, quæ esse non valet informis, sed divinorum sapore conditur, et caritati inseparabiliter counitur. *art præced.*

Quod si sapientiæ quoque naturalis ac philosophicæ actus, et item sapientiæ theologicæ, acquisitæ sive infusæ (quæ gratiis gratis datis annumeratur) actio, contemplationis nomine ferantur condigna, hoc non erit nisi in quantum habitus illi gratia gratificante fulciuntur, caritate divina formantur, igniuntur et vivificantur, sapientia quoque infusa quæ donum est, perficiuntur, et ita eorum actus meritorii fiunt. Habitus equidem virtuosi, scientiales ac sapientiales, et actus eorum, se invicem juvant, ornant, stabiliunt, secundum quod anima per habitum unum ejusque

A actum ad alterius habitus actum redditur fortior.

Præterea, cognitio divinorum, si contemplatio rite dicetur, prompta erit et facilis, tanquam ignis celeriter atque liberrime ad divina conscendens, in superna se erigens, creatisque relictis ad Creatorem pertingens. Ideo ait Richardus : Contemplatio libero volatu quocumque eam fert impetus mira agilitate circumfertur. Et denuo contemplationem definiens : Contemplatio, inquit, est libera mentis perspi-
B cacia, in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa. Hugo quoque eam definiens : Contemplatio, ait, est perspicax et liber animi contuitus, in res perspiciendas usquequaque diffusus. Sed et S. Bernardus contemplationem ita definit : Contemplatio est verus certusque animi intuitus de quacumque re.

Postremo, cognitio quæ contemplatio appellatur, erit sincera ac limpida, ne errori aut passioni vel culpæ mixta fœdetur, sed certitudine et splendore veritatis resplen-
C deat : competit enim potissime purgato jam animo. Ideo dicit Bernardus, quod contemplatio est apprehensio veri non dubia.

ARTICULUS IV.

Quod ad pleniorem habendam de contemplatione notitiam, expediens videtur dicta præcipuorum philosophorum inducere.

D SICUT Creatori servit natura seu res creata, sic divinæ, supernaturali ac theologicæ sapientiæ Christianorum servire debet naturalis sapientia atque scientia philosophorum. Plurimum quoque ad intelligendum ea quæ in sacra Scriptura traduntur confert philosophia, Augustino dicente : Cognitio naturalium proprietatum rerum creatarum pandit abdita Scripturarum. Sed et divina natura et ejus proprietates ac attributa, per res creatas nobis in vita hac aliqualiter innotescunt. Ipse et- *Sap. xvi, 2*

enim entium ordo et species creaturæ est velut scala atque vehiculum ascendendi ad Creatoris notitiam. Unde secundo de Doctrina christiana loquitur Augustinus : Philosophi si forte aliqua vera et nostræ fidei accommoda dixerunt, non solum formidanda non sunt, sed et ab eis tanquam injustis possessoribus in usum nostrum sunt vindicanda. Sic enim fecerunt Cyprianus, Lactantius, Victorinus, Hilarius. Damascenus quoque quarto libro disseruit : Si ab his qui foris sunt aliquid fructificare poterimus, non abjectabile est. De hoc in exordio super Angelicam hierarchiam pulchre loquitur Hugo, quemadmodum datum est illis philosophari propter nos, ita quod illis labor appositus est, nobis vero fructus servatus.

Quoniam ergo de contemplatione et sapientia contemplativaque vita, quædam subtilia excellentiores philosophi Plato et Aristoteles et eorum sequaces locuti sunt et in scriptis reliquerunt, congruum reor hæc ipsa vicissim commemorare ac tangere, quatenus ea quæ de eadem materia præclariores theologi, viri contemplativi et sancti edocuerunt, clarius elucescant.

ARTICULUS V.

De natura animæ rationalis, et viribus ejus per quas capax est gratiæ contemplationis.

QUONIAM contemplatio accidens quoddam est et actio animæ rationalis, accidens autem per subjectum suum cognoscitur ; ut ea quæ de contemplatione introducenda sunt limpidius pateant, paululum de rationalis animæ natura, ac viribus quibus contemplationis susceptiva est, fari necesse opinor.

Itaque scire oportet, quod Deus sublimis et benedictus est mens simplicissima, separata, pura et incircumscripta, quæ est lux supermundissima atque immensa : in qua substantialiter idem sunt, intelligens, vis intellectiva et intellectio ipsa ; seu na-
A tura, virtus et actio ; esse, posse et agere ; essentia, potentia et operatio. Ab hac mente æterna, superbenedicta ac adoranda, per creationem fluxerunt universæ mentes secundæ, angelicæ et humanæ. Porro, quo mens creata plus de luce intellectuali sortita est, eo primæ, divinæ increatæque menti exstat similior, et item vicinior. In angelicarum demum mentium hierarchiis atque ordinibus, superiores exuberantius de intellectuali luce ab intellectu altissimo, honoratissimo ac superdignissimo par-
B ticipaverunt. Mens autem humana in intellectualium substantiarum catena imum adepta est locum et gradum. Ideo naturaliter minus habet de intellectuali luce : imo, juxta Peripateticos, in principio sui est velut tabula rasa. Verumtamen, quoniam in intellectualium essentiarum gyro ac ordine veraciter perseverat, immortalis naturæ est, et veræ beatitudinis capax.

Itaque mens seu anima rationalis, in quantum est forma immaterialis, intellectiva, simplex, volitiva ac libera, appella-
C tur primæ mentis imago, divinæ lucis signaculum, summæ veritatis radius immortalis : sicque ut supra tempus omne atque continuum elevata, respectum quemdam seu vultum habet directe et immediate ad divina, cœlestia atque æterna, imo ad Deum creatorem ; ac per hoc veræ beatitudinis capax censetur, utpote cognoscendo ac diligendo conversiva ad Deum, unibilis quoque immediate eidem, atque per hoc fruitiva ejusdem per beatificam visionem : in qua utique fruitione, univer-
D sorum intellectuum creatorum vera, summa ac plena consistit felicitas. Unumquodque enim ad suæ processionis fontem, puta ad id a quo causatur seu profluit, est reditivum, ut Proclus Platonicus in Elementatione sua theologica subtiliter probat. Ideo, sicut anima rationalis a summo Deo immediate per creationem manavit, ita in ipso dumtaxat felicitatur.

Præterea, prout ex divini Dionysii documentis perpenditur, in solo supersimplicissimo Deo realiter identificantur esse, De Divin. nom. c. II, XI.

A posse et agere, seu essentia, potentia et operatio. Hinc, secundum excellentes philosophos atque theologos, vires animæ ab ejus essentia realiter distinguuntur. Vires autem superiores animæ incorruptibiles et inorganicæ, quibus ipsa immediate conjungitur Deo sicut objecto, sunt intellectus atque voluntas, quibus contemplando ac diligendo infigitur Deo, ita quod in anima rationali non est aliqua vis seu potentia intellectu voluntateque altior. Unde quod aliqui dicunt, in anima intellectum esse superiorem ratione, et intelligentiam in-
B tellectu, apicem quoque affectivæ ipsa voluntate, non est accipiendum quasi ratio et intellectus ac intelligentia sint vires distinctæ ac subordinatæ, sed quod eadem potentia secundum diversos actus magis minusve nobiles sortitur diversa vocabula, digniorque asseritur semetipsa. Nempe eadem vis dicitur ratio, in quantum est discursiva ; intellectus, in quantum est simplici apprehensione intuitiva; intelligentia quoque, in quantum est divinorum ac superaltissimæ Deitatis contemplativa. Rur-
C sus eadem vis appellatur voluntas, in quantum est boni intellecti appetitiva seu dilectiva : quæ etiam, in quantum respectum habet ad summum divinumque bonum, apex principalis affectivæ potest vocari. Quemadmodum enim anima per intelligentiam immediatum quemdam respectum habet ad Deum sub ratione primæ summæque veritatis, ita per apicem affectivæ immediatum habet respectum ad Deum sub ratione primæ atque altissimæ bonitatis.

Postremo, si quis prædicta, videlicet intelligentiam et apicem affectivæ, aliter sumat, non est pertinaciter disputandum nec multum curandum, dummodo in ipsa re non discordet. Nominibus quippe ad placitum utimur. Certumque est quod intelligentia quandoque sit nomen actus; interdum quoque pro substantia sumitur, ut dum substantiæ a philosophis intelligentiæ nuncupantur, eo quod incessanter actu intelligant.

ARTICULUS VI.

Quid sit synderesis et scintilla intelligentiæ.

QUONIAM altissima species contemplationis huic vitæ possibilis, puta mysticæ theologiæ intuitio unitiva, ad contactum synderesis intelligentiæque scintillam, secundum doctores anagogicos, pertinet, prout infra, Deo agente, pandetur ; congruit quid sit ipsa synderesis et scintilla intelligentiæ elucidare.

Porro doctores de hac re variis atque diversis modis loqui videntur. Diversificatio tamen potius (ut apparet) versatur in verbis quam in re. Omnes nempe concordant in hoc, quod synderesis sit quid supremum ac divinum in rationali ac intellectuali natura, naturaliter movens stimulansque ad bonum, malo quoque remurmurans ; sed quidam asserunt eam ad vim cognitivam, alii vero ad affectivam vim pertinere.

Itaque S. Thomas super secundum Sententiarum, et prima parte, affirmat, quod sicut in ratione speculativa ponitur quidam habitus animæ concreatus, quo principia prima in speculabilibus naturaliter, terminis intellectis, sine discursu mox innotescunt (ut quod de quolibet est affirmatio vel negatio, quod totum majus est sua parte), ex quibus principiis procedit ratio ad conclusionum notitiam ; et habitus iste a Philosopho sexto Ethicorum intellectus vocatur : ita in ratione practica
D opus est ponere habitum animæ concreatum, quo prima principia in operabilibus naturaliter innotescant (sicut quod Deo est obediendum, bonum malo præferendum) ; et hic habitus appellatur synderesis. De quo loquitur Augustinus, quod universalia juris principia in naturali judicatorio scripta sunt : quod est ipsa synderesis. Et rursus in libro de Libero arbitrio : In naturali (inquit) judicatorio regulæ adsunt, et semina virtutum et vera et incommutabilia : quorum cognosciturus habitus, juxta nunc

dist. XXIV, q. II, a. 3. q. LXXIX, a. 12.

dicta, exstat synderesis. Dicit quoque Thomas, quod synderesis interdum nominat habitum tantum, interdum potentiam simul cum habitu, et spectat ad intellectum.

Præterea alii dicunt, quod synderesis est vis animæ motiva vel affectiva, quæ semper nata est in superioribus figi et ad divina elevari, ad bona movens ac stimulans, mala vero abhorrens. In idem redit quod alii aiunt synderesim esse vim animæ appetitivam, suscipientem immediate a Deo naturalem inclinationem ad bonum, per quam trahitur ad sequendum motionem boni sibi ex apprehensione simplicis intelligentiæ præsentati. Dicuntque hi, quod synderesis quandoque nominat actum ex præfata vi appetitiva manantem.

[De Divin. nom. c. VII.] Denique, secundum divinum Dionysium, infimum superioris ordinis cum supremo ordinis inferioris aliquam habet convenientiam. In processu equidem entium a primo principio est concatenatio quædam et ordo. Quoniam ergo anima rationalis in umbra intelligentiæ facta est, secundum Isaac in libro Definitionum, utpote in ordine rerum immediate post angelum; constat quod aliquid de perfectione et modo intelligendi mentis angelicæ in anima perseveret. Angelus vero sine discursu et inquisitione, simplici adspectu intelligit. Hinc in anima aliquid hujusmodi perfectionis consistit : quoniam, sicut jam claruit, prima principia tam in speculativis quam practicis simplici apprehensione atque adspectu intelligit per habitus concreatos : quorum is qui ad practicam pertinet, synderesis dicitur; estque realiter idem quod superior scintilla rationis, secundum Thomam, quam alii scintillam intelligentiæ nuncupant.

Dicitur autem lux ista animæ concreata, scintilla, quia ad instar scintillæ volantis ab igne, parvum lumen est respectu luminis mentis angelicæ, itemque propter splendorem cognitionis atque ardorem inclinationis ad bona : per eam etenim anima conspicit verum et inclinatur ad bonum. Synderesis quippe in principiis
A practicis non errat, quin semper ei repugnet quod illis contrarium est. Ideo scintilla intelligentiæ in nullo in toto exstinguitur. Unde, secundum B. Hieronymum, hæc scintilla sive synderesis significatur per aquilam, quoniam est supremum in anima quantum ad naturalia, et rationalem virtutem transcendit, videlicet ipsam rationem secundum quod ratio dicitur a ratiocinationis discursu. Unde in synderesi non est peccatum, sed per eam sortitur anima quemdam immediatum respectum
B ad Deum, ut ab ipso directe ac immediate tangatur, irradietur et inflammetur. Interdum etiam hæc scintilla intelligentiæ dicitur apex mentis. De qua luce cantamus in Psalmo : Signatum est super nos lumen [Ps. IV, 7.] vultus tui, Domine.

ARTICULUS VII.

De subjecto contemplationis, et an intellectus sit dignissima potentia animæ.

SAPIENTIAM ejusque actum, qui con-
C templatio dicitur, esse in vi intellectiva, nulli in dubium vertitur. Nempe quid contemplatio, nisi spiritualis internaque visio, intellectio sive cognitio? Intellectus ergo, vel (si hoc subtilius sonat) intelligentia, utpote intellectus secundum quod respectum ac ordinem habet ad divina, immortalia et æterna, contemplationis subjectum rite asseritur. Hinc contemplatio seu vita contemplativa formaliter et quoad suam essentiam spectat ad intellectum. Verumtamen, quoniam (juxta in-
D ducta) contemplatio non est cognitio nuda [art. III.] atque informis, sed amorosa et affectualis, idcirco quoad suum complementum formativum, quod est ardens dilectio, in voluntate seu apice voluntatis reponitur, quemadmodum beatitudo, quæ formaliter est cognitio, Christo testante : Hæc est vita [Joann. XVII, 3.] æterna, ut cognoscant te verum Deum.

Denique, contemplatio est summa mentis perfectio atque felicitas, secundum quod duodecimo de Trinitate asserit Augustinus : Contemplatio Dei summum San-

ctorum præmium erit. Unde et Philosophus decimo Ethicorum testatur speculationem optimi speculabilis, scilicet Dei, esse felicitatem. Summa vero perfectio beatitudoque animæ in dignissima ejus subjectatur potentia. Hinc intellectus, qui contemplationis subjectum est, ponitur animæ præstantissima esse potentia : quod etiam S. Thomas in prima parte, quæstione octogesima secunda, probat atque defendit. (art. 3.) Confirmatur quoque ex eo quod quinto de Trinitate Augustinus fatetur : Nihil invenimus in nostra natura melius intellectu. Undecimo insuper de Civitate Dei : Ad id (inquit) hominis loquitur Deus quod in homine est melius. Et certum est quod locutio Dei sit interna, atque ad intellectum dirigatur ac spectet, prout quintodecimo de Trinitate Augustinus disseruit : Cogitationes sunt quædam cordis (intellectus) locutiones. Hinc decimo Ethicorum ait Philosophus, intellectum esse nobilissimam animæ intellectivæ potentiam. Sed et S. Dionysius docet quod optimum hominis est esse ac vivere secundum rationem. (De Divin. nom. c. IV.) Ratio ergo est summa vis animæ.

Verumtamen multi tenent oppositum, voluntatem præferre intellectui contendentes ; et quidam intellectum speculativum præferunt voluntati, practico autem voluntatem. Sed his scholasticis difficultatibus non hic arbitror immorandum. Unde nunc satis sit tetigisse quid sit contemplationis subjectum.

ARTICULUS VIII.

Quomodo inter mentem humanam et Deum nihil sit medium, ita quod solus Deus nostra mente melior perhibetur.

ANGELICOS spiritus natura, potestate et actione, sapientia, felicitate et gloria mentes humanas transcendere, atque inter Deum et mentes humanas in ordine rerum medios esse, satis docet Scriptura canonica ; ipse quoque sacratissimus theologorum princeps, in de Angelica hierarchia, Dionysius. (c. IV, V, VIII-X, XIII.) Unde articulus iste diffi- A cultatem non habet, nisi ex aliquibus Augustini eloquiis. Ait nempe quartodecimo de Trinitate : Sic ordinata est mens humana naturarum ordine, non locorum, ut supra ipsam non sit nisi Deus. Undecimo quoque de Civitate affirmat (quod præcedenti articulo partim inductum est) : Ad id hominis loquitur Deus quod in homine melius est, et quo solus Deus est melior. Unde decimo de Civitate Dei commendat Plotinum Platonicum, solum Deum mente humana sublimiorem consistere asserentem.

B Ad hæc quidam respondent, quod verba B. Augustini quantum ad hoc vera sunt atque intelligi debent, quod sicut angelus, ita et anima rationalis immediate a Deo solo recepit naturam, gratiam et gloriam. Potest etiam responderi, quod loquendo de dignitate animæ per respectum ad ejus ultimum finem, nihil post Deum invenitur ea præstantius : quoniam sicut angelicarum mentium, ita et ejus felicitas in solo Deo tanquam immediato objecto est sita. Nihilo minus, loquendo de dignitate formali C specifica secundum se, palam est angelicas mentes ac supernas virtutes valde mentibus humanis præstantiores perfectioresque esse.

Hæc celeriter pertranseundo de rationalis animæ natura, naturali perfectione ac viribus introduxi, quatenus quæ de contemplatione dicenda sunt, evidentius innotescant. Quemadmodum enim accidentis esse, ita et ejus cognitio a suo subjecto ac sui cognitione subjecti dependet, quum eadem sint principia essendi et cogno- D scendi, secundum philosophica documenta. Res quippe per suam causam cognoscitur, quum scire sit rem per causam cognoscere.

ARTICULUS IX.

Quid de contemplatione summi philosophi sint locuti.

PLATO, quem octavo de Civitate Dei Augustinus ceteris philosophis gentium longe recteque prælatum affirmat,

Aristoteles quoque, quem in Regula sua A cunctis philosophis præfert Hieronymus, cum eorum sequacibus, intellectum dixerunt immortalem atque perpetuum, nihil etiam intellectu præstantius esse in nostra natura. Et propter splendorem intellectus, Aristoteles ait divinum aliquid esse in nobis. Plato autem asserit in Timæo, quod cum diis est nobis appellationis parilitas ac naturæ seu divinitatis cujusdam consortium. Quoniam ergo intellectum ponebant divinissimam atque dignissimam animæ rationalis potentiam, summum ani- B mæ bonum finemque ultimum seu felicitatem præcipuam in actione intellectus (quam contemplationem vocabant) statuendam censebant, potissime quoque in contemplatione primi ac optimi speculabilis, scilicet Dei.

Hinc decimo de Civitate Dei recitat Augustinus quemadmodum magnus ille Platonicus Plotinus asseruit, non aliunde supernis spiritibus præberi vitam beatam et lumen intelligentiæ seu veritatis contemplationem, quam unde præbetur et nobis, C puta a Deo. Sed et Porphyrius Platonicus, sicut frequenter commemorat Augustinus, perhibuit animæ rationalis perfectionem consistere in omnimoda elongatione purissimoque recessu ab omni materia atque terreno ac carnali affectu, itemque in cognitione Patris eam felicitari : summum quippe Deum Platonici Patrem vocabant.

Peripatetici vero, Avicenna, Algazel, Averroes, Alphorabius, multique alii, qui ponebant hominem in hac vita ad substantiarum separatarum notitiam quoad *quid* D *est* posse pertingere, adstruebant perfectionem contemplationis felicitatisque nostræ in perfecta cognitione intelligentiæ quæ substantia dicitur separata, esse locandam. Quod aliquo modo salvari potest, loquendo de naturali beatitudine animæ, non utique ita ut in cognitione intelligentiæ anima sistat, sed in quantum per talem cognitionem aptior ad primæ causæ summæque veritatis contemplationem efficitur. Simpliciter nempe, etiam secundum philosophicam traditionem, fatendum est in Dei contemplatione beatitudinem esse.

Denique vitam contemplativam Aristoteles decimo Ethicorum, et Plato in Phædone, testati sunt esse divinam potius quam humanam ; atque per eam non solum supernis intellectibus, sed primo quoque increatoque intellectui animam conformari ; nec posse quempiam hanc vitam attingere, nisi cum diuturno ac summo labore philosophiæ, præsertim metaphysicali, sapientiæ virtutibusque studuerit, concupiscentias superando et ab exterioribus quiescendo. Postremo, de hac re infra plura dicentur.

ARTICULUS X.

An philosophica divinorum cognitio mereatur dici contemplatio.

ASSIGNANT doctores catholici inter sapientiam theologicam et philosophicam differentiam istam, quod sapientia theologica est affectiva seu divino amore formata : propter quod vere ac proprie sapientia, hoc est sapida scientia, nuncupatur. Unde et unitiva asseritur, quoniam per caritatis affectum conjungit Deo mentem creatam. Hinc quoque actus ipsius proprie contemplatio fertur. Porro philosophica sapientia solum speculativa, informis et nuda est : ideoque, secundum Hugonem super Angelicam hierarchiam, non erat ad vitam, et inveniri administrarique debuit ab his qui non erant filii vitæ, utpote a philosophis : de quibus dicit Apostolus, quod quum cognovissent *Rom. I, 21.* Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis. Ob id eorum philosophicalis cognitio de summo Deo atque divinis non proprie contemplatio nominatur.

Sed videtur istud stare non posse. Ait quippe octavo de Civitate Dei beatissimus Augustinus : Secundum Platonem, finis boni est vivere secundum virtutem, et convenit ei solum qui Dei habet notitiam et imitationem. Et denuo ipsum verum et

summum bonum Plato dicit Deum : unde philosophum vult esse amatorem Dei, (A) ut, quoniam philosophia ad vitam beatam tendit, fruens Deo sit beatus qui Deum amaverit. Itaque, secundum Platonis sententiam, philosophica divinorum cognitio divino amore debet esse referta, et Deum imitari debet philosophus, pie, virtuose et amorose vivendo. Præterea duodecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Dixerunt Platonici, quod quanto quis plus Deum amaverit, tanto facilius ad beatitudinem perveniet. Sapientia igitur philosophorum (B) exstitit affectiva. Denique, secundum Platonem et Aristotelem, quidam gentilium erant viri perfecti, divini et optimi : qui a Platonicis purgati animi, a Peripateticis autem heroici vocabantur. Istis ergo contemplatio competebat. De talium namque perfectione et admirabili contemplatione Plotinus excellentissime scribit, ut refert Macrobius. Plato etiam in Phædone multipliciter docet quemadmodum philosophi sit cuncta terrena ac sensibilia, honores et dignitates, vestium pompas, ciborum deli- (C) cias, carnis concupiscentias aspernari, seque quotidie ad mortem disponere, atque ad sempiterna ac divina mentem erigere.

Et respondendum, quod philosophi, qui non cognoverunt nisi naturalem animæ felicitatem, etiam de solo naturali Dei amore locuti sunt, hisque virtutibus quæ naturali virtute studio queunt adipisci humano. Ista autem non sufficiunt ad salutem. Idcirco non fuit in illis sincera divinorum cognitio; multipliciterque errabant, quamvis nonnulla vera atque subtilia (D) dixerunt. Illorum itaque speculatio non proprie et complete dici meretur contemplatio. Nec erant vere perfecti, sed solum secundum opinionem suam, qua summam perfectionem in naturalibus constituebant virtutibus. Non enim erat eorum cognitio illius caritatis uncta affectu quæ sola Deo gratam efficit mentem, videlicet caritatis divinæ, supernaturalis, infusæ, qua formari ac perfici oportet divinorum cognitionem quæ contemplationis appellatione digna asseritur. Enimvero qui hac caritate non vivificatur, coram Deo mortuus judicatur ; etsi philosophice Deum cognoscat, est tamen de illorum catalogo de quibus loquitur Paulus apostolus : Dicunt se nosse Deum, factis autem negant. (*Tit.* I, 16.) Ad quos utique pertinet illud Joannis apostoli : Qui dicit se nosse Deum et mandata ejus non servat, mendax est. (I *Joann.* II, 4.)

ARTICULUS XI.

De divisione vitæ in vitam contemplativam et activam.

SICUT sanctus testatur Gregorius, duæ sunt vitæ, in quibus nos Deus omnipotens per sacra docet Eloquia. Una est contemplativa : cujus finis non est opus externum, sed ipsa veritatis sincera atque formata cognitio. Quæ quum sit rationalis creaturæ beatitudo ac finis, non refertur ad aliud, præsertim quum et ipsa dilectionem Dei virtualiter et tanquam formativum sui complementum includat. Alia est activa : cujus finis immediatus ac proprius est opus seu actio ipsa exterior. Datur denique ista vitæ divisio de vita humana ac virtuosa, quæ competit homini ratione intellectus, a quo speciem recipit. Ideo, sicut intellectus est duplex, videlicet contemplativus seu speculativus, cujus finis est veritatis consideratio, juxta Philosophum secundo Primæ philosophiæ ; et practicus, cujus finis est opus : sic duplex distinguitur vita.

Verumtamen Aristoteles primo Ethicorum ponit triplicem vitam, scilicet voluptuosam, contemplativam, atque civilem, quæ alio nomine appellatur activa. Sed hoc prædictis non obstat : quoniam vita voluptuosa non competit homini secundum id quo homo est, sed secundum sensitivam partem, quam cum bestiis habet communem. Ideo talis vita potius bestialis est quam humana ; nec sub vita quæ hoc loco dividitur, continetur.

Præterea, Thomas testatur in secunda secundæ, quod omnia humanarum studia (q. CLXXIX, a. 2 ad 3um.)

actionum, si ad præsentis vitæ necessitatem ordinentur secundum rectam rationem, ad activam pertinent vitam, quæ per ordinatas actiones providet necessitatibus vitæ præsentis; si autem deserviant concupiscentiæ cuicumque, ad vitam spectant voluptuosam; si vero ordinentur ad veritatis considerationem, ad vitam pertinent contemplativam. — Nihilo minus studia vitæ activæ cum fine suo ultimate referenda sunt utique ad finem vitæ contemplativæ, præsertim ad eam veritatis cognitionem quæ habetur in patria, estque beatifica visio Dei, de qua ait Joannes apostolus : Quum apparuerit, similes ei (utpote Deo) erimus, quia videbimus eum sicuti est. Nempe hæc visio omnium exercitiorum nostrorum est finis ; et quidquid cogitamus, appetimus, loquimur, operamur aut patimur, ad eam debemus referre. Sed vita activa a proximo suo fine speciem sumit. Aliqui quoque actus, ut prædicare, confessiones audire, sacram doctrinam docere, præcipuam cum vita contemplativa propinquitatem sortiti sunt.

I Joann. III, 2.

Præterea advertendum, quod nonodecimo de Civitate Dei, B. Augustinus triplex genus vitæ distinguit, videlicet otiosum, negotiosum, et ex utroque compositum, temperatum seu mixtum. Per otiosum intelligit vitam contemplativam, quam veritatis contemplationi vel inquisitioni dicit intentam; per negotiosum vero, vitam activam, quam in rebus humanis gerendis ait versari. Verum id quoque prædictis non obviat. Medium namque seu mixtum, sicut ex ipsis simplicibus atque ex extremis conficitur, ita in eis virtualiter continetur. Idcirco vita ex utroque compacta, sub contemplativa vita comprehenditur et activa. Sed sicut in mixtis aliquod simplicium prædominando abundat, ita in vita ex utroque composita interdum quidem abundat contemplativum, interdum autem activum.

Porro actio in qua quis potissime delectatur et cui maxime intendit, præcipue dicitur vita ipsius (atque in hoc quilibet cupit se suo amico et suum amicum convivere sibi, ut ait nono Ethicorum Philosophus : unde et religiosi, sæculares quos amplius diligunt, magis ad vitam religiosam trahere moliuntur) : hinc qui principaliter veritatis speculationi intendunt, contemplativi vocantur.

Postremo, nonodecimo de Civitate Dei, capitulo nonodecimo, asserit Augustinus : Non sic quisque esse debet otiosus (id est contemplativus), ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi ; nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei. In otio non iners vacatio delectare debet, sed aut inquisitio aut inventio veritatis, ut in ea quisque proficiat, et quod invenerit, alteri non invideat. In actione vero non amandus est honor temporalis neque potentia, quoniam omnia vana sub sole ; sed ipsum opus quod fit, si ad veram subditorum prosit salutem. Itaque a studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur : quod ad laudabile pertinet otium. Locus vero superior, sine quo populus regi non potest, etsi ita teneatur ac administretur ut decet, tamen indecenter appetitur. Quamobrem otium sanctum quærit caritas seu dilectio veritatis ; negotium justum suscipit necessitas caritatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ ac intuendæ vacandum est veritati : si autem imponitur, suscipienda est propter caritatis necessitatem ; sed nec sic veritatis delectatio omnino deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, et opprimat ista necessitas. Hæc Augustinus.

Proinde vita contemplativa distinctos ac varios habet gradus, secundum diversam eorum quibus competit perfectionem. Sicque subdividi potest, ut infra clarebit.

ARTICULUS XII.

De actibus qui ad vitam contemplativam requiruntur, concurrunt ac pertinent : in quo ostenditur quomodo vita contemplativa in uno actu consistit.

VITA, viventium proprie dicitur operatio cui principalius delectabiliusque

intendunt. Quamvis itaque quoad hoc vita contemplativa et contemplatio idem realiter dici queant, contemplatio tamen non induit nomen vitæ contemplativæ, nisi in quantum est actus a voluntate per caritatem formata præceptus, et per dilectionem ultimo fini meritorie delectabiliterque unitus. Itaque, quamvis contemplativa vita principaliter in uno actu, puta in ipsa contemplatione, consistat, tanquam in actu quo finaliter perficitur, a quo unitatem sortitur et nomen ac speciem, eo quod principaliter hunc actum intendat; nihilo minus varios habet actus quibus ad actum hunc principalem pertingit, et quibus hic actus formatur, præcipitur et completur.

Hinc aliqui dicunt, quod ad vitam contemplativam quatuor requiruntur. Primum est ipsa conjunctio mentis cum Deo, quæ per dilectionem efficitur, imo realiter est ipsa actualis dilectio, quæ est vita mentis seu animæ. Secundum est contemplatio, in qua vita contemplativa consistit formaliter. Tertium est voluntatis jussio sive intentio, actum contemplativum jubentis ac intendentis. Quartum est delectatio consequens actum, ornans complensque eum. Non tamen oportet ut semper sit delectatio perceptibilis sive sensibilis, sed sufficit quod sit verum intellectualeque gaudium, seu complacentia voluntatis : sic nempe quælibet virtus habet delectationem actui suo annexam.

Denique, secundum divinum ac sanctum Dionysium septimo capitulo de Divinis nominibus, inter mentem angelicam et humanam ista assignatur distinctio, quod mentes angelicæ ac supernæ simplici apprehensione atque intuitu veritatem conspiciunt, mens autem humana ad simplicis veritatis intuitum quodam processu ac discursu ex multis proficiscitur ac pertingit. Propterea, quamvis (ut dictum est) vita contemplativa in uno actu principaliter sit consistens, loquendo de uno in genere vel specie, multi tamen actus ad hunc principalem actum concurrunt, videlicet : acce- A ptio atque cognitio principiorum ex quibus ad contemplationem veritatis procedit ; deductio quoque principiorum in veritatem cujus investigatur notitia. Sed hoc locum habet in contemplationibus ad quas ab inferiori per rationis inquisitionem ac studium pervenitur ; non autem in contemplationibus sublimioribus, quæ Spiritu Sancto desuper radiante, cœlitus infunduntur, Deo mentem supernaturaliter tangente, ungente ac illustrante. Nempe in talibus habet se mens humana angelico B modo, et a magno Dionysio deiformis vocatur, quoniam simplici ictu ac cœliformi conspectu veritatem dignoscit. Nulla quippe in addiscendo est mora, quum veritatem docet creatrix Sapientia, cujus potestas est infinita.

Præterea cognoscendum, quod in actibus immanentibus intellectus ac voluntatis vita contemplativa primo principaliterque consistit ; et quoniam actus immanentes præcipui sunt actus sapientiæ et caritatis, idcirco in actuali Dei ac divi- C norum amore consequenter vita contemplativa reponitur, præsertim quum juxta inducta, dilectio sit contemplationis complementum, decor et forma. Hinc super Ezechielem ait Gregorius : Contemplativa vita est, caritatem Dei et proximi tota mente tenere, ab exteriori actione quiescere, soli desiderio Conditoris inhærere, ut nil jam foris agere [libeat], sed calcatis curis omnibus, ad videndam sui Creatoris faciem animus inardescat : ita ut jam corruptibilis carnis pondus cum mœrore por- D tet, totisque desideriis appetat hymnidicis angelorum choris interesse, et de æterna incorruptione in conspectu Dei gaudere.

art. vii, x

Porro actus caritatis divinæ interni sunt, Deo de ejus immensa opulentia, magnificentia, beatitudine cordialiter congaudere ; ad Deum fervide affici, in ipso compungi, ex ejus amore de peccatis intime conteri ; ex calidissimo igneæ dilectionis fervore ac impetu in Divinitatis pelagus absorberi, in ecstatica incomprehensibi-

lium divitiarum supersublimis Dei fruitione dulciter conquiescere, atque feliciter, quantum in præsenti vita fieri valet, obdormire. Nunc equidem sermo est de vita contemplativa ad hominem in vita hac pertinente.

Insuper ad vitam contemplativam pertinet oratio mentalis atque vocalis, præsertim in secreto effusa, in quantum per eam gratia contemplationis acquiritur, contemplationis quoque obstacula, passiones ac vitia, removentur. Audire autem verbum Dei, Scripturasque legere, ad contemplativam vitam concurrunt, in quantum ad gratiam contemplationis homo unus per alium vel per Scripturarum documenta juvatur; similiter revelationes quæ angelorum ministerio exhibentur.

Postremo, contemplativæ vitæ non mediocris excellentiæ dignitatisque actus est, laudibus Creatoris insistere corde seu ore,
Ps. xxxiii. 2. quemadmodum scriptum est : Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus
Ps. ciii, 33. ejus in ore meo; et denuo : Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum. Ad contemplativæ equidem vitæ professores potissime constat pertinere il-
Ephes. v, 19. lud Apostoli : Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.

De his contemplativæ actibus vitæ tantisper tetigisse sufficiat in communi. In sequentibus namque, quantum dederit Deus, plenius de eisdem fari oportet.

ARTICULUS XIII.

De opulentia, pulchritudine, amabilitate, dignitate atque dulcedine seu delectatione contemplationis contemplativæque vitæ.

QUONIAM contemplatio actus est sapientiæ non cujuscumque, sed ejus præcipue quæ donum est Spiritus Sancti, quam nullus mortali subjacens vitio habet; idcirco quod de proprietate et eminentia sapientiæ introducit Scriptura, de contemplatione quoque rite suscipitur, potissime quum in actu potius quam in habitu perfectio sit ponenda.

Itaque de amabilitate et dignitate sapientiæ legitur in libro Sapientiæ : Præpo- Sap. vii, 8, 10.
sui sapientiam regnis et sedibus, et divitias nihil esse dixi in comparatione illius; super salutem et speciem dilexi illam. Consonat autem quod in Proverbiis Salomon ait : Pretiosior est sapientia cunctis Prov. iii. 15.
opibus; et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. In quibus etiam verbis opulentia ac sufficientia sapientiæ commendatur. Ideo Sapiens protestatur :
Venerunt mihi omnia bona simul cum il- Sap. vii, 11.
la; et rursus : Si divitiæ quæruntur, quid Ibid. viii. 5.
sapientia locupletius?

Hinc Aristoteles asserit, quod sapientia est divina possessio. Sapientiam quoque quæ est divinorum cognitio in tantum extollit, ut in Metaphysica sua testetur se de materialibus sensibilibusque substantiis propter divinorum ac separatarum substantiarum (præsertimque utique summæ ac independentis essentiæ) notitiam determinasse. Et alibi : Desiderabilius, inquit, est modicum quid de divinis illis substantiis nosse, quam multa de sensibilibus rebus.

Insuper de pulchritudine sapientiæ scriptum est : Hæc est speciosior sole, et su- Ibid. vii. 29.
per omnem dispositionem stellarum luci comparata, invenitur prior; et iterum :
Clara est et quæ nunquam marcescit sa- Ibid. vi, 13.
pientia. Sapientia namque splendor ac ornamentum est mentis, spiritualeque lumen in quo cernit divina. Et sicut veritas creata, primæ et exemplaris veritatis quædam expressio est; sic sapientia ista infusa, æternæ et increatæ Sapientiæ præclarus est, lucens atque lucifluus luciformisque radius.

Denique de sapientiæ delectatione atque
dulcedine Sapiens fassus est : Intrans in Ibid. viii, 16.
domum meam, conquiescam cum illa : non enim habet amaritudinem conversatio
ejus, nec tædium convictus illius, sed læ- Eccli.
titiam et gaudium. Ideo, teste Scriptura, xxxvii, 22; Prov. xxiv,
vir eruditus suavis est animæ suæ, et vir 5.

doctus, robustus. Etenim, sicut sol radio suo vapores nebulasque dispergit et aerem purgat, sic sapientia ista immunditiam vitiorum ac turbines passionum propellit, animamque purificat. Idcirco, juxta Philosophum, homo sapiens extra se non quærit in turpibus aut vilibus delectari, quoniam in se ipso jucundis theorematibus plenus est. Et rursus affirmat, quod philosophia admirabiles habet delectationes sibi admixtas. Hinc septimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Contemplationis Dei ineffabilis est dulcedo. Gregorius quoque : Contemplativæ, inquit, vitæ valde amabilis est dulcedo, quæ super se ipsam animam rapit, cœlestia aperit, terrena esse spernenda ostendit, spiritualia mentis oculis patefacit.

Hæc de proprietate et excellentia sapientiæ et contemplationis contemplativæque vitæ, testimoniis Scripturarum ac Patrum inducta sunt. Quæ per rationem quoque faciliter demonstrantur. Opulentia quippe, dignitas et delectatio contemplationis seu vitæ contemplativæ probantur : primo, ex parte objecti, quod est præstantissimum ac superdignissimum, scilicet Deus et creata per comparationem ad
art. III. Deum, ut dictum est. Secundo, ex parte subjecti, quod est ipsa mens seu anima quoad vires suas supremas : competit enim homini vita hæc quoad id quod est supremum in natura ipsius, videlicet quoad scintillam intelligentiæ et apicem affectivæ. Tertio, ex parte modi agendi, quoniam vita ista est omni alia vita purior atque simplicior, sufficientior, stabilior, itemque divinior : unde angelica dicitur et cœlestis. Porro, quum homo divinæ et increatæ menti, angelicis quoque spiritibus, non communicet nisi per intellectum et voluntatem et actus ipsorum ac habitus, constat quod quanto quis in contemplatione vitæ contemplativæ amplius proficit, tanto sit divinior et angelis sanctis similior, Deoque carior, quum similitudo sit causa
Philipp. III, 20. amoris : ideo talis conversatio maxime est in cœlis. Nec dubium quin tanto cordialius vehementiusque vilipendat cuncta carnalia et terrena, quanto plus sapit divina. Nec enim divina sapere, aut sincere contemplari valet superna, nisi sensibilibus moriatur, et spernat toto corde caduca et vana.

Postremo, quum Deus gloriosus ac adorandus sit incircumscriptibile lumen, sapientia interminata, ignis seu ardor amoris immensus, suavitas infinita, pulchritudo illimitata, certum est quod quanto mens creata ad Deum magis accedit, propinquat, attingit, tanto splendidius clarificatur, copiosius edocetur, validius inflammatur, suavius sapit seu recreatur, delectabilius contemplatur ; ac per hoc universa visibilia, corporalia et caduca fastidit, relinquit ac despicit, omnia cum *Philipp.* III, 8.
Apostolo ut stercora arbitrans et contemnens, nisi in quantum habet ea in Deo, aut conferunt ei ad Deum. Sic igitur contemplatio habet delectationem puram et magnam : primo, ratione sui, quia est operatio homini connaturalis et summe conveniens ; secundo, ex parte objecti, videlicet Dei, qui est deliciosissimum objectum ; tertio, ex parte caritatis, per quam movetur contemplator ad contemplationem ; quarto, ex parte dispositionis et habitus mentis contemplativæ : habitus quippe est ipsa sapientia, quæ quanto perfectior fuerit, tanto actus ejus, scilicet contemplatio, erit jucundior ; dispositio quoque mentis ad contemplandum consistit in passionum ordinatione et inquietudinum sedatione, quæ quanto fuerint abundantiores, tanto contemplatio contemplativaque vita erunt utique delectabiliores. Imo, quo ipsa contemplatio exstat nobilior secundum modos prætactos, eo majorem habet ex sua natura delectationem admixtam. Estque delectatio spiritualis in contemplatione consistens et vitæ contemplativæ annexa, delectatione carnali major secundum se, quanquam aliqui in carnalibus amplius delectentur ex sua imperfectione et indispositione ad delectationes internas ac spirituales. Quo autem Deum quis perfectius

diligit, eo in ejus contemplatione exuberantius delectatur : sicut qui aliquem singulariter amat, in ejus adspectu plus exhilaratur. Unde Moysi dixit Deus : Frater tuus Aaron occurret tibi, et in adspectu tuo lætabitur corde. *Exod.* IV, 14.

Quum itaque tanta sit contemplationis seu contemplativæ vitæ opulentia, pulchritudo, dignitas, amabilitas, delectatio, merito ad eam adspirare debet qui aliunde impedimento non impeditur legitimo. Vehementer quoque redarguendi sunt religiosi, præsertim solitarii, qui ad contemplationem aptissima habent media, et tamen ad gratiam contemplationis pertingere non adspirant nec satagunt, neque ad vitæ internæ sacra exercitia atque dulcissimum gustum se aptant, extendunt ac transferunt, sed superficiales permanent, irreformati, dissoluti ac pigri.

ARTICULUS XIV.

An vita contemplativa sit dignior magisque meritoria quam activa.

NON jam dumtaxat secundum doctores catholicos, sed secundum præcipuos quoque philosophos, vitæ activæ contemplativa præfertur in bonitate ac dignitate. Unde de Maria Magdalene verbo Dei intenta, per quam contemplativa designata est vita, Veritas tulit sententiam, quod optimam partem elegerit. *Luc* x, 39. *Ibid.* 42.

Porro vitam contemplativam activa esse præstantiorem, ostendit Philosophus decimo Ethicorum rationibus pulcherrimis atque subtilibus. Prima est, quod vita contemplativa competit homini secundum dignissimam suam potentiam, scilicet intellectum speculativum, et quoad propria ac digniora objecta, quæ sunt intelligibilia separata atque divina ; vita vero activa convenit homini secundum intellectum practicum, qui speculativo inferior est, et circa exteriora ac sensibilia occupatur.

Secunda est, quoniam vita contemplativa potest esse magis continua ex sua A natura : imo in viris perfectis magis continuatur die et nocte, quam activa in aliis. In imperfectis vero vita contemplativa non eatenus continuatur, quia in caritate, gratia donisque Spiritus Sancti ac intima puritate nondum constabiliti sunt. Generaliter quoque in omnibus corpus quod corrumpitur, animam aggravat, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. *Sap.* IX, 15.

Tertia, quoniam major est delectatio vitæ contemplativæ quam activæ, secundum B sensum superius introductum. Unde etiam primo de Partibus animalium ait Philosophus, quod circa honorabiles illas ac divinas substantias, puta Deum et intelligentias, contingit nobis pauciores esse theorias ; et si modice attingamus eas, tamen propter honorabilitatem cognoscendi delectabilius aliquid habent quam quæ apud nos omnia. Hinc, secundum Augustinum, Martha, id est vita activa, turbatur ; Maria, id est vita contemplativa, spiritualiter epulatur. art. præced.

C Quarta, quoniam vita contemplativa est sibi magis in se sufficiens, eo quod contemplativus in suæ exercitio vitæ paucioribus egeat ; activa vero vita indiget multis, quum circa exteriora versetur. Contemplativus nempe quo in contemplationis exercitatione plenius crescit altiusque ascendit et exuberantius gaudet, eo ad corporalium necessitudinum sublevamen paucioribus contentatur. Ideo Dominus ait ad Martham, quæ figura est activorum : Sollicita es et turbaris erga plurima. Salomon D quoque de sapientia, quæ est contemplativæ vitæ principium, dicit : Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra ejus divitiæ et gloria. Cernimus quoque quod contemplativis provident ipsi activi corporalia ministrando, ut spiritualium eorum exsistant participes. *Luc.* x, 41. *Prov.* III, 16.

Quinta, quoniam vita contemplativa quæritur propter se ipsam, activa vero ordinatur ad aliud. — Sexta, quia contemplativa vita in quiete et vacatione consistit, activa in labore ac motu.

Septima, quia contemplativa vita est A magis divina, activa autem magis humana. Quum enim contemplativa vita in actibus caritatis ac sapientiæ maxime collocetur, et Deus essentialiter caritas ac sapientia esse censeatur, palam quod per vitam contemplativam quis Deo præcipue assimiletur : imo divina contemplando ac diligendo præcipue assimilatur Altissimo, cujus vita est suæ æternæ veritatis contemplatio suæque bonitatis dilectio. Ideo contemplativus dicendus est deiformis.

Octava, quoniam vita contemplativa B competit nobis per id quo a bestiis separamur, et quod nobis est proprium; activa vero etiam per id quo irrationalibus communicamus, puta secundum vires animæ inferiores.

Nihilo minus vita activa præfertur contemplativæ secundum quid, videlicet in casu, propter bonum commune et necessitatem vitæ præsentis.

Sunt demum aliæ rationes cur contemplativa vita activæ præfertur : prima, quia *Luc.* x, 42. ait Salvator [quod] pars Mariæ, id est con- C templativa vita, non aufertur, quia cum sæculo isto non terminatur sicut activa, sed nunc inchoatur, atque in patria sine fine perficitur ; secunda, quoniam vita contemplativa beatitudini patriæ magis propinquat, utpote claræ ac beatificæ visioni ; tertia, quia est magis supernaturalis.

Verumtamen intuendum quod activæ vitæ sunt duplicia opera. Quædam sunt penitus corporalia, ad virtutes morales spectantia, atque ad vitam contemplativam D dispositiva : ut sunt exteriora misericordiæ opera, et cetera virtutum moralium exercitia ad passionum refrenationem tendentia. Itaque de istis certum est quod vita contemplativa præferenda sit ipsis. — Alia sunt opera vitæ activæ, quæ si idonee fieri debent, contemplativæ vitæ perfectionem præexigunt, et ex contemplationis plenitudine quadam procedunt : sicut sunt, verbum Dei prædicare, errantem corripere, Scripturas aliis interpretari, in spiritualibus quoque præesse, aliorum conversioni intendere, confessiones audire, publicas pro aliis preces effundere. De his igitur actibus aliqui dicunt, quod vitæ contemplativæ sint præferendi : quod secundum bonum intellectum probabile reor. Primo, quum B. Dionysius fateatur, omnium divinissimum esse Deo cooperari in reductione animarum ad ipsum; *De Cœlest. hier.* c. III. et Gregorius, quod sacrificium Deo acceptissimum est zelus animarum. Denique actus præfati utriusque vitæ perfectionem includunt, quia ex præcordiali Dei amore et devotissima contemplatione emanant : ita quod viri perfecti actus hos exercendo, in divinorum contemplatione ac dilectione vehementius aliquando accenduntur et crescunt, quam si in solitudine eadem silenter cogitarent quæ publice docent, orant, prædicant, interpretantur vel audiunt. Unde hujusmodi actus ex sua natura actum contemplationis et dilectionis minuere non videntur, sed confovere ; dumque fiunt modo prædicto, principiari possunt ex multis virtutibus, scilicet latria, misericordia, justitia, caritate. Nihilo minus absolute dicendum quod contemplativa vita præfertur activæ, si in vita activa solum pensetur quod est vitæ activæ.

Postremo, eo modo quo vita contemplativa est dignior, etiam magis meritoria perhibetur, præsertim quoad præmium essentiale, quod caritatis fervori correspondet. Activa tamen, quum sit laboriosior, quandoque de præmio accidentali plus promeretur. Hinc dicit Gregorius, quod vitæ activæ magna sunt merita, sed contemplativæ majora. Et rursus : Contemplativa, inquit, major est merito quam activa, quoniam activa in usu operis præsentis laborat, illa vero sapore intimo venturam jam requiem degustat. Et quamvis activa sit bona, melior est tamen contemplativa : quoniam activa cum mortali vita deficit, illa vero in immortali vita plenius excrescit. Activæ enim vitæ opera cum corpore transeunt, contemplativæ autem gaudia ex

fine melius convalescunt. Verum, si verba hæc digne pensentur, non videbuntur (ut arbitror) dicta nisi de operibus vitæ activæ ad contemplativam dispositivis. Siquidem alium docere, illuminare, audire, orare et alloqui, etiam manent in patria, vel saltem præsertim usque ad diem judicii : quæ tamen, secundum Gregorium, sunt opera vitæ activæ secundum modum prætactum.

ARTICULUS XV.

Quæ vita sit diuturnior ac magis continua, contemplativane, an activa.

QUO vita contemplativa exstat sublimior atque divinior, eo gratia pleniori indiget homo ad eam. Dicit autem Gregorius, quod sine gratia speciali nullus ad contemplationem pertingit. Dicit quoque Philosophus decimo Ethicorum, quod vita contemplativa sit supra hominem, magisque divina quam humana, quemadmodum virtus heroica. Quo itaque mens humana fuerit a passionibus purior, ab inquietudinibus imaginibusque liberior, in gratia gratum faciente, caritate ac donis Spiritus Sancti stabilior atque perfectior, eo ad divinorum contemplationem fervidam ac præclaram aptior solidiorque consistit ; tanto quoque delectabilius ac ferventius in ea dum adest persistit, quum abest anhelat, quanto virtutem, dignitatem atque dulcedinem ejus copiosius est experta. In talibus itaque contemplativa vita potest esse diuturnior ac magis continua etiam in præsenti : imo in exercitiis vitæ activæ tales frequenter etiam cito lassantur, ad contemplationis amœnitatem sincerissimam suspirantes. In imperfectioribus vero contingit oppositum, sicut præhabitum est. (art. præced.) Pluribus etenim modis a contemplationis continuatione ac diuturnitate retrahuntur, videlicet per phantasmatum occursionem seu rerum memoriam, per passionum impulsionem, per vanæ gloriæ, curiositatis aut similis vitii consurrectionem, per diabolicam infestationem, per corporalem molestiam, per naturalium necessitatum frequentiam.

Itaque contemplativa vita diuturnior est ex sua natura : primo, quoniam convenit nobis secundum vires animæ immortales, quæ sunt magis divinæ, immateriales ac simplices, scilicet intellectus atque voluntas ; secundo, quoniam versatur circa objecta magis invariabilia, fixa, perpetua, scilicet Deum ejusque effectus divinos ; tertio, quoniam nulla forma delectabilius agit aut promptius quam caritas, quæ est contemplationis incitamentum, causa atque completio ; quarto, quia (ut ait Philosophus decimo Ethicorum) in contemplatione corporaliter non laboramus. Hinc vita hæc manet in patria : nam et caritas nunquam excidit, teste Apostolo; sed ignis amoris qui ardere hic incipit, quum Deum quem amat per speciem viderit, amplius in amore ipsius ignescit, secundum Gregorium. (I Cor. XIII, 8.)

Porro vita activa diuturnior et magis continua esse potest in sæculo isto quantum ad nos, ob nostram imperfectionem : quoniam nostræ conditionis minus excedit mensuram, et circa exteriorem atque sensibilem, nobis connaturalem, versatur materiam.

Hinc super Ezechielem ait Gregorius : In vita activa fixi permanere possumus ; in contemplativa vero vita intenta mente manere nullo modo valemus, quoniam ipsa sua infirmitate ab immensitate tantæ celsitudinis repressus animus, in se ipso relabitur. Denique in Moralibus super Job : In activa vita, inquit, persistimus ; a contemplativa autem infirmitatis suæ pondere mens victa laxatur, atque ad hanc magnis conatibus per intervalla temporum reformatur. Illa quippe tanto firmius durat, quanto ad viciniora et ad utilitatem proximi se dilatat ; hæc tanto celerius labitur, quanto et carnis claustra transgrediens, super semetipsam ire conatur. Quum ergo electorum mentes per contemplationis aciem ab activa se vita suspendunt, quo-

niam diu persistere in contemplatione non valent, sese iterum ad operationem fundunt, ut in his quæ sibi juxta sunt se exercendo refoveant, et super se rursum surgere contemplando convalescant. Quumque hæc eadem contemplatio more debito per temporum intervalla repetitur, indeficienter procul dubio etiam in ejus soliditate persistitur : quia etsi infirmitatis suæ pondere a contemplatione superata mens deficit, hanc tamen iterum continuis reparata conatibus comprehendit ; nec stabilitatem suam in contemplatione perdidisse dicenda est, a qua etsi semper deficit, hanc et quum perdiderit semper inquirit.

ARTICULUS XVI.

De infirmitate mentis humanæ ad contemplandum stabiliter, ex verbis S. Gregorii.

QUEMADMODUM quinto Moralium ait Gregorius, dum mens in contemplatione suspenditur, dum carnis angustias superans, per speculationis vim de libertate aliquid intimæ securitatis rimatur, stare diu super semetipsam non potest : quia etsi hanc ad summa spiritus evehit, caro tamen adhuc ipso corruptionis suæ pondere deorsum premit. Quumque invisibilia cognoscimus, hæc tamen non solide, sed raptim videmus. Neque enim in suavitate contemplationis intimæ diu mens figitur, quia ad semetipsam immensitate luminis reverberata revocatur. Quumque dulcedinem internam degustat, amore æstuat, ire super semetipsam nititur, sed ad infirmitatis suæ tenebras fracta deprimitur ; et magna virtute proficiens, videt quia videre non possit hoc quod ardenter diligit, nec tamen ardenter diligeret, nisi aliquatenus videret. Supernam etenim lucem nobis contemplatio et inhiantibus aperit, et infirmantibus mox abscondit. Insuper ait : Quum ad alta mens nititur, carnis suæ cogitatione dissipatur, ita ut sæpe animus dum intimis inhiat, dum cœ-

A lestia sola adspectat, subita carnali motione ac delectatione perculsus, a semetipso scissus jaceat, et qui se infirmitatis suæ molestias superasse gaudebat, repentino vulnere prostratus gemat.

Denique octavo Moralium loquitur : Vita hominis sponte a statu conditionis primævæ lapsa, et corruptionis suæ putredini subdita, quoniam statum mentis inclinata deseruit, quid in se nisi motum varietatis invenit ? Unde nunc etsi ad summa appetenda se erigit, mutabilitatis lubricæ im-
B pulsu protinus ad semetipsam cadit. Vult in contemplatione stare, sed non valet ; cogitationis gressum figere nititur, sed infirmitatis suæ lapsibus enervatur.

Verumtamen, sicut vicesimo secundo Moralium dicit Gregorius, si semel in desiderio supernæ patriæ forti stabilitate animus figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur. A cunctis quippe exterioribus motibus eamdem intentionem suam quasi quemdam secretissimum secessum petit ; ibique incommutabili Deo
C inhærens, et mutabilia cuncta transcendens, ipsa jam tranquillitate quietis suæ etiam in mundo quodammodo extra mundum est. Excedit profecto ima omnia intentione summorum ; et cunctis rebus quas non appetit, libertate quadam superesse se sentit ; nec tempestatem rerum temporalium intus sustinet, quam intuetur foris : quia terrena omnia quæ concupita opprimere mentem poterant, despecta subterjacent.

Verumtamen, sicut S. Thomas in se-
D cunda secundæ conscribit, contemplatio- q. CLXXX, a. 8 ad 2um.
nis diversi sunt actus et gradus ; summum vero contemplationis nostræ consistit in hoc, ut ad uniformitatem contemplationis mentis divinæ proportionaliter (ut possibile est) pertingat, quemadmodum B. Dionysius docet. Itaque quoad hunc contem- De Cœlest. hier. c. III; de Divin. nom. c. IV.
plationis actum potissime verum est quod contemplatio diu continuari non queat et quasi ut fulgur pertranseat : quanquam interdum in quibusdam Sanctorum, etiam quoad hunc actum, contemplatio diu satis

continuata noscatur ; sed hoc prorsus mirabile supernaturaleque fuit, privilegiumque paucorum.

Unde et Plato, ut nono de Civitate Dei recitat Augustinus, disseruit lumen divinum interdum tanquam rapidissimi coruscaminis fulgorem mentibus intermicare sapientium virorum, quum se toto conatu ab exterioribus retraxerint. De hoc inferius dicenda sunt plura.

Verbis autem Platonis consonat illud Gregorii vicesimo octavo Moralium : Ad invisibilium amorem vocamur, sed tamen a visione restringimur, quia etsi quando aliquid furtim parumque adspicimus, sub imperfecto adhuc nimis visu caligamus ; cor nostrum cogitationum nube vestitur, quia ne internam quietem pure conspiciat, inquietudinis suæ confusione obtenebratur, atque a contemplandis sublimibus adhuc teneris sensibus suæ infirmitatis ligatur. Sicque omnipotens Deus cor nostrum sub mensura contemplationis humiliat, ut licet plus appetat, ultra tamen quam sibi conceditur non ascendat.

ARTICULUS XVII.

De causis infirmitatis ac instabilitatis mentis humanæ ad contemplandum.

SICUT in fine septimi Ethicorum ostendit Philosophus, quanto essentia seu natura rei est purior atque simplicior, eo actio ejus ac delectatio uniformior simpliciorque consistit. Ideo Deus gaudet una simplicissima actione atque purissima voluptate. Operatio namque correspondet naturæ agentis, et modus agendi proportionatur seu parificatur modo essendi. Quum ergo in intellectualium ordine naturarum a divina supersimplici mente potissime distet anima rationalis, certum est quod ex sua natura est maxime vaga, defectuosa, instabilis. Hinc in una consideratione et affectione non figitur, sed ad alia cito delabitur.

Prima igitur causa infirmitatis ac instabilitatis ad contemplandum, est distantia
A seu declivitas animæ in sua natura a primo invariabili intellectu.

Secunda est ex parte corporis, secundum quod Plato asserit in Phædone : Quamdiu corpus habuerimus, et agglutinata fuerit anima huic malo, nunquam plene ac sufficienter adipiscemur quod exoptamus : decies enim millena nobis vacationum impedimenta inde proveniunt propter corporis necessitatem et alimoniam. Corporis quoque morbi et animæ passiones mentem a contemplatione impediunt.

B Tertia causa est excellentia objecti, videlicet Dei ac divinorum operum ejus, a quorum plenaria notitia deficit anima : imo ad Divinitatis ac intelligentiarum contemplationem se habet sicut oculus noctuæ ad solis splendorem, secundum Philosophum. Etenim Deus sanctus ac adorandus suæ increatæ lucis superinfinita ac supersplendidissima claritate mentis aciem retundit, reverberat et quasi excæcat quantum ad comprehensionem completam.

Quarta est inquietudo imaginationis, cujus
C phantasmata distractionem menti inducunt.

Quinta est multiplicitas virium animæ operationumque ejus : quia dum anima circa unius potentiæ operationem intenta est, ab aliarum virium actibus minoratur ac impeditur frequenter, quamvis interdum operationes sensitivæ ad contemplationem deserviant, secundum quod cognitio intellectiva a sensitiva habet exordium.

Sexta est sublimitas ipsius contemplationis, quæ quum sit primæ æternæque
D mentis atque angelicorum spirituum actio propria, animæ capacitatem quodammodo superat, ita quod ad eam difficulter perducitur, faciliter quoque ab ea dejicitur.

ARTICULUS XVIII.

An vita activa perseveret in patria, et utrum conveniat Deo ac angelis.

SANCTI doctores Augustinus et Gregorius, aliique communiter, dicunt concorditer vitam activam cum præsenti via

finiri, nec remanere in patria : ex quo sequi videtur, quod nec menti divinæ neque angelicis insit spiritibus. Quod etiam apparet ex verbis Philosophi decimo Ethicorum, quo solam speculativam felicitatem asserit diis competere.

Sed his videtur obsistere, quod secundum Gregorium, instruere alium, dare consilium, trahere ad conversionem, sunt opera vitæ activæ. Quum ergo, secundum Dionysium, angeli superiores purgent, illustrent, perficiant inferiores, Christus quoque ut homo universos Beatos illuminet, Deus autem omnes eos verissime doceat; videtur quoad hoc remanere in patria vita activa, et Deo angelisque competere.

De Cœlest. hier. c. VII-X. — De Eccl. hier. c. I.

Præterea, secundum Augustinum, corporalem creaturam administrat et regit Creator per spiritualem, puta per angelos : quod non completur sine vita activa, cujus est circa exteriora versari.

De Cœlest. hier. c. VIII. Denique, secundum Dionysium, ecclesiastica hierarchia ab angelica gubernatur. Quum ergo prælatis Ecclesiæ adscribatur vita activa in hoc quod subditos regunt, simili ratione convenit angelis vita activa.

Insuper, secundum theologos atque philosophos, supernis illis spiritibus competit movere orbes cœlestes, et formas inferiorum corruptibiles de potentia materiæ educere : quæ non sunt actus vitæ contemplativæ. Dicit etiam S. Thomas in prima parte (q. CX. a. 1.), quod cuilibet speciei generabilium ac corruptibilium præsidet aliquis angelus. Porro, secundum Gregorium, angelorum opera sunt miracula facere, dæmones coercere, preces hominum Deo offerre, gratiam Dei hominibus procurare. Hæc autem feruntur opera activæ vitæ.

Præterea, Deo sublimi ac benedicto competit quotidie rationales animas creare, impios justificare, panem et vinum transsubstantiare, totum mundum disponere, juxta illud Job (*Job* XXXIV. 13.) : Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? Propter quod tertio de Trinitate loquitur Augustinus : Nihil fit visibiliter ac sensibiliter, quod non de interiori, invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut jubeatur aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica. Unde et Christus in Evangelio (*Joann.* V, 17.) : Pater meus usque modo operatur, et ego operor.

Verum ad ista quidam respondent, quod dum opera vitæ activæ ad contemplationis referuntur quietem, spectant ad vitam contemplativam; opera vero vitæ activæ quæ inveniuntur in Beatis, ad contemplationis quietem ordinantur : ideo in eis vita activa locum non habet. Sed istud, ut supra jam tactum est (art. XIV.), non videtur sufficere : quoniam et prælati et boni activi ad contemplationem utique referunt quidquid in exterioribus operantur, tamen activam vitam ducere perhibentur. Hinc ergo dicendum, quod sicut vita contemplativa competit Deo atque Beatis sublimiori modo quam viatoribus, ita et vita activa, utpote imperfectione omni exclusa. Neque enim in eis una vita impedit aliam, nec ad contemplativam se præparant per exercitium contra peccata, sed actio eorum ex contemplationis plenitudine profluit. Verba vero Sanctorum vitam activam in patria non esse dicentium, intelligenda sunt de operibus vitæ activæ ad virtutes morales et corporalia misericordiæ facta spectantibus. Unde de talibus dumtaxat exempla inducunt. Aristoteles quoque hujuscemodi vitam activam tollit a diis.

ARTICULUS XIX.

Quomodo triplici via ad contemplationem perducimur.

DEUS sublimis et benedictus, quum sit fons puritatis ac sanctitatis, essentialiter sanctus et sanctitas ipsa penitus infinita, mentem puram requirit, sanctamque diligit. Nec aliud facit nos Deo odibiles

atque ab ejus splendore et gratia alienos A aut elongatos, nisi peccatum. Ipsa quippe *Is.* LIX. 2. peccata, ut loquitur Isaias, dividunt inter Deum et nos; ipsa quoque, Jeremia te- *Jer.* v, 25 stante, prohibent bonum a nobis, id est, gratia Dei nos reddunt indignos. Hinc in libris de Civitate Dei et Trinitate toties fassus est Augustinus, quod sola dissimilitudine distamus a Deo. Quavis autem etiam dissimilitudine naturæ et conditionis creaturæ distamus a Deo, hæc tamen non efficit displicentiam, aversionem vel contemptum in mente divina quantum ad B nos, sicut dissimilitudo peccati : naturam equidem quantumlibet declivem diligit opifex Deus; sed culpam odit, atque ob hanc detestatur ac spernit iniquum.

Qui ergo ad contemplationis quietem, qui ad divinorum theorias præfulgidas, qui Deo propinquare, placere, uniri desiderat, a via purgativa sumat exordium. Porro via purgativa est conatus seu studium animæ, quo tanquam per iter ac medium quoddam tendit ad cordis emundationem a passionibus, ignorantiis, erro- C ribus et peccatis, vacando pœnitentiæ actibus, corpus quoque subjiciendo spiritui, sensitivamque partem rationi. Hoc est non *Rom.* XII, 2. conformari huic sæculo, sed exuere vete- *Coloss* III, 9. rem hominem cum actibus suis, et absti- I *Petr.* II, 11. nere a carnalibus desideriis cunctisque vanis affectibus, quæ militant adversus animam.

Quum ergo fuerit anima taliter emundata, jam capax est fulgoris seu radii sa- *Sap.* I, 4. pientiæ salutaris, quæ in malevolam ani- *Ibid.* VII, 27. mam non descendit, sed anima justi sedes D ac thronus ipsius est. Porro via illuminativa est occupatio, conatus seu studium mentis nostræ in contemplatione divinorum, in speculatione spiritualium, supernaturalium cœlestiumque bonorum, in participatione illustrationis divinæ, in susceptione sapientiæ radiosæ, supernaturalis, creatæ, infusæ : cujus luce mens clarificata, intuetur divina, fitque thalamus Sponsi, reclinatorium Christi, thronus ac requies Dei excelsi, superviventis ac adorandi.

Nempe quum Deus naturaliter, essentialiter infiniteque bonus, sit sol intelligentiæ, itemque per essentiam sapientia exemplaris, superbona, communicabilissima, liberalissima, penitus infinita, omnium mentium per essentialem intimumque illapsum penetrativa; palam quod mentem a passionibus atque peccatis purgatam, ad radium quoque se (juxta Dionysium) conver- Epist. IX, ad Titum. tentem, et Deum cordiali zelo ac vehementi affectu honorare in omnibus contendentem, affluenter illuminet, suaque unctione I *Joann.* II, 27. dulcissima de omnibus doceat, ita ut lætabunda gratias agens testetur : Bene- *Ps.* XV, 7. dicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.

Postremo, quum fuerit anima taliter in sensitivo appetitu reformata, atque in intellectu decorata, jam apta est tertiam ingredi viam, quæ perfectiva seu unitiva vocatur, consistens in hoc, ut mens ex contemplatione divinorum amore vehementer succendatur, tota æstuans, ignita atque flammigera efficiatur, utpote in immenso illo Divinitatis igne per cujusdam illapsum scintillæ incensa : sicque cuncta creata transcendens ac deserens, se ipsam quoque et omnia obliviscens, sincere, integre, imo liberrime fertur, resolvitur, liquefit, transformatur et absorbetur in Deum per æstuantissimam fervidæ caritatis affectionem ad eum. Hæc est via unitiva, mentem Deo intime et superintime ac supernaturaliter nectens, in qua consistit mystica illa quam describit magnus Dionysius theologia, quæ est secretissima mentis cum Deo locutio supermentalisque visio, quæ in apice affectus consummatur et ecstasim operatur : de qua, si Spiritus Sanctus præstiterit, infra tractabitur.

Denique, harum trium viarum una aliam comprehendit atque includit secundum aliquem gradum. Tertia quippe primam ac secundam, secundaque primam præsupponit. Similiter secunda tertiam secundum aliquem gradum includit : quoniam cognitio divinorum contemplatio nuncupari digna non est, nisi igne dilectionis

formetur. Sed et prima aliquid de via secunda ac tertia habet admixtum. Qui enim a peccatis se purgat et passiones reformat sine caritatis affectu et veræ sapientiæ actuali intuitu, quomodo Dei a se offensi æquitatem, bonitatem misericordiamque considerat, deprecatur, et sibi reconciliari conatur?

ARTICULUS XX.

Quod actualis seu ethica præcedere debet theoricam, et quomodo virtutes morales pertineant ad vitam contemplativam.

ACTUALIS et ethica seu moralis appellatur scientia quæ circa passionum moderationem et exteriorum inquietudinum sedationem versatur, ita quod hujus scientiæ finis est opus, non sola consideratio. Unde, teste Philosopho, quid sit virtus scrutamur, non finaliter ut sciamus, sed potius ut virtuosi reddamur. Rursusque secundo Ethicorum fatetur, quod ad virtutes morales modicam habet potestatem ipsum scire dumtaxat, sed operari oportet. Ideo, secundum eumdem, virtutes morales ad felicitatem activam seu politicam ordinantur : est enim earum, passiones frenare exterioresque operationes rectificare.

Itaque hæ virtutes ad activam pertinent vitam essentialiter et directe, ad contemplativam vero dispositive : quoniam contemplationis obstacula, utpote vehementiam passionum et inquietudinem occupationum, quibus anima a spiritualium ac intelligibilium vacatione retrahitur, tollunt, mentemque gratiæ amplioris capacem efficiunt. Passiones quippe perfectionem contemplationisque culmen nedum impediunt dum actualiter oriuntur et insunt, sed ipsa quoque deformatio seu pronitas animæ ad immoderantiam passionum ac vitiorum, efficit mentem Deo minus amabilem, minus similem et minus propinquam, et ex consequenti, minoris gratiæ susceptivam. Unde qui cupit Deo in-

A time singulariterque placere, sua etiam opera a Deo gratissime acceptari, studeat plenissime passionum reformationi. Certum est equidem, actus et exercitia perfectorum Deo multo sublimius complacere quam eorum qui ad passiones ac vitia sunt proclives, quamvis illi prompte ac delectabiliter peragant quod isti cum difficultate et pœna.

Propterea, secundum illustrem patrem nostrum Joannem Cassianum, actualis seu ethica scientia efficaciter debet præcedere (Collation. Patr. collat. XIV, c. 2.)
B theoricam, id est sapientialem ac contemplativam divinorum speculationem.

Et sicut docet S. Gregorius, vita activa contemplativam debet præcedere. Ait enim sexto Moralium : Quisquis jam terrena desideria despicit, quisquis se per activæ opera vitæ extendit, nequaquam ei sufficit magna exterius agere, nisi etiam per contemplationem valeat interna penetrare. Sepulcri etenim nomine contemplativa vita signatur, quæ nos quasi ab hoc mundo mortuos sepelit, dum a terrenis desideriis
C susceptos in intimis et secretis abscondit, atque a cunctis actionibus mundi funditus dividit, sicut quibusdam Paulus dicebat : Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. (Coloss. III, 3.) Quisquis ergo jam in se contumelias carnis edomuit, superest ut mentem per studia sanctæ operationis exerceat; et quisquis jam mentem per opera sancta dilatat, restat ut hanc usque ad secreta intimæ contemplationis [studia] extendat. Prius igitur mens ab appetitu gloriæ temporalis atque ab omni carnalis
D concupiscentiæ delectatione tergenda est, et tunc ad contemplationis aciem erigenda. Qui ergo apprehendere culmen perfectionis nituntur, quum contemplationis arcem tenere desiderant, prius se in campo boni operis per exercitium probent, ut sollicite sciant si nulla jam mala proximis irrogant, si irrogata a proximis æquanimiter ferunt; si concessis temporalibus bonis nequaquam mens lætitia solvitur, si subtractis non immoderato mœrore tristatur. Necesse est ergo ut perfectus quisque

prius virtutibus mentem exerceat, atque A hanc postmodum in quietis horreum condat. Primo itaque mens exsudet in opere, ut post reficiatur in contemplatione.

Insuper quinto Moralium ait : Sancta mens quo se a strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eo verius interna cognoscit ; et tanto alacrius ad intima vigilat, quanto se ab exteriori inquietudine occultat.

Denique Prosper primo de Vita contemplativa ait : Contemplativæ vitæ sectator Dei præcepta infatigabiliter legat, effica- B citer impleat ; a strepitu sæcularium negotiorum remotissimus, ea ferventer excogitet, quibus animum suum in desiderium futuræ remunerationis inflammet ; studiis spiritualibus, quibus quotidie melior fiat, invigilet ; amet otium sanctum, in quo exerceat animæ suæ negotium. Mortuum sibi deputet mundum, et se mundi blandientis illecebris exhibeat crucifixum. Nunquam ne ad momentum quidem, a futuris cœlestibus bonis considerandis aversus, ad terrena respiciat ; eo aciem mentis in- C desinenter intendat, quo pervenire desiderat.

Elucescit ergo ex his, quod primo oporteat mentem ab omni affectione inordinata circa sensibilia ac terrena esse purgatam, ne inordinate amet, desideret, delectetur, præsumat, formidet aut contristetur, sed omnes hujusmodi affectiones habeat secundum rationis rectæ censuram moderatas, divinæque legi subditas, quatenus nec magis nec minus circa exteriora, carnalia et caduca afficiatur aut moveatur D quam expedit animæ, quantum ad veram felicitatem, et ad divinæ majestatis honorem et gloriam. Omnis ergo sollicitudo inanis, timor et mœror irrationabiles sunt repellendi, atque in bona libertate securitateque standum est fortiter. Denique omni diligentia insistendum est cordis custodiæ, refrenationique linguæ. In silentio *Is.* xxx, 15. namque et spe fortitudo est nostra. Et qui *Prov.* xxi, 23. custodit os suum, custodit ab angustiis animam suam. Exteriores quoque sensus necesse est vigilantissime custodire ; et in cibo, potu, vestimento ac strato sola necessitas, non voluptas, est admittenda. Sicque per universorum mundanorum affectuum exstirpationem, per divitiarum, deliciarum temporaliumque honorum contemptum, soli Deo præparanda est anima contemplationis veraciter avida.

Hinc secundo de Doctrina christiana loquitur Augustinus : Deus videtur ab his qui moriuntur huic sæculo : nam in tantum vident, in quantum sæculo moriuntur ; in quantum vero sæculo vivunt, non vident. Hoc consonat verbo Apostoli, qui sæculi amatoribus protestatur : Dicunt se *Tit.* i, 16. nosse Deum, factis autem negant.

ARTICULUS XXI.

De exercitio animæ in via purgativa.

QUONIAM in peccato præfert peccator summo et incommutabili bono, Deo superglorioso, omnipotenti ac adorando, bonum caducum et vanum, carnale, sensibile, terrenum seu temporale, quod ad Divinitatis contemptum maximamque Dei injuriam certum est pertinere, tanto utique ampliorem ac graviorem, quanto melior, amabilior et honorabilior est Deus quocumque creato ; hinc primo oportet ut pro isto Dei contemptu ac parvipensione peccator se ipsum toto corde humiliet, vilipendat, contemnat, omni quoque confusione ac pœna reputet dignum, Deum autem super omnia devote extollat atque magnificet.

Rursus, quoniam in peccato delectatus est impius in rebus vanis et caducis, qui in solo debuit Creatore delectari, idcirco secundo requiritur ut pro hujuscemodi libidinosa seu inordinata ac vitiosa delectatione cordialiter doleat, ita ut magnitudini culpæ correspondeat magnitudo doloris. Tanto quoque majorem debet habere de peccato dolorem quam de temporali aliquo damno corporalive nocumento, quanto malum culpæ deterius est malo pœnæ, et

quanto infelicius est summum immensumque bonum quam temporalia perdidisse; quanto demum flebilius exstat animam vulnerasse, quam corporale incommodum incurrisse : quod non est incommodum, si sapienter pensetur æquanimiterque feratur.

Insuper, quoniam culpæ debetur pœna, qua ordinatur atque corrigitur culpa, hinc tertio opus est ut pro culpis suis dignas ac debitas pœnas libenter sustineat, ut quantum se in deliciis glorificavit, tantum sibi tormentum et luctum infligat.

Itaque qui ad contemplationis verticem optat contingere, quia non qualitercumque Deum placare desiderat, sed ejus familiaritatem, gustum, amplexum osculumque intendit, debet se cum profundissima humilitate, præcordiali dolore et omni promptitudine ad satisfaciendum ac emendandum coram Altissimo constituere, et bis aut ter quotidie, quum melius sibi vacat, præsertim de sero vel nocte, in loco secreto et quieto taliter se coram Deo accusare, mente et visu in cœlum, imo ad Deum cœli directis :

O Deus omnipotens, benignissime et æterne, misericordissime Domine Jesu Christe, Creator meus et Salvator animæ meæ, ecce ego sum ille peccator vilissimus, nequissimus, totus abominabilis, contemptibilis atque miserrimus, omni bruto deterior factus, qui toties et tam graviter, audacter et impudenter tuam majestatem inhonoravi, tua præcepta transgressus sum, ea non curando nec advertendo, imo audita et cognita prævaricando ; tuam bonitatem, sanctitatem et caritatem offendi, cor meum a te Deo meo averti, illa et illa peccata commisi, tot et tanta bona omisi, beneficiis tuis ingratissimus exstiti, donis tuis abusus sum.

Tuncque cogitet peccata aliqua graviora, atque ad quodlibet specialiter, pro omnibus quoque generaliter, mentaliter doleat et suspiret quantum dederit Dominus ; seque non satis dolere pœniteat, atque pro gratia condigni doloris divinam A precetur clementiam, pectus tundat, lacrimas quoque, si dederit Deus, effundat.

Deinde genibus flexis, vel toto corpore in terram prostrato, manibus simul junctis, vel in modum crucis extentis, oret Deum pro omnium peccatorum suorum plenaria remissione his aut similibus verbis :

O misericordissime, summe amabilis, summe desiderabilis, atque in infinitum dulcissime Domine Jesu Christe, propter immensam bonitatem, caritatem et pietatem tuam, per omnia quæ pro mea salu-
B te fecisti ac pertulisti, per tuam benedictam incarnationem, sanctissimam in hoc sæculo conversationem, acerbissimamque passionem, per beatissimam virginem Mariam, omniumque Sanctorum preces ac merita, ignosce mihi indignissimo atque gravissimo peccatori, et gratiam tuam piissimam mihi infunde, per quam de cetero omnia peccata devitem, et quidquid tibi displicet fugiam, neque deinceps unquam a te Deo meo mentem meam avertam.

Hinc ait Doctor devotus : Volens profi-
C cere, primo studeat quantum potest se vilissimum reputare et indignum omni beneficio Dei ; sibi ipsi displiceat, soli Deo placere desideret ; ab aliis velit vilis, non humilis, reputari ; et ex hoc summam Dei recognoscat clementiam, quod quum ipse sit stercus vilissimum, ad divinæ majestatis inhonorationem promptissimum, Deus tamen dignatur ipsum in servum assumere, et quod majus est, jam in filium adoptare. Non ergo reputet magnum quod Deo servit, sed maximum reputet quod
D Deus dignatur habere tam insufficientem ac miserum servientem.

Præterea, ut se magis despiciat, nec tamen desperet, sed fiduciam piam in Christo concipiat, cogitare et coram Deo recitare debet beneficia Dei hoc modo :

O unigenite Fili Dei, Jesu Christe, immensa et ineffabilia sunt beneficia tua circa me. Me enim de nihilo produxisti; rationalem me creaturam, æternæ beatitudinis susceptivam, fecisti ; corpus et animam, voluntatem, intellectum, sensus et

ceteras vires ac corporis membra donasti. A Ex utero matris me custodisti, nec ante Baptismum mori permisisti. Multoties graviterque peccanti pepercisti hucusque, atque ad hanc pœnitentiæ gratiam et veritatis notitiam me perducere es dignatus, quum innumerabiles jam æternaliter condemnaveris qui minus peccaverunt quam ego. Insuper, ut me ab æterna damnatione eriperes, cœlestisque gloriæ filium faceres, dignatus es homo fieri, cum hominibus conversari in omni ac maxima paupertate, persecutione, tentatione, irrisione, in omni obedientia, patientia et mansuetudine. B Tandem quoque pro me amarissimam mortem perpeti voluisti; esque pro me angustiatus, afflictus, usque ad mortem contristatus, sanguineo sudore perfusus, captus, ligatus, alapis cæsus, consputus, oculis velatus, lacrimatus, contemptus, irrisus, blasphematus, alba veste atque purpureo indumento illusus, flagellis pœnalissime laceratus, spinis coronatus, arundine atrociter cæsus, sancto vultu beato cruore perfusus, morti turpissimæ adjudicatus, C ad locum mortis crucem bajulans ductus, manibus tuis ac pedibus duris clavis pœnosissime perforatus, inter latrones suspensus, cum iniquis reputatus, aceto ac felle potatus, lancea transfixus, amarissima morte peremptus. Sic me redemisti, et ego malitiosissimus vilissimusque peccator tibi de omnibus his ingratissimus fui, mala pro bonis rependi; tam ingratus et pravus effectus sum, quod merito contra me omnis creatura insurgeret, ac sui Creatoris in me injuriam vindicaret. Verumtamen, D Domine Jesu Christe, quia me desperare prohibuisti, et tanta pro me sustinuisti, me totum ad immensam misericordiam tuam converto, et obsecro pro gratia emendationis, quatenus tibi de cetero quotidie magis ac magis devotus gratusque efficiar, nec a te ullatenus separer.

Matth. XXVI, XXVII; *Luc.* XXII, XXIII; *Joann.* XIX.

Is. LIII, 12.

Istud devotionale viæ purgativæ exercitium continuandum est cum ingenti et grandi attentione per tempus, donec peccator sentiat sibi gratiam pleniorem infundi, qua ad exercitia viæ illuminativæ fiat idoneus. Verumtamen qui istud diligenter servaverit, magnam in brevi gratiam sortietur; sed discretione utendum est, ne per nimiam exercitationem caput debilitetur.

ARTICULUS XXII.

Qualiter quotidie exercere se debent qui ad contemplationis culmen adspirant, et de his quæ eis specialiter necessaria sunt.

SICUT testatur B. Bernardus, ingratum est Spiritui Sancto quidquid obtuleris ei, neglectis his ad quæ teneris. Qui ergo ad perfectiora et contemplationis sublimia cupit pertingere, primo omnium diligentissime impleat, sciat, observet ad quæ obligatur, puta divina præcepta, et si religiosus est, Ordinis sui regulam seu statuta. Deo atque Ecclesiæ rectæque rationi secundum status sui exigentiam semper obtemperet; et quoniam maledictus est qui facit opus Dei negligenter, ideo cum reverentia et timore Deo magno, immenso ac sancto ministret: Horas seu orationes distincte, intente, devote persolvat; Deum cogitet semper sibi præsentem, cunctaque opera sua, cogitatus, affectus et verba intuentem ac judicantem, et coram divini vultus æterni ac metuendissimi Judicis præsentia infructuose, inhoneste, vituperabiliter habere se erubescat; fervido zelo cupiat Deum in omnibus honorare atque ab omnibus honorari.

Jer. XLVIII, 10.

Denique, quoniam gratia gratum faciens est primum omnis meritoriæ actionis principium, ipsam rationalis animæ essentiam in esse divino supernaturali ad promerendum idoneo statuens, eamque immediate perficiens et Deo acceptam efficiens; hinc jugiter cordiali oret affectu ut Deus piissimus quotidie hanc gratiam suam in se conservet, augeat atque perficiat, ut per hoc ad omnia bona æternæ vitæ merito-

ria omni die efficacior promptiorque reddatur.

Insuper oret ut fidem suam Deus rationibus credendorum benignissime perficiat et illustret per donum intellectus, cujus est ea quæ fidei sunt penetrare, rationes credendorum intelligendo, in quo contemplationis pars magna consistit.

Præterea, quoniam caritas Dei est contemplationis incitamentum, forma et consummatio, devotissime ac incessabiliter oret Deum ut caritatis suæ fervore mentem ipsius incendat, impleat, occupet incessanter totaliterque possideat, omnem inordinatum amorem a se depellat.

Amplius, quoniam dona faciunt mentem bene ac prompte mobilem, docilem, dirigibilem a Spiritu Sancto, sine cujus speciali dono nemo ad contemplationis arcem conscendit, affectuosissime oret immensam munificentiam clementissimi Dei, ut septem dona Spiritus Sancti quotidie corroborentur ac perficiantur in se, quatenus per hæc a Spiritu Sancto frequentissime ad contemplationes prælucidas atque ignitas intime moveatur ac inflammetur. Præsertimque oret pro complemento doni sapientiæ, cujus (ut dictum est) contemplatio potissime actus vocatur. (art. II-IV, X, XIII.) Est quippe sapientia ista donum supernaturale, creatum, infusum, dignissimum, per quod mens de Deo ac divinis rectum ac saporosum sortitur judicium, per connaturalitatem et conformitatem affectus ad ea, non per nudam, informem ac solam notitiam.

At vero, quoniam in contemplatione mens humana ad lapsum proclivis super se alte ascendit, ne ruat, valde necessaria ipsi est profunda ac firma humilitas pro fundamento : imo quo sub Creatoris magnificentissima majestate se ipsam magis humiliat, eo ad contemplationem illius sublimius scandit. Adhuc autem, ne per contemplationis volatum ac libertatem ad inania relaxetur, oportet ut in timore Dei casto, sancto ac filiali se immobiliter fundet, nec majestatem ultra quam condecet, scrutari præsumat : imo, secundum Dionysium et Damascenum, nihil de superessentiali Trinitate atque invariabili Deitate (De Divin. nom. c. I.) sentire aut fari adjiciat præter ea quæ in Eloquiis sacris seu divinis Scripturis sunt tradita. Itaque fideliter oret quotidie pro humilitate immobili ac timore filiali. Superbi namque, præsumptuosi ac intimorati ad contemplationem prorsus indigni censentur, quantumcumque ingeniosi aut docti probentur.

Postremo, quoniam amor privatus, ad se reflexus et improbus, quo creatura rationalis amat se in se, volendo, optando, quærendo commoda propria et delectabilia sibi in se, omnium exstat vitiorum origo, summe oportet Deum rogare et fortiter laborare pro hujus pessimi eradicatione amoris, quatenus volens proficere, se amet in Deo, Deum super omnia pure ac fervide diligendo, et alia in eo, vel prout prosunt ad unionem mentis cum ipso. Sic namque cuncta adversa, dura et aspera æquanimiter tolerabuntur, eo quod ad peccati remissionem, gratiæ impetrationem, beatitudinis adeptionem, Christi imitationem maxime prosint ; similiter vigiliæ, abstinentiæ, disciplinæ, solitudo, silentium, abnegatio sui, ac ceteri pœnitentiæ actus atque virtuosi labores, cum gaudio ad Dei honorem observabuntur : unde nec ira, nec impatientia, nec ceteræ passiones detestabiles locum habebunt, sed ad divinorum contemplationem erit mens tanto agilior atque liberior, quo magis a se ipsa expedita, mortificata, alienata, ipsius Dei tota effecta est. Nempe quo pro Dei amore se ipsam et inferiora hæc omnia magis spernit, eo divinorum profundior utique contemplativa consistit ; et rursus, quo divina excellentius contemplatur, eo creata ac temporalia cordialius aspernatur. Oportet quoque ut aliorum salutem quasi propriam cupiat, pro omnibus oret, nullum scandalizare conetur.

Hæc ergo quotidie fortiter agat qui contemplationis donum adipisci peroptat, donec se ista adeptum lætetur.

ARTICULUS XXIII.

Confirmatio eorum quæ dicta sunt, ex verbis S. Gregorii : ubi ostenditur quod non omnes apti sunt ad contemplationem, et quod ex contemplatione interdum oritur timor salubris.

QUEMADMODUM sexto Moralium docet Gregorius, valde inter se diversæ sunt conspersiones animorum. Quidam etenim ita otiosæ mentis sunt, seu naturaliter quieti, ut si eos labor occupationis recipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant ; et nonnulli ita inquieti sunt, ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborent, quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis ad cogitandum licentius vacat. Unde necesse est ut nec quieta mens ad exercitationem immoderati operis se dilatet, nec inquieta ad contemplationis studium se angustet. Sæpe namque qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt ; et sæpe qui occupati bene humanis usibus viverent, gladio suæ quietis exstincti sunt. Hinc namque est, quod nonnulli inquieti spiritus dum plus exquirunt contemplando quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt. Unde necesse est ut quisquis ad contemplationis studium properat, semetipsum prius subtiliter interroget quantum amet. Machina quippe mentis est vis amoris, quæ hanc dum a mundo extrahit, in alta sustollit. Prius ergo discutiat si summa inquirens diligit, si diligens timet, si novit incognita aut amando comprehendere, aut non comprehensa timendo venerari. In contemplatione etenim mentem si amor non excitat, teporis sui torpor obscurat ; si timor non aggravat, sensus hanc per inania ad erroris nebulam levat ; et quum clausa ei secretorum janua tardius aperitur, ab ea longius ipsa sua præsumptione repellitur. Unde et quum lex
Exod. XIX, 12, 13. accipitur, populus a montis accessu prohibetur : ut videlicet qui infirmis adhuc mentibus terrena desiderant, contemplari
A sublimia non præsumant. Unde et dicitur : Si bestia tetigerit montem, lapidabitur. *Hebr.* XII, 20.
Bestia etenim tangit montem, quum mens irrationabilibus desideriis subdita ad contemplationis alta se erigit.

Ex his B. Gregorii verbis elicitur, quod qui naturaliter quieti atque modesti spiritus sunt, ad contemplativam vitam aptiores consistunt. Ideo naturalibus donis bene utantur, Dominum jugiter deprecentur ut per dona gratiæ in eis perficiat dona naturæ, quatenus contemplationi cum sancta
B discretione insistant. Porro, si qui naturaliter inquieti in statu perfectionis fuerint constituti, non propter naturalem inhabilitatem debent totaliter a contemplatione cessare, sed pro gratia emendationis ac reformationis suorum defectuum Deum incessabiliter exorare, et sibi ipsis bonam violentiam facere, intendendo solitudini et quieti, orationi et meditationi, donec naturalem ineptitudinem gratiæ suppleat incrementum. Discretio autem eis pernecessaria est, ne ruant sub fasce. Hinc ait
C Gregorius : Sed inter hæc sciendum est, quia sæpe et pigras mentes amor ad opus excitat, et inquietas in contemplatione timor refrenat. Ancora enim cordis est pondus timoris. Unde plerumque fluctu cogitationum inquieta mens quatitur, sed per disciplinæ suæ vincula retinetur.

Præterea, quanto quis divinæ naturæ majestatem, sanctitatem atque justitiam clarius contemplatur, eo propriam parvitatem, defectuositatem, contemptibilitatem limpidius intuetur ; ac per hoc sibi ipsi
D magis vilescit, se magis humiliat ac formidat, iniquitatum quoque suarum enormitatem plenius conspicit et perpendit. Hinc quinto Moralium protestatur Gregorius : Quanto virtutem Dei mens sublevata considerat, tanto ejus fortitudinem repressa formidat. Humana etenim mens quo altius elevata quæ æterna sunt conspicit, eo de factis temporalibus gravius tremefacta expavescit : quia tanto se ream verius cernit, quanto se ab illo lumine discrepasse quod super se intermicat, inspicit. Sicque

fit ut illuminata plus metuat, quia magis
adspicit a veritatis regula quantum discor-
dat; eamque gravi formidine ipse suus
provectus quatit, quæ prius quasi securius
nil videbat. Sic in contemplatione magni-
tudinis Dei inhorrescit, atque ad se relapsa
eum arctius diligit, cujus miram dulcedi-
nem ferre non valens, vix eam sub imper-
fecta visione gustavit.

ARTICULUS XXIV.

De laudabilibus industriis quibus anima ad theoricum contemplationis culmen disponitur.

QUAMVIS clementissimus universitatis
Creator quosdam prorsus imparatos,
immeritos atque indignos misericordissi-
me ex sua supernaturali ac superpiissima
pietate prævenit, tangit, immutat, afficit
et convertit, etiam tunc quando actualiter
pravitatibus suis intenti sunt, ut patet in
Act. IX. Paulo apostolo; nihilo minus regulariter
communiterque loquendo, ad gratiæ sus-
ceptionem exigitur ut faciat homo quod
in se est, ad illam se adaptando ac præpa-
rando : quod quum fecerit, Deus gratiam
mox largitur. Hinc nempe in Scripturis
hortatur nos ad hanc præparationem Spi-
Zach. I, 3. ritus Sancti, juxta illud Zachariæ : Con-
vertimini ad me, et convertar ad vos, dicit
Jacob. IV, 8. Dominus. Hinc Jacobus ait : Appropin-
quate Deo, et appropinquabit vobis. Tali-
ter ergo agentibus Deus dat gratiam se-
cundum capacitatem diligentiamque studii
Job XXXIV, 14. quo eum exquirunt, juxta illud Job : Si
direxerit homo ad Deum cor suum, spiri-
tum illius et flatum ad se trahet; juxtaque
Jer. XXX, 21. illud Jeremiæ : Quis est iste qui applicet
cor suum ut appropinquet mihi? ait Do-
minus. Nemo igitur se excuset, nemo im-
pietatem damnationemque suam in Deum
Ps. IX, 11. declinet, quum dicat Psalmista : Sperent
in te qui noverunt nomen tuum, quoniam
non dereliquisti quærentes te, Domine.

Præterea, quam paratus, imo et paratis-
simus sit Deus gratiam impertiri, dummo-
A do digne rogetur, innotescit ex eo quod
per Moysen loquitur : Quis det eos talem *Deut.* V, 29.
mentem habere ut timeant me? Quomodo
autem rogandus atque quærendus sit Deus,
innuit Moyses in Deuteronomio, dicens :
Quum quæsieris Dominum Deum tuum, *Ibid.* IV, 29.
invenies eum, si tamen toto corde quæsie-
ris eum et tota tribulatione animæ tuæ.
Christus quoque in Evangelio : Oportet *Luc.* XVIII, 1.
(inquit) semper orare et non deficere. Ut
ergo exuberantem divinitus gratiam con-
templandi obtineamus, conemur omnino
B facere quod in nobis est; et utique quo
fidelius instantiusque precabimur, eo ple-
nius exaudiemur.

Denique ad id adimplendum conferunt
quædam industriæ. Prima est, ut servus
Christi a consuetis exercitiis devotionis et
a continua imploratione pietatis divinæ
non cesset, sive actualem senserit fervo-
rem vel devotionem, sive non. Imo si per-
cipit se indevotum aut frigidum, neque ad
spiritualia affici, conetur ut vincat se
ipsum, cum suspiratione, singultu et pe-
C ctoris tunsione ad Deum clamando, seque
coram ejus præsentia in terram projicien-
do atque dicendo : Ne derelinquas me, *Ps.* XXXVII, 22, 23.
Domine Deus meus, ne discesseris a me;
intende in adjutorium meum, Domine Deus
salutis meæ.

Secunda est quantum ad corporis situm,
ut scilicet ita coram Deo se situet, sicut
pro devotione et contemplatione excitan-
da, conservanda et perficienda efficacius
seu aptius putat. Quocirca non arbi-
tror universalem posse regulam assignari,
D quamvis aliqui asserant ad contemplan-
dum convenientiorem situm esse sessio-
nem, alii stationem, alii genuflexionem.
Verumtamen sancti Patres in eremo, stan-
do et manus ad Deum levando orare et
contemplari soliti erant. Sed æstimo quod
uni eidemque homini nunc aptius est ora-
re seu contemplari stando, nunc sedendo,
nunc solo tenus se prosternendo, atque in
modum crucis brachia expandendo, se-
cundum quod in corde et corpore fuerit
variis modis dispositus. Nihilo minus, ce-

teris paribus, ut reor, ad contemplandum aptior situs est statio, ut cum elevatione animæ interiorumque oculorum ipsius, etiam corpus et oculi ejus erigantur in cœlum. Quandoque tamen non expedit oculos corporis tenere apertos : ut si per sensibilium apprehensionem intelligentiæ pura in Deum defixio impediatur. Hæc autem de corporis situ intelligenda sunt exceptis cærimonialibus observantiis ad quas ex Ordine vel statuto quis obligatur : in quibus se aliis conformet.

Tertia est quantum ad locum. Nam præter ea quæ ex ordinatione Patrum sanctorum in ecclesia sunt petenda, aptior ad vacandum orationi contemplationique locus est solitudo, seu locus secretus atque quietus, in quo homo sine rubore et aliorum strepitu ac timore cor suum coram Deo cum omni fiducia statuat et effundat. Unde de Christo in Evangelio legitur, quod ascendit in montem solus orare ; et tempore passionis a tribus quoque familiarissimis suis discipulis avulsus est quantum jactus est lapidis : non utique ob suam indigentiam, sed nostram informationem. Ipse quoque in Evangelio : Quum oraveris (inquit), intra in cubiculum, et clauso super te ostio, ora Patrem tuum in abscondito.

Matth. XIV, 23. *Luc.* XXII, 41.

Matth. VI, 6.

Quarta est ex parte temporis. Tempus quippe nocturnum ad elevationem mentis aptius reputatur, et quum cibus digestus est. Verumtamen in exercitiis diurnis specialem devotionem exigentibus, sicut est celebratio, communio, Horarum persolutio, Missæ auditio, debet se homo ad singularem devotionem extendere, præsertim in celebratione, et dum pergit ad lectum, Completoriumque persolvit. Expedit quoque ut unumquodque opus virtutum suo continuet tempore, quatenus actus in habitum versus delectabilius frequentetur.

Quinta est, ut propriam indignitatem humiliter pensans, ad aliquem convertatur Sanctorum, potissime ad Virginem Matrem, et Sanctos quos speciali veneratur honore : quos ferventer exoret, quatenus quod suis non valet, illorum meritis assequatur.

Job v, 1.

Sexta est, ut juxta apostolicum documentum, omnia decenter et secundum ordinem faciat, suo loco et tempore faciendo quod instat agendum, sive in interioribus aut exterioribus devotionis exercitiis, sive in necessariis corporis. Sic namque non conturbabitur ordinate se habens, et discretionis luce se undique dirigens.

I *Cor.* XIV, 40.

Septima est, naturalium suorum ingenitam dispositionem sapienter advertere, et contra illos defectus ac vitia ad quæ naturaliter pronus est, fortius dimicare, cum indesinenti imploratione suffragationis divinæ ; ad virtutes quoque se illas viriliter dare ad quas bene dispositus est, ne donis Creatoris inveniatur abutens.

Octava est, ut vocationem suam, et professionem, si religiosus sit, omni die vigilanter perpendat ; curiosa et ad se non pertinentia fugiat ; cibo, potu, somno, vestitu temperate utatur.

Nona, ut quum se in uno aliquo devotionis seu contemplationis exercitio sentit lassari, ad aliud devotionale exercitium se convertat : ut si in Divinitatis contemplatione jugiter figi non valet, jam de gloria Beatorum, jam de districto judicio Dei, pœnis inferni ac purgatorii, brevitate, vanitate atque fallacia vitæ præsentis, incertitudine et amaritudine mortis, de Sanctorum historiis, potissime de vita Domini Jesu, recogitet.

Decima, ut semper sincero intimoque affectu cupiat Deo placere, et omnibus male viventibus atque afflictis pia compassione ac fervida prece succurrere, similiter pro defunctis intervenire.

In his ergo se diligenter ad contemplationem anhelans omni exerceat die, et experietur in brevi quod Deus abundantia pietatis suæ et merita supplicum excedat et vota, dummodo cum filiali affectu et plena perseveranter oret fiducia.

Postremo id quoque addendum, ut juxta Cassiani doctrinam, aliquid sacrum fixe imprimat menti, quod semper adspiciat et

Collation. Patr. collat. I, c. 13.

intendat ; quoties ab illo se viderit elongatum, doleat, et aciem mentis reflectat ad illud, in eodem satagens perdurare. Itaque istud sit elevatio mentis ad Deum, seu unio actualis cum Deo ; hanc semper cupiat et intendat, atque pro viribus in ea persistat. Quumque se senserit corde distractum aut inutiliter occupatum, meminerit sui propositi seu intenti, videlicet unionis cum Deo, hancque resumat. Quam ut promptius queat resumere, assuescat semper aliquem devotum ex Psalmis versiculum mente revolvere, et eumdem orando, cor Deo conjungere, dicendo : Cor mundum crea in me, Deus ; aut simile suo affectui magis complacitum, quod proferendo afficiatur ad Deum et recordetur ipsius. Imo, ut cordis evagationem efficacius frenet, quoties sentit se distrahi aut viliter occupari, aliquem sensibilem pœnam sibi infligat, digitum fortiter comprimendo, unguibus torquendo. Interdum etiam prodest ad abjiciendas distractiones, situm corporis seu locum parum mutare, manus ad Deum levare, formam Crucifixi adspicere.

Ps. L, 12.

ARTICULUS XXV.

Quod oratio, dominicæ passionis recordatio, psalmodia seu laus divina, sint optimæ viæ ad contemplationis verticem attingendum.

Eccli. XXXV, 21.

ORATIO humiliantis se penetrat cœlos. Itaque quanto contemplationis sublimitas nostri intellectus declivitatem magis transcendit, eo instantius pro ea orare oportet. Et scimus quoniam precem ferventem et humilem, rationabilem et indefessam Deus non spernet, quamvis aliquando propter melius nostrum utiliter differat. Denique, orando pro hac re, non oportet multum loqui, sed ignea verba mente promenda sunt, aut etiam ore.

Unde in Dei amore et gratia contemplandi crescere optans, in universis exercitiis jam præscriptis, imo omni hora oret

A mente intenta hujuscemodi verba : O Domine Deus, quando te dulcissima dilectione constringam ? quando te strictissimo amore ardenter amabo ? quando tibi totaliter adhærebo ? Si verba hæc cordialiter dicere in consuetudinem duxerit, sentiet se in brevi mente immutari, a mundo averti Deoque affici. Insuper ad orationes mentales ac fervidas frequenter se erigat, in quibus Deum magnifice quantum valet laudet atque glorificet, seque vilissimum sentiat et contemnat, dicendo : O Deus

B superdignissime, miserere mihi indignissimo ; Deus beatissime, subveni mihi miserrimo ; Deus sanctissime, adsis semper mihi impiissimo ; etc., prout unctio Spiritus Sancti docebit, si observaverit præinducta. Imo proficiendo incipiet per sola nomina ardentissime Deum affari, laudare, amplecti, dicendo : Deus benignissime, dulcissime, amabilissime, etc.

Præterea, teste Apostolo, si Christo compatimur, conglorificabimur ei. Ut ergo gratiæ Christi in præsenti et gloriæ in fu- *Rom.* VIII, 17.

C turo efficiamur consortes, passionis ejus quotidie recordemur affectuosius et compassivius quo valemus, atque pro gratia id agendi Christum devotissime invocemus. Consideremus quæ, quanta et qualia unigenitus Filius Dei, Deus verus, Rex gloriæ, Dominus majestatis, pro nostra salute fecit ac pertulit, quam ignominiosissimam pro nobis mortem pati elegit : in quo innotescit quanta sit gravitas culpæ ; quanta sit divina justitia, quæ maluit Christum sic pati, quam peccata manere inulta ;

D quanta sit etiam dilectio Dei ad nos. Etenim passio Christi est splendidissimum speculum atque præclarissimus liber, in quo omnes virtutes omniumque virtutum perfectionem addiscere possumus : ubi discimus ciborum ac potuum lautitias aspernari, reminiscentes quod ipse pro nobis aceto et felle refectus est. Si consideramus *Ps.* LXVIII, 22.
qualiter ipse pro nobis alba veste atque *Luc.* XXIII, 11; *Joann.* XIX, 2, 3.
purpureo indumento illusus est, vestium vanissima ornamenta spernemus. Si perpendimus quemadmodum pro crucifixori- *Luc.* XXIII, 34.

bus suis rogavit, adversarios diligemus. Si adspicimus quomodo coram Caipha atque Pilato gravissime ac falsissime accusatus humillime tacuit, verborum injurias æquanimiter patiemur. Si intuemur quomodo Patri obedivit usque ad mortem, obedientiam amplectemur. Si pensamus quomodo opprobriosissime conculcatus et inter latrones suspensus humiliter tulit, humilitatem servabimus. Si recolimus quod in tota acerbissima passione mitissimus mansit, et consputus, colaphizatus, ceteraque ineffabilia mala passus, nunquam vel minimum indignationis aut iræ motum habuerit, mansuetudinem apprehendere cupiemus. Igitur ista quotidie corde tenus revolventes, imaginem Crucifixi cordi nostro fortissime imprimamus ; quumque tempore divinorum vel alias alicujus rei seu hominis inordinata affectio seu memoria menti occurrerit, statim ad Crucifixi intuitum cor erigamus, atque per hoc ad Divinitatis contemplationem volemus et illic figamur.

Matth. XXVI, 59-63; XXVII, 12-14. — *Philipp.* II, 8. — *Matth.* XXVII, 38. — *Ibid.* 30 ; *Joann.* XIX, 3.

Tormenta demum passionis Christi animo revolventes, simul pensemus quis, qualis et quantus sit qui illa sustinuit, et quanto amore, pro quibus quoque et qualibus, puta pro nobis pauperrimis atque vilissimis. Hæc itaque considerando non negligamus nos ipsos.

Postremo, contemplativæ vitæ celeberrimum opus est hymnis, psalmis seu laudibus supersublimis gloriosique Creatoris pura mente insistere. Hoc dæmones fugat, desideratam gratiam affluenter meretur, et vitæ cœlestis præludium est.

Nullum ergo temporis punctum contemplatori pertranseat sine fructu, sed quid divinum jugiter mente pertractet, orans, gratias referens, psallens, meditans vel contemplans, etiam hora refectionis et laboris atque in lecto. Omnem vero consolationem carnalem ac vilem oportet eum abjicere, et sapientiæ lumen avidissima mente appetere.

Advertat quoque idonee quoniam (ut ait Richardus, et ante eum magister ejus Hu-

A go de S. Victore) ad sacræ Scripturæ cognitionem, ad divinorum contemplationem, ad salutaris sapientiæ adeptionem, opus est intima compunctione potius quam profunda investigatione, suspiriis, quam argumentis, crebris gemitibus, quam copiosis argumentationibus, lacrimis, quam sententiis, oratione, quam lectione. De hoc Cassianus plenius loquitur, docens quemadmodum volens in Scripturarum cognitione atque cœlestium speculatione proficere, ante omnia cordis studeat puritati,
B compunctioni internæ et unioni mentis cum Deo. Hinc quidam electi orando potius quam studendo, ad Scripturarum notitiam et sapientiæ possessionem perducti leguntur. Non tamen ex hoc studium seu lectio divinorum voluminum reprobatur ; sed [monetur] ut homo ordinate se habeat, et primo a vitiis emundetur, magisque auxilio gratiæ quam proprio innitatur ingenio.

De Instit. Patr. lib. V, c. 34; Collation. Patr. collat. XIV, c. 10.

ARTICULUS XXVI.

De speciebus contemplationis.

C HUCUSQUE de contemplatione contemplativaque vita tractatum est in generali ; nunc ad contemplationis species restat descendere : et quamvis a Sanctis catholicisque doctoribus species contemplationis variæ assignentur, prout infra pandetur, primo tamen unam specierum istarum distinctionem inducam, quæ interim rationabilis videtur atque conveniens ; deinde de contemplationis speciebus seu gradibus secundum aliorum documenta
D tractabitur.

Itaque quinque sunt species contemplationis. Prima ac summa est supernaturalis contemplatio superbenedictæ Trinitatis. Secunda est naturalis contemplatio superessentialis ac simplicis Deitatis. Tertia est speculatio assumptæ humanitatis Verbi. Quarta est intuitio munerum gratiæ. Quinta est consideratio donorum naturæ.

Denique contemplatio Dei est duplex : una per positionem seu affirmationem ; sicque de superadoranda ac superglorio-

sissima Trinitate tractat divinus Dionysius in libro de Divinis characteribus, de ipsa quoque supersimplici Deitate, in libro de Divinis nominibus atque in libro de Theologia symbolica. Alia Dei contemplatio est per omnium entium negationem seu ablationem : de qua contemplatione agit Theologus in libro de Mystica theologia.

Est quippe triplex theologia, utpote : symbolica, in qua tractatur de Deo secundum quod per proprietates ac similitudines corporearum rerum cognoscitur, taliumque rerum nominibus nominatur, videlicet leo, lapis, sol, agnus. Alia est theologia propria, in qua tractatur de Deo secundum quod ex suis effectibus nobilioribus, intellectualibus ac spiritualibus cognoscitur et vocatur, videlicet bonum, ens, vita, sapientia, intellectus. De hac est liber de Divinis nominibus. Porro tertia est theologia sublimior, scilicet mystica, in qua tractatur de Deo prout per omnium entium negationem, et supermentalem, flammigerum, experimentalem ardentissimumque deificæ caritatis amorem agnoscitur in superclarissima quadam caligine, per elevationem mentis ultra universa creata, et item immediatam atque certissimam cum Deo altissimo ecstaticam unionem. Et hæc est summa ac præclarissima species contemplationis huic vitæ possibilis, et inter contemplationem patriæ contemplationemque Dei in via per affirmationem quodammodo media. De qua contemplationis specie supernaturali et mystica theoria, in fine operis hujus paulisper (si Deus donaverit) loqui exstat propositum. Nunc vero de contemplatione Dei per positionem in primis fari oportet.

ARTICULUS XXVII.

De prima specie contemplationis, videlicet de superbenedictæ Trinitatis contuitione supernaturali.

HORUM quæ Deo conveniunt, quædam naturali ratione patescunt atque philosophis innotuerunt : ut quod Deus est A æternus, perfectus, invariabilis, infinitus, actus purus, mens separata, omnium causa fontana. Itaque quæ ad divinæ essentiæ unitatem pertinent, naturali lumine, ex rerum creatarum natura, proprietate, gubernatione et ordine valent cognosci : quoniam, teste Apostolo, invisibilia Dei (Rom. 1, 20.) per ea quæ facta sunt, cognoscuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas. Quædam vero illorum omnem rationem transcendunt humanam, solaque fide noscuntur, ac tenentur per revelationem B divinam, quantum ad originalem ejus notitiam : sicuti sunt ea quæ de superfelicissima credimus Trinitate, cujus notitia supernaturaliter revelata est sanctis Apostolis ac Prophetis ; quorum fidei ac scripturis nos innitentes, fidelissime credimus, non ignorantes quam ineffabiliter, eminenter ac multiformiter Deus verus et sanctus mirificaverit illos, innumerabilibus modis, signis, miraculis illos ad se pertinere ostendens, posteros quoque eorum, qui fide, caritate ac moribus illos secuti sunt, ea- C demque quæ illi operati sunt signa.

Quoniam itaque Trinitas superbeata sola fide innotescit, hinc ejus contemplationem recte supernaturalem vocamus : quanquam ad illam Trinitatis notitiam quæ scholastica nominatur, possit quis naturali virtute pertingere. Imo et multi in mortalibus vitiis sordescentes, multa subtilia norunt fari de Trinitate : quorum utique cognitio quum sit informis, macra ac nuda, contemplationis nomine est indigna, tanquam insipida, non uncta, sed frigida.

D Porro, ad contemplationem superexcellentissimæ Trinitatis ascendere gliscens, seque ad illam accingens, id primo advertat, quod quanto Trinitas ipsa est altior, incomprehensibilior, purior, tanto cum ampliori reverentia, profundiori humilitate, sinceriori quoque munditia mentis ad ejus contemplationem conscendere opus est, Augustino dicente primo de Trinitate : Nullibi periculosius erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur, quam ubi quæritur unitas

Trinitatis. Et denuo : Hoc, inquit, summum bonum non nisi purgatissimis mentibus cernitur. Hinc demum necesse est evagationes, inquietudines atque phantasmata procul abjicere, et mente collecta, amorosa ac timorata accedere, fidei veritate pro immobili ac certissimo fundamento semper supposita.

Aciem ergo mentis in supercandidissimum illud almæ Trinitatis lumen extendere satagens, et cuncta creata corporea deserens, intellectu purificato ac simplificato, itemque per devotionem et preces prævias præparato, conspiciat quemadmodum Deus noster, Deus verus ac summus, sit veraciter unus ac trinus, ita quod trinitas personarum unitati ac simplicitati essentiæ nullatenus derogat, neque simplicitas ipsa unitasque essentiæ personalem distinctionem abstergit aut minuit.

Denique, qualiter in Deo sit trinitas personarum, speculetur hoc modo. Deus æternus, immensus, perfectus, quum sit honoratissimus, supersapientissimus, actualissimus et invariabilis intellectus, se ipsum C æternaliter, comprehensive invariabiliterque cognoscit. Sic autem intelligendo seu cognoscendo se ipsum, id quod de se concipit et cognoscit, intra se exprimit, dicit, producit. Dictio autem illa ad intus immanenter prolata, est Verbum Dei Patris, se modo præfato cognoscentis et exprimentis. Quumque Deus se ipsum (ut dictum est) æternaliter, invariabiliter, comprehensive penitusque perfecte concipiat seu cognoscat, et intra se proferat, palam quod Verbum ejus sit ei consempiternum, in- D commutabile et æquale. Neque enim se ipsum integre ac perfecte intra se protulisset, si vel majus aut minus aliquid esset in ejus Verbo quam in se ipso.

Denique, quoniam Pater unico actu intelligendi, se ipsum et cetera universa plenissime atque clarissime intelligit, hinc unico verbo se ipsum et cetera omnia perfectissime profert, ita quod tota Patris natura, excellentia seu majestas atque perfectio, in hoc unico suo Verbo æterno A plene omnino continetur, repræsentatur, resplendet. Propterea Verbum hoc non jam dumtaxat est perfecta ac naturalis imago Dei Patris, sed exemplar quoque ac ratio omnis entis creati. Hinc etiam Verbum istud, seu Filius Dei, vocatur mundus archetypus, et ars increata rationibus plena. Unde septimo de Trinitate loquitur Augustinus : Pater Verbo sibi æquali semper et incommutabiliter dicit se ipsum ; itemque quintodecimo de Trinitate : Tanquam se ipsum dicens, Pater genuit Verbum sibi B æquale per omnia.

Præterea Verbum hoc recte asseritur Filius Dei Patris, qui immediate procedit de substantia ejus, secundum rationem similitudinis, in identitate naturæ. Cognitio namque seu intellectio per quamdam assimilationem agitur, secundum Philosophum. Quum igitur Verbum hoc intellectualiter a Patre emanet tanquam ejus propria, plena ac naturalis et definitiva imago, certum quod vere et proprie Dei Filius nuncupetur.

Insuper, juxta Ægidium de Roma super Decretalem, firmiter credimus, quod quemadmodum Pater intelligendo se, gignit in se quemdam conceptum, qui dicitur Filius ejus, sic Pater et Filius diligendo se, producunt et spirant quemdam increatum amorem, qui dicitur Spiritus Sanctus, estque verus Deus.

Quoniam itaque Verbum Dei est Patri æquale, in quo quidquid Patris est, omnino plenissime continetur ac splendet, constat quod Verbum hoc non est creatura, sed totam divinitatis plenitudinem comprehendit, habet et continet. Quumque deitas ipsa superexaltata non sit plurificabilis, liquet quod in Patre et Filio sit una numero essentia, veraque deitas ac impartita majestas.

Pariformiter de Spiritu Sancto est censendum. Pater namque et Filius Spiritum Sanctum volendo producunt. Nempe Pater et Filius se invicem æternaliter æque perfecte contemplantes atque amantes essentiali amore, qui nec personaliter neque

realiter ab eis distinguitur, ex ipsa sua A complacentia mutua amorem quemdam producunt ac spirant, qui utriusque dulcissimus est complexus, sempiternus ac indissolubilis nexus, appellaturque Spiritus Sanctus, et est tertia in superbenedicta Trinitate Persona. Qui et ipse est verus, æternus, incircumscriptus Deus : quoniam amor iste minor aut certe indignior esse nequit quam sint complacentia mutua amabilitasque Patris ac Verbi, a quibus tanquam ab uno fluit principio (quemadmodum mundus a tota superaltissima Trinitate, Patre, Verbo, Paracleto, sicut ab uno emanavit exordio), quoniam Pater et Filius in eo quo Spiritum Sanctum producunt, non distinguuntur, sed unum feruntur, puta in voluntate, sunt quippe unum volens, estque amborum una voluntas : idcirco ab utroque tanquam ab uno et individuo spiratore idem profluit amor, qui Spiritus Sanctus vocatur.

Summ. th. 1ª part. q. XXVII, a. 3. Hinc, secundum B. Thomam, processio seu emanatio in divinis est secundum actionem immanentem, non foras transeuntem. Porro actio immanens in intellectuali natura, non est nisi actio intellectus ac voluntatis. Verbum ergo seu Filius per modum emanationis ipsius intellectus a Patre invariabiliter generatur. Processio autem Spiritus Sancti per modum actionis ipsius voluntatis accipitur : secundum quam actionem amor a voluntate procedit, secundum quem amatum in amante consistit, quemadmodum per verbum intus conceptum res intellecta in intelligente exsistere perhibetur. Ex hoc namque quod intellectus intelligit, procedit intra ipsum quidam de re intellecta conceptus, qui dicitur verbum cordis, quod designatur voce verboque oris. Unde ex hoc quod Deus Pater intelligit semetipsum, ipse est in se ipso quemadmodum res intellecta est in intelligente ; res autem intellecta est in intelligente per verbum ac similitudinem suam : ideo Deus Pater habet in se sui ipsius verbum atque imaginem, quæ est unigenitus Filius ejus.

ARTICULUS XXVIII.

Plenior prosecutio de hac prima atque dignissima specie contemplationis.

PROUT vir illustrissimus ac divinus, dominus Bonaventura, eleganter deducit, Deus est bonum illud simpliciter optimum quo nil valet melius cogitari ; idcirco Deus non potest cogitari non esse : quia omnino melius est esse quam non esse. Unde si cogitetur non esse, jam co- B gitatur de eo quod suæ propriæ rationi repugnat : quemadmodum si de homine cogitetur quod non sit rationalis, quod utique cogitari non potest, si quid sit homo intelligatur.

Denique bonum dicitur quod est suæ bonitatis diffusivum : hinc summum bonum est sui ipsius summe diffusivum. Summa autem atque plenissima diffusio esse nequit nisi sit actualis et intrinseca, substantialis et hypostatica, naturalis et voluntaria, liberalis et necessaria, indefi- C ciens ac perfecta. Hujuscemodi ergo diffusio adscribenda est summo, perfecto infinitoque bono. Quumque diffusio et emanatio creaturarum a Deo sit punctalis sive centralis respectu immensæ bonitatis Dei, præter hanc fateri oportet in Deo emanationem ac diffusionem ad intra plenam atque perfectam, qua producta hypostasis producenti personæ prorsus æqualis sit. Quod esse melius nequit quam per generationem qua Deus æternaliter gignat dilectum, videlicet unicum Filium ; itemque D per spirationem qua Pater ac Filius simul producant condilectum, utpote Spiritum Sanctum : ita quod generatio Filii est diffusio naturalis, quum sit per modum naturæ, quemadmodum splendor fluit a luce ; processio autem Spiritus Sancti est per modum voluntatis. Pater enim et Filius spirant, sed voluntas est quo spirant : quemadmodum etiam Pater generat, et intellectus est quo generat.

Porro utramque diffusionem ac emanationem necesse est fateri actualem, intrin-

secam, substantialem, hypostaticam, indeficientem, perfectam; sic quoque necessariam, ut non sit contingens, nec possit non esse. Non enim ea diffusione major potest consistere, qua diffundens se totum seu totam suam naturam communicat alteri. Unde si Deo hujuscemodi diffusio non convenire dicatur, non ei summi boni conveniet ratio.

Tu ergo, speculator cœlestium, emundato illuminatoque mentis oculo contemplare immensitatem bonitatis, quæ est actus purus principii caritative diligentis amore gratuito, scilicet Patris, ac debito, utpote Spiritus Sancti, amore quoque ex utroque permixto, videlicet Filii, qui amat Patrem amore debito, et Spiritum Sanctum amore gratuito. Sic ergo videbis per summi boni communicabilitatem esse ponendam trinitatem personarum, Patris et Filii ac Spiritus Sancti : in qua ex summa bonitate sequitur esse summam communicabilitatem, et ex summa communicabilitate summam consubstantialitatem, quia tota ibidem communicatur essentia; ex summa quoque consubstantialitate, summam configurabilitatem vel similitudinem seu identitatem. Ex quibus ultra concluditur, summam esse divinarum Personarum coæqualitatem, coæternitatem et cointimitatem : quoniam in se invicem sunt per circumincessionem, et unaquæque divina Persona operatur ad extra cum alia, propter omnimodam indivisionem substantiæ et virtutis ac operationis. — Hæc Bonaventura.

ARTICULUS XXIX.

Quod in hac superfelicissimæ Trinitatis contemplatione observandum est sapientiale ac humile moderamen propter sublimitatem objecti.

Si teste Philosopho, ita se habet intellectus noster ad separatarum substantiarum notitiam ut noctuæ visus ad solaris intuitum claritatis, elucescit quod a supersanctæ incircumscriptæque Trinitatis con- A templatione completa in infinitum magis deficiat. Denique, sicut in libro Sapientiæ inducitur, difficile invenimus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Si ergo in his inferioribus vilioribusque summæ Trinitatis effectibus agnoscendis eatenus caligamus, nonne ab ipsius superexaltata atque immensa sublimitate contuenda, investiganda, scrutanda, incomparabiliter imbecilliores obscurioresque sumus? (Sap. IX, 16.)

Quum ergo ad superdignissimæ Trinitatis contemplationem extendimur et leva- B mur, cum omni humilitate ac reverentia accedamus, imperfectum nostrum pensantes, atque a præsumptuoso et immoderato scrutinio abstinentes. Neque transgrediamur terminos nobis a patribus nostris præstitutos sive præfixos; sed sacræ Scripturæ catholicorumque Patrum solidissimis documentis innitentes, nil de proprio sensu audeamus adjicere, nisi illorum sententiis certissime consonet : alias, prout Salomon protestatur, sicut qui mel come- C dit multum, non est ei bonum, sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria, id est ab excellentia celsitudinis Dei, vel etiam gloria felicitatis æternæ privabitur. Et hoc quidem de perscrutatione inordinata, seu ex præsumptione aut alia vitiosa origine prodeunte, intelligi par est (juxta quem sensum etiam in Ecclesiastico fertur : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris); non autem de perscrutatione studiosa ac pia, ex veritatis amore originata, atque in vera humi- D litate fundata, ac divinæ illustrationis auxilio inhærente, de qua concinit Psalmista: Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea. Ad quod sciens ac innuens se splendore gratiæ indigere, præmisit : Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua; itemque : Viam justificationum tuarum instrue me, et exercebor in mirabilibus tuis. Unde pro lumine radioso sapientiæ salutaris in se quotidie confortando, jugiter immensam Dei deprecetur clementiam contemplator, illud Sapientiæ

(Prov. XXII, 28.) (Ibid. XXV, 27.) (Eccli. III, 22.) (Ps. CXVIII, 129.) (Ibid. 18.) (Ibid. 27.)

Sap. IX, 17. advertens : Sensum tuum, Domine, quis A sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum tuum de cœlis?

Mens ergo humana in intellectualium animorum ordinibus ima, a primæ mentis, a summæ Trinitatis, ab æternæ increatæque veritatis comprehensione in infinitum deficiens, quidquid in Trinitatis altissimæ contemplatione suam cernit capacitatem transcendere, non vane tentet discutere, sed fide certissima stabilis, Spiritui Sancto reverenter commendet, et de eo quod sibi conceditur contenta, gratias Deo cordiali- B ter referat.

Hinc namque sanctus ait Ambrosius : Mihi impossibile est generationis divinæ scire secretum ; mens deficit, vox silet ; non mea tantum, sed et angelorum. Supra Potestatem et supra Angelos, et supra Cherubim et Seraphim, et supra omnem sen-
Philipp. IV, 7. sum est, quoniam scriptum est : Pax Christi supra omnem sensum est, vel omnem sensum exsuperat. Et si pax Christi supra omnem sensum est, quomodo non supra omnem sensum est tanta generatio? Tu C ergo ori admove manum ; scrutari non licet superna mysteria. Licet scire quod Filius Dei natus sit, non licet discutere quomodo natus sit ; illud negare non licet, istud quærere metus est. Ineffabilis enim est illa generatio, quemadmodum Isaias
Is. LIII, 8. ait : Generationem ejus quis enarrabit?

Quum ergo contemplatori devoto in supersanctæ Trinitatis contemplatione incomprehensibile quid occurrit, et se ad immoderatam perscrutationem incitari perpendit, respondeat cum B. Hilario, qui D ait in suo de Trinitate libro : Ego nescio, nec requiro, et consolabor me tamen. Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, sæcula non tenent, Propheta non sensit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit. Cesset ergo dolor querelarum. Non putet homo suam intelligentiam generationis sacramentum consequi posse.

Ecce viri isti sublimes quam timorate ac sobrie de supergloriosa locuti sunt Trinitate : de qua, secundum Augustinum primo de Trinitate, agendum est cum modestia ac timore.

Præterea, quod Ambrosius atque Hilarius adstruunt, Trinitatis mysterium et emanationem ejus ad intra mentes latere angelicas, intelligendum est pie, videlicet quoad comprehensionem plenariam. Verumtamen clare per speciem vident et sciunt id ipsum, quamvis non plene comprehendant. Similiter Apostoli et Prophetæ non plene noverunt, aliqualiter tamen, et docuerunt prout eorum statui atque Ecclesiæ congruebat.

ARTICULUS XXX.

De incomprehensibilibus circa superadorandæ Trinitatis contemplationem.

NON opus est incomprehensibilia Dei simplicioribus propalare ; sed ne aut subtilis aut simplex inaniter glorietur, et Omnipotentem se ad plenum posse comprehendere opinetur, modice sunt tangenda superdeliciosissimæ Trinitatis mysteria, quæ omnem mentem transcendunt. Quis nempe capere queat quomodo in simplicissimo Deo, qui est unitas pura, sit vera, realis ac personalis distinctio ; quomodo tres personæ substantialiter idem sint et personaliter distinguantur, quum in Deo non sit nisi una simplex essentia, idem realiter quod persona ; quomodo Filius et Spiritus Sanctus veraciter producantur, quum realiter idem sint quod divina essentia, quæ non producitur ; quomodo in actu puro, scilicet Deo, sit generatio activa atque passiva ; quomodo in Deo sit sine imperfectione ac dependentia emanatio vera ; quomodo in tribus personis sit numero una natura ; quomodo relationes ac proprietates in essentia divina fundentur sive consistant, nec tamen eamdem determinent ; quomodo in Patre et Filio ac Spiritu Sancto sit idem numero intellectus, et quilibet se ipsum plene intelligat, solus tamen Pater Verbum intra se proferat ac generet ; quomodo Spiritui

Sancto non conveniat ad intra producere germen sibi proportionatum, æternum, immensum, quum tanta sit bonitas ejus, plenitudo atque perfectio ut Patris et Filii?

Per hunc insuper modum possent et alia multa humanæ rationi prorsus incomprehensibilia commemorari. Ex quorum contemplatione in piam admirationem, non in præsumptuosam discussionem licet consurgere, pensando quod sicut Deus æternus seu ejus essentia est penitus incomprehensibilis, nostramque capacitatem infinite devincens, ita et actio ejus, præsertim ad intra : idcirco stultissimum est eam comprehendere aut humano ingenio metiri sive discutere velle.

ARTICULUS XXXI.

Quod non obstante incomprehensibilitate eorum quæ ad primam contemplationis pertinent speciem, semper conari debemus ad pleniorem illorum notitiam.

CONSTAT hominem in vita præsenti tanto effici perfectiorem quanto perfectioni seu beatitudini patriæ amplius appropinquat. Quum igitur, Augustino testante, contemplatio Dei per speciem promittatur nobis in patria, omnium finis laborum, merces perfecta ac summa felicitas, innotescit quod quanto nunc in superbeatissimæ Trinitatis contemplatione sublimius promovemur, eo perfectioni ac beatitudini civium supernorum conformiores viciniores que reddimur.

Quamvis itaque comprehendere supermundissimam in vita hac Trinitatem nequaquam possumus, indefesse tamen ac jugiter niti nos convenit ut eam quotidie sincerius contemplemur, splendidius intueamur, affectuosius speculemur, stabilius, cœliformius superferventiusque cernamus. Quod utique faciliter impetrabimus, si in puritate interna, quiete mentali, amore divino proficere digne enitimur, A Deum in omnibus revereri semper fervido zelo optantes, ejusque illuminationem infatigabiliter implorantes.

Hinc hortatur sanctus Apostolus : Crescentes semper in scientia Dei ; itemque : Omnia (inquit) arbitror ut stercora propter eminentem scientiam Christi. *Coloss.* I, 10. *Philipp.* III, 8.

Denique id ipsum monet Psalmista : Lætetur (inquiens) cor quærentium Dominum; quærite Dominum, et confirmamini, quærite faciem ejus semper. Quocirca quintodecimo de Trinitate loquitur Augu- *Ps.* CIV, 3, 4.
B stinus : Deus quæsitus potest inveniri. Cur ergo dicitur, Quærite faciem ejus semper, nisi quia inventus quærendus est? Sic enim incomprehensibilia sunt quærenda, ne se reputet nil invenisse, qui quam sit incomprehensibile quod quærebat, invenire atque cognoscere potuit. Cur itaque amplius quærit, si incomprehensibile esse deprehendit quod quærit, nisi quia cessandum non est, quamdiu in ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur, et melior semper efficitur quærens
C bonum tam magnum, quod et inveniendum quæritur, et quærendum invenitur? Nam et quæritur ut inveniatur dulcius, et invenitur ut quæratur avidius, quemadmodum in Ecclesiastico Sapientia protestatur : Qui edunt me, adhuc esurient ; et qui bibunt me, adhuc sitient. *Eccli.* XXIV, 29.

Hinc libro de Trinitate ait Hilarius : Credendo incipe, percurre, persiste ; etsi non perventurum sciam, gratulor tamen profecturum. Qui enim infinita pie prosequitur, etsi non attingat aliquando, tamen
D proficiet procedendo.

Ideo quoque sanctus ait Cyrillus in suis Proverbiis : Oportet semper addiscere, et in extremis horis fundum sapientiæ desiderabilius investigare. Nihil enim est sibi homo sine sapientia, et finis prudentis sapientia est. Idcirco quo ei viciniores efficimur, eo majori avidiorique impetu ad ejus amplexum curramus.

Postremo, ut infra Deo agente probabitur, superbenedictæ Trinitatis contemplatio est summe præclara, meritoria et præ-

digna. Hinc in ea concrescere semper A optemus, ad actualem mentis cum Deo unionem nos (quantum fieri potest) jugiter erigendo.

ARTICULUS XXXII.

Quod eorum quæ ad superaltissimæ Trinitatis contemplationem pertinent, quædam concernunt devotionem, quibus amplius immorandum est, quædam vero subtilitatem.

HORUM denique quæ superexcellentissimam circa Trinitatem considerantur, quædam vim intellectivam exercent vehementerque occupant, aciem quoque ipsius reverberant, obscurant, transcendunt, videlicet : quomodo in divinis cum simplicissima unitate essentiæ stet realis distinctio personarum ; quomodo relatio personas multiplicet, quum ipsa videatur actionem consequi personalem, puta generationem ac spirationem ; quomodo Pater generet Verbum, quum in ipso sint C idem actio atque essentia, hypostasis ac natura, et tamen essentia ipsa non generet ; et cetera incomprehensibilia, de quibus in tricesimo articulo dictum est. Itaque in horum consideratione non est vis intellectiva nimium acuenda, figenda seu
Prov. xxv, 27. occupanda, ne scrutando inscrutabilia op-
art. xxix. primatur a gloria ; verum, ut dixi, in his Patrum documentis contenta sit.

Præterea, alia ad supersubstantialis Trinitatis contemplationem spectantia vim affectivam inflammant, devotionemque nutriunt, scilicet : quod unaquæque superhonoranda divina Persona aliam superardentissime diligit, superclarissime inspicit ; qualiter se invicem superdulcissime perfruuntur, et cum infinita complacentia sibi mutuo æternaliter complacent; quomodo sibi invicem totum quod habent communicant, et infinitæ ac superpurissimæ bonitatis consistunt ; quam pie etiam, caritative ac munificentissime ad creatas se habent mentes in beneficiis, indulgentiis ac promissis. De quibus omnibus infra copiosius, Deo præstante, tractabitur. Itaque horum contemplationi optimum atque dulcissimum est immorari. Etenim supervoluptuosissimæ Trinitatis fide supposita, ista facilius capiuntur, fructuosius conspiciuntur, dulciusque gustantur, et mentem in Deo fortius afficiunt et succendunt.

Unde, ut horum limpidissimæ contemplationi valeat anima frequentius intendere ac vacare, diuturnius quoque, affectuosius et congratulabundius immorari, in-
B sudandum est indefessæ cordis custodiæ, puritati et elevationi in Deum cum devotissimis precibus atque ignitis suspiriis. Nec aliquid tenendum est corde quo Deus possit offendi, caritas lædi, puritas infici, animus distrahi.

ARTICULUS XXXIII.

Quod in hac prima specie contemplationis summa consistat devotio, præcipuum meritum maximusque profectus.

NON desunt interea qui contemplativorum studia irridentes, et proprii detestandi torporis ignaviam palliantes, allegant illud Apostoli : Noli altum sapere, *Rom.* xi, 20.
sed time ; illud quoque Salomonis : Qui *Prov.* x, 9.
ambulat simpliciter, ambulat confidenter ;
et, Cum simplicibus sermocinatio Dei ; *Ibid.* iii, 32.
itemque ex Psalmo : Neque ambulavi in *Ps.* cxxx, 1.
magnis, neque in mirabilibus super me. Ex his atque similibus, quæ nec pertinenter allegant, nec bene intelligunt, quod
D ipsis non expedit mox concludunt, dicentes : Sufficit mihi si salvari cum infimis potero ; singularitas ipsa vitanda est; nolo per alta volare, cum devotionis exercitiis sto contentus. Hæc hisque conformia dicunt: quasi in supergaudiosissimæ Trinitatis contemplatione non consistat devotio ; et quasi non debeamus, juxta apostolica
documenta, ad cibum solidum adspirare, *Hebr.* v, 14.
sapientiamque illam quam loquitur ipse *I Cor.* ii, 6.
Apostolus inter perfectos, cujus capaces
non sunt carnales, desiderare, atque cha- *Ibid.* xii, 31.

rismata meliora infatigabiliter æmulari, pensantes quod idem ait : Ego non arbitror me apprehendisse ; unum autem, quæ quidem retro sunt oblitus, in anteriora vero extendens me ipsum. Et denuo : Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes. Denique servus piger qui talentum sibi concessum non multiplicavit, damnatur. In via insuper Dei non proficere, nonne deficere est ?

Philipp. III, 13. — II *Cor.* III, 18. — *Matth.* XXV, 26-28.

Utinam isti perpenderent quod nequaquam mortalia diu vitabit peccata, qui venialia cum omni diligentia vitare non satagit. Sicque dum torpens ac negligens asserit sibi sufficere salvari cum infimis, videat ne cum his qui mortaliter vivunt, dispereat. Rursus, utinam tales sic essent cum stricta temporalium competentia contenti, quomodo se dicunt ad spiritualium divitiarum abundantiam non velle conari.

Hinc ergo cum vera, profunda ac stabili humilitate sanctoque divinæ caritatis fervore ad divina quotidie propius enitamur accedere. Quo enim superbenedictam Trinitatem sincerius atque profundius contemplamur ardentiusque amamus, eo vere devotiores exsistimus. Devotio quippe est promptitudo voluntatis ad ea quæ Dei cultum concernunt, estque immediatus et elicitus latriæ actus ; sed a latria non causatur nisi per præviam contemplationem seu meditationem : actus equidem voluntatis, in qua ponitur latria, actum intellectus præexigit.

Quum ergo contemplatio sit iter et causa atque vehiculum devotionis, quo objectum contemplationis divinius, melius sive præstantius fuerit, eo ex sua natura amplioris devotionis est productiva ; in viris quoque perfectis sic efficit. Sed in imperfectioribus ex incapacitate eorum contingit oppositum. Tales etenim quum non sint ad divinorum contemplationem idonei, sed sensibilium excitatione manuductioneque egeant, quibus ad divina consurgant, ideo ex meditatione dominicæ passionis et eorum quæ Christi humanitatem respiciunt, fortius ad devotionem

A moventur quam ex Trinitatis supersanctissimæ contemplatione prænobili.

Quum itaque prima contemplationis species circa summam Trinitatem versetur, elucescit quod quanto in ea quis magis profecerit, eo devotior erit. Nempe quo supergloriosæ Trinitatis mutuam communicationem, dilectionem, intuitionem, fruitionem, ejusque opulentiam et felicitatem splendidius intuemur, eo cum agiliori promptiorique animo ferimur ad universa quæ ad ipsius reverentiam cultumque per-

B tinent, quidquid poterimus incessanter agendo, et nihilo minus nihil nos agere arbitrando. Quoniam præinducta contemplantes, videbimus quam vere immensa sit celsitudo et bonitas, beatitudo et caritas, honorabilitas et perfectio supermundissimæ Trinitatis. Quod intuentes, judicabimus nil condignæ reverentiæ, caritatis aut cultus nos posse eidem impendere, etiam si millies plus facere quam totus mundus possemus : ideo humillime subjiciemur Deo excelso, et nos totos devovebi-

C mus ei, ejus cultui nos plene ac fervide mancipantes.

Præterea, quo ipsa superamabilissimæ Trinitatis contemplatio clarior fuerit, eo et delectabilior erit et major. Delectatio autem excitat, conservat ac roborat operantem in opere : sicque ratione delectationis annexæ, contemplatio superlaudabilis Trinitatis præcipuam causat in voluntate promptitudinem ad ea quæ Dei sunt.

At vero dilectio est devotionis causa, imperialiter movens ad eam ; contempla-

D tio autem caritatem excitat et accendit : sicque contemplatio superpulcherrimæ Trinitatis quo dignioris fortiorisque dilectionis est inductiva, eo devotionem efficit ampliorem. Quum ergo dilectio qua Deum trinum diligimus, summa ac maxima sit, elucescit quod Trinitatis contemplatio perfectissimam pariat devotionem. Nec enim ambiguum quin unusquisque quo Deum ardentius atque perfectius diligit, tanto ad omnem ejus cultum promptior sive devotior exstet.

Adhuc autem, sicut humanitas Christi ad Deum tanquam ad finem ordinatur ultimum, ita omnis contemplatio, dilectio atque devotio circa eam versantes, ad superdesiderabilissimæ Trinitatis contemplationem, dilectionem devotionemque finaliter referendæ rite censentur. Itaque, quo finis, et summus ille, superdignissimus infinitusque finis, præstantior est his quæ ordinantur in ipsum, tanto contemplatio, dilectio et devotio de ipso conceptæ, omni sunt alia devotione quodammodo præstantiores.

Denique, in hac supersplendidissimæ Trinitatis contemplatione meritum consistit præcipuum. Primo, propter objecti incomparabilem dignitatem. Secundo, propter virtutis cujus contemplatio ista actus est proprius, utpote sapientiæ salutaris, eminentiam singularem : est namque primum ac potissimum Spiritus Sancti donum. Tertio, propter caritatis divinæ specialem in actu contemplationis inclusionem : contemplatio enim est amorosa cognitio. Quarto, propter fidei eminentem quemdam vigorem : quo enim Trinitatis adorandæ cognitio rationem magis transcendit, eo purius innititur fidei ; et quo fidei purius est innitens, eo exuberantioris est meriti. Etenim, si fides non habet meritum cui humana ratio præbet experimentum, constat quod tanto copiosius fides meritum sortiatur, quo minus humanæ rationis experimento probatur. Quum ergo summæ Trinitatis mysterium inter omnia sub fide cadentia sit maxime incomprehensibile, supernaturale ac abditum, certum quod ejus contemplativa credulitas sit summe meritoria.

Postremo, in contemplatione hac superdelectabilissimæ Trinitatis maximus quoque consistit profectus : quoniam sicut perfectio beatitudoque patriæ est contemplatio superspeciosissimæ Trinitatis immediata et clara per speciem, sic felicitas atque perfectio viæ contemplatio est ejusdem per fidem rationibus credendorum illuminata, contemplationique patriæ (quan-

A tum possibile est) conformata. Unde ad hanc contemplationem cetera exercitia sunt finaliter ordinanda ; et sicut sublimius est in ipso fine ejusque adeptione quam in mediis ad ipsum relatis proficere, sic in contemplatione præfata proficere omnino divinius est, quam in inferiorum virtutum scientiarumque actibus ad illam merito referendis.

Hinc per Osee loquitur Deus : Scientiam Dei volui plus quam holocausta ; et per Jeremiam : Non glorietur sapiens in sa- B pientia sua, non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis ; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me. In Sapientiæ quoque libro legitur : Nosse te, Domine, consummata justitia est ; et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis. Sed et de viro electo Dominus contestatur in Psalmo : Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Osee VI, 6.
Jer. IX, 23 24.
Sap. XV, 3.
Ps. XC, 14.

Itaque, ut veram, fructuosissimam atque potissimam adipiscamur devotionem, in C superpræclarissimæ Trinitatis contemplatione prælucida crescere enitamur, in omnibus semper Dei honorificentiam et amorem magis quam propriam intendentes seu diligentes mercedem. Qualiter vero quibusque modis ac gradibus ad tam salutiferum contemplationis Dei trini ac simplicis incrementum ascendere valeamus, in præinductis monstratum est.

art. XXVII et s.

ARTICULUS XXXIV.

D *De increata, immensa ac mutua dilectione, contemplatione, fruitione, complacentia, delectatione superessentialis et superincomprehensibilis Trinitatis.*

CARITATE nil dulcius, et unione ejus cum amato nihil suavius, fruitione quoque dilecti nil esse deliciosius, non est qui dubitet. Præterea, quidquid in Deo est, Deum esse ac per hoc infinitum perfectumque esse quis nesciat ? Itaque, ut plenius, fructuosius atque ardentius con-

templari possimus quam infinite, superardenter ac superdulcissime quoque, superjucundissime ac superintime quælibet divina Persona quamlibet aliam æternaliter diligat, complectatur et stringat, intueatur, delectet fruitiveque intra se habeat, considerandæ sunt rationes mutuæ dilectionis trium divinarum, supersanctarum, supervenerabilium Personarum.

Constat enim quod bonitas sit objectum ac ratio diligendi ; et quo quid melius, eo diligibilius. Rursus, similitudo ponitur causa amoris : ideo quo quid Deo similius, eo amabilius ei censetur. Insuper, causa amoris fertur ipsa boni cognitio. Sed et propriæ bonitatis communicatio seu beneficentia, dilectionis est ratio. Conformiter propinquitas unius ad alium, ratio est amandi ; et quo aliqua magis sunt unum, eo naturaliter amplius se invicem diligunt. Demum, sicut supra naturam est, odientem et persequentem diligere ; sic prorsus naturalissimum facillimumque consistit, amantem amare : unde amari est ratio active amandi.

Ecce hic jam assignatæ et breviter tactæ sunt sex rationes amandi : quæ omnes in supersublimi ac supersapientissima Trinitate incomprehensibiliter ac eminentissime comperiuntur. Quælibet namque divina Persona est bonitas pura, perfecta, immensa : ideoque unaquæque infinitæ est amabilitatis. Præterea, summa, plena ac infinita est similitudo earum ad invicem. In hoc equidem solo distinctæ sunt, quod una procedit ab alia. Ceterum ejusdem et paris sunt pulchritudinis, sapientiæ, pietatis, potentiæ, invariabilitatis, beatitudinis, gloriæ, majestatis et omnifariæ perfectionis. Amplius, unaquæque earum aliam superclarissime intuetur et comprehendit. Est quoque in Trinitate plena communio et superjucunda diffusio, imo infiniti boni sempiterna communicatio atque donatio. Præterea, hæ adorandæ Personæ adeo sibi vicinæ sunt, ut una de alterius substantia immediate procedat, et omnes tres essentialiter idem sint. Postremo, quælibet a A qualibet scit se amari amore penitus infinito. Unde ex qualibet harum rationum ostenditur, quod vere immensa sit in superomnipotenti Trinitate dilectio unius Personæ ad aliam : imo omnes rationes prætactæ, quarta hinc dempta, demonstrant quod vere superæstuantissima atque immensa sit mutua trium Personarum dilectio.

Nunc itaque sincerissime ac jucundissime contemplemur quam superfervidissima, superacutissima et incomprehensi- B biliter ac infinite ardentiori et supercalidiori et supervehementissima dilectione Pater æternus amet, amplectatur et stringat Unigenitum suum, quem conspicit sibi omnino conformem, æqualem, et de corde suo progenitum, adeo sibi propinquum, ut ejusdem secum substantiæ sit ; cui se totum communicavit, in quem totius plenitudinem divinitatis diffudit, a quo se cernit infinito amore amari. Stat itaque et est Pater ille æternus, incomprehensibilis, superessentialis, immensus, ad unicum C superdilectissimum Filium suum æternaliter invariabiliterque conversus cum superæstuantissimo, superdulcissimo prorsusque intensive infinito amore, contemplans atque inspiciens eum cum immenso, supersuavissimo gaudio, et complacentia vere quomodolibet superdelectabilissima atque immensa. Simili modo stat Filius, Patri consempiternus, ad suum Patrem æternum conversus cum infinito fervoris amore, cum superdeliciosissima intuitione, cum immensa lætitia et complacentia D penitus illimitata. Eodem etiam modo stant Pater et Filius conversi ad Spiritum Sanctum, et Spiritus Sanctus ad Patrem ac Filium, cum tanto fervore, cum tam claro intuitu, cum tanta complacentia atque lætitia, sicut Pater et Filius ad se invicem et item ad ipsum.

Etenim quælibet divina Persona tantum diligit et cognoscit aliam, quantum diligibilis cognoscibilisque consistit, et quantum se ipsam diligit et cognoscit. Porro quo aliquorum major est mutuus amor, eo

unio fruitioque ipsorum delectabilior perhibetur. Quum ergo trium divinarum, supersublimium Personarum amor sit ita immensus, ex hoc constat quod earum convictus et unio est deliciositatis omnino immensæ, et superfelicissima ac superdelectabilissima est æternalis vita ipsarum. Unde cum infinita voluptate ac opulentia se invicem perfruuntur, et in ipsis est omnium bonorum atque pulchrorum ac desiderabilium superdives ac perfecta possessio. Nam et Pater conspiciens Filium suum unigenitum infinitæ pulchritudinis ac sapientiæ, in infinitum delectatur in ipso. Pater quoque et Filius conspicientes Spiritum Sanctum ab ipsis æternaliter procedentem, infinitæ bonitatis pietatisque esse, immenso utique gaudio gaudent in ipso.

Ecce hæc est beatitudo, vita et gloria Domini Dei nostri, unius ac trini. In cujus amore fervere, in cujus contemplatione epulari, cujus infinitæ felicitati immensisque divitiis atque incomparabili excellentiæ toto mentis affectu semper congratulari debemus. Qui enim alium veraciter diligit, nonne de bono illius sicut de proprio gaudet, et non ob proprium principaliter commodum, sed ob illius perfectionem?

ARTICULUS XXXV.

Quod in hac prima specie contemplationis necesse sit summa uti abstractione ipsius intellectus ab omni ente materiali et circumscripto.

QUIDAM intellectum habent eatenus ad phantasmata sensibiliaque depressum, ut ad immaterialium ac spiritualium rerum contemplationem difficulter omnino conscendant : quia nec capere queunt quomodo ipsa eorum anima sit spiritus simplex, incorporalis, inextensus, indivisibilis, totus in toto corpore, et totus in qualibet ejus parte. Hi ergo adjutorium gratiæ Dei semper implorent. Alii vero intel-
A lectum elevatum sortiti sunt, ad metaphysicalium speculationem promptissimum : qui, ceteris paribus, ad contemplationem magis censentur idonei.

Quum ergo ad Trinitatis supergloriosæ contemplationem assurgere cupimus, primo Deum abstractissime intelligamus, videlicet quod ipse sit ens absolute perfectum, ab ejus esse seu essentia abstrahendo quidquid imperfectionis, materialitatis, circumscriptibilitatis, potentialitatis in rebus invenitur creatis; quidquid vero perfe-
B ctionis, dignitatis ac eminentiæ in creaturis consistit, ei cum infinita plenitudine ac simplicissima unitate attribuamus, ita quod ipse omnem nobilitatem et perfectionem infinite ac simplicissime comprehendit.

Porro, quum Deum taliter contemplati fuerimus, consideremus, juxta præhabita, art. xxvii.
qualiter Deus intra se generet Verbum generatione intemporali, illocali, immateriali, æterna, intellectuali, immanenti ac simplici, et similiter Pater et Filius Spiritum
C Sanctum producant. Deinceps quod de simplicitate, incircumscriptibilitate, perfectione Dei absolute accepti jam dictum est, cuilibet divinæ adscribamus Personæ. Sicque cernemus, quod quum unaquæque sit vere immensa, quælibet est in alia inconfuse per circumincessionem, et tota Trinitas superglorificanda omnia implet, continet, penetrat, rerumque essentiis ipsa dumtaxat illabitur, nec limitatur.

Itaque in Trinitatis superamabilissimæ contemplatione, removeantur ab animo
D contemplantis omnis localis circumscriptio, omnis temporalis distensio, omnis corporalis distantia, omnis sensibilis et materialis influentia. Hæc quippe est Trinitas incorporea, invisibilis, incomprehensibilis, incircumscriptibilis, superexaltata, æterna : quæ ad omnia per bonitatis suæ influxum procedens, permanet in se ipsa inegressibilis atque immobilis, uniformiter, fixe æternaliterque eodem modo se habens : quæ est ante omnia, non sola, post omnia, non præventa; in omnibus,

non inclusa, extra omnia, non exclusa; supra omnia, non elata, infra omnia, non oppressa; manens in sempiternum, in sua superessentiali simplicitate incommutabiliter superfaciliterque subsistens. Trinitas itaque superpulchra, superbenedicta, essentialiter sancta; quæ est una essentia, una virtus unaque vita; quam contemplari nemo valet nisi purificata, simplificata deificataque mente.

Verumtamen agnoscendum, quod contemplatio divinorum præfata interdum habetur a superiori, scilicet Deo, per supernaturalem irradiationem, dum summæ lucis veritate ac radiis intelligibilibus puris mens ipsa clementer ac copiose perfunditur; tuncque opus non est practica præinducta. Interdum vero habetur ab inferiori, ex cognitione videlicet creaturarum ad creatricis Trinitatis speculationem gradatim proficiscendo; et tunc locum habent quæ de abstractione jam tacta sunt.

ARTICULUS XXXVI.

Quod ad aliquam superdeliciosissimæ Trinitatis contemplationem pertingere potest et dare se debet quæcumque devota seu religiosa persona, quamvis sit simplex, hebes et sine litteratura.

art XXXIII. QUONIAM paulo ante in superviventis ac superbeatissimæ Trinitatis contemplatione veram ac summam devotionem, præcipuum meritum maximumque profectum consistere fassus sum, ne simplices tanta spiritualium divitiarum exuberantia spoliatos se ingemiscant, pandendum nunc reor qualiter quivis, quantumlibet idiota, prædictam contemplationis speciem queat attingere.

Et quidem in primis id certum est, quod gratia Dei conditione, proprietate limitibusque naturæ non coarctatur. Idcirco nonnullis idiotis ac rudibus tam perfectæ ac sanctæ conversationis gratiam præstitit Deus, quod ad summæ Trinitatis atque

A purissimæ Deitatis præclaras itemque altissimas contemplationes ac raptus ecstaticos sunt in hac vita perducti, sicut infra plenius, si Deus concesserit, ostendetur. Unde si quæ persona religiosa aut vivens in sæculo, ad cordis munditiam, justitiæ zelum, virtutum affectum ac divinum amorem quotidianumque mentis in omni gratia incrementum se digno ac toto conatu extenderit, ad sublimiorem utique Dei contemplationem divinitus érigetur, quam quantumcumque ingeniosi B doctique vitæ puritatem non satis quærentes.

Nihilo minus, dum simplices tales contemplationem Trinitatis ita a superiori non sortiuntur, neque ut cupiunt desuper tanguntur et illustrantur, possunt utique ab inferiori, per aliorum informationem vel propriam considerationem, ad Dei trini ac simplicis dulcissimam pertingere contemplationem. Cogitent ergo quod tres Personæ sunt unus Deus, et quod a Patre solo est Filius, a Patre autem et Filio C Spiritus Sanctus; insuper, quod istæ Personæ sunt æque perfectæ, consubstantiales et consempiternæ, ita quod quælibet est infinitæ bonitatis, sapientiæ, sanctitatis, potentiæ, pulchritudinis, felicitatis et gloriæ; quod quoque se invicem diligunt ardentissimo, dulcissimo, infinito amore, et cum immensa jucunditate et complacentia se invicem æternaliter intuentur, totiusque beatitudinis immensam plenitudinem possident cum infinitæ dulcedinis imperturbabili pace.

D Hæc faciliter atque suaviter cum humili simplicitate ac reverentiali moderamine possunt contemplari, et in Deo cordialiter affici, ejusque infinitæ opulentiæ, incircumscriptibili perfectioni, gaudiosissimæ felicitati totis præcordiis congaudere, non ignorantes quod Deus sit immaterialis, purus et simplissimus incircumscriptusque spiritus: quod etiam de tota Trinitate qualibetque divina Persona sentire firmissime debent, omnem divinæ celsitudinis curiosam scrutationem vitantes.

ARTICULUS XXXVII.

De rationibus probabilibus quod in Deo sit trinitas personarum.

QUAMVIS quæ fidei sunt, præsertim quæ superincomprehensibilis Trinitatis fidem concernunt, naturali ratione nequeant demonstrari, probabiliter tamen possunt ostendi. Ut ergo affectuosus ac devotissimus summæ Trinitatis contemplator occasionem exuberantem contemplandi habeat de ipsa superinvariabili Trinitate, rationes probabiles quibus clarius pateat Deum in personis consistere trinum, tangendæ sunt. Quarum una jam
art. xxviii. ante inducta est, ex plenitudine et communicabilitate bonitatis divinæ accepta. Quum enim bonum sit suæ bonitatis naturaliter communicativum, Deus, qui vere est immensa, pura, superplena ac superditissima bonitas, infinitæ est utique communicabilitatis : unde germen sibi proportionatum, coæternum et coæquale potest producere.

Denique, quidquid perfectionis in creaturis consistit, eminentius est in Creatore. Quum ergo res creatæ simile sibi in natura producant, quomodo Deus simile sibi in natura germen producere non valebit ?
Is. lxvi, 9. Unde et ipse per Isaiam locutus est : Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam ? Si ego qui ceteris generationem tribuo, sterilis permanebo ? Ex quibus probatur, quod præter fecunditatem et emanationem quam Deus habet ad extra, fecunditatem quoque et emanationem habet ad intra. Præterea, quum generatio sit perfectissima actio seu emanatio vel productio, Deo competere est fatenda.

art. xxxiv. Insuper, patet ex præinductis, quod deliciis caritatis nil exstet suavius atque felicius. Caritas quoque summe perfecta dilectum requirit et condilectum. Deo autem perfecta immensaque competit caritas, quam ipse nulli bono impendit creato, quum non sit in infinitum amabile. Est ergo in divinis persona diligens et dilecta,
A itemque condilecta : quarum quælibet est perfecta, atque immensa dilectione amabilis et condigna. Quum ergo in divinæ beatitudinis superplenissima opulentia excellentissime contineatur quidquid ad felicitatis sanctæ puras spectat delicias, palam quod in divinis sit trinitas in personis.

Amplius, secundum philosophos, quo aliquid causalius fecundiusque consistit potestate et actu, eo perfectius perhibetur. Summo ergo superperfectoque Deo immensa inest fecunditas nedum potestate,
B sed etiam actu. At vero ad divinæ dilectionis ac munificentiæ eminentiam pertinet ut nil proprium sibi reservans, totam divinitatis plenitudinem communicando diffundat. Adhuc, quum Deus sit lux superexuberantissima et immensa purusque actus, constat quod radii infiniti sit productivus.

In ipsis etiam rebus creatis multiplex invenitur summæ Trinitatis vestigium et imago, præsertim in anima rationali : in qua mens parit sui notitiam, quemadmo-
C dum parens prolem, et Pater æternus Sapientiam genitam, quæ unicus ejus est Filius. Mens quoque cum notitia producit amorem, sicut Pater cum Verbo producit et effluit Spiritum Sanctum. Iterum, sicut ex memoria formatur et actuatur intellectus, ex utrisque autem voluntas ; ita ex Patre nascitur Filius, et ex utroque emanat Spiritus Sanctus. Postremo, gaudio ac præsentia amplexuque filii sapientis ac boni quid deliciosius judicatur ? Tertium quoque commune germen amborum vehe-
D menter diligitur. Quomodo ergo in superdeliciosissimo et affectuosissimo Deo non erit persona a solo prodiens Patre, itemque persona profluens ex utroque ?

Hæc ex superabundanti brevissime tango, ut contemplatoris subtilitati offeratur occasio profundius, amorosius atque diffusius cogitandi de his. Si enim non solum cœlestium corporum solarisque lucis, sed inferiorum quoque ac terræ, quæ elementum est infimum, ineffabilem fecunditatem et causalitatem rite perpende-

rit, minus mirabitur in superexcelso, superopulentissimo immensoque Deo incomprehensibilem et immensam consistere fecunditatem, nusquam actuali communione sibi correspondente privatam. Denique, si rerum creatarum ac sensibilium causalitatem, diffusionem et influxionem comprehendere nullatenus potest, non immoderanter obstupeat quod superincomprehensibilis Dei emanationem intrinsecam penetrare non valet, quum sicut Dei essentia, ita et ejus emanatio ad intra omnem creatæ mentis capacitatem infinite superet et transcendat.

ARTICULUS XXXVIII.

De secunda specie contemplationis, videlicet de naturali contemplatione simplicissimæ Deitatis.

RESTAT nunc de secunda specie contemplationis inducere mentionem. Denique eam jam ante naturalem simplicissimæ Deitatis contemplationem vocavi, (art. xxvi.) quoniam ad eam illa de Deo spectat cognitio ad quam naturalis potest pertingere ratio : ut quod Deus est, quod Deus est unus, quod Deus est prima omnium causa, ac cetera talia, de quibus nunc instat tractatus.

Itaque ista contemplationis species secunda non idcirco naturalis vocatur, quod sine supernaturalibus Dei muneribus, scilicet gratia gratum faciente, fide formata, caritate infusa, sapientiæ dono, queat inesse aut obtineri. Jam namque in superioribus patuit, (t. x, xxvii.) quod divinorum cognitio naturalis dumtaxat ac philosophica, luce gratiæ non peruncta, nec caritate accensa, sit informis, algens ac sterilis, atque ob id contemplationis appellatione indigna. Sed, sicut nunc tactum est, naturalis asseritur eo quod Dei notitia ad eam pertinens, naturalis rationis indagationem aut capacitatem non superat quantum ad id quod ad ipsam notitiam formaliter spectat. Verumtamen caritatem hujus contem- A plationis actum imperantem, et fidem eum dirigentem, sapientiam quoque eum elicientem, naturalem virtutem ac rationem transcendere liquet. Demum, Dei cognitio affectuosa ad hanc contemplationis pertinens speciem, quamvis per naturale lumen rationis humanæ inveniri possit aut capi sive intelligi, tamen per lumen gratiæ, sapientiæ donum, fidei claritatem, illustrationem divinam, multo utique certius, dulcius salubriusque habetur, recipitur, possidetur.

B Hinc quidam devoti ac simplices, litteraturæ ignari, clariorem, suaviorem ac salubriorem de Deo notitiam sortiuntur, quam maximi philosophi habuerunt vel scholastici adipiscuntur. Hi sunt de quibus ait Joannes apostolus : Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed unctio Dei docet vos de omnibus. (I Joann. II, 27.) Nempe ea ipsa quæ quidam de Deo per studium naturali capacitate ac lumine discunt, alii per supernaturalem Dei illuminationem agnoscunt, ut patet in quibusdam electis ac C Sanctis, qui sola fide et sapientia supernaturali infusa, Dei unitatem, simplicitatem, infinitatem omnipotentiamque ac alia naturali lumine investigabilia cognoverunt.

Porro qui tam naturali ingenio ac proprio studio, tam gratiæ adjutorio ac documento divino Dei habent notitiam, ceteris paribus, sunt ad contemplationem hanc magis idonei. Gratia equidem naturam non tollit, sed perficit, tantoque in rationali creatura operatur, quanto majorem in ipsa aptitudinem, inchoationem seu perfectio- D nem invenerit. Hinc Paulus apostolus, qui donum linguarum erat sortitus, in Hebræo tamen idiomate, teste Hieronymo, eloquentior fuit.

Nihilo minus quidam sunt in quibus gratiæ dona eatenus plena sunt, ut multis tam humanitus quam divinitus mediocriter eruditis contemplationi sint aptiores. Ideo, si quis ingenio fulgens et philosophice informatus, ad contemplativam vitam se erigendo, de propriis inordinate confidat, et naturalibus donis plus debito

innitatur, per dona hæc, vel potius donorum istorum abusum ac præsumptionem, plus a contemplatione impedietur quam
art. xxii. provehetur : quia, ut habitum est, oportet ut contemplator se Deo humillime subdat, donisque gratiæ principaliter innitatur.
Ps. lxx, 15, 16. Ideo profitetur Psalmista : Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini.

ARTICULUS XXXIX.

Quæ sint illa quæ de Deo benedicto per naturalem rationem valent cognosci.

QUEMADMODUM, protestante Gregorio, secundum temporum incrementa crevit in sanctis Patribus fides, et supernaturalis divinorum mysteriorumque Christi cognitio, sic tempore procedente, naturalis quoque Dei cognitio in philosophis incrementa suscepit, præsertim temporibus Aristotelis et Platonis. Nec tamen congruit opinari quod ipsi vel alii cuncta scrutati sunt aut noverunt quæ de incomprehensibili Divinitatis natura naturaliter queunt investigari aut sciri, potissime quum ipsemet Plato testatus sit, ea quæ scimus minima esse comparatione eorum quæ ignoramus. Aristoteles quoque : Divinorum, inquit, cognitio neque totaliter latet nos, nec alicui plene innotuit. Rursusque fatetur, quod posteriores semper aliqua de divinorum notitia invenerunt quæ a præcedentibus non fuerunt inventa. Non itaque consequens videatur, si philosophi illa vel illa ad Dei cognitionem spectantia non repererunt, dixerunt aut conscripserunt, quod ideo naturali lumine inveniri non valeant. Imo, quum certum sit eos circa ea quæ naturalem divinorum speculationem concernunt, nedum defecisse, sed et sæpe errasse, et contraria inter se affirmasse, hinc non sequitur, si philosophi hoc aut illud de Deo senserunt, quod ideo verum sit, contrariumve rationabilius non sit.

Verumtamen in his quæ meliores ac
A profundiores philosophi de Deo concorditer adstruunt, non est leviter aliter sentiendum, nisi in quantum divinissimæ fidei nostræ sacra inviolabilisque requirit auctoritas. Etenim per fidem, sapientiamque supernaturalem infusam, seu theoricam veritatem, de naturalis divinorum cognitionis veritate ac philosophica traditione judicandum rite asseritur.

Præterea, quoniam omnis creatura est velut radius quidam sui Creatoris, ita quod aliquid divinæ perfectionis in ea relucet,
B et ipse mundus cum omni ornatu suo, causalitate ac ordine, sui Opificis magnificentiam repræsentat, omnipotentiam, sapientiam, bonitatem Conditoris declarans; hinc ex subtili rerum creatarum consideratione, de ipso Creatore, omnium prima causa, cognoverunt ac repererunt multa vera, profunda atque utilia præclari philosophi.

Unde Platonici, itemque Aristotelici, concorditer docuerunt, Platonem Aristotelemque sectantes, quod in entibus non sit in
C infinitum processus, sed ordo : ita quod in descensu ordinis universi devenitur ad ens quoddam extremum, imperfectissimum, infimum, quod est pura passiva potentia, scilicet materia prima, quæ substantificatur per posse, et secundum se nec est quid in actu, nec quale, nec quantum, sed prope nihil, et tanquam horizon inter regionem entis ac nihil; sic in ascensu ordinis entium pervenitur ad ens quoddam summum, perfectissimum atque dignissimum, quod est actus purus, et ipsa
D bonitatis essentia, ipsumque esse omnifarie plenum, cujus perfectio est immensa, et nobilitas absolute incircumscriptibiliterque perfecta. De quo Proclus Platonicus in Elementatione sua theologica, theoremate octavo, testatur : Omnia qualitercumque participantia bono, præcedit quod prime bonum, et quod nihil est aliud quam bonum.

Insuper, quoniam omnia imperfecta, dependentia atque composita præsupponunt ante et supra se aliquid perfectum, inde-

pendens ac simplex, siquidem ante id quod A per participationem est tale, oportet esse quod sit per essentiam tale; hinc igitur docuerunt, quod totum universum originaliter fluxit fontaliterque causatum est ab ente hoc primo et summo. Unde Aristoteles asserit, quod ab ipso omnibus communicatum est esse et vivere; et ab eo, ait, dependent cœlum et terra ac tota natura. Proclus quoque duodecimo theoremate : Omnium, inquit, entium principium et causa prima, bonum est; et alibi : Omnia entia procedunt ab una causa prima, B et totus mundus ab intellectu divino substantiam habet; et denuo : Omnis multitudo secunda ab uno est. Averroes demum in libro de Substantia orbis, dicit quod nunquam fuit de mente Aristotelis dicere quod mundus esset a Deo tantum per conservationem, et non etiam per emanationem. Verumtamen in modo productionis rerum a Deo, philosophi isti inter se atque a fide non parum discordant.

Itaque illa de Deo per naturalem rationem investigari scirique possunt quæ in C creaturis evidenter relucent, ita quod illæ subtiliter consideratæ, ad illorum speculationem perducunt : sicut jam dictum est, quod ex consideratione ordinis universi scrutati sunt philosophi esse unum ens primum, dignissimum et perfectum, omnium ceterorum causale principium.

ARTICULUS XL.

De absolutis ac naturalibus proprietatibus Dei, secundum naturalem rationem philosophicumque processum.

Sap. XIII, 1, 5. SICUT in libro Sapientiæ ait sermo divinus, Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei : a magnitudine enim speciei et creaturæ poterit creator horum cognoscibiliter videri. Itaque considerantes naturas, proprietates, legem ac ordinem universi, præstantiores philosophi invenerunt, noverunt et conscripserunt, quod quanto aliqua materialiora et corpulentiora in entibus sunt, tanto imperfectiora, passibiliora et minus activa exsistunt. Unde Avicebron Platonicus in libro Fontis vitæ subtraxit rebus materialibus proprias actiones, asserens actiones illas non esse efficienter earum, sed substantiæ separatæ, videlicet intelligentiæ, cujus (ut ait) vis rerum talium materiam penetrat. Verumtamen istud non est omnifarie verum, prout S. Thomas in Summa contra gentiles subtiliter probat. Quo autem sunt lib. III, c. 69. aliqua formaliora et subtiliora seu spiritualiora, eo sunt perfectiora, impassibiliora ac agiliora : ut patet in elementis ac mixtis, in quibus terra est materialissimum, passibilissimum, infimum minimeque activum, ignis autem subtilissimum, formalissimum, magis activum ac summum.

Hinc ergo dixerunt philosophi, quod primum ens quum sit actualissimum, causalissimum, impassibile et perfectum, nil prorsus habet in sua natura de materia aut proprietatibus ejus sibi admixtum, sed quod sit substantia incorporalis, immaterialis, insensibilis, illocalis, spiritualis et simplex.

Denique, non solum in Deo æterno, sed in intelligentiis quoque et in anima rationali dixerunt Peripatetici non esse materiam : nam ideo appellantur intelligentiæ substantiæ separatæ, quasi a materia segregatæ. Sed quia in istis substantiis inveniuntur spiritualiter quædam proprietates materiæ, scilicet recipere, dependere, illuminari ac perfici; ideo docuerunt eaD rum essentiam non esse penitus puram ac simplicem, purumve actum, sed sic potentiæ passivæ seu potentialitati permixtam : sicut in libro de Causis conscriptum est, quod intelligentia est habens hyliathin. Sicque dixerunt in eis esse atque distingui *quod est* et *quo est*. An vero distinctio illa sit realis, diversimode opinabantur. Porro, quanto in harum intellectualium ordinibus naturarum aliqua habent plus de potentialitate admixtum, tanto imperfectiora consistunt; et quanto

minus inde habent, ac plus de actualitate seu actu, tanto sunt perfectiora.

Hinc Deum, qui est ens simpliciter primum, nil aliunde recipiens, nec dependens vel indigens, fassi sunt esse actum purum, simplissimamque essentiam, in qua nulla prorsus diversitas locum sortitur. De quo Proclus subtilissime ait: Omne unitum alterum est a per se uno. De quo item in libro de Causis asseritur, quod in ipso non est diversitas aliquorum modorum.

Præterea, quomodo Deus dicitur actus purus, utile est valde intelligere. Itaque, prout Aristoteles inter actum potentiamque distinguit, actus dicitur principium movendi seu transmutandi aliud secundum quod aliud; potentia autem principium transmutandi seu movendi ab alio, sicque accipitur pro passiva potentia. Potentia namque activa potissime competit Deo, et cum actu coincidit. Igitur dum Deus vocatur actus purus, sensus est quod ipse est tale ens cui convenit in omnia alia agere, influere, perficere et movere, a nullo autem quidquam posse recipere, moveri vel perfici, eo quod ipse in se absolute perfectus sit, et omnium nobilitatum plenitudinem infinibiliter ac simplicissime comprehendens.

Ex quo innumerabilia valde pulcherrima elici atque concludi possunt de ipso. Primo videlicet, quod ipse sit vere, intrinsece, formaliter, intensive ac perfectionaliter infinitus. Quum enim sit actus purus, non limitatur per materiam contrahentem, nec per differentiam determinantem, nec per potentiam passivam conterminantem, sed actualitas ejus est prorsus incoarctata, liberrima et immensa. De quo in libro de Causis habetur, quod omnes virtutes quibus non est finis, sunt pendentes per infinitum primum, quod est virtus virtutum. Hæc infinitas est prima, intrinseca atque dignissima proprietas Dei. Ex quo ultra convincitur, quod Deus sublimis et benedictus, universis et singulis incomparabiliter, incomprehensibiliter penitusque infinite excellentior, dignior ac

A major exsistit, quum finiti ad infinitum nulla sit comparatio atque proportio.

Insuper ex hoc elucescit, quod Deus sit omnino æternus, eo quod a nullo alio quidquam receperit. Si enim non esset æternus, haberet utique esse ab alio. Item, quod ipse sit invariabilis, et semper ac æternaliter in optima sui dispositione se habens: non enim mutari valet aut perfici.

Deinceps ex hoc infertur, quod in Deum cadere nequit accidens vel peccatum, neque defectus. Talia namque sine mutatio-
B ne non cadunt in quemquam. Quum autem Deus sit sibi ipsi finis, ita quod aliud nihil sibi finis consistit, neque de nihilo factus sit, peccare non potest. Res autem creata duplici causa peccare potest atque deficere: primo, quia ex nihilo est; secundo, quia ordinatur ad aliud sicut ad finem. Peccatum vero contingit per defectum sive recessum a debito fine.

Ex eodem quoque elicitur, quod Deus sit illocabilis, incircumscriptibilis, intemporalis, ubique per essentiam et poten-
C tiam præsens, omnia intra se continens. Item, quod sit vere omnipotens, quum ejus potestas nullatenus limitetur, sed substantialiter cum sua infinitate sit idem: unde et ipsa infinita censetur. Rursus, quod sit summe simplex, imo pura ac simplicissima unitas. Ubicumque namque est compositio sive diversitas, est etiam indigentia. Etenim, si res in uno componentium totam suam perfectionem haberet, alio non indigeret.

Et breviter, quidquid felicitatis et glo-
D riæ, quidquid pulchritudinis, dulcedinis, sanctitatis, puritatis, amabilitatis, majestatis, sapientiæ, scientiæ, providentiæ, stabilitatis aut perfectionis in toto universo sparsum ac per modum finitum et imperfectum reperitur, hoc totum in supergloriosissimo, superopulentissimo superadorandoque Deo, cum eminentia omniformiter infinita, superessentialiter ac supersimplicissime continetur, vel potius ipse id est: de quo Proclus juxta suum modum loquendi fatetur, quod nec omnis

catena deorum huic uni altissimo per se Deo est comparabilis. Itemque Porphyrius Platonicus : Ipse, inquit, est rex et pater deorum, quem et ipsa numina perhorrescunt.

O vere superbeatissime ac superdulcissime atque in infinitum præamabilis et superdesiderabilis Deus, quam superfelicissimam et supersuavissimam vitam ducis! Imo tu ipse es vita actualissima, superpurissima, in qua totius vitæ plenitudo, opulentia, delectatio cum inexcogitabili ac superdeliciosissima excellentia continetur. Pulchritudinis tuæ nullus est finis, tuique splendor decoris est prorsus immensus. Plus et melius atque perfectius de te intelligi potest quam explicari. Improprie nempe, balbutienter et defectibiliter nimis de te, o supersapientissime ac superliberrime Deus, profamur, sicut et Plato in primo Timæi testatur : Genitorem, inquiens, opificemque universi tam difficile est invenire, quam inventum impossibile digne profari.

ARTICULUS XLI.

De his ex quibus cognoscitur et probatur Deum esse.

QUALITER ex consideratione ordinis rerum evidens fiat esse unum ens primum, perfectum ac summum, paulo ante jam patuit. (art. XXXIX.)

Secundo id ipsum ostenditur ex ipso regimine universi. Neque enim machina mundi, in qua sunt naturæ tam contrariæ, instabiles, innumerabiles ac diversæ, in suo gradu ac ordine ita ordinate atque stabiliter posset persistere inconfusa, nisi esset præsidens ei quidam rector omnipotens, omnisciens, invariabilis et benignus : cujus potestati nil valet resistere, cujus scientiam nil potest evadere, cujus benignitas omnia ad proprium finem ac perfectionem dirigit seu deducit; quumque invariabilis sit, uniformiter et indeficienter universum gubernat.

Tertio idem probatur ex ordine moven-
A tium atque mobilium, præsertim cœlestium. Quomodo enim cœlestia corpora tam ordinatissime, uniformiter incessanterque currerent, nisi esset motor unus primus, modum et seriem movendi ceteris cunctis præfigens ac tribuens, eosque movens in genere causæ finalis, quemadmodum desideratum movet desiderium?

Quarto convincitur idem ex ordine causarum. Siquidem in causis essentialiter subalternatis non est ire in infinitum. Idcirco relinquitur unum esse primum prin-
B cipium effectivum, itemque unam primam ac summam causam finalem : quæ etiam appellatur causa exemplaris, seu formalis formans, quæ (in quantum sapientialiter operans) unumquodque propria ratione, idea ac specie cognoscit et efficit.

Denique ad hoc rationes tam multæ et efficaces queunt afferri, ut quidam affirment, quod Deum esse, non solum probabile, sed demonstrabile quoque exsistat. Nulla equidem res imperfecta esse potest in ordine suo, nisi in quantum a suæ per-
C fectionis fonte suique esse distat principio. Si ergo quidquam post Deum ab ipso non fluxit, esset utique ens per essentiam et per se ipsum, nec a sui esse et suæ perfectionis fonte distaret : sicque omnino esset perfectum. Quum igitur omnia citra Deum inveniantur finita ac imperfecta, certum est unum esse fontale universorum principium, quod solum perfectum est, Deusque appellatur.

Imo nonnulli præclari theologi profundius perscrutantes, determinant quod
D Deum esse sit per se notum, et adeo notum, ut oppositum nequeat cogitari. De ratione quippe ipsius Dei est esse quid summe perfectum et actualissimum, per totius imperfectionis et non esse exclusionem. Quod autem de alicujus ratione est, ab ejus intellectu seu conceptu tolli non potest : quemadmodum cogitari non potest animal non esse substantia animata.

Postremo, sicut ex ordine entium venitur ad unum primum et summum ens, ita ex ordine viventium venitur ad unum pri-

mum perfectissime vivens; ex ordine quoque intelligentium, ad unum primum simplicissimum ac honoratissimum intellectum, qui est mens divina, incircumscripta, prima, ipsaque sapientia interminabilis et æterna. Similiter ex ordine pulchrorum ac dulcium pervenitur ad unum primum essentialiter, independenter, infinibiliter et superincomparabiliter pulchrum ac dulce. Rursus, ex ordine verorum pertingitur ad primum verum, quod est per essentiam veritas prima, exemplaris, idealis, perfecta : a qua omne verum omnisque veritas profluxerunt, sicut ab uno vultu refulgent in variis speculis diversæ imagines. Nec opinandum, secundum Platonicorum errorem, quod primum ens primumque vivens et primum intelligens, et reliqua nunc inducta, sunt diversa rerum principia et ideæ quædam extra mentem divinam subsistentes; sed omnia ista sunt unum primum principium, in se ipso absolute perfectum, secundum divini Dionysii theoriam. (De Divin. nom. c. v.)

ARTICULUS XLII.

Qualiter ex rebus creatis ad Dei speculationem per abstractionem attingitur, et quomodo Esse est primum ac proprium nomen Dei.

DEVOTA mens et Deo per sinceram ac fervidam caritatem unita, ad Divinitatis contemplationem aliquando erigitur a superiori, videlicet per supernaturalem irradiationem mentis divinæ in eam; et tunc sine investigatione, labore ac studio proprio, ad contemplationis culmen dulciter et clementer præventa ascendit. Et ista cognitio Dei anagogica nuncupatur, ab ἀνά, quod est sursum, et ἀγωγή, ductio. Tunc nempe per intellectuale lumen et radium deiformem desuper fusum, Divinitatis contemplationi limpide atque jucunde infigitur.

Interdum vero ad Dei speculationem ascendit ab inferiori, ex consideratione rerum creatarum. Dumque ex sensibilium

A consideratione ascendit, symbolica nuncupatur cognitio, si per talia nominet Deum; quum vero ex immaterialium intellectualiumque naturarum consideratione ascendit, est cognitio amplius propria. Sic ergo ex rebus creatis ad divinæ speculationem naturæ tendendum est, ut quidquid perfectionis, nobilitatis ac eminentiæ in eis consistit, Deo in infinitum sublimiori, pleniori feliciorique modo inesse intelligatur; quidquid vero imperfectionis aut defectibilitatis eisdem admixtum est, a Deo in
B infinitum distare noscatur.

Sic itaque Deus plene ac propriissime dicitur esse, sicut ad Moysen loquitur : Ego sum qui sum; hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. (Exod. III, 14.) Esse equidem taliter competit Deo, quod nihil de non esse, divino esse adjunctum est, nec contrarie, nec privative, nec contradictorie. Unde esse competit Deo per totius non esse omnimodam fugam meramque carentiam, ita quod esse divinum suæ plenitudinis, felicitatis et excellentiæ nullum
C penitus finem sortitur : imo cum supersimplici et incomprehensibili simplicitate, omnem in se perfectionem, absque suæ purissimæ unitatis minoratione, superplenissime et interminabilissime comprehendit. Hinc esse divinum est una actualissima vita, sapientia infinita, incircumscriptibilis pulchritudo, voluptuosissima beatitudo, immensa dulcedo, omnipotens virtus, interminata jucunditas, supermundissima sanctitas, superopulentissima bonitas, inviolabilis veritas, amor immensus, lux nullo
D contracta; et quidquid desiderabilitatis aut amabilitatis seu amœnitatis cogitari potest, in ipso Deo cum infinita plenitudine reperitur, et ipsemet est id.

Unde clarissime innotescit, quod in Deo non distinguitur ab essentia actio. In creatis etenim rebus ideo essentiæ supervenire et addi actionem oportet, quoniam earum essentia in se ipsa substantialiter perfecta non est, neque omnino in ordine suo completa, nec fini suo unita, nisi per actionem propriam perficiatur finique ultimo copu-

letur. Porro Deus in se ipso substantialiter est perfectus, neque ad aliud est relatus. Quidquid ergo potestatis, decoris, amœnitatis, perfectionis aut felicitatis in creaturis conspicimus, non ibi sistamus, nec immoderanter alliciamur vel delectemur; sed a Deo id datum pensantes, eique in infinitum præstantius id inesse considerantes, ex creaturæ dispositione ad Creatoris contemplationem atque præconium provocemur, illico quiescentes et jucundantes, ejus in omnibus infinitæ beatitudini toto animo congaudentes.

Unde, dum ad Divinitatis contemplationem quis graditur, mentis suæ considerationem ab omni materialitate, corporeitate, mutabilitate, sensibili qualitate, circumscriptibilitate, extensione, imperfectione totaliter abstrahat, ipsumque Deum elevatissimo ac limpidissimo cordis oculo intueatur, quod sit esse quoddam secretissimum, infinitum, infinite perfectum, perfecte simplex atque beatum. Sicque non magis intelligat Deum esse in uno loco quam alio, in cœlo quam terra aut tartaro, nisi in quantum specialiter operatur, seque potissime ad intuendum sive fruendum in uno ostendit loco magis quam alio. Idcirco Deum intra se in mentis cubiculo contempletur, colat, complectatur et stringat.

Hinc quinto de Trinitate loquitur Augustinus : Intelligamus Deum, in quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem.

ARTICULUS XLIII.

Qualiter quilibet, quantumcumque simplex, ad Divinitatis contemplationem ascendere potest.

I Cor. xiv, 38.

QUUM ignotum non diligatur, secundum Augustinum, et ignorans Deum, igno- A retur seu reprobetur ab eo, secundum Apostolum; ne quis divino privetur amore, et a summo Judice reprobetur, studere quilibet debet ad hoc quod Dominum Deum suum agnoscat.

Quamvis ergo obtusi, indocti aut simplices Deum ex creaturis agnoscere nequeant per subtiles quasdam considerationes et magistrales abstractiones, nihilo minus ex ipsius universi intuitu, ex mundi gubernatione, ex creaturarum virtute, proprietate, ordine et decore, facillime considera- B re seu instrui possunt, quod Deus omnium horum principium causale, institutor originalis rectorque fontalis exsistens, sit utique ens quoddam primum, summum, omnipotens, sapientissimum, optimum, amabilissimum, pulcherrimum, dulcissimum, atque in omni perfectione sine mensura ac fine completum. Nempe, si ex eminenti ornatu effectus consideratur excellentia causæ, sicut qui pulcherrimum ædificium intuetur, ejus artificem laudat, et eminentem atque prudentem fatetur; constat om- C ni, quantumlibet simplici, magnitudinem, ordinem et decorem totius mundi saltem superficialiter consideranti, quod omnium conditor Deus sit universis ac singulis omnino potentior, sapientior atque præstantior.

Porro, si talis capere nequit qualiter Deus sine extensione et determinatione sit simplex incircumscriptusque spiritus, omnibus præsens ac intimus, satis est ei credere quia sic est, et item quod Deus non est materialis, corporeus aut finitus. Imo D docendus est quod nedum Deus, sed etiam angelus rationalisque anima sint incorporales ac simplices spiritus, circumscripti tamen atque finiti.

Quum itaque taliter Deum agnoverit, eumque super omnia incomparabiliter bonum, potentem, sapientem, speciosum, felicem, suavem, et demum in omni nobilitate ac amabilitate prorsus perfectum perpenderit, in hujuscemodi sui Creatoris contemplatione stabiliri et assuefieri enitatur, ad ejus quoque æstuantem amorem

se ipsum toto mentis studio elevare conetur saltem certis horis diei.

Denique, modo præfato Deum contemplans, considerare mox potest ac debet, quod ipse Deus altissimus tantæ majestatis et perfectionis exsistens, sit præ omnibus pura mente colendus, cum ingenti mentis reverentia honorandus, humillime adorandus, summe timendus. Tunc ergo notitiam istam extendat ad praxim et declaret in opere, Deo altissimo quotidie cum ampliori reverentia, puritate et caritate satagens deservire.

Postremo, hæc de contemplatione Divinitatis ab inferioribus sumpta induxi ; verum si de contemplatione Dei a superiori accepta, videlicet ex supernaturali irradiatione divina, sit sermo, certum quod illa nonnunquam in simplicioribus et indoctis amplius quam in litteratis exuberet, quando videlicet per exercitia viæ purgativæ
art. XXI. juxta modum supra expressum, ad gratiam tantam se ipsos aptaverunt.

ARTICULUS XLIV.

De triplici gradu contemplationis, et de modo progrediendi in actum contemplationis.

CONTEMPLATIONEM Divinitatis jam dictam actum esse doni sapientiæ, fre-
art. III, IV, XXII, etc. quenter nunc tactum est. Porro sapientia ista caritasque infusa inseparabiliter sunt connexæ, et proportionaliter distinguuntur per gradus : ita ut omnis qui caritatem Dei sortitur, sapientiam quoque quæ donum est, habet secundum aliquem gradum; et sicut caritas secundum triformem hominum statum tripartitur in caritatem incipientium et proficientium ac perfectorum, quæ non est specifica, sed gradualis distinctio, conformiter triplex est sapientiæ gradus.

Quum enim sapientia ista de sua ratione sit formata divinorum notitia, per quam de Deo mens ipsa bene sentit ac judicat per connaturalitatem et conformitatem af-
A fectionis ad ipsum, cum dulci quodam divinorum sapore internoque gustu ; hinc primus sapientiæ gradus, est de Deo agnoscere et sentire seu affectualiter judicare quod ipse sit summum bonum et primum ens, cui soli principaliter atque finaliter inhærere oportet, cunctaque alia ordinare in ipsum. Et quoniam hoc est Deum vere internaliter colere, ideo in libro Job legitur : Ecce cultus Dei ipsa est sapientia. *Job*
Unde ipsa actualis, judicativa aut intuitiva XXVIII, 28, juxta LXX.
Dei cognitio qua mens ita sapit de Deo,
B est primus gradus contemplationis istius, quæ secunda contemplationis species appellatur. Et gradus hic contemplationis necessarius est ad salutem semper, quamvis non ad semper, et incipientibus competit.

Porro secundus sapientiæ gradus, proficientibus competens, est ita in divinorum sapore ac judicativa notione excrescere, ut Dei intuitu universa carnalia ac terrena a sapientiæ hujus claritate et gustu impedientia, homo despiciat et relinquat
C propter spiritualem atque mundissimam sapientiæ suavitatem ac jucunditatem percipiendam seu experiendam, in divinorum contemplatione toto conatu satagens stabiliri. Itaque affectuosa Dei cognitio adeo dulcis aut fortis, ut mentem ad hunc sensibilium contemptum inducat, secundus hujus contemplationis gradus asseritur. Ad quem hortatur Apostolus : Semper (in- *Coloss.* I,
quiens) crescentes in scientia Dei. In hoc 10.
equidem gradu Deus dulcius innotescit, et quam ipse sit incomparabiliter omnibus
D præferendus, clarius elucescit, eatenus ut jam omnia vilipendi incipiant quæ ab ejus vacatione impediunt. Hoc sapientiæ gradu et actu ditantur, qui æternæ Sapientiæ consiliis acquiescentes, mundo deserto, cœnobia ingrediuntur, et observantias regulares custodire sollicite desiderio dulcioris contemplationis nituntur.

Præterea, tertius sapientiæ contemplationisque gradus est, passionibus jam sedatis et vitiis pulsis, divinorum totaliter contemplationi infigi, ardenter ac limpide,

ita ut omnis rei creatæ, præsertim terrenæ A ac temporalis, cognitio desipiat, displiceat, neque delectet, nisi in quantum ad Creatoris cognitionem atque amorem vehiculum quoddam est. Hic contemplationis gradus viris divinis, perfectis sive heroicis congruit, quorum animus ab omni mundi hujus adspergine et affectu pure detersus, liber et emundatus, divina illa, cœlestia et superna, vel potius Deum superexcelsum et supermundissimum, quasi aliud nihil sit, contemplatur et gustat.

Præterea, quoniam (juxta Apostolum) B
I *Cor.* XII, 31 ; *Philipp.* III, 13. meliora debemus æmulari charismata, nec unquam in isto exsilio apprehendisse nos arbitrari, qui ad primum sapientiæ contemplationisque hujus gradum deductus est, ad secundum quoque et per illum ad tertium conetur pertingere : quod optime fiet, si omnem carnalem et sæcularem prudentiam omnemque curiosam ac vanam scientiam aspernans ac devitans, serioso cordis enisu puritati internæ atque divinæ dilectionis incremento ferventi studuerit, cum precibus suspiriosis, juxta formam C
art. XXI. practicæ superius introductæ. Nempe quo ipsi caritatis ac sapientiæ habitus supernaturales per creationem infusi amplius perficiuntur in anima, eo dilectio et contemplatio actualis perfectiores elevatioresque erunt.

Itaque in hac secunda contemplationis specie mens purgata simplicissimi Dei superinfinitissimam opulentiam, pulchritudinem, sapientiam, potestatem, et ceteras proprietates præfatas, sinceriter contempletur, Deum alloquendo corde seu ore, D vel ad se ipsam quasi de Deo intra se sermocinando, admirando seu meditando. In quo contemplationis exercitio tanto plus exsultabit, quanto cuncta caduca magis despexerit, atque in Deo per caritatem ferventem, virtutes et dona immobilior fuerit.

Itaque contemplator sapientiæ claritate repletus, et sancto deificæ caritatis ardore succensus, ac per hoc in actum contemplationis egredi facillime potens, mente, vultu ac manibus elevatis in cœlum, Deum intellectualiter aut simul vocaliter alloquatur his verbis, non currenter, sed distincte et advertenter :

O misericordissime et superdulcissime Deus, super omnia in infinitum desiderabilis atque amabilis, totus naturaliter bonus, superpulcherrime et supersapientissime Deus, tuæ infinitæ excellentiæ atque immensæ majestati congratulor, de tua incomprehensibili beatitudine glorior, de omni plenitudine totius incircumscriptibilis tuæ perfectionis toto corde tibi congaudendo, volendo, favendo jucundor. O quam supersublimis es, Domine Deus omnipotens, qui solus omnia condidisti, qui tua sapientia universa gubernas, qui tua justitia unicuique quod meretur rependes ! Tu, summe Deus, contemplando te ipsum, in te infinitam complacentiam, felicitatem delectationemque habes, quia te solum vides essentialiter sapientem, omnipotentem, sanctum, atque in omni nobilitate et eminentia infinite perfectum, substantialiter et immense decorum, quietum, suavem, cunctis incomparabiliter celsiorem, omnibus pro libito dominantem. Tu solus æternus, immensus, omnipotens, invariabilis, nulloque egens, et penitus simplex. A te quidquid bonitatis, speciositatis, perfectionis, sapientiæ, vitæ in toto universo reperitur, profluxit.

Hæc atque similia præinducta hoc modo contemplari potest, Deum sic alloquendo, vel ad se eadem proferendo : quod totum fieri debet omni evagatione rejecta, cum ingenti cordis fervore, jubilo atque tripudio. Tunc quoque in hujuscemodi mentis æstuanti fervore admiscere poterit preces pro causis præcipuis pro quibus singulariter appetit exaudiri, quæ erunt non mediocriter efficaces.

Postremo, in prædictis unusquisque se gerat prout Spiritus Sancti instinctus mentem ejus direxerit. Non enim in his modus præfigi regulariter potest, potissime quoad perfectiores, qui Spiritu Dei aguntur juxta superliberrimam Sancti Spiritus

voluntatem : qui tamen ut frequentius operatur in eis secundum capacitatem et dignitatem seu præparationem ipsorum, quanquam interdum imperfectos et incipientes dulciter prorsusque clementer præveniat, consoletur, accendat, et filiorum refectione confoveat, a perfectioribus vero interdum ad tempus gratiam contemplandi dispensative suspendat.

ARTICULUS XLV.

De tertia specie contemplationis.

art. xxvi. DENIQUE, sicut in præinductis claruit, tertia species contemplationis est speculatio assumptæ humanitatis Verbi. De qua septimo de Civitate loquitur Augustinus : Habemus a Deo magnum suæ dilectionis indicium, quod nos oneratos obrutosque peccatis, a contemplatione suæ lucis aversos, ac tenebrarum, id est iniquitatis, dilectione cæcatos non omnino deseruit, misitque nobis Verbum suum, qui est ejus unicus Filius : quo pro nobis assumpta carne nato ac passo, quanti Deus hominem penderet agnoscerémus, atque illo sacrificio singulari a peccatis omnibus mundaremur, ejusque Spiritu in cordibus nostris dilectione diffusa, omnibus difficultatibus superatis, in æternam requiem et contemplationis ejus ineffabilem dulcedinem veniremus. In his beatissimi Augustini verbis fecunditate sententiarum repletis, multa tanguntur, quæ particularius sunt tractanda.

Itaque anima contemplativa, cujus illuminata est mens fide clarissima ac donis Spiritus Sancti, cujus demum affectiva Divinitatis calidissimo est succensa amore, atque a passionum vitiorumque fumis ac nebulis expurgata, et item a curis, distractionibus et inquietudinibus per gratiam Dei singularem tranquillificata, ad contemplandum Christum hominem, seu Filium Dei incarnatum ejusque præelectissimam humanitatem, mente gratissima, sapientiosa et recollecta accedat hoc modo.

In primis fideliter speculetur, quod Filius Dei unigenitus, verus utique Deus, Patri æterno per omnia coæqualis, vere factus est homo humanam naturam induendo, assumendo videlicet hanc sibi ipsi, et suæ divinitati seu propriæ personalitati eam immediate suppositaliterque jungendo, ita quod in ipso humana natura ad personale, increatum atque æternum esse Verbi assumpta est, et in eodem vere est suppositata, non creatum et proprium esse hypostaticum habens. Idcirco Christus, Deus et homo, est una dumtaxat persona.

Præterea contempletur quemadmodum Virgine benedicta Archangelo sibi Filii Dei incarnationem denuntianti ac pollicenti consensum præbente, atque loquente, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, in hoc ipso momento, eodem instanti, Spiritus Sanctus, imo tota supergloriosissima Trinitas ad extra inseparabiliter operans, ex purissimo sacræ Virginis sanguine corpus Christi formavit et organizavit, ejusque rationalem animam tunc creavit, et corpori suo infudit, utrumque quoque sibi invicem naturaliter ad unius naturæ specificæ constitutionem immediate univit, et demum eodem instanti naturam hanc æterno Verbo hypostatice copulavit. Divinæ namque potestati, quum sit infinita, competebat hæc omnia instantanee operari. *Luc.* I, 38.

Insuper illuminato mentis oculo affectuosissime contempletur, quod eodem quoque jam præfato instanti cœpit anima Christi cernere Deum per speciem fruitive, tam jucunde, feliciter, immediate et clare, ut modo in patria conspicit eum. Rursus eodem instanti impleta est gratia habituali, donis Spiritus Sancti, omni quoque sapientia et virtute nullam in sua ratione imperfectionem habente : fidem quippe et spem non habebat, quoniam Divinitatem beatifice semper vidit. Eodem etiam momento impleta fuit donis gratiæ gratis datæ, videlicet gratia prophetiæ, miraculorum, linguarum, discretionis spirituum : ita quod in omnibus his nunquam profecit quantum ad habitus ipsos infu-

sos, nec quantum ad præmium essentiale, imo nec sibi ipsi de præmio illo aliquid meruit. Præterea eodem instanti prædicto humanitas Christi omni creaturæ prælata *Matth. xxviii, 18.* est, et omnem potestatem in cœlo ac terra a Verbo recepit : quia, ut asserit Damascenus, hoc penitus condecens fuit, ut mox ex quo humanitati communicatum est id bonum immensum, videlicet personale seu hypostaticum esse Verbi, per quod homo vere est Deus, cetera quoque omnia bona jam dicta, quæ creata sunt atque finita, communicarentur eidem. Verumtamen, quantum ad sensitivam inferioremque animæ partem et corporis passibilitatem, erat Christus viator ; et quoad hoc accidentaliter sibi meruit præmium.

Postremo sagaciter intueatur quemadmodum in Christo utraque natura permanet inconfusa et imperturbata, proprietatum suarum naturalium retentiva, propriarumque actionum operativa. Hinc divinitas non est mutata, vilior facta aut passa. Erantque et sunt in Christo intellectus humanus creatus, intellectus quoque divinus æternus. Similiter creata et increata voluntas, ac cetera naturalia humanæ speciei fuerunt in ipso ; non autem peccatum aut pronitas ad peccandum, nec detrahibiles defectuositates, puta morbi aut monstruositates.

Quoniam igitur Christus verus est Deus, et nomine Jesu Christi seu Christi intelligitur atque supponitur æterna, immensa et increata hypostasis Verbi, ideo contempletur anima cœlitus illustrata, Christum esse ubique per essentiam, præsentiam, potentiam, ita quod omnia implet ac penetrat, intuetur, pensat et judicat.

ARTICULUS XLVI.

Speculatio pulchritudinis, excellentiæ et amabilitatis naturæ humanæ a Verbo assumptæ.

Ut autem devotissimus contemplator in Christi humanitatis consideratione cordialius delectetur delectabiliusque figatur, A aliquid de pulchritudine et excellentia humanitatis assumptæ reor effandum.

In primis igitur contempletur, quod Verbum æternum, unigenitus Filius Dei Patris, non debuit nec voluit humanam naturam suæ supersanctæ divinitati, cujus est pulchritudo prorsus immensa, suppositaliter jungere nisi pulcherrimam, atque decore naturæ creatæ inesse potente completam et decoratam : non quod unio utriusque naturæ in Christo facta sit per gratiam aliquam creatam intermediantem, seu B aliquo modo hypostaticam unionem humanitatis cum Verbo præcedentem, nisi in præconceptione mentis divinæ, secundum quod Deus humanitatem assumendam decrevit in ipso unionis momento omni dono ac venustate gratiæ perornare. Hinc quidam theologi gratiam unionis in Christo asserunt quid creatum, idemque realiter cum gratia ejus habituali, ita ut gratia ista vocetur unionis, in quantum in præordinatione mentis divinæ hypostaticam unionem præcessit. Alii tamen affirmant gra- C tiam unionis quid increatum, videlicet ipsummet Verbum assumens, vel divinam clementiam qua facta est incarnatio Verbi. Sed ista diversitas in verbis consistit.

Insuper contempletur, quod Deus humanitatem assumptam magis dilexit quam totum universum. Majus quippe ei præstitit bonum, videlicet suppositale esse Verbi : quod est bonum increatum ac infinitum ; estque incomparabiliter dignius hypostatice Deo uniri quam gratia tantum. D Rursus, sola humanitas Christi majori pleniorique gratia, ampliori quoque et feliciori gloria est repleta, quam sint omnium electorum simul sumptorum gratia et gloria pariter sumptæ. Unde et ipsa sola clarius conspicit atque ardentius diligit Deum quam omnes mentes creatæ simul acceptæ.

Ex his utcumque inspici potest quam incomprehensibilis sit pulchritudo, excellentia amabilitasque creata assumptæ humanitatis. Gratia nempe supernaturale

ornamentum est, splendifluus decor et lumen præclarum mentis creatæ, ejus perornans essentiam. Fuit quoque in anima Christi ab incarnationis exordio lumen gloriæ, quo ad beatificam visionem aptabatur ; estque lumen hoc ineffabilis venustatis. Sed et septem dona Spiritus Sancti et ceteræ perfectæ virtutes erant et sunt in anima Christi secundum gradum adeo eminentem, quod ipsa sola ceterorum omnium donis atque virtutibus eximie præferuntur. Etenim omnia jam præfata, videlicet gratia, caritas infusa, lumen gloriæ, dona Spiritus Sancti, virtutes perfectæ, fuerunt in anima Christi tam plene et excellenter ut mens creata capere valet, ita quod tota capacitas animæ Christi fuit repleta. Itaque elucescit, quod sola pulchritudo creata animæ Christi major et plenior atque amœnior sit pulchritudine spirituali omnium electorum pariter acceptorum. Est quidem infinitæ pulchritudinis Fonti immediate hypostatice juncta : hinc de illius superopulenta plenitudine accipit quodammodo sine mensura.

Præterea contempletur, quod quanto exuberantior fuerit gloria animarum in patria, tanto splendidior atque completior erit glorificatio corporum earumdem. Unde ex consideratione pulchritudinis gloriæ animæ Christi, proportionaliter contemplandum est de incomparabili excellentia claritatis et gloriæ corporis ejus. Ex quibus demum pensandum est sapienter, quam inæstimabiliter dulce ac delectabile sit Christi humanitatem in sua glorificatione præclarissima et sublimi feliciter intueri, præsertim a beatis hominibus, illius acerbissima passione salvatis. Potissime quoque adspectus iste jucundissimus erit post diem judicii, quando et oculo corporali glorificato pulchritudo et claritas deificati corporis Christi irreverberata acie deliciosissime conspicietur. Nunc quoque hæc contemplando, beatitudini et decori humanitatis Christi pro nobis ineffabiliter humiliatæ ac passæ præcordialiter congratulemur, ejusque dilectione præfervida

A accendamur, atque ad ejus felicem adspectum, in quo accidentale situm est præmium, totis medullis jugiter suspiremus.

ARTICULUS XLVII.

Quod in Christi incarnatione ac passione evidenter ac eminenter considerari contemplarique possunt bonitas, misericordia, sapientia, justitia, dilectio atque potentia Dei.

BONI est ista proprietas, ut se alteri
B communicet, et bonitatem suam exuberanter diffundat. Deo ergo naturaliter, totaliter ac infinibiliter bono id congruebat, ut se suæ creaturæ plenissime communicaret, quantum illa fuerit susceptiva. Hoc autem factum est in Verbi incarnatione, in qua idem suppositale esse in quo Verbum æternaliter est subsistens, communicatum est humanæ naturæ in Christo, juxta modum expressum. art. xlv.

In hoc ergo, o contemplator, dulcissime affectuosissimeque perpende immensam
C unigeniti Filii Dei bonitatem, qui suæ se creaturæ tam liberalissime communicavit. Et quidem in hoc quod Deus se ipsum mentibus creatis ad fruendum feliciterque per speciem intuendum communicat, incomprehensibilis utique bonitas ejus, dignatio itemque dilectio supernaturaliter declarantur. Porro in isto quod etiam se ipsum naturæ humanæ ad subsistendum communicavit, ita quod ipsemet Unigenitus Dei factus est naturæ assumptæ hypostasis, et illa in esse hypostatico Verbi
D subsistit, inæstimabiliter excellentius elucescit ac demonstratur bonitas, dignatio atque dilectio Dei. Siquidem prima illa communicatio est quoad actum secundum, videlicet videre seu frui ; hæc ad actum primum, scilicet esse sive subsistere. Quocirca devotissima contemplandum est mente, quia quanto Verbi assumentis sublimior est majestas, et humanitatis assumptæ major declivitas, tanto copiosior Dei dignatio in ipsa incarnatione ostenditur.

Rursus, quum amoris sit amantem unire amato, quo unio illa intimior, inseparabilior propinquiorque exstiterit, eo amor probatur perfectior. Nonne ergo in hoc quod Filius Dei nostram naturam sibi ipsi immediate, inseparabiliter suppositaliterque conjunxit, manifestatur nobis dilectio ejus ad nos inexplicabiliter perfecta et magna, imo potissime liberalis et consummata?

Præterea, in omnibus his Patris quoque ac Spiritus Sancti bonitas, dignatio atque ad nos dilectio suavissime innotescunt, considerantur et proponuntur. Etenim sic Deus Pater dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; et proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Quis autem comprehendere queat quantæ dignationis, pietatis et caritatis id exstitit, quod Pater ille æternus, immensus et superessentialis, unicum Filium suum, sibi omnino æqualem atque carissimum, quem utique non minus diligit quam se ipsum, dignabatur ac voluit esse et appellari hominis filium, fratremque hominum, quod demum unam puellam voluit habere comparentalem? At vero in Spiritu Sancto non minor dignatio, pietas atque dilectio attenduntur, quod ejus incarnationi dignatus est cooperari, a quo ipse vere æternaliterque procedit, et Virginem sanctam fecundavit parere illum a quo profluit ipse.

Joann. III, 16.
Rom. VIII, 32.

Hæc igitur mente jucunda, grata ac fervida contemplemur frequenter et (quantum fieri potest) stabiliter, Deo altissimo gratias ex intimo cordis arcano incessabiles cum puro caritatis divinæ affectu devotissime referendo, totiusque superviventis, superfelicissimæ ac superamandæ Trinitatis bonitatem, dilectionem, dignationem et munificentiam circa nos humiliter ac ferventer mirando, colendo, laudando.

Insuper, in hoc quod Deus proprii plasmatis infirmitatem non sprevit, sed illud ut eidem auxiliaretur assumpsit, ostenditur summa et ineffabilis misericordia ejus.

A Etenim se ipsum tam incomprehensibiliter exinanivit, bassavit et dejecit, ut nos æternaliter exaltaret; propter nos factus est pauper, et infirmus et miser quoad mala pœnalia, ut nos cœlestis regni divitias, immortalitatem perpetuam veramque sortiamur salutem.

Adhuc autem, in hoc quod Deus tam decentissimo modo humanum genus redemit, et difficillimæ nodositatis congruentissimam solutionem invenit, sapientiæ ejus declaratur immensitas. Nempe factus B est homo, ut deificemur; et tali processu hominem liberavit, in quo divina bonitas, clementia, caritas, cetera quoque nunc dicta, evidentissime atque pulcherrime cunctis panduntur.

Sed et difficile apparebat quomodo salva æquitate divina genus redimeretur humanum. Verum in hac difficultate sapientia Dei optimum prorsus comperit modum, tali forma redimens hominem, ut et justitiæ et misericordiæ satisfieret, dum peccatum non manet inultum, nec pecca- C tor perire relinquitur. Et in hoc quoque ostensa est æquitas Dei, quod non alium facit superare tyrannum, sed quemadmodum a diabolo victus est homo, ita ab homine victus est ille. Unde non vi, sed æquitate eripit hominem a potestate diaboli. Porro in hoc summe apparet justitia Dei, quod Pater maluit Unigenitum suum sic incarnari, in mundo conversari, ac pati et mori, quam peccata non plecti ac vindicari, sed in Filio suo dilecto posuit iniquitatem omnium nostrum, et propter D peccata populi sui percussit eum.

Is. LIII, 6, 8.

Amplius, in Christi incarnatione relucet omnipotentia Dei, quod naturam humanam tam imperfectam et ultimo conditam, divinæ naturæ in infinitum altissimæ taliter counivit, tamque ineffabiliter mirabilia in incarnatione molitus est, de quibus infra (ipso agente) dicetur. Iterum, in hoc Christi potestas gloriosissime declaratur, quod per humilitatem, infirmitatem, patientiam, passionem et mortem stravit et vicit adversarii sui diaboli elationem, for-

titudinem, proterviam, dominationem et A regnum.

Itaque incarnatio et etiam passio Salvatoris est præclarissimus liber, et universæ contemplationis altissimum delectabilissimumque objectum : in quo præfatæ proprietates perfectionesque Dei evidentissime repræsentantur, clariusque leguntur atque profundius considerantur quam in totius mundialis machinæ productione, consistentia, forma et specie, si tamen mentem fidelem ac piam dignetur Spiritus Sanctus in horum contemplatione glorio- B sissime illustrare, quemadmodum animam S. Augustini edocuit, qui in contemplatione sanctissimi consilii summæ Trinitatis super humani generis liberatione satiari non potuit. Unde et Hugo super Angelicam hierarchiam : Duplex est, inquit, simulacrum cognoscendi Creatorem : unum naturæ, videlicet species mundi ; aliud gratiæ, scilicet humanitas Salvatoris. Denique, quo anima desuper illustrata in hac humanitatis Verbi contemplatione humilius et magis pie institerit, eo plures C sibi rationes incarnationis occurrunt, et fides ejus rationabilior sibi videtur.

Postremo, per Verbi incarnationem fides præcipue roboratur, dum eum qui loquitur et testatur, Deum esse non dubitamus. Spes quoque erigitur et caritas inflammatur, dum ipsummet Deum ex nimia sua caritate ad nos incarnatum cognoscimus. Sed et perfectæ humilitatis, sanctitatis, patientiæ atque constantiæ exempla nobis per Verbi incarnationem, conversationem et passionem præbentur. Meritum etiam D Christi nobis potissime suffragatur. Nec est aliquid ex cujus contemplatione evidentius pateat quanta sit peccati enormitas, æternæ damnationis calamitas, et vitæ gloriosæ felicitas, quam incarnatio Dei, dum propter peccata tollenda, damnationem vitandam, beatitudinem sortiendam, ipsummet verum Deum credimus hominem factum et crucifixum : dignitas quippe legati, et magnitudo eorum quæ gessit ac pertulit, magnitudinem causæ demonstrat.

ARTICULUS XLVIII.

De mirabilibus circa Christi incarnationem ; et cur incarnatio congruebat potissime Filio.

PORRO in Christi incarnatione sobrius contemplator multa invenit admiranda, naturalis rationis capacitatem vehementer transcendentia, solique divinæ ac immensæ potestati possibilia : in quorum contemplatione immoderantia humani scrutinii est vitanda, atque in mirabilibus divinis magnificentia Omnipotentis magnificis laudibus extollenda.

Primum ergo mirabile fuit, quod infinite improportionaliterque distantia, scilicet Verbum Dei increatum et incircumscriptum itemque humanitas, in unam convenerunt personam. Secundum, quod ex duabus naturis in actu quidditativo completis, una constat persona. Tertium, quod humana natura in Christo proprias habuit actiones ac passiones, quum tamen non in esse personali, creato ac proprio, sed divino subsisteret. Quartum, quod persona æterna, incommutabilis et perfecta, vere ac temporaliter generatur absque sui mutatione, vel novi esse in sua propria natura adeptione. Quintum, quod virgo concepit et sine integritatis injuria peperit : quod sine dimensionum penetratione non fuit. Item, quod Christi corporis formatio, animatio instantanea exstitit, et eodem instanti anima Christi Deum per speciem videre cœpit ; multaque alia eodem instanti completa sunt, de quibus jam patuit. Ibi art. XLV. mater fuit prole posterior, creatura Creatorem concepit, et mater sine dolore enixa est filium. Ibi universorum incircumscriptibilis Conditor intra unius puellæ castissima clausit se viscera ; et qui cuncta conservat, portat ac pascit, portabatur ac fovebatur ab ea.

Insuper, quum Filius Dei sit media in superbeatissima Trinitate persona, ratio salvatoris ac mediatoris ipsi potissime competebat : idcirco ipse potius debuit in-

carnari. Præterea, quoniam Filius Dei habet cum homine quamdam convenientiam specialem (nam ipse imago est Patris, et homo quoque Dei appellatur imago; Filius etiam est emanatio intellectus, et homo ab intellectuali perfectione nomen speciemque sortitur, ut rationalis proprie nuncupetur), ideo ipsi cum humana natura potius competebat uniri. Filio demum præsertim conveniebat matrem habere, Patremque placare, ut qui in cœlo habuit Patrem sine matre, in terris matrem haberet absque patre. Denuo, sicut per Verbum omnia erant creata, sic per ipsum fuerunt omnia restauranda. Postremo, quia causa adventus Dei in carnem ac mundum, fuit nos docere ad veritatem divinam cognoscendam in via per fidem, in patria vero per speciem, ista instructio potius conveniebat Verbo, qui est veritas et sapientia Patris.

II *Cor.* IV, 4; *Gen.* IX, 6. *Joann.* XIV, 6; I *Cor.* I, 24.

Præterea contemplandum, quod diversis ex causis nulla pura creatura fuit ad liberandum genus humanum idonea. Primo, quia peccatum, quum sit infinitæ majestatis offensivum, habet quodammodo gravitatem, enormitatem ac deformitatem immensam : ideo generaliter tolli non debuit nisi a salvatore dignitatis immensæ. Nulla autem pura creatura infinitæ dignitatis potest consistere. Secundo, quoniam tanta est dignitas gratiæ gratum facientis, quod nulla pura creatura digna vel efficax fuit toti generi humano eam mereri sive acquirere. Tertio, quoniam ipsa natura, quum sit in infinitum communicabilis, a pura creatura tota liberanda non fuit vel reformanda. Quarto, quoniam beatitudo, ad quam Dei incarnatio ordinabatur, est quodammodo dignitatis et eminentiæ infinitæ, quum sit summi infinitique boni immediata atque completa fruitio : ideo pura creatura eam generi humano recuperare non erat apta. Necessarius igitur nobis fuit salvator dignitatis immensæ, qui ratione naturæ humanæ assumptæ potuit promereri, placare, satisfacere, pati ac mori ; ratione autem suæ divinitatis habuit idoneitatem efficaciamque immensam ad promerendum, satisfaciendum ac liberandum : ita quod suæ humanitatis facta atque supplicia infiniti quodammodo vigoris propter deitatem sibi unitam fuerunt, Deoque Patri infinite accepta ac placita exstiterunt, ita ut merito obedientiæ et patientiæ Christi toti humano generi indulgeret, quibuscumque meritum Christi applicatum fuisset.

Hæc itaque nobis amorose ac dulciter consideranda sunt jugiter, et beneficiis Filii Dei totis viribus gratias humillime referre debemus. Denique, intuentes quod Filius Dei pro nostra salute tam ineffabiliter se inclinavit, tantaque fecit atque perpessus est, non parvi pendamus animarum nostrarum negotium et salutem, sed infatigabili ac seriosissimo animo obsequamur et inhæreamus Domino Deo nostro, in ejus sancto amore quotidie magis magisque ardere, succendi ac æstuare infatigabiliter satagentes.

ARTICULUS XLIX.

Qualem oporteat esse contemplatorem incarnationis, conversationis passionisque Christi et ceterorum mysteriorum ipsius.

NON sapiunt mella febrilibus humoribus gustum habenti infectum, nec incontinentibus quæ de castitate dicuntur. Conformitas namque affectus perceptibilem efficit boni verique gustum, et amor exæstuans internum parit saporem. Hinc, juxta Apostolum, animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi. Vitiosis equidem, carnalibus ac mundanis hominibus Deus, qui est ipsa superpurissima bonitatis essentia et dulcedo prorsus immensa, non sapit ; nec divina exquirunt, nec in spiritualibus gratiæ donis locupletari concupiunt. Et hoc quare ? Haud dubium quin ideo, quia eorum interior gustus affectibus sæcularibus atque carnalibus tanquam febrilibus quibusdam humoribus totus infectus est : unde in terrenis, sensibilibus et caducis eorum

I *Cor.* II, 14.

amor quiescit delectatioque consistit; lutum calcant, limo infixi sunt; stercora, imo et vitia, omni stercore incomparabiliter turpiora ac magis coram Deo fœtentia, amplexantur; et quidquid de Deo ac vitæ emendatione prædicetur eisdem, in suis perdurant turpitudinibus atque fœtoribus, summis, divinis, æternis ac cœlestibus bonis, terrena, carnalia, vana et vilia præferentes. De talibus loquitur Deus per Sophoniam (*Soph.* I, 4, 6, 12.): Disperdam eos qui avertuntur de post tergum Domini, et visitabo super viros defixos in fæcibus suis; per Jeremiam quoque (*Jer.* II, 27.): Verterunt ad me dorsum, et non faciem.

Hinc itaque qui vult Deo sinceriter adhærere, qui ejus cupit amore dulcissimo inflammari, qui divina Christi mysteria optat salubriter contemplari, suaviter intueri, affectuose complecti, omne mundanorum carnaliumque affectuum evomat per veram contritionem et puram confessionem e corde venenum; universas quoque sæculi vanitates, consolationes atque delicias, tanquam febriles humores totaliter aspernetur, alibi quam in Creatore renuens consolari aut gloriari.

Præterea, quum universa quæ de humanitatis Christi mysteriis creduntur, sint penitus supernaturalia, omni humilitate referta, nemo ad eorum contemplationem est idoneus, nisi qui sensum et spiritum Christi habet. Porro sensum et spiritum Christi habere, quid est, nisi per sapientiam salutarem quæ donum est, de divinis recte sentire, Christi documentis, operibus et exemplis per conformitatem affectus cordialiter inhærere? Hi sunt qui (juxta Apostolum) (*Galat.* V, 24.) carnem suam quotidie crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis; qui discunt a Salvatore (*Matth.* XI, 29.) quia mitis est et humilis corde; qui cum Apostolo possunt fateri (*Galat.* VI, 14.), Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo; qui privato amore evulso, in adversis et asperis cunctisque pœnitentiæ actibus gloriari noverunt.

Istis quippe per humilitatem, mansuetudinem, patientiam carnisque mortificationem Christum digne sectantibus, deliciosissime sapit incarnatio, humiliatio, passio Filii Dei; et quanto pro eorum salute Deus humilior, pauperior, dolorosior contemptibiliorque effectus est, tanto eis est carior, delectabilior, honorabilior, imitabilior atque præclarior, ita ut toto spiritu liquefiant ac resolvantur per amoris ardorem in ipsum, ardentissimo zelo eum in omnibus venerari et assequi cupientes, quatenus ejus amori, humiliationi ac passioni aliquantulam saltem vicissitudinem reddant. Talis ergo effici studeat, qui dominicæ incarnationis ac passionis, et ceterorum ad Christi humanitatem spectantium idoneus gliscit contemplator constitui.

Unde nonnulli humilitatem præfatam et perfectionem nunc introductam detestantes, christianæ fidei sacratissimam theoriam mente tumida deriserunt, spreverunt et impugnare atque opprimere sunt conati. Qualis inter Platonicos præcipue fuit ingeniosus quidem, sed nimis superbus Porphyrius, sanctæ fidei acerrimus inimicus; inter Peripateticos quoque commentator Averroes, nostræ divinissimæ religionis ac beatissimæ fidei procacissimus hostis: quemadmodum de Porphyrio B. Augustinus in libris de Civitate Dei ubertim commemorat; de Averroe autem, qui diu post Augustinum fuisse cognoscitur, idem in suis super Aristotelem commentationibus innotescit.

ARTICULUS L.

Contemplatio humanitatis Christi seu Christi hominis, secundum ea quæ in Evangelio scripta sunt: in quibus consideranda est mirabilis illa permixtio sublimium atque insignium ex parte Verbi assumentis, humilium quoque et declivium ex parte naturæ assumptæ.

QUONIAM Dominus noster Jesus Christus in unitate personæ veraciter Deus et homo est, in universis quæ de ipso sa-

cratissimi Evangelistæ conscribunt, sapientissime contemplari oportet quid ex parte nostræ naturæ, quid item ratione divinæ naturæ conveniat; sic tamen ut utrumque ex alio nobis amabilius sit atque suavius.

Etenim divinitatis ejus insignia seu divinorum operum suorum sublimia, ex hoc nobis dulcissima amabilissimaque redduntur, quod per eum et ab eo seu propter eum peracta sunt qui nostræ est consors naturæ, frater et proximus noster. Nonne civitas vel etiam integra patria gaudet, dum una ejus persona exercet contra hostes vel in alienis provinciis aut contra extraneos victorialia aliqua itemque magnifica? Quantum ergo in Domino gloriari debemus, quod unus e fratribus nostris tam victoriosa, supernaturalia, præclarissima ac divina molitus est, sicut de Domino Jesu sancta docet Scriptura?

Rursus, humanitatis Christi humilia tanto sunt nobis honorabiliora, dulciora et amplius diligenda, quanto is qui pro nobis illa egit aut pertulit, exstat sublimior. Nonne ignobilis homo magis appretiaret ac reputaret, si filius regis pro ipso mortis periculo se offerret, quam si vilis faceret hoc persona? Quum ergo qui tanta pro nobis humillima fecit, atque amara, aspera et pœnosa sustinuit, sic homo sit, ut verus quoque sit Deus, imo etiam secundum humanam naturam cunctis prælatus ac dignior, elucescit quod humilia et declivia quæ de ipso leguntur, sint nobis ex hoc incomprehensibiliter veneranda, diligenda et dulcia.

Nunc ergo, o contemplatrix ac devotissima anima, in evangelicæ historiæ speculo intuere quemadmodum in universis quæ de Christo scribuntur, ineffabili venustate et decentissima consonantia, summa imis, alta bassis, divina humanis, supernaturalia atque dignissima despectis et subhumanis permixta sunt, ita quod Christus, qui ait, Ego et Pater unum sumus, *Joann.* x, 30. æqualem se asserens Deo, alias fateatur : Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. *Ps.* xxi, 7.

Itaque, quod omnia quæ de Christo in novo Testamento feruntur impleta, in veteri Testamento inveniuntur oraculis Prophetarum, figuris, signis ac prodigiis variis prænuntiata, ad Christi utique magnificentiam gloriosissime pertinet. Insuper ad ejus sublimitatem insigniter spectat, quod Archangelo nuntiante, de Spiritu Sancto concipitur; quod de purissima Virgine nascitur; quod nativitatis suæ hora ab angelo pastoribus natus asseritur, ab eodemque angelo Salvator et Christus Dominus solennissime appellatur; quod demum angelo illo necdum verba complente, adest multitudo cœlestis exercitus, utpote (secundum Origenem) innumerabilium angelorum, laudantium Deum atque dicentium, Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis; similiter, quod stella desuper radiante ac præeunte, a tribus Magis quæritur, invenitur et adoratur; quod a justo Simeone et sancta vidua Anna benedicitur; quod B. Joseph angelus jubet infantulum vehere in Ægyptum. *Luc.* i, 26-38. *Ibid.* ii, 7. *Ibid.* 8-11. *Ibid.* 13, 14. *Matth.* ii, 1-11. *Luc.* ii, 25-38. *Matth.* ii, 13.

Porro ad suæ humanitatis humilitatem ac bassitudinem attinet, quod de paupere matre, media nocte, frigidissimo tempore, in ipsa caligine, vili in stabulo gignitur, pannis involvitur, in præsepio collocatur, plorat ac lamentatur non tam suas quam totius humani generis clades, miserias et ærumnas; quod insuper ubera sugit, circumcisionemque suscipit, in templo offertur, Ægypto, ne ab Herode necetur, invehitur. Denique, quod duodecim factus annorum, tam sapienter inter doctores interrogavit atque respondit, ut omnes verteret in stuporem, tuncque plenus sapientia fuit et gratia, ad magnificentiam ejus certum est pertinere, ita quod ratione et virtute divinitatis unitæ hæc ei competebant. Sed ad suæ humanitatis pertinuit declivitatem, quod cum Matre sua ac Joseph descendit et erat subditus eis. *Luc.* ii, 7. *Ibid.* 21, 22. *Matth.* ii, 13, 14. *Luc.* ii, 42, 46, 47. *Ibid.* 40. *Ibid.* 51.

At vero, quod triginta circiter annos sortitus, venit inter peccatores ad sui præcursoris et servi baptismum; quod tunc ab *Ibid.* iii, 23; *Matth.* iii, 13-16.

eodem baptismum accepit; quod deinde [*Matth.* IV, 1-9.] in deserto jejunavit, famem sustinuit, a dæmone tentatus, ductus et collocatus est; [*Joann.* II, 2, 13.] quod invitatus venit ad nuptias, Jerosolymamque in die festo ascendit : humanitatis suæ veritatem et humilitatem inenarrabiliter magnam commendat. Quod vero [*Matth.* III, 16, 17; *Marc.* I, 10.] hora baptismi super eum aperti sunt cœli, Spiritus Sanctus in eum descendit et mansit, voxque Patris de cœlo intonuit, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit; [*Marc.* I, 13.] quod in deserto, quum esset cum bestiis, angelos habuit ministrantes; quod [*Matth.* IV, 3-10.] dæmonem tam promptissime ac sapientissime confutavit; [*Joann.* II, 7-10.] quod aquas in optimum vinum in instanti convertit; quod de [*Ibid.* 14-16.] templo Jerosolymitano ementes vendentesque expulit, omnesque fulgore quodam vultus sui deifico terruit, imo (secundum Origenem) tot millium hominum ingenia compescuit : ad divinitatis suæ insignia spectat.

[*Joann.* VII, 15.] Insuper, quod quum litteras non didicerit, [*Marc.* I, 22; *Luc.* IV, 22.] tam doctissime prædicavit, non ut Scribæ, sed sicut potestatem habens, ita ut omnes in verbis gratiæ oris sui stuperent; [*Marc.* I, 23-27.] quod dæmones tam imperialiter effugavit; [*Ibid.* 30 et seq.; *Matth.* XI, 5; XV, 30; XXI, 14. *Joann.* IX, 1-7; *Act.* III, 6-8; *Joann.* IV, 46-50.] quod tam innumerabiles infirmos, surdos, cæcos, mancos, paralyticos et leprosos curavit; quod cæcum a nativitate, et claudum ex utero, filium etiam reguli agonizantem, plenissime reparavit; quod semel [*Matth.* XIV, 17-21. *Ibid.* XV, 34-39.] quinque millia virorum, demptis pueris et personis feminei sexus, ex quinque panibus et duobus piscibus, deinde quatuor millia ex septem panibus paucisque pisciculis pavit ac satiavit, ita quod in prima [*Marc.* II, 8. *Matth.* XXIV, 2 et seq.; XX, 18, 19.] refectione duodecim, in secunda septem cophini fragmentorum supermanerent; quod demum cordium patefecit arcana, [*Luc.* VII, 12-15; *Matth.* IX, 18, 25; *Joann.* XI, 43, 44.] quod futura penitus contingentia, et omnem suæ passionis modum, formam, locum, horam prædixit; quod tres mortuos [*Matth.* X, 1, 8.] et forsitan plures suscitavit; quod discipulis suis, adhuc in sæculo isto conversans, [*Ibid.* XIV, 25. *Ibid.* VIII, 26.] virtutem faciendi miracula contulit; quod super mare ambulavit, ventis et [*Ibid.* XVII, 2.] pelago imperavit, et coram discipulis transfiguratus, tanquam sol splenduit : divinitatis suæ sublimitatem declarat. Porro, quod interim tanta maledicta, opprobria, convitia, persecutiones, blasphemias, irrisiones, fatigationes, labores, famem, sitim, somnum perpessus est, humilitatem assumptæ manifestat naturæ.

Adhuc autem, quod hora passionis instante corpus et sanguinem suum consecravit, [*Matth.* XXVI, 26-28. *Joann.* XIII, 31 et seq.] tam supersapientialem sermonem Apostolis fecit; [*Matth.* XVI, 21; XXVI, 32; XXVIII, 16-20; *Joann.* XIII, 31, 32; XIV, 16.] quod resurrectionem suam, ascensionem et glorificationem, Spiritus Sancti missionem, totiusque mundi conversionem ad fidem, et cetera multa prænuntiavit post suam passionem futura, eademque esse impleta, post passionem suam [*Act.* I, 3 et seq.] certissimis experimentis atque sensibilibus argumentis visibiliter comprobavit; quod tertia die resurrexit; quod [*Luc.* XXIV, 4-6. *Act.* I, 3; *Joann.* XX, 19, 26. *Act.* I, 9-11.] sancti angeli hoc certis personis insinuaverunt; quod discipulis tam frequenter apparuit, clausisque januis ad eos introiit, coram eis in cœlum ascendit, duosque angelos cum discipulis colloquentes reliquit; [*Ibid.* II, 1-4.] quod Spiritum Sanctum in signo visibili misit, omniumque linguarum ac Scripturarum sanctarum notitiam eisdem in momento infudit, tantoque eos suæ dilectionis fervore, fortitudine atque constantia roboravit, ut pro ejus fide mori essent promptissimi, qui paulo ante fuerunt tam pavidi, [*Matth.* XXVI, 56. *Ibid.* 69-74.] ita ut omnes ab ipso diffugerent, et princeps eorum ipsum ter abnegaret; quod in ipsa suæ acerbissimæ passionis hora [*Ibid.* XXVII, 45.] obscuratus est sol tribus horis, idque tempore oppositionis, luna soli supposita; [*Ibid.* 51-53.] terra quoque contremuit, et multa Sanctorum jam defunctorum corpora simul cum ipso surrexerunt, et multis in Jerusalem apparuerunt : divinitatis suæ majestatem ostendunt. Quod vero tam amarissimam pertulit mortem, quod tam [*Marc.* XIV, 33; *Luc.* XXII, 44.] dire expavit sanguinemque sudavit, humanitatis suæ veritatem et declivitatem insinuat.

In quibus omnibus utriusque in Christo naturæ in unitate personæ veritas declaratur; et per communicationem idio-

matum divina homini humanaque Deo inconfusibiliter competunt, sed quid propter quid dicatur, intuendum est semper. Atque in horum fidelissima contemplatione gloriandum est vehementer, eo quod ipsa Verbi æterni divinitas per nostram naturam tam insignia propter nos fecerit : ita ut actio Christi humana merito appelletur (De Eccl. hier. c. III.) (secundum divinum Dionysium) theandrica, id est deivirilis, quoniam humanitas Christi fuit Verbi instrumentum animatum, conjunctum, immediatum ac proprium, unde per ipsam operabatur divina, sicut et animæ nostræ corpus nostrum vocatur et est instrumentum animatum, conjunctum, immediatum ac proprium, prout edocet Damascenus.

ARTICULUS LI.

De perfectione conversationis Filii Dei in sæculo isto.

QUUM Unigenitus Dei, Dominus noster Jesus Christus, sit omnium nostrum magister ac ductor, ejusque vita quam gessit in carne mortali, sit universæ perfectionis forma, exemplar et finis, cui conformari et imprimi nos oportet, si de salvandorum collegio erimus ; qualitatem suæ sanctissimæ conversationis jugiter cum summa diligentia contemplari debemus.

Quoniam ergo Filius Patris æterni in hunc mundum descendit, ut ad perfectissimum Dei amorem hominum corda transferret, istudque sæculum non esse nisi exsilium edoceret, et cœlestem felicitatem finaliter appetendam ostenderet, spiritualia quoque bona, æternalia ac divina, terrenis, caducis atque carnalibus incomparabiliter præferenda instrueret ; hinc ipse in summa paupertate, omniumque sæculi hujus divitiarum, deliciarum, honorum plenissimo contemptu voluit inter homines conversari, et ea quæ carni sunt duriora elegit, atque in omni persecutione

A et tribulatione incomparabilem patientiam observavit, ut verbo et opere nos doceret toto cordis affectu ferri in Deum, et cuncta præsentia respectu futurorum bonorum pro nihilo adspicere, vilipendere sive contemnere, imo nec persecutores et occisores nec mortem pro justitia formidare, sed universa dura et aspera pro Dei amore, itemque in quantum sunt pro futuræ beatitudinis adeptione utilia, æquanimiter et gaudenter perferre, injuriantes diligere, (*Matth.* v, 44.) pro persequentibus exorare, malefacientibus benefacere, ac per hoc malum in bono (*Rom.* XII, 21.) vincere, instarque Patris cœlestis ad omnes communiter, bonos et malos, ingratos (*Matth.* v, 45.) et gratos, sincerum pietatis ac caritatis affectum habere.

B

Insuper dedit sapientia saluberrimaque consilia, ad perfectionem et opera supererogationis spectantia : quibus per continentiam perpetuam, obedientiam humilem, paupertatem spontaneam, ad divinæ dilectionis complementum omniumque virtutum decorem compendiosissime pervenitur, videlicet mundum et cuncta quæ mundi sunt, parentes, cognatos, uxorem, (*Luc.* XIV, 26, 33.) divitias, pecuniam, et demum se ipsum ac propriam voluntatem in omnibus abnegando, spernendo ac deserendo. Quo namque universa hæc quis purius pro Dei amore relinquit, eo ad exuberantiorem Dei gratiam se disponit.

C

Itaque tota conversatio Salvatoris in hoc mundo fuit in summa paupertate, humilitate, obedientia, mansuetudine, patientia, item in summa sanctitate, perfectione et caritate : in quibus virtutibus eum pro viribus, gratiæ ejus auxilio, imitari debemus, gratiasque referre immensas ex ardenti amore, quod ipse propter nos tanta fecit, toleravit ac docuit. Postremo, quidquid a divinæ bonitatis sancta ac fervida dilectione et beatitudinis sempiternæ affectu et adeptione cor nostrum retardat, aspernari ac evitare debemus, quatenus ab omnibus absoluti et liberi, uni illi quod (*Ibid.* x, 42.) solum necessarium est, tota mente vacemus.

D

ARTICULUS LII.

Consideratio passionis Christi.

art. xxv. QUAMVIS de contemplatione dominicæ passionis quædam nunc dicta sint, delectat tamen inde aliquid diligentius, prout Spiritus Christi præstiterit, considerare. Cordialis equidem, intenta ac frequens meditatio passionis Domini Jesu, contra omnia tentamenta diaboli, persecutiones adulationesque mundi, concupiscentias carnis, efficacissimum est remedium, refugium atque subsidium; ipsa quoque timores nocturnos et pueriles expellit, ad omnem gratiam Dei summe disponit, caritatem inflammat, vanas consolationes facit contemni mundumque despici.

Porro, dum Christi passionem vis intueri, quatenus affectio accendatur, mens illustretur, et tota anima splendore gratiæ perfundatur, non solum ipsa quæ Christus tulit supplicia contempleris, sed profunde perpende quis, qualis et quantus sit qui patitur; item cur, propter quid, pro quibus et qualibus patiatur : quæ omnia si sigillatim, morose cordialiterque pensentur, fructuosissimum meditationis hujus exercitium erit.

Primo igitur intuere *quis* sit qui patitur. Ipse utique est unigenitus Filius Dei, ve-
I Joann. v, 20. rus Deus et vita æterna; qui etiam secundum naturam assumptam et dona ipsius, est toto præstantior universo. Si ergo per angelum vel hominem sanctum, tamen puram creaturam, nos redemisset, satis regratiari ei et hujuscemodi redemptori nequaquam possemus : quantum nunc Deo Patri, et Salvatori, Deo Patri vere æquali, regratiari habemus? ad quantum Patris Filiique amorem tenemur? imo quam infinite a digna gratiarum actione, debita dilectione atque idoneo famulatu deficimus? Hinc quidquid valemus agamus; et quum totum quod valemus effecimus, nil nos egisse putemus, dicentes
Luc. xvii, 10. illud ex Evangelio : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.

A Secundo consideremus *qualis* sit. Est quippe sanctus, pius, mitis, dulcis et innocens Agnus Dei. Unde hunc Agnum videntes pro nobis a sceleratissimis atrocissimisque transgressoribus tam acerbissime ac crudelissime pati, piissimo compassionis affectu resolvamur in ipsum.

Tertio perpendamus *quantus* sit. Est equidem dignitatis immensæ : idcirco quidquid pro nobis ipse fecit, dixit aut passus est, summe reputare debemus, et gratiæ ejus cooperari non segniter.

B Quarto, *cur* passus sit, scilicet ut vitia nostra curaret. — Quinto, *propter quid,* puta ut felicitatem adipiscamur æternam. Quum ergo nos ei causa doloris fuerimus, et sua passione ipse nos a tanta miseria culpæ infernalisque pœnæ eripuit, tantum quoque æternæ beatitudinis bonum recuperavit, nonne eum in infinitum amare debemus, totis viribus colere?

Sexto pensandum *pro quibus,* puta pro nobis tam defectuosis, vilibus atque fragilibus creaturis. Non ergo oblivioni usquam
C tradamus, quod tantus rex nos tantillos tam pretiose redemit.

Septimo intuendum *pro qualibus,* utpote pro iniquis, perditis et damnandis, imo et pro inimicis secundum præsentem justitiam, quamvis pro carissimis secundum prædestinationem æternam, dicente Apostolo : Commendat autem caritatem suam Rom. v, 8-10.
in nobis Deus, quoniam quum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. Si ergo staremus ante fornacem ardentem, projiciendi in eam ad comburen-
D dum per unum diem, infinitas ei gratias ageremus qui nos a tam ingenti salvaret tormento : itaque quam amorose ei regratiari habemus qui ab æternali nos ineffabiliter dira eripuit pœna?

Omnia ergo prædicta sollicite et mature intueamur quotidie, et Christi passionibus devotissima mente configurari conemur.

Porro de qualitate passionis Christi sciendum quod ipse pro nobis passus est passione generalissima, quia in omnibus

membris corporis ac animæ viribus, etiam A supremis per respectum earum ad animam, quamvis secundum easdem fuerat comprehensor per comparationem earum ad Verbum. Tota etenim anima Christi fuit in dolore, secundum Damascenum. Item passione ignominiosissima, quia crucis affixus patibulo, quod erat supplicium pessimorum, et inter latrones nudus suspensus, in inhonestissimo loco, adstante innumerabili populo, tempore præsertim festivo. Passione quoque acerbissima, propter suæ complexionis teneritudinem, pœ- B narum protractionem, exaggerationem et continuationem. Mors quoque confixorum pœnosissima esse cognoscitur, quia in locis præcipue sensibilibus ac nervosis figuntur, et pendentis grave lassumque pondus auget dolorem : quod maxime fuit in Christo, in quo corporis pondus membra desecuit et contrivit, vulnera ampliavit, et nervos violentissima extentione dirupit. Tales quoque non statim decedunt, sed diu torquentur.

Præterea, quoniam Christus sua passio- C ne voluit genus humanum Deo Patri reconciliare, suam quoque ad nos caritatem monstrare, et nos in omnibus ædificare, sanare atque juvare, decuit suam passionem esse talem ut esset Patris maxime honorificativa, suæ quoque caritatis et perfectionis præcipue ostensiva, hominibus etiam summe ædificativa et auxiliativa. Porro passio ista fuit Dei Patris tanto excellentius honorativa, quanto pro injuria ei in peccato illata, fuit copiosius satisfactiva. Offensus nempe tanto plus ho- D noratur, quanto offensa plenius castigatur. Ideo, ut Christus Patrem summe veneraretur pro hominum satisfaciendo peccatis, amarissimam voluit passionem subire. Per hoc quoque obedientia quam Patri exhibuit, eminentius commendatur, quod usque ad tam horribile genus mortis obedivit eidem. Denique per id ipsum perfectissime nobis caritatis suæ plenitudinem demonstravit, nosque efficacissime ædificavit, juvit atque sanavit, summæ obedientiæ, inconcussæ constantiæ, invictæ fortitudinis exhibendo exempla. Quo etiam graviora passus est Christus, eo plus meruit, suumque nobis meritum communicavit, ac per hoc Deo exuberantissimam miserendi nobis pauperrimis præbuit occasionem et causam.

Hæc breviter tacta, devoto contemplatori latius profundiusque speculanda relinquo. Omnes autem ex horum consideratione discamus universas carnis delicias, sæculares affectus, viles consolationes, vanitates et insanias falsas penitus abhorrere, atque Unigenito Dei pro nobis taliter excruciato cruciformiter inhærere, pensantes illud divini Apostoli : Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Galat.* VI, 14.

ARTICULUS LIII.

Qualiter Christum in Sacramento altaris contemplari, amplecti atque diligere debeamus.

QUEMADMODUM quarto de Trinitate loquitur Augustinus, in omni sacrificio quatuor considerantur, videlicet, cui offertur, a quo offertur, quid offertur, et pro quibus offertur. Antequam ergo, o contemplationis amator, ad celebrandum vel communicandum accedas, hæc quatuor mente perpende sagaci :

Primo, majestatem Dei æterni, adorandi ac omnipotentis, cui sacrificium offers, vel cujus sacramentum suscipis : sicque ex hac contemplatione sancto ac reverentiali concutiaris timore, atque in omnibus timorate, recollecte et custodite te habeas.

Secundo, tui ipsius parvitatem, insufficientiam, ingratitudinem, vilitatem ac vitia : et ita ad tantum sacramentum te præpares per propriæ conscientiæ discussionem, humillimam orationem, internum dolorem seu contritionem, puram confessionem, promptam atque condignam satisfactionem ; et sic cum omni humilitate accede.

Tertio, ipsius sacramenti dignitatem, sanctitatem et excellentiam. Totus etenim Christus, verus Deus et homo, sub speciebus panis ac vini verissime continetur. Absit ergo ut unigenitum Filium Dei mente impura audeas sumere, ne reus sis corporis et sanguinis ejus. Imo, quum similitudo faciat unionem esse convenientem, si Christo in Sacramento salubriter uniri desideras, ejus virtutibus te conforma : humilitatem mansuetudinemque ipsius assequere ; caritatem, pietatem, innocentiam et patientiam ejus pro posse sectando amplectere. Nempe susceptivum esse non debet contingens, sed proportionatum atque dispositum. Unde tam superpurissimum, divinissimum et superdignissimum sacramentum non nisi munda mente castoque corpore, cum præcipua devotione suscipi debet aut consecrari.

Quarto attende cur et pro quibus istud sacramentum immolatur vel sumitur, scilicet, in dominicæ passionis commemorationem, in ardentissimæ Christi ad nos dilectionis protestationem, in omnium divinorum beneficiorum recordationem, pro salute insuper vivorum ac mortuorum, et aliis cunctis ac variis causis offertur.

In horum igitur consideratione accendi debet cor nostrum vehementer divino amore, æstuanti ac intimo desiderio Christi, gratitudinisque efficaci affectu ad Salvatorem.

Qui itaque Christum in Sacramento appetit sincere ac devotissime contemplari, amorose amplecti, salubriter sumere, non oportet nec expedit ut multum se occupet considerando qualiter corpus Christi sub tam modicis queat formis consistere, in tot locis simul esse, qualiter aliquid per transsubstantiationem convertatur in ipsum, et cetera supernaturalia ac supermiranda, quæ vel non vel vix ab intellectu valent angelico comprehendi : imo, secundum Ægidium de Roma, nec Cherubim nec Seraphim capere possunt quomodo Christus sit in Sacramento.

His ergo divino examini humiliter veraciterque commissis, et fidei veritate aliunde firmissime nota atque supposita, præsupponentes supercertissime quod juxta catholicam totius sanctæ Ecclesiæ fidem, Christus veraciter, essentialiter, personaliter in Sacramento exsistat, profunde ac sapienter pensemus incomprehensibilem prorsusque ineffabilem magnitudinem caritatis, liberalitatis, dignationis et miserationis Domini nostri Jesu Christi ad nos : quod tam misericordissime dignatur esse semper nobiscum ; quod tam intime unit se nobis ; quod se ipsum tam munificentissime et superlargissime nobis communicat, non sua tantummodo dona, sed se ipsum tribuens nobis ; quod tam multiformiter ac copiose nostris indigentiis atque peccatis subvenit ac medetur ; quod instar summi communisque boni nulli se negat. Hæc contemplando, resolvamur et liquefiamus ac defluamus in ipsum, eumque ardentissime ac fiducialissime invocemus, quatenus omni virtute et efficacia, omni affectu, sapore et gratia tam supermirabilis sacramenti nostras clementissime impleat mentes, ut desuper dulcissime uncti, illustrati, succensi, Domini nostri Jesu Christi veram præsentiam gratiosissime experiamur, superintellectualiter ac supernaturaliter intueamur, ut sic ei purissimo jugiter gratissimoque adhæreamus amore, omni semper cum vigilantia detestantes, fugientes et corrigentes peccata cogitationum, affectionum, locutionum, operationum et omissionum.

Præterea, tempore opportuno considerare utique poterimus, fide supposita, quasdam valde rationabiles causas cur necesse aut condecens sit Christum in Sacramento substantialiter contineri.

Primo enim amor et gratitudo animæ Christi requirit ut sicut Deus Pater omnipotens tam incomparabilem ei gratiam præstitit, sic Christus ut est homo, omnem reverentiam, honorem et gloriam quam potest Deo Patri, imo et toti Trinitati rependat. Hoc autem convenientius atque perfectius nequit, nisi ut sicut semel se

pro hominibus obtulit Patri in cruce in pretium, sic quotidie velit et faciat se Deo Patri immolari in altari per sacrum mysterium. Nempe in cruce se offerens, honorem Deo sublatum eidem restituit, tanta pro nostris patiens culpis : ita in quotidiano Missæ officio idcirco offertur, ut divina majestas summe in omnibus magnificetur, benedicatur et adoretur; nostra quoque peccata confiteantur, deplorentur ac deleantur; divina insuper beneficia rememorentur, et peccatores Deo reconcilientur.

Denique, tanto quis Deum magis honorare censetur, quanto ei pretiosiorem obtulerit hostiam, dummodo ex digna id devotione efficiat. *Gen.* IV, 4, 5. Unde Abel de optimis gregum immolans Deo complacuit, Cain de vilioribus offerente divinitus reprobato. *Malach.* I, 6 et seq. De hoc in Malachia propheta plenius legitur. Neque enim ideo Deo quid immolamus, quod ipse nostris indigeat bonis, sed quæ de manu ejus accepimus, ei offerimus *I Par.* XXIX, 14. (prout primo Paralipomenon David testatur) in recognitionem beneficiorum ipsius. Nonne ergo Salvator ut homo per hoc potissime Deum incessanter honorat, quod tam superdignissimam corporis et sanguinis sui hostiam et sui Deo Patri jugiter omni die immolari instituit, jussit et fecit?

At vero, ex quo Christus nostram assumpsit naturam, decentissimum fuit ut quod de nostro accepit, in nostram salutem converteret omni modo possibili, magisque perfecto, caritativo ac liberali. Hoc autem aptius non valet impleri, quam ut indesinenter pro nobis Deo in Missarum solenniis immoletur, ac demum a nobis spiritualiter manducetur, et suæ passionis meritum nostris mentibus per sacramentalem præsentiam applicetur.

Adhuc, si rite perpendimus quantum nos Filius Dei secundum suam divinitatem increato amore dilexit, non jam inordinate mirabimur, sed dulciter contemplabimur quod in Sacramento taliter nobis copulari dignatur. Eatenus quippe dilexit nos, ut A nostram sibi hypostatice naturam uniret, nosque ad suæ deitatis beatissimam fruitionem perduceret : et quid itaque mirum, si nunc per corporis sui ac sanguinis veritatem nos pascit, nobisque adest velatus in via, quos sua superessentiali deitate æternaliter pascere decrevit et sibi clare conjungere revelatus in patria?

Præterea, æstuantissimus ad nos amor Domini Salvatoris id exigit, ut intime nobis adsit, et plenissime (quantum in se est) provideat, auxilietur atque medelam impendat : B quod totum eminentius fieri non valebat, quantum spectat ad viatores, quam per personalem in Sacramento præsentiam oblationemque indesinentem, quia per hoc peccata potissime absolvuntur, divinæ gratiæ charismata adipiscuntur, sempiterna felicitas obtinetur.

Ideo quoque voluit Christus in Sacramento tam incomprehensibiliter contineri, ut fides nostra tanto copiosius meritum sortiatur, quanto perfectius intellectum nostrum in captivitatem redigimus in divi- C num obsequium. Porro tam superincomprehensibilia tamque supermirabilissima exstant quæ in sacramento hoc credimus, quod Jesus iste quem colimus, nunquam utique proposuisset suis cultoribus credere ea, nisi ipse fuisset a Deo : omnes enim seductores, legislatores sive doctores talia ad quæ homines faciliter inclinantur, vel quæ naturalem capacitatem parum transcendunt, proposuerunt. Unde et ipsa conversio mundi ad tam arduissimam legem, incomprehensibilissimam Christi fidem, di- D vinæ potestatis atque purissimæ veritatis est evidens signum.

Postremo, evangelicæ legis perfectio et status gratiæ revelatæ id exigunt, ut nunc in plenitudine temporis offeratur Deo hostia munda, placida, per se acceptabilis et finalis, faciens quod designat, atque in genere sacramentorum talis per essentiam, qualia fuerunt alia ante legem, sub lege, et nunc quoque post legem sunt per participationem. Hoc autem esse non potest nisi corpus et sanguis Salvatoris, seu

ipsemet Christus, qui etiam, quum se in Sacramento per modum cibi ac potus exhibeat, essentialiter adest, quemadmodum cibus potusque corporeus realiter cibando conjungitur.

De hac demum materia, in Dialogo de fide catholica plenius sub nomine theologi cum philosopho disputavi.

Cf. t. XVIII, p. 409 A et s.

ARTICULUS LIV.

Consideratio dulcissimæ conversationis Christi cum Virgine Matre, præsertim in infantia.

PRÆTEREA, ne animus contemplativus in arduis occupatus, ex divinarum et intellectualium rerum speculatione immoderanter lacescat aut obruatur, potest vicissim pro spiritus sui recreatione, cum puero Jesu quasi infantulo solatiari ac ludere, atque virgineæ ejus Genitrici cum Puero adorando suavissime conversanti, totis præcordiis congaudere.

Itaque penset quam deliciosissimum, dulcissimum saluberrimumque exstiterat amabilissimæ, affectuosissimæ ac benignissimæ virgini Mariæ Christiferæ, puerum Jesum adhuc tenellum infantem, amœnissimum ac speciosissimum filium, quotidie intueri, affari, fovere, lactare, deosculari, amplecti, brachiis bajulare, in gremio quoque tenere, et secum frequenter in lectulo collocare, ardentissimoque affectu pudicissime stringere ac blandiri : quem novit se de Spiritu Sancto, nuntiante Archangelo, concepisse ; quem a cœlestis militiæ angelico illo exercitu scierat sic esse laudatum ; quem denique esse regem Messiam, omnium Salvatorem ac Judicem, Deique unicum Filium, imo Deum verum, universorum Prophetarum opus, nullatenus dubitavit.

Denique, iste virgineæ Genitricis et superdulcissimi pueri Jesu convictus tanto utique deliciosior atque felicior fuit, quanto eorum mutuus amor exstitit major, purior, itemque ferventior. Et certum quod

A non solum mutua eorum dilectio gratuita et infusa, sed etiam naturalis, æstuantissima atque plenissima fuit, quanto uterque eorum melior erat et amabilior, et quo sibi invicem ampliora beneficia impenderunt ; quo demum similiores fuerunt ac viciniores, quo etiam in ipso caritatis habitu omnique gratiarum, donorum ac virtutum charismate fuerunt pleniores, et a distractione ac evagatione, peccato et passione immuniores. Et palam quod in omnibus conditionibus his quasi incompa-
B rabiliter excellebant : unde et inæstimabiliter se invicem utraque dilectione amabant, et superdulcissime simul vivebant. Nec poterat columbinæ atque sanctissimæ Virginis Matris simplex et mundissimus oculus, in talis ac tanti unici Filii sui adspectu lassari, sed cum incredibili reverentia eum semper tractavit, amantissime lactavit, mitissime ei servivit. Filius quoque tenerrimus multo humilius, amorosius, sanctius se habebat ad suam prædilectissimam Genitricem, a qua se tam
C ferventissime novit amari.

Inspiciamus devotissima mente infantulum Jesum jam sua tenella ac delicata brachiola ad purissimæ Matris collum protendere, nunc blando silentio aut nutu dulcifluo Matris intactæ ubera flagitare, sacrisque manibus eadem contingere, nunc suavissima oscula Parenti illibatæ præbere. Denique contemplemur Matrem piissimam suis virgineis brachiis Filium sustentare, jam oculis ejus sidereis, vino ac balsamo pulchrioribus, nunc genis ejus
D purpureis, nunc labiis roseis, nunc fronti niveæ, nunc collo lacteo oscula sancta imprimere. Quæ mater, quæ sponsa aut virgo unquam in sæculo isto usa est tali speculo tantoque gaudio ?

O præstantissima virgo Maria, Patri æterno comparentalis, Spiritus Sancti thronus ac thalamus, quæ illum habes Filium a quo vere procedit Spiritus Sanctus, summus Paracletus, in æternum ! Quid tibi cordis et animi erat, o mitissima Domina, dum unicum Dei Patris Filium et tui ca-

A stissimi uteri fructum tenens in manibus, tenens ad ubera, stringens in brachiis, alens substantia proprii virginei lactis, nunc considerares et adorares ut Deum, nunc deosculareris ut parvulum ex te sine integritatis jactura vere lætabundeque natum, qui ad tam incomparabilem gratiam te elegit, et sibi in matrem ab æterno præordinavit?

Hinc hæc atque similia contemplanda sunt mente munda suaviter, qualiter usque ad tricesimum circiter annum Dominus
B Jesus cum sua sincerissima Matre solus quodammodo vixit, quam humiliter et frequenter ei in multis servivit, mensam paravit, imo et ipsi Joseph subditus fuit. In quibus omnibus incomprehensibili dignationi Filii Dei gratias agere atque incomparabili beatitudini Matris ejus toto spiritu congaudere debemus, sicque in his animum refocillare.

ARTICULUS LV.

Contemplatio multiplicis pulchritudinis Christi, et specialiter de pulchritudine ejus corporali atque morali; et quali abstractione utendum sit in consideratione Christi hominis secundum imaginariam apprehensionem.

art. XL, XLII. ELUCESCIT satis (ut reor) ex præinductis, quemadmodum in Christo secundum divinitatem fuerit pulchritudo increata, æterna, simpliciter infinita; estque realiter divina essentia, tribus superbeatis
D Personis communis, nihilo minus Filio Dei appropriata, juxta illud Hilarii : Æternitas est in Patre, species in imagine, id est pulchritudo in Filio. Unde in libro Sapientiæ de unigenito Dei Filio sub appellatione Sapientiæ legitur : Emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, candor lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius. (*Sap.* VII, 25, 26.) Hujus autem immensæ, incomparabilis ac superdeliciosissimæ pulchritudinis clara per speciem contemplatio, omnium electorum plena est beatitudo : nempe quo pulchrior, eo ad intuendum delectabilior.

Secunda est pulchritudo Christi, creata ac spiritualis : quæ duplex consistit, utpote naturalis et supernaturalis. Naturalis consistit in naturalibus perfectionibus animæ ejus, videlicet naturali sapientia, dilectione, scientia et virtute : quæ omnia excellentissime inerant ei. Nec dubium quin et naturali claritate ingenii ac optima indole, fortissima quoque synderesi, anima Christi fuerit decorata atque resplendens. Porro supernaturalis pulchritudo animæ Christi, in excellentia gratiæ donorumque Spiritus Sancti, caritate infusa, sapientia fruitiva ac ceteris supernaturalibus ejus perfectionibus sita est : de qua jam paulo ante latius dictum recordor. art. XLV, XLVI.

Tertia est pulchritudo Christi, corporalis atque sensibilis. Quæ etiam bipartita exsistit, videlicet : supernaturalis, quam caro ejus sanctissima in sua glorificatione sortita est; ad cujus configurationem nostrum quoque suspirat ac perducendum
C est corpus, quando in resurrectione futura, juxta divinam et apostolicam sponsionem, configurabit Dominus et Salvator corpus humilitatis nostræ corpori claritatis suæ, (*Philipp.* III, 21.) si tamen passionibus corporis Christi nunc cruciformiter conformetur. Pulchritudo vero corporis Christi naturalis, quam in sæculo isto habebat, talis tantaque exstitit, ut de ipsa Psalmista cecinerit : Speciosus forma præ filiis hominum. (*Ps.* XLIV, 3.) Denique, ad pulchritudinem corporalem tria concurrunt. Primum est apta ac elegans corporis magnitudo; secundum, membrorum proportionata formatio; tertium, boni lucidique coloris perfusio. Unde vicesimo secundo de Civitate Dei asserit Augustinus : Corporis pulchritudo est partium convenientia cum quadam coloris suavitate. Rursusque undecimo de Civitate : Pulchritudo non mole constat, sed parilitate ac dimensione membrorum. Quidam denique pie existimant, quod pulchritudo ista in Christo eminentissima fuit præ cunctis hominibus. Primo, quoniam (teste Chrysosto-

mo) ea quæ supernaturaliter fiunt virtute divina, sunt perfectiora. Quum ergo corpus Christi a Spiritu Sancto singularissime ac supernaturalissime fuerit formatum, organizatum, consolidatum et qualificatum, videtur fuisse pulcherrimum. Secundo, quoniam ex purissima materia, puta sanctissimis Virginis benedictæ sanguinibus, fuit acceptum. Tertio, quoniam naturales perfectiones corporis et animæ fuerunt in Christo plenissime. Quarto, quoniam animam Christi pulcherrimam decuit corpus optime qualificatum habere : imo, secundum Augustinum in epistola ad Dioscorum, tanta exstitit plenitudo beatitudinis animæ Christi, quod ex redundantia ejus in partem animæ inferiorem et carnem, ipsa caro Salvatoris facta fuisset clara, impassibilis, immortalis, nisi divina dispensatione redundantia illa fuisset dilata. Quarta autem pulchritudo Christi vocatur moralis, videlicet ex decentissima morum venustate, qua omnia corporis membra cum summa gravitate atque modestia regebantur, resultans. — De his duabus pulchritudinibus Salvatoris in Annalibus libris Romanorum legitur, quod Jesus erat staturæ proceræ, mediocris atque spectabilis ; vultum habens venerabilem, quem possent intuentes diligere et formidare ; capillos habens coloris nucis avellanæ præmaturæ, planos fere usque ad aures, ab auribus cincinnos crispos, aliquantulum cæruliores et fulgentiores, ab humeris ventilantes ; discrimen habens in medio capitis juxta morem Nazaræorum ; frontem planam ac serenissimam, sine macula et ruga, quam rubor moderatus venustavit ; nasi et oris nulla prorsus reprehensio ; barbam habens copiosiorem, capillis concolorem, non longam, sed in medio parum bifurcatam ; adspectum simplicem et maturum, oculis glaucis, variis et claris exsistentibus; in increpatione terribilis, in admonitione blandus et amabilis ; hilaris, servata gravitate ; aliquando flevit, sed nunquam risit ; statura corporis propagatus et rectus, brachia vero et

A manus visui delectabiles ; alloquio gravis, rarus et modestus : talis utique per omnia, ut merito diceretur speciosus forma præ filiis hominum.

Itaque has Christi pulchritudines mente pura ac stabili contemplemur ; contemplando, earum amore intime accendamur; accensi quoque et delectati in eis, ad earum felicem adspectum desideratissime provocemur, omnem mundi hujus vanum decorem atque externum ornatum divinæ speciositatis intuitu vilipendentes.

B Pulchritudo autem Christi moralis, et insuper intellectualis, creata, infusa, nobis præsertim proponuntur sectandæ, ut in divinæ gratiæ splendoribus rutilemus in anima, in corporis quoque motu, gestu, adspectu omnique apparatu inveniri conemur compositi, quatenus interioris compositio hominis in exterioris compositione resplendeat.

Postremo, ultimas duas Christi pulchritudines speculando, a sensibilium formis mentem abstrahere non possumus nec debemus, sed ad imaginationis phantasmata oportet reflecti, quum speculationis objectum res corporalis sensibilisque consistat. Verum, sicut ex creaturis ad Divinitatis contemplationem conscendimus, quidquid imperfectionis creaturæ habuerint relinquentes et abstrahentes, quidquid vero habuerint perfectionis Deo eminentissime adscribentes ; sic humanitatis Christi perfectionem pulchritudinemque pensantes, quidquid pronitatis ad culpam, quidquid passionum rationem prævenientium, quidquid peccati, detrahibilium quoque defectuum in ceteris invenitur, longe removeamus ab homine Christo, omnem perfectionem adscribentes eidem. Imo in præinductarum contemplationibus pulchritudinum Salvatoris debet quotidie esse præcipua animarum nostrarum consolatio, quies, fervor atque jucunditas : ad quod opere consummandum quis erit idoneus, nisi qui consolari renuens extra Deum, ab omni peccati deformitate jugiter satagit mentem coram Deo habere mundatam ?

ARTICULUS LVI.

De quarta specie contemplationis, et de quinquepartita acceptione gratiæ.

NUNC exigit ordo de quarta contemplationis specie pertractare. Hanc autem jam supra, (art. xxvi.) considerationem seu contemplationem munerum gratiæ nuncupavi.

Denique, duæ primæ contemplationis species æternam et increatam essentiam pro objecto sortitæ sunt, tamen sub ratione formali distincta ac duplici : unde et species ipsæ distinctæ sunt propter formalem distinctionem objecti. Insuper, tertiæ speciei contemplationis objectum est persona duplicis (utpote creatæ et increatæ) naturæ, videlicet Christus, vel potius creata atque humana ipsius natura ut a Verbo assumpta. Aliæ duæ species contemplationis creata concernunt, et puras creaturas in esse creato exstantes pro objecto suscipiunt, non utique nisi per respectum habitudinemque earum ad Creatorem.

Verum difficultas hic oritur, qualiter ad ultimas duas contemplationis species, puta contemplationem munerum gratiæ et considerationem donorum naturæ, reduci queat sive pertineat omnium rerum contemplativa consideratio creatarum. Videntur nempe quædam ad entis creati gyrum spectantia, quæ nec sunt dona naturæ, nec munera gratiæ, utpote effectus divinæ justitiæ circa reprobos et damnatos : quemadmodum sunt tormenta inferni, reproborum quoque in hac vita quædam supplicia, et eorum induratio, derelictio judicialisque damnatio. Denique S. Bernardus inter contemplationis species constituit considerationem judiciorum Dei, quæ ad nullam duarum jam prædictarum contemplationis specierum pertinere aut réduci posse videtur. — Quæritur demum sub qua harum contineatur contemplatio bonorum gloriæ, quam Bernardus contemplationem promissorum Dei appellat.

Oportet igitur scire, quod gratia quinque (A) modis accipitur. Primo, communissime pro quocumque dono divinitus gratis dato ; sicque bona naturæ seu naturalia sunt gratiæ quædam vel munera gratiæ. Nec ita gratia contra naturam distinguitur : imo sic esse, divinum subsidium creaturæ gratis impensum etiam ad quemcumque actum, gratia nuncupatur ; palamque est sine hac gratia nullum posse quid agere nedum meritorie, sed nec aliquem actum, sed neque in esse durare. Hoc modo non sumitur gratia pro præsenti, dum consideratio mu- (B) nerum gratiæ quarta species contemplationis asseritur.

Secundo accipitur gratia pro gratia gratis data quæ est donum quoddam quo se homo disponit ad susceptionem gratiæ gratum facientis, donorumque Spiritus Sancti. Sine hac gratia nullus quod in se est facit sufficienter ad salutem se disponendo. Est quippe gratiæ hujus, liberum arbitrium a malis et vitiis revocare, atque ad bona id excitare. Ad hanc gratiam pertinent adversa et aspera quibus Deus ho- (C) mines hortatur et trahit ad bonum virtutis.

Tertio sumitur gratia magis proprie pro gratia gratis data quæ datur quibusdam ad aliorum profectum et fructum, quemadmodum ait Apostolus : Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. (I *Cor.* xii, 7.) Hujus quoque gratiæ species tangens : Alii (inquit) datur per Spiritum sermo sapientiæ, (*Ibid.* 8-10.) alii sermo scientiæ, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii gratia prophetiæ, alii discretio spirituum, alii genera (D) linguarum, alii interpretatio sermonum. Hic quippe accipit sapientiam et scientiam, non ut sunt de numero septem donorum Spiritus Sancti, sed ut sunt gratiæ gratis datæ ad aliorum instructionem, ut S. Thomas elucidat.

Quarto sumitur gratia proprie pro gratia gratum faciente, (Summ. th. 1a 2æ, q. cxi, a. 4 ad 4um.) per quam intellectualis creaturæ essentia constituitur in esse supernaturali ac deiformi, fitque per eam Deo accepta et grata, atque ad promerendum felicitatem æternam idonea.

Quinto sumitur gratia, nomine gratiæ ex- A
tenso, pro lumine gloriæ seu gloria, quæ dicitur gratia consummata, cujus etiam inchoatio quædam est gratia viatorum, di-
Rom. vi, 23. cente Apostolo : Gratia Dei vita æterna.

Itaque, dum speculatio munerum gratiæ fertur quarta species contemplationis, accipio gratiam ea latitudine tamque extense, ut hos quinque modos gratiæ comprehendat. Unde mox claret, quod contemplatio promissorum Dei ad hanc quartam contemplationis pertineat speciem.

Porro, si judicia Dei dicantur effectus B
divinæ justitiæ, tunc contemplatio judiciorum istorum partim (videlicet prout pertinent ad electos, ad gloriamque eos disponunt sive perducunt) ad quartam hanc contemplationis speciem pertinebit. Si autem judicia ista divinitus exerceantur circa præscitos ac reprobos, ut corrigantur atque salventur, sive per prospera sive adversa, tunc rursus eorum consideratio ad hanc quartam attinet speciem, quantum est ex parte Dei donantis ac discernentis, cujus punitiones ac pœnæ positivæ in hac C
vita inflictæ, sunt medicinales. Porro, si ista judicia sint quædam futuræ infernalis miseriæ inchoationes, ut sunt induratio, derelictio, seu gratiarum retractio et judicialis damnatio, ipsa quoque infernalis punitio, aut ignis ille ut divinæ justitiæ instrumentum affligens ; ad quartam hanc speciem eorum contemplatio potest reduci, secundum quod scientia atque cognitio unius contrarii sive oppositi, ad alterius cognitionem scientiamque solet reduci, in quantum unum est causa seu ratio aliud D
cognoscendi, vel in quantum Deus reprobos in via citra condignum relinquit, eosque in gehenna citra condignum affligit, ita quod illic invenitur æquitati misericordiæ opus admixtum ; vel certe in quantum illa pœnalia ad ampliorem conferunt gloriam electorum, qui in Apocalypsi clamare
Apoc. vi, 10. scribuntur zelo justitiæ : Usquequo, Domine, non vindicas sanguinem nostrum
Ps. lvii, 11. de his qui habitant in terra ? Lætabitur equidem justus quum viderit vindictam.

Postremo, si cui responsio ista non placet, poterit quartam hanc speciem contemplationis generaliori nomine designare, vocareque eam contemplationem supernaturalium effectuum Dei ; quintam vero speciem, vocare contemplationem naturalium operum Opificis primi. Omne enim creatum ad hæc duo reducitur.

ARTICULUS LVII.

De multiplici specie subalternata hujus quarti generis contemplationis, et specialiter de contemplatione bonorum gloriæ.

Quoniam itaque quartum genus contemplationis concernit munera gratiæ pro objecto, gratiam (prout in præcedenti articulo dictum est) extense sumendo ; hinc hujus generis species variæ assignantur, secundum diversitatem gratiæ multiformis. Quintuplicem quippe gratiam, sicut nunc patuit, genus hoc contemplationis considerat. Verum, quoniam gratiis illis ratio gratiæ non utique univoce convenit, species istæ potius dici poterunt gradus quidam quam species prædicti generis contemplationis.

Denique, primus gradus bona gloriæ, seu beatitudinem patriæ et quæ beatitudinem illam respiciunt atque perficiunt, intuetur. Gloriam quoque hic sumo non pro ipsa felicitate vel delectatione electorum in patria, sed pro ipso lumine gloriæ, sicut et gratia et lumen gratiæ idem designant. Quid vero sit lumen gloriæ, pandere nunc oportet ; deinde monstrandum quæ sint supernaturalia illa gloriæ bona ad hunc contemplationis gradum spectantia.

Et quidem in primis contemplari in generali debemus, quam prorsus immensa et vera, pura ac liberalissima sit bonitas Creatoris, quam infinita, indeficientissima et supereffluentissima sit ejus benignitas, quam munificentissimus ejus ad nos amor monstretur in hoc quod sibi nequaquam satis visum est rebus creatis naturales proprietates, specificas perfectiones, di-

versaque bona naturalem capacitatem non transcendentia, gratis ex sola sua bonitate communicare atque influere, et suæ æternæ adorandæque bonitati eas in talibus assimilare ; sed insuper, ad suæ bonitatis et superopulentissimæ perfectionis declarationem majorem, ad suæ dilectionis pleniorem ostensionem, ad creaturarum exuberantiorem eminentiam et decorem, donis naturæ munera gratiæ bonaque gloriæ, plura etiam supernaturalia data ac ornamenta adjecit. Atque per hoc rerum capacitates superimplevit, et ipsum entium ordinem, eorum naturas, proprietates et vires ineffabiliter decoravit ac sublimavit : quod in intellectualibus creaturis electis potissime locum habet, et verum ac evidens est; per quod sibi entia ista supernaturaliter conformavit, præcipue mentes creatas : in quo sapientia, potentia atque clementia Conditoris excellentissime repræsentantur et splendent in præinductis ejus effectibus.

Præterea, quid sit lumen gloriæ, hoc modo considerare oportet. Quum ipsa felicitas ad quam mentem rationalem condidit opifex Deus, sit penitus supernaturalis, videlicet beatifica visio Dei per speciem, hanc mens creata adipisci non valet, nisi per supernaturalia media divinitus adjuvetur. Media nempe fini necesse est proportionari. Quemadmodum ergo mentes viatorum ad promerendum hanc supernaturalem felicitatem indigent gratia gratificante, essentiam animæ in esse supernaturali constituente ad efficiendum opera æternæ vitæ meritoria ; sic mentes comprehensorum ad suscipiendum immediate a Deo felicitatem præfatam indigent lumine gloriæ, quod est qualitas omnino supernaturalis atque dignissima, mentes beatas in deiformi ac deificato quodam esse constituens : per quod eatenus elevantur, ut tantæ beatitudinis sint immediate capaces, et ad actus fruitivos ac præmiatorios aptæ. Ad tantæ equidem beatitudinis participationem exigitur præstantissima dispositio mentis penitus supernaturalis : quam dispositionem facit Deus efficienter, et lumen gloriæ formaliter.

Denique, ad beatificam Dei visionem mens creata non pertingit nec elevatur nisi per hoc quod sibi divina essentia loco intelligibilis formæ unitur : omnis namque forma creata distat et deficit infinite a repræsentando Deum sicuti est in se ipso, seu ejus essentiam clare et specie tenus ac immediate. Ad hoc autem quod menti creatæ divina essentia tam proxime tanquam intelligibilis forma possit uniri, indiget mens creata dispositione ac deificatione præclara ac maxima, quam per lumen gloriæ a Deo sortitur, de quo illud Psalmographi accipi potest : In lumine tuo videbimus lumen. (*Ps.* xxxv, 10.) Hoc insuper lumen beatam mentem inæstimabiliter exuberantissimeque perfundit, implet, illustrat, clarificat, ornat, deificat, ita ut ejus splendori ac venustati tota claritas luminis naturalis, sive corporalis sive spiritualis, nequaquam queat æquari.

Denique, ipsa Beatorum felicitas essentialiter nihil est quam superessentialis, divinæ et increatæ Veritatis fruitiva visio seu intuitiva clara fruitio. Porro fruitio illa est divinæ bonitatis summæ ac infinitæ dulcedinis deliciosissima, exuberantissima atque totaliter contentativa in suo fonte seu in se ipsa gustatio. Itaque ad hanc supernaturalem, finalem ac plenam electorum felicitatem directe ac integraliter pertinent visio, tentio, fruitio : quæ sunt tres animæ dotes, tribus virtutibus theologicis succedentes et correspondentes. Fidei etenim visio, spei tentio, caritati fruitio correspondet atque succedit : ita tamen ut nec habitus neque actus elicitus fidei et spei in patria perseverent; caritatis vero actus habitusque manent ibidem, sed modus non manet : quoniam imperfectio tollitur, et caritas ipsa in se itemque actibus suis consummative seu plene perficitur. (I *Cor.* xiii, 10.)

Præterea, beatitudo præfata essentiale est præmium electorum, ultra quod datur eisdem præmium accidentale, in cognitio-

ne, usu, communione, præsentia et amore rei creatæ consistens, præsertim humanitatis Christi, Virginis gloriosæ, angelicorumque ordinum, et omnium Sanctorum ac Beatorum. In corporum quoque glorificatione præmium illud complebitur, quando corpora electorum dotibus quatuor inexplicabiliter decorabuntur, felicitabuntur et glorificabuntur, utpote, claritate solis splendorem pulchritudinemque vincente, impassibilitate et agilitate cœlestium corporum impassibilitatem ac velocitatem superante, et subtilitate omnia penetrante. Quo autem fuerit anima Deo vicinius feliciusque conjuncta, immersa, absorpta, eo præfatæ quatuor corporum dotes erunt utique excellentiores, quoniam beatitudo animæ redundabit in corpus. Postremo, finito generali judicio, et cœlestibus orbibus, planetis, stellis ac elementis copiosissime clarificatis, in omnium horum venustissima perfectione cernenda accidentalis præmii delectatio illa Beatorum aliquo modo consistet.

ARTICULUS LVIII.

Quomodo elevanda sit mens in contemplando bona gloriæ, et qualiter ex illorum contemplatione ad divinæ bonitatis, dilectionis ac munificentissimæ liberalitatis contemplationem sit ascendendum.

EXPERGISCERE. Cur inerti sopore deprimeris? cur in sensibilibus detineris, o anima nobilis ob adorandæ ac superviventis Trinitatis imaginem similitudinemque tibi impressam? Plane, si ingenitæ tibi dignitatis excellentiam rite perpenderes, si creationis tuæ finem sapienter adverteres, si bona tibi in cœlis parata, oblata, promissa pensares, in terrenis atque in carnalibus deprimi, occupari ac distrahi dedignareris; vitiis et concupiscentiis deservire, dæmonum suggestionibus assentire aspernareris; externa ista corporis blandimenta ac ornamenta in vestimentis, escis, stratis prorsus despiceres.

A Nunc ergo cuncta transitoria et caduca transcende; a vanis, terrenis rebus exterioribusque te retrahe et averte. Demum, prece devota ad Deum te collige. Fide radiosa sapientialiter intuere quemadmodum ad sui ipsius immediatam fruitionem, beatificam visionem, perpetuam possessionem te Deus tuus condiderit, ut ei feliciter juncta, omnium bonorum, pulchrorum ac desiderabilium plenitudine implearis, divinæ opulentiæ participationibus plenissime contenteris, Deo omnipotenti ac infinito B immobiliter, inavertibiliter, voluptuosissime ac felicissime immergaris: ita ut tota potentialitas tua reducatur ad actum, tota capacitas supernaturaliter impleatur, omne desiderium peragatur, ita ut nil boni optati queat deesse, nil mali abominati adesse; sicque per similitudinem gloriæ Deo ineffabiliter assimilata, ejus heres, amica, sponsa ac filia modo eminentissimo fias, utpote videns eum, fruens eo, possidens eum sicuti est.

Tunc utique fluminis impetus te læ- (*Ps.* XLV, 5.)
C tificabit, inebriaberis ab ubertate bono- (*Ps.* XXXV, 9.)
rum gloriæ, et torrente voluptatis deificæ plenissime indeficienter potaberis. Ibi æternam illam, fontanam, primam summæ Deitatis veritatem indefesse ac delectabilissime intuendo, tanta omnium rerum cognitione repleberis, quod nil amplius affectabis, præsertim completo finali judicio.

Nunc itaque digne atque gratanter perpende quam incomprehensibilis, largissima et immensa sit bonitas Creatoris tui super te: qui non solum dona sua tam D supernaturalissima, gloriosa et summa, sed se ipsum quoque tibi tam superefffluenter communicare decrevit, promisit, paratus est, ut quod ipse est per naturam, tu exsistas per gratiam, et sicut ipse beatus est, se ipsum per propriam essentiam tanquam per intelligibilem speciem contemplando, atque se ipso in se ipso immediate fruendo, et a sua superplenissima perfectione nullatenus deficiendo, ita et tu beata sis, eum per ejus essentiam tibi loco intelligibilis formæ unitam cernendo, ejus

bonitate in se ipsa suavissime perfruendo, ab ejus amplexu nusquam in sempiternum cessando.

Vide, o anima, quam inæstimabiliter te Creator tuus omnipotens et excelsus dilexit ac diligit, quod se tibi et te sibi tam proxime, tam intime, tam supernaturaliter, amicabiliter, felicissime atque dulcissime copulare instituit et spopondit. Intuere quam vere piissima et immensa sit super te dignatio ejus, qui tibi in ordine intellectualium essentiarum imperfectissimæ, imæ ac infimæ, se æternum, immensum, superperfectissimum intellectum, te infinite præstantiorem, tam immediate atque strictissime jungit, infundit ac præstat, ut ejus amore totaliter accendaris, æstuantissime penetreris, dulcissime itemque innocue comburaris.

Quum ergo ad tam divinissimas sis creata delicias, et ad tam superexuberantissimas præordinata divitias, omnem consolationem inutilem, vanam ac vilem, omnem delectationem immundam prorsus abhorre. Et quoniam ad æternum illum honorem sublimitatis deificæ, exaltationis beatæ, elevationis, collocationis et inhabitationis supermundanæ nequis pertingere nisi temporales honores inanemque gloriam contemnendo : hinc vere profunde humilis esto, et ea quæ mundi sunt vilipende ex animo ; ad Dei te taliter præamantis sanctum fervidumque amorem cor tuum toto conatu præpara et extende ; ad omnes dignanter te habe, universis te subjice. Postremo, liberalissima esto, pro omnibus exorando, gratiam tibi concessam in alios pro viribus administrando, cunctis pro posse, auxilio consilioque opem ferendo.

ARTICULUS LIX.

Contemplatio cœlestis patriæ et civium supernorum.

Ut autem, o anima contemplativa, de istius peregrinatione exsilii ad patriam electorum ardentius intimiusque sus-

A pires, cum Psalmista ex corde decantans, Domine, dilexi decorem domus tuæ et lo- *Ps.* xxv, 8.
cum habitationis gloriæ tuæ ; itemque, Heu mihi, quia incolatus meus prolonga- *Ps.* cxix, 5.
tus est : contemplationis tuæ erige oculum, interiorique imaginario visu adspice habitaculum Beatorum, uranicum templum, paradisum cœlestem, superæthercam aulam, supermundanum palatium, quod appellatur cœlum empyreum seu igneum, ob claritatis suæ vehementem splendorem. Intuere hunc voluptatis deificæ locum, æter-
B nalium deliciarum tabernaculum, quod est cœlum primum, summum atque immobile, quantitate permaximum, visibilium et invisibilium creaturarum contentivum, claritate præexcellenti conspicuum, totum uniforme, inalterabile, inter corporalia subtilioris naturæ. Vide quam decentissimus sit cœlum hoc beatæ contemplationis ac Beatorum omnium locus, domus ac mansio. Nempe cives illos in bono immobilitatos, divina luce impletos, præ omnibus creaturis sublimatos, summo Deo
C inavertibiliter æternaliterque intentos, impassibiles, immortales, decuit locus ille altissimus, speciosissimus, inalterabilis, uniformis, latissimus atque dignissimus.

Præterea, contemplare hujus deliciosissimæ regionis ac regni cœlestis gloriosos ac jucundissimos cives, æterna felicitate atque tutissima omnium bonorum possessione securos. Multitudinem eorum magnitudinemque perpende ; distinctionem, officia, proprietates, choros seu ordines inspice. Ibi utique ex angelicis spiritibus et
D electis hominibus fit una Ecclesia, in omni sanctitate et æquitate perfecta, in qua nulla esse potest culpa, error seu invidia. Quemadmodum enim Deum super se concorditer ac æstuantissime diligunt, ita se invicem in Deo inavertibiliter, præardenter ac intime amant. Ideo ex intuitu mutuo cordialissime gaudent, atque de gloria eis concessa sibi invicem ineffabiliter indesinenter congaudent ; sed et superiores plus diligunt inferiores quam vice versa ; et quidquid alicui præordinavit et contulit

Deus superdignissimus, hoc omnes et singuli eidem cordialissime favent. Summa ibi humilitas, summa tranquillitas, summa jucunditas.

Vide illic Regem regum, Deum deorum, Creatorem universorum, trinum ac unum, omnibus præsidentem, dulcissime dominantem, se ipsum nude ac facialiter ostendentem; in omnium cordibus colloquium familiare habentem; suæ fruitionis dulcedine universorum affectus summe et superplene implentem ac lætificantem; immensas suas divitias singulis, quantum capere queunt, liberalissime communicantem; omnibus se æternaliter gratiosissimum, affectuosissimum, amabilissimum ac superjucundissimum exhibentem; omnium affectum in se cum inexcogitabili caritatis ardore trahentem, ita quod ipse est omnia in omnibus. (I *Cor.* xv, 28.)

Præterea, contemplare Christum hominem ad dexteram Patris æterni in throno gloriæ residentem, omni creaturæ prælatum, de plenitudine gloriæ ac sapientiæ suæ omnibus influentem, omnes summe ac fervidissime diligentem; universis ad libitum præsentem, familiarem, paratum ac dulcem, imo revera secundum naturam assumptam omnibus tanto humiliorem quanto et sublimiorem. Denique vide a dextris ejus Reginam clementiæ, virgineam ejus Genitricem piissimam, gloriosissime residentem. Vide quantus sit eorum mutuus amor, quam superdulcis præsentia, jucundissimusque alternus conspectus, quam felix familiaritas, beatissimus quoque convictus æternaliter duraturus. In horum contemplatione intime gloriare, et Matri ac Filio dulciter congratulare, ad eorum felicem intuitum tota mente succendere.

Amplius, inspice novem ordines angelorum, qualiter millia millium ministrant (*Dan.* vii, 10.) Deo fonti ac principi universorum, deciesque millies centena millia adsistunt eidem in omni reverentia cultus interni ac animorum. Vide quam prompte obediunt, quam diligenter ac inviolabiliter legem sibi a Divinitate semel præfixam custodiunt, ut et nos vermiculi obedire discamus. Intende horum angelicorum spirituum ineffabilem perfectionem, supernaturalem decorem, venustissimam claritatem, splendidissimam sapientiam, miram potentiam, eximiam sublimitatem, exuberantissimam voluptatem : in quibus etiam sublimiores, sunt omni humilitate, pietate ac caritate pleniores, atque de exuberantia opulentiæ suæ inferioribus largiflue distribuentes. Vide quam ineffabilis sit multitudo angelicorum spirituum cujuslibet chori, ita ut de omnibus simul merito dictum sit : Numquid est numerus militum ejus, videlicet Creatoris? (*Job* xxv, 3) Verum de singulorum proprietatibus ordinum prosequi nimis prolixum hoc loco videtur.

Præterea, contemplare quam pulchriformiter, delectabilissime decentissimeque ornatum sit hoc cœlum empyreum, regia altissimi Principis aula, sacratissimo choro Apostolorum, providissimo ordine Vatum ac Patriarcharum, victoriosissimo exercitu martyrum, candidissimo cuneo confessorum, honorabilissimo collegio anachoretarum, eremitarum ac monachorum, purissimo agmine virginum, atque innumerabili turba ceterorum hominum electorum. Considera quam invariabiliter, avidissime, ardentissime, deliciosissime omnium Beatorum mentes infixæ, intentæ, immersæ sint superditissimo fonti felicitatis et gloriæ, Deo æterno; quam clara irreverberataque acie incircumscriptibili suæ luci vacent atque inhient; quam voluptuosissime, libentissime et infatigabilissime fontalem ac infinitam pulchritudinem ejus inspiciant. O quam amœnissime in superbeatissimæ Trinitatis visione, fruitione, amplexu lætantur! Quam singulariter demum diligunt Christum secundum formam assumptam, præsertim ipsi homines, cujus tam amarissima passione salvati sunt, ejusque purissimam Genitricem, cujus castissima viscera eis Salvatorem fuderunt!

Hujus ergo cœli empyrei supernorumque civium desiderio et amore contemne

ista vilissima, terrena, caduca, mundum hunc, lacum miseriæ lacrimarumque vallem, carcerem atque exsilium electorum, indesinenter sitiens et suspirans ad pa-
Ps LXXXIII, 11. triam : quia melior est dies una in atriis ejus super millia.

ARTICULUS LX.

Contemplatio bonorum gratiæ gratum facientis.

MUNIFICENTISSIMA benevolentia ac benignissima dilectio Dei nostri ad nos, sicut ad supernaturalem beatitudinem condidit hominem, ita ad consequendam hanc felicitatem supernaturalia media, quæ sunt piissima atque fortissima divinæ potestatis auxilia, dedit hominibus. Porro hæc media sunt habitus supernaturales creati, a Spiritu Sancto immediate infusi.

Beatitudinem enim consequitur et sortitur rationalis creatura per actus Deo placentes. Sed antequam valeat actus hujusmodi operari, videlicet actus supernaturales, spirituales, divinos, Deo acceptos, æternæque vitæ meritorios, necesse est eam in sua essentia perfici, Deo assimilari, in deiformi esse, ad promerendum condigne, constitui, Deo acceptam gratamque effici. Etenim si ipsa non placeret, nec opera ejus meritoria forent. Ideo in
Gen. IV, 4. Genesi scribitur Deus respexisse ad Abel et ad munera ejus. Primo quippe per approbationem et acceptationem respexit ad operantem, deinde ad opus ac hostiam. Habitus igitur rationalis animæ essentiam ita perficiens, gratia gratum faciens appellatur, quæ animam Deo supernaturaliter similem efficit, atque ad promerendum vitam æternam idoneam reddit : facit equidem animam Deo ita similem atque amabilem, ut ejus amica, sponsa ac filia, heres, thronus et thalamus nuncupetur, et quolibet actu, affectu et cogitatu ex hac gratia prodeunte, summam beatitudinem mereatur.

Deinde necesse est animam in suis viri-
A bus supernaturaliter perfici ad agendum : actus quippe primus, videlicet esse, præcedit actum secundum, scilicet opus. Itaque habitus supernaturales, animæ potentias perficientes immediate circa Deum, sunt virtutes theologicæ, fides, spes, caritas : quibus prime, immediate, directe atque potissime honoratur et colitur Deus, qui est harum virtutum objectum : fidei scilicet, in quantum est prima veritas ; spei, ut summa felicitas ; caritatis, secundum quod pura increataque bonitas.

B De quibus virtutibus primo de Doctrina christiana loquitur Augustinus : Tribus his, scilicet fidei, spei et caritati, omnis scientia et prophetia militat. Tertio quoque de Christiana doctrina : Non præcipit Scriptura nisi caritatem, nec culpat nisi cupiditatem, nec asserit nisi catholicam fidem.

Unde consequitur, quod ad harum actus virtutum omnis sacra Scriptura, cuncta præcepta atque consilia, ceteræ quoque virtutes ac dona ordinantur. Quum enim virtutes istæ sint excellentissimæ ad exse-
C quendum actus earum expedite ac prompte, indiget tamen homo septem donis Spiritus Sancti, quæ etiam sunt supernaturales habitus per creationem a Deo infusi, immediate perficientes ipsas virtutes, præsertim theologicas, fidem, spem, caritatem : per quæ dona fit anima a Spiritu Sancto dirigibilis, mobilis atque docibilis, et ad expedite producendum actus virtutum idonea, quemadmodum per virtutes morales fit a ratione prompte et efficaciter mobilis. Nempe ad refrenandum motus passionum
D et rectificandum se in exterioribus actibus, indiget homo virtutibus moralibus, inter quas quatuor sunt principales seu cardinales, videlicet prudentia, justitia, fortitudo, temperantia : quæ interdum per creationem habentur, tuncque dicuntur virtutes infusæ; interdum labore ac studio seu proprio exercitio adipiscuntur, et tunc vocantur virtutes naturales seu acquisitæ. Imo, secundum quosdam, virtutes istæ secundum quod acquisitæ sunt et infusæ, distinguuntur specifice.

Certum est autem quod per peccatum mortale gratia gratificans, caritas et septem dona realiter amittuntur. De aliis vero virtutibus asserunt quidam quod possunt esse informes, ita quod caritate amissa, non mox essentialiter auferuntur, sed solum quoad esse completum, vivificum et formatum, quod a caritate ubilibet sortiuntur, cujus vigore actus earum sunt meritorii et Deo accepti.

Denique, octo beatitudines et duodecim fructus Spiritus ad bona gratiæ gratum facientis pertinent : non tamen singulis gratiam istam habentibus insunt, secundum doctores, sed perfectis dumtaxat, si tamen de beatitudinibus et fructibus sermo proprius habeatur, videlicet ut sunt actus perfecti virtutum atque donorum, vel delectationes hujusmodi actuum. Omnia autem quæ sunt de necessitate salutis, insunt omni gratiam istam et caritatem habenti.

Verum de donis, de beatitudinibus et fructibus particularem inducere mentionem nimis esset prolixum, nec opportunum hoc loco videtur, quum de hoc plurimis locis copiosa inveniantur conscripta, et res ipsa paucis verbis explicari non valeat.

Cf. t. XXXV, p. 159.

De donis autem specialem collegi tractatum, quia materia pulchra, subtilis et fructuosa est valde. Porro de dono sapientiæ superius dictum est parum, articulo secundo. De dono quoque intellectus infra dicetur. De dono autem scientiæ nunc dico hoc tantum, quod ista scientia non est habitus naturalis vel acquisitus, sed sola Sancti Spiritus infusione habetur : per cujus scientiæ claritatem atque vigorem recte sentit vereque judicat anima de rebus creatis, per saporem gustus interni seu conformitatem ipsius affectus ad agnitam veritatem, videlicet quod in rebus creatis, quum in se ipsis defectivæ, indigentes atque caducæ sint, non est finaliter quiescendum, sed in increato, pleno immensoque bono dumtaxat. Hanc sortitur scientiam quicumque in statu salutis est ;
A eadem quoque privati sunt multi doctissimi, et omnes quantumlibet eruditi qui creaturis magis quam Creatori inhærent. Hujus demum scientiæ actus est contemplatio entium creatorum.

Præterea, in consideratione horum nunc introductorum supernaturalium bonorum gratiæ gratificantis, contemplanda est ineffabilis bonitas, interminabilis pietas, plena dilectio, immensa dignatio, copiosissima munificentia Dei altissimi super nos : qui primo in fonte Baptismatis nobis tam
B excellentissima, deifica, supernaturalia gratiæ bona nunc dicta infudit, videlicet gratiam ipsam, virtutes theologicas atque infusas, ac dona Spiritus Sancti ; et quotiescumque ea nostris perversitatibus ingratitudinibusque perdidimus, statim dum ex corde doluimus, ea superindicibili pietate restituit : imo quandocumque pro mortalibus vitiis ingemiscimus vere ex animo, eadem mox reddere est paratus. Denique, ea præstando, simul et se ipsum dat nobis, et nos sibi conjungit, et ipse fit
C spiritus unus nobiscum, non per essentiæ indivisionem, sed amorosam communionem, voluntatis quoque concordiam.

Insuper, ut in contemplatione bonorum prædictorum, bonitatem, dilectionem atque clementiam Dei sincerius contemplemur, gratius collaudemus, ardentius diligamus, reverentialius honoremus, consideranda est dignitas, eminentia desiderabilitasque bonorum istorum. Quorum utique excellentia, vigor atque nobilitas primo patescunt ex hoc, quod ad promerendum vitam æter-
D nam, supernaturalem videlicet felicitatem, imo et infinitum summumque bonum, ipsum scilicet Deum, qui est felicitas objectalis, rationalem creaturam reddunt idoneam et condignam. Imo per bona hæc fit homo omni creatura, quantum ad ejus essentialia, præstantior, major, candidior atque divinior, et Deo tam carus, quod totam mundi corpoream molem potius annihilaret, quam unum hominem bonis his gratiæ decoratum relinqueret, aut sua fruitione dulcissima spoliaret. Adhuc autem

tanta est dignitas caritatis infusæ, ut quidam magni theologi, et ipse Magister Sententiarum, putaverint caritatem non esse quid creatum, sed ipsummet Spiritum Sanctum. *Sent. I, dist. xvii A et s.*

At vero bona ista gratuita supernaturale esse largiuntur, vitam gratiæ operantur, vitam gloriæ promerentur, ab omni labe peccati mentem emundant, a dæmonum jugo eripiunt, contra peccata animam armant, cœlestem conversationem in terra efficiunt, angelis mentem humanam parificant, eamque deificant, et mundo, carne ac dæmone robustiorem constituunt. Ipsa quippe sunt radii deiformes ac simplices bonitates, splendiflua lumina ac deificantia dona, rivi perlucidi, lampades præfulgentes, a fonte æterno, a luce fontana, a Deo sublimi immediate manantes, atque ad eum animam reducentes : quorum splendore, decore, vigore eatenus mens humana perfunditur, exaltatur ac pulchrificatur, ut jam nihil in naturali rerum catena, nihil in cœlestium orbium venustate, nihil in planetarum ac siderum ornamentis, perfectione et luce ei valeat coæquari. Quam gloriosus ergo, bonus ac clementissimus, quam item ardenter, pure, gratanter et summe amandus, colendus, laudandus atque in omnibus reverentialissime honorandus est nobis Dominus Deus noster omnipotens, qui pauperrimis nobis vermiculis super terram istam repentibus tam præclarissima tribuit dona ?

ARTICULUS LXI.

Quomodo per gratiam gratum facientem, virtutes theologicas et infusas ac dona mens Deo supernaturaliter assimiletur.

art. LVI, LVII, LX.

FREQUENTER nunc dictum est, quod gratia ponit animam in esse quodam deiformi ac supernaturali. Oportet ergo id plenius elucidare.

Itaque, sicut per animam rationalem constituitur homo in esse suo substantiali, naturali, specifico, per quod naturali- A ter assimilatur esse divino, utpote qui ad Creatoris sui imaginem similitudinemque productus est, et per vires sibi naturaliter inditas, intellectum ac voluntatem, capax est Dei, cognoscendo eum atque amando etiam per sola naturalia sua, quantum ex creaturis per rationem naturalem ad Creatoris notitiam et amorem potest conscendere ; ita per gratiam gratificantem ipsa anima constituitur in esse accidentali, supernaturali et superrationali, imo et superintellectuali, quo ipsum esse rationale B specificum elevatur atque perficitur ad actus meritorios, superrationales ac supernaturales, mediantibus donis virtutibusque infusis habendos seu producendos, ad quos per naturalia sua non est efficax vel activa ; quemadmodum etiam per lumen gloriæ ponitur altiori præstantiorique modo in esse deiformi, supernaturali, superintellectuali ac supermentali, hoc est sublimiori quam sit quodcumque esse intellectuale, naturale, creatum : quo fit ad actus beatitudinis directe idonea, sicut et C in naturalibus per splendorem solis seu lumen fit color ad immutandum visum idoneus, quod sine lucis irradiatione nequit perficere.

Denique virtutes theologicæ potentias animæ supernaturaliter perficiunt ad agendum, seu actus illos circa Deum producendum quos naturali virtute non valent producere nec habere : unde intellectus per fidem altius et altiora de Deo cognoscit quam per naturalem investigationem ; voluntas quoque per caritatem, quæ est D amor infusus, perfectius, purius atque ferventius diligit Deum, quam per naturalem posset amorem. Similiter per virtutes morales infusas eminentiori modo passiones frenantur et virtutum opera exercentur, quam per virtutes morales acquisitas : unde per abstinentiam ut est virtus naturalis acquisita, homo sumit de alimento quantum naturalis necessitas exigit naturalisque ratio dictat ; per abstinentiam vero infusam, etiam de necessariis aliquid sibi subtrahit, prout divina lex docet. Si-

militer dona Spiritus Sancti reddunt animam ad opera sancta multo expeditiorem et efficaciorem, atque a Spiritu Sancto in omnibus dociliorem ac mobiliorem, quam quæcumque scientiæ seu virtutes naturales humanæ.

Itaque incessabiliter divinæ munificentiam pietatis pro horum gratiæ bonorum incrementis perfectionibusque precemur, quatenus filiali affectu Deo in omnibus obsequamur, vacemus ac infigamur. Nempe hæc gratiæ bona sunt vernantissimi flores animam cœliformiter decorantes, germina opulenta ex Spiritus Sancti superditissima fecunditate immediate pullulantia, resplendentiæ quoque clarissimæ lucis æternæ, formæ insuper radiosæ ex divina natura cuncta formante exortæ, quibus increatæ essentiæ anima conformatur; similitudines demum bonitatis primæ supernaturales, ordinis tam sublimis, ut nulli creaturæ possint inesse aut convenire tanquam veraciter naturales perfectiones. Unde his gratiæ bonis anima perornata, bonorum gloriæ immediate est susceptiva : quemadmodum speculum tersum, pervium, politum, radiorum solarium capax est redundantiæ. Postremo, quo esse istud supernaturale gratiæ gratificantis et actus theologicarum virtutum excellentioris sunt dignitatis, eo præclarius assimilant animam Deo, cujus esse et vivere est se ipsum æternaliter intelligere et amare.

ARTICULUS LXII.

Contemplatio eorum quibus innititur fides catholica.

DENIQUE, in viris contemplativis, unctis atque perfectis, est fides cum rationibus credendorum purificatæque mentis intelligentia. Siquidem levitatis utique esset, his quæ fidei sunt et omnem rationem capacitatemque transcendunt, præbere assensum, nisi fides efficacia haberet argumenta, quibus pateret eam vere datam A a Deo, et per consequens bonam, sanctam ac salutarem. Hæc itaque argumenta non sic comprobant fidem, ut faciant ea quæ fidei sunt, in vita posse hac comprehendi; sed hoc evidenter demonstrant, quod fidei hujus auctor, confirmator ac testis sit Deus.

Porro per donum intellectus infundit animæ Spiritus Sanctus cognitionem eorum quibus fidei veritas elucescit : ita ut quanto quis hoc dono excellentius clarificatur copiosiusque perficitur, tanto certius B atque lucidius intuetur, perspicit et claro quodam intuitu penetrat ea quæ fidei sunt, rationes credendorum vel omnes vel quasdam intelligendo, ita ut nil sibi rationabilius videatur his quæ christiana complectitur fides. Omnia quippe sibi invicem eatenus consonant, connexa et ordinata exsistunt, ut unum ex alio rationabilius credibiliusque appareat. Universa vero simul collata pulcherrimam ac supernaturalem consonantiam sortiuntur : utpote, quod sicut Deus omnipotens propter supernatu- C ralem beatitudinem condidit hominem, ita in exordio protoplastos parentes in supernaturalibus quibusdam donis creavit, videlicet originali justitia, atque in paradiso terrestri locavit, immortalitatem quamdam donavit, virum quoque magna ornavit scientia ac revelatione divina ; deinde quod propter eorum transgressionem de paradiso ejecti sunt, originali justitia destituti, et tam ipsi quam eorum posteri damnationi obnoxii facti, ipsi quoque infantes, quantum ad pœnam damni ; et D quod genus humanum per nullam puram valuit redimi creaturam : cujus superius art. XLVIII. tactæ sunt rationes. Hinc Filius Dei se incarnandum prædixit, spopondit, præsignavit ac figuravit ab initio mundi per Patriarchas et Vates, præsertim in veteri lege, in qua et unum populum ex cujus semine nasceretur elegit, congregavit, suoque cultui mancipavit. Postremo, ipsemet per Incarnationis mysterium descendit, apparuit, inter homines vixit, et quæ de ipso prænuntiata fuerunt implevit. Ac deinde

discipulos suos omnium linguarum ac A Scripturarum sanctarum notitia adimplevit, atque ad prædicandum evangelicam legem per universum mundum transmisit : quorum omnis doctrina prædicatioque tendebat ad hoc, quod homines Deo per integerrimam atque purissimam dilectionem nunc unirentur, sicque completo vitæ præsentis curriculo, supernaturalem beatitudinem consequerentur.

Præterea, doctrinam sacræ Scripturæ utriusque Testamenti, videlicet Prophetarum et Christi seu Apostolorum, quum B esset supernaturalis, per innumerabilia signa, magna prodigia, solique divinæ possibilia potestati miracula, Deus copiosissime usque in præsens tempus approbavit et confirmavit : alias fides christiana tanto celerius fuisset exstincta, quanto in se continet incomprehensibiliora, magisque ardua traduntur præcepta in ea. De miraculis autem veteris legis in libris Moysis ac Prophetarum satis conscriptum est ; de miraculis vero quæ Christus per se ipsum
art. L. in mundo fecit, dictum est supra. Aposto- C lorum demum aliorumque Sanctorum virtuosissima itemque præclarissima prorsus miracula, partim in Actibus Apostolorum, partim in historiis, chronicis et legendis Sanctorum descripta sunt, nec opus est ea hic recitare.

Primum igitur fidei christianæ est argumentum, quod omnia quæ in nova lege docentur per Christum impleta, in veteri lege leguntur de ipso prædicta ; item de fidei promulgatione, Judæorum excæcatione, gentilium conversione. D

Secundum est miraculorum exhibitio divinorum, omnem naturalem facultatem, cursum ac ordinem transcendentium.

Tertium, quod per Apostolos, viros paucos, idiotas et simplices, Deus mundum ad tam supermirabilem fidem ac arduissimam legem tam cito convertit, sine armorum ac præliorum violentia, sine arte magica, sine humana facundia atque industria. Et quamvis Porphyrius stultissime asserat Petrum apostolum fuisse magum, hoc tamen facillime reprobatur, virisque perfectis luce clarius constat esse mendosum, quemadmodum in libro de Civitate Dei Augustinus contra Porphyrium disputans plenissime declaravit.

Quartum, quod inter crudelissimas tyrannorum persecutiones ac mortes quas Christifidelibus inferebant, fides maxime crevit ; quod item tenerrimæ virgines tam immanissima supplicia pro fide invictissime pertulerunt : quod penitus supernaturalissimum fuit.

Quintum est incomprehensibilis altitudo christianæ doctrinæ, quam (sicut superius tactum est) Christus nunquam hominibus art. LIII. proposuisset, nisi ipse a Deo fuisset. Deceptores equidem legislatores ea semper docere curaverunt ad quæ homines facilius inclinantur.

Sextum est admirabilis illa et experimentalis degustatio dulcedinis Dei, et raptus ecstaticus contemplatioque supernaturalis omnes sensus absorbens : quæ viri heroici, perfecti atque divini, imo et feminæ sanctæ frequenter habuisse noscuntur ; nec tempore isto qui habent hæc desunt in actu sapientiæ unitivæ seu mysticæ theologiæ, et affectivæ ac secretissimæ theoriæ, in tantum ut ex supermentali ac vehementissima mentis elevatione, transformatione et absorptione in Deum nonnunquam ipsum corpus totaliter obrigescat, et omnium sensuum actus deficiant, eatenus ut quidam eorum interdum etiam si manus vel pes eis absciderentur, pro tunc nequaquam sentirent, sed ad se ipsos reversi, vehementissime affligerentur. Talia autem non nisi divina queunt virtute fieri aut haberi, nec conceduntur nisi amatissimis Deo, sicut inferius evidentius elucescet. Verum argumentum istud ab infidelibus poterit irrideri, fictumque putari ; sed tam certa fit nobis fides, quam certi de hujus rei sumus veritate. Unde quod indevotis, imperfectis, et quam dulcis est Deus inexpertis, est fides dumtaxat, devotissimis et perfectis, quam magna sit multitudo dulcedinis Dei expertis, in expe-

rientiam dulcissimam atque certissimam vertitur.

Septimum est Judæorum derelictio ista finalis, omniumque magnalium populi veteris legis ad evangelicam legem translatio : cujus veram nequeunt reddere causam, nisi quod regem Messiam eis promissum ac missum non receperunt, sed occiderunt.

Octavum est sanctitas atque perfectio vitæ ad quam evangelica lex et fides suos perducunt alumnos : quos ab omni utique passione, terrena affectione, vanitate ac vitio purgant, supernaturalibus gratiis implent, divino amore in tantum succendunt, ut interioris puritatis apex et sanctitas interdum mirifice in vultu omnique corporis apparatu, conversatione et gestu resplendeant. Docet quippe et consulit lex Christi, universis terrenis et propinquis itemque propria voluntate relictis, omnes affectiones habere in Deo reductas, simplificatas et fixas. (*Luc.* xiv, 26, 33.)

Ecce ex his atque similibus contemplari valemus in generali quam credibilia nimis facta sint testimonia evangelicæ legis. (*Ps.* xcii, 5.) Sed hæc nunc non nisi brevissime hic tanguntur ; in Dialogo autem de fide catholica diffusius ea induxi. De specialibus vero credendorum rationibus supra quædam inducta sunt. (*Cf.* t. XVIII, p. 294 D et s., 471 A et s. art. xxxvii, xli.)

Verum contemplatio ista valde est fructuosa et alta : quia, ut scribitur in Profectu religiosorum, quum intellectus cœperit in agnitionem veri dilatari, statim etiam gustus animæ, hoc est interior affectus, incipit quodam spirituali sapore in cognitis delectari.

ARTICULUS LXIII.

Contemplatio bonorum gratiæ gratis datæ.

Si quid est homo per naturam et quid ei convenit ex se ipso sapienter pensemus, insuper quoque quid est per gratiam et quid ei convenit ex gratioso Dei auxilio rite perpendamus; nec satis mirari nec divinam pietatem satis laudare et glorificare poterimus. Ecce enim homo, qui vanitati similis factus est, cujus dies sicut umbra prætereunt ; de quo dictum est in divinis Scripturis : Pulvis es, et in pulverem reverteris ; Quid superbit terra et cinis ? Homo putredo, et filius hominis vermis; Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet : itaque homo, cui per naturam tam humilia atque abjecta conveniunt, qui (teste Apostolo) non est sufficiens cogitare aliquid a se quasi ex se, consideremus quid sit per gratiam, et quid ei per divinum competat gratiosum auxilium. (*Ps.* cxliii, 4. *Gen.* iii, 19. *Eccli.* x, 9. *Job* xxv, 6. *Ibid.* xiv, 1, 2. II *Cor.* iii, 5.) Et quidem quemadmodum per dona gratiæ gratum facientis, itemque per bona gloriæ, Deo sublimi et benedicto supernaturaliter ac inenarrabiliter assimiletur, angelicis mentibus coæquetur, cunctis materialibus rebus præsublimetur, utcumque nunc patuit. Nunc vero qualiter per dona gratiæ gratis datæ dignificetur ac exaltetur a superpiissimo Creatore, incumbit perpendere. (art. lviii et s.)

Porro, ut ante jam claruit, gratia dicitur gratis data dupliciter, scilicet proprie atque communiter. (art. lvi.) Proprie dicitur gratia gratis data, donum a Deo supernaturaliter datum ad aliorum utilitatem. Unde dona per quæ unus aliorum conversioni seu saluti cooperatur, sunt gratiæ gratis datæ; quas in prima ad Corinthios enumerans sanctus Apostolus : Alii (inquit) per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. (I *Cor.* xii, 8-10.)

Denique, sapientia atque scientia hoc loco acceptæ non sunt secundum quod inter septem dona Spiritus Sancti computantur : sed sumitur sapientia pro cognitione divinorum aliis prædicanda pro conversione, profectu vel salute ipsorum ; scientia autem, pro rerum creatarum et

humanarum notitia, per quas tanquam per A manifesta exempla declarantur invisibilia *Rom.* I, 20. ac divina, eo quod, juxta Apostolum, invisibilia Dei per ea quæ facta sunt cognoscantur. Explicat quoque Apostolus hæc duo gratiæ gratis datæ dona præmittendo sermonem, Alii (inquiens) datur sermo sapientiæ, etc., quoniam dona hæc dantur ad aliorum informationem. Unde et scri- *Eccli.* XX, 32. ptum est : Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque ?

Insuper, fidem hoc loco sumit Apostolus, non ut est theologica virtus, sed pro B evidenti ac constantissima certitudine fidei, qua certitudine prima principia fidei, puta articuli ejus, limpide innotescunt credenti, ita ut ad aliorum fidem corroborandam exsistat idoneus. Unde per donum intellectus et certitudinem fidei jam expressam, implere efficax est fidelis quod in prima sua Canonica docet gloriosus *I Petr.* III, 15. apostolici agminis vertex : Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide et spe.

Præterea, per gratiam sanitatum intelli- C git Apostolus virtutem curandi infirmos ; per operationem virtutum, efficientiam præcipuorum miraculorum, totam naturæ creatæ excedentium facultatem, ut est suscitatio mortuorum, statio solis ; per prophetiam, futurorum contingentium certam præcognitionem ; per discretionem spirituum, discretam seu circumspectam notitiam aut rectum judicium eorum quæ in aliorum corde versantur vel ab eis proferuntur, ut homo agnoscat quo spiritu unumquodque dicatur. Potest quoque per D discretionem spirituum intelligi sagax dijudicatio spirituum malignorum et horum *II Cor.* XI, 14. quæ fiunt ab eis, ne quis decipiatur a Satana transfigurante se in angelum lucis, atque sub specie boni mala plurima proponente hominibus; sicque tentatis et diabolica tentatione gravatis valeat donum hoc habens auxiliari.

Per genera demum linguarum intelligit Apostolus idiomatum diversorum notitiam, seu facultatem utendi pluribus linguis, præsertim ex supernaturali dono Spiritus Sancti, sicut in primitiva Ecclesia frequenter mox baptizatis præstabatur hoc donum per Spiritus Sancti adventum sensibili signo monstratum, ut patet in Actibus Apostolorum. *Act.* X, 44-46 ; XIX, 6. Postremo, per interpretationem sermonum intelligitur expositio alienorum idiomatum, vel difficilium sensuum aut prophetalium visionum.

Itaque ad gratias gratis datas spectant apostolatus, sacerdotium, doctoratus, prælatio, et ceteræ administrationes atque officia ecclesiasticorum, de quibus ad Corinthios et ad Ephesios loquitur beatus *I Cor.* XII, 28 ; *Ephes.* IV, 11. Apostolus et expositores ipsius.

Ecce quam præclara atque nobilia dona gratiæ gratis datæ contulit Deus munificentissimus prorsusque ditissimus, tam defectuosæ naturæ personis, vehementer fragilibus et infirmis ! Verum de hoc plenius, quantum Deus donaverit, tractare oportet.

ARTICULUS LXIV.

Consideratio exuberantissimæ munificentiæ, clementiæ, potestatis, bonitatis, sapientiæ dilectionisque Dei super nos, ex diligenti contemplatione præinductorum bonorum gratiæ gratis collatæ.

DEUS sublimis et benedictus, naturaliter et quomodolibet bonus, dulcis, pius et clemens, suæ divinæ perfectionis fecit rationales creaturas supernaturaliter, ineffabiliter et multiformiter nimis participes et consortes. Deo quippe, secundum quod Deus, per respectum ad creaturas duæ præsertim proprietates conveniunt, puta generalis causalitas et providentia universalis. Volens itaque clementissimus liberalissimusque Creator homines divinarum proprietatum esse eminenter participes, præstitit quibusdam super alios causalitatem et providentiam tam præclaram, ut Dei cooperatores et adjutores vocentur, virtute et gratia Conditoris dispositive instrumentaliterque causantes in aliis esse spirituale ac deiforme, ita ut eorum patres

merito appellentur, quemadmodum quibusdam scribit Apostolus : Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis ; itemque : In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui ; et rursus : Opus meum vos estis in Domino. Porro, quo esse hoc gratiæ ac virtutum, quod spirituale et deiforme asseritur, ipso esse naturali præstantius est, eo causalitas ista gratiosa fecunditasque paterna, carnali ac naturali generatione et causalitate divinior sublimiorque censetur.

Galat. IV, 19.

I *Cor.* IV, 15.

Ibid. IX, 1.

Similiter providentia gubernativa seu rectiva prælatio, qua unus alteri in spiritualibus præest ac providet, instruit ac disponit, præclarissima ac divina exstat perfectio. Nam hujus prælationis ac providentiæ finis est beatifica Divinitatis fruitio : quæ quum sit infiniti boni immediata ac clara possessio, contentiva est quodammodo perfectionis immensæ. Porro dignitas rei ex suo fine perpenditur : motus quoque et operatio a termino *ad quem* speciem eminentiamque sortitur et dignificatur. Nonne ergo vehementer excellentis dignitatis est ista providentialis directio ac rectiva prælatio, cujus finis et terminus *ad quem* tam summæ est perfectionis, tam supernaturalis gradus ac ordinis ? Ideo S. Dionysius : Omnium, inquit, divinarum perfectionum dignissima, est Deo cooperari in reductione animarum ad ipsum.

De Cœlest. hier. c. III.

In hoc igitur, superbone ac superaltissime Deus, bonitatis tuæ exuberantiam, dilectionem, clementiam, potestatem sapientiamque tuam conspicimus, quod quum omnia per te operari et exsequi possis, cooperatores tamen et prædestinationis tuæ ac providentiæ executores habere incomprehensibili pietate dignatus es, et unum per alium convertis, doces, gubernas : quatenus promerendi occasionem multiplicem præbeas tam prælatis, dum potestatem sibi concessam fructuose ac sapienter exercent, et tuæ dispositionis instrumentales executores efficaces exsistunt, quam subditis, dum juxta ordinationem divinam humiliter subsunt atque obediunt ; et si A præesse divinius, subesse tamen securius potiusque optandum.

Itaque in ordinatissima varietate officiorum, prælationum, potestatum, administrationum, graduum, statuum, ordinum in Ecclesia divinitus instituta, sapientiam, potentiam, bonitatem, liberalitatem, dilectionem itemque clementiam Dei contemplemur, miremur ac veneremur, qui tantis bonis homines decoravit, tam multiformes gratias præstitit, tantam potestatem infirmissimis atque fragilissimis vasculis im- B pertivit, qui omnia tam decenter ac ordinate producit, suamque perfectionem immensam in creaturis tam multifarie manifestari ac relucere decrevit, fecit et jussit, ut ejus bonitatem et excellentiam in omnibus consideremus, colamus, amemus.

Præterea, quis bonitatem, virtutem atque clementiam Creatoris digne collaudet in hoc, quod hominibus ex se et in se nihil potentibus, lutea vasa portantibus, in omnibus vehementer defectuosis, tam supernaturalem dedit virtutem, ut ea quæ to- C tum rerum ordinem, cursum ac legem transcendunt, divina potestate efficiant, mortuos suscitando, a nativitate cæcos et claudos curando, super aquarum undas meando, solis stationem et retrocessionem procurando ? Imo, ut ait Salvator, omnia possibilia sunt credenti ; et miraculorum novæ legis in multitudine, magnitudine et eminentia non est finis, sicut Sanctorum gesta testantur.

Marc. IX, 22.

At vero, ex quo tu, o Unigenite Dei, humanam assumpsisti naturam, ea quæ divi- D næ propria sunt naturæ, hominibus copiosissime communicasti, dando sacerdotibus potestatem remittendi peccata, consecrandi corpus et sanguinem tuum, agnoscendi arcana cordium aliorum, prævidendi ac prænuntiandi futura mere contingentia. Insuper, super aerias potestates spiritusque malignos grandem fidelibus dedisti virtutem adjurandi, ejiciendi, compescendi superandique eos. O quam magna, supernaturalia atque divina sunt hæc, ut homini homo peccata remittat, ut corpus et san-

guinem Salvatoris, Dei ac Domini sui, A consecret, sicque Deum verum vere præsentem habeat, ante cujus tribunal ipse mox veniet, imo ad cujus judicium universi in die extremi judicii sunt venturi, quem omnis cœlorum militia cum ingenti reverentia adorat, colit et laudat attonita!

Dulce præterea est pensare quam ineffabilissimam gratiam Deus quibusdam amantissimis suis præstiterit, per quos tantos ad se reduxit atque salvavit. Hoc in sanctissimis patribus Benedicto, Bernardo, Francisco et Dominico facile et ju- B cundum est intueri. O quam vere magnificum est aliorum cooperari saluti, pro quibus passus est Filius Dei! Quam item maledictissimi sunt, quorum negligentia, scandalis, pravitate alii pereunt! Ecce quam magnificam auctoritatem ac potestatem largitus est Deus prælatis Ecclesiæ! quam exuberantem Scripturarum sapientiam dedit nonnullis! Et per quosdam operatus est prodigia magna pene innumera.

Postremo, non solum omnia inferiora, volucres cœli, pisces maris, bestias terræ, C elementa et mixta in usum nostrum creavit nobisque subdidit, sed et orbes cœlestes, signa cœli, solem, lunam ac sidera in ministerium gentibus cunctis creavit. (*Deut.* IV, 19.) Verum, respective loquendo, parva sunt hæc. Nam et angelis suis mandavit de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris, (*Ps.* XC, 11.) et unicuique homini angelum proprium delegavit; ecclesiasticam hierarchiam per angelicam hierarchiam gubernat; quinque infimos angelicos ordines propter nos ad exteriora mittit obsequia, D per quosdam eorum dæmones, ne quantum volunt ac valent nobis noceant, coercendo, per quosdam miracula faciendo, per quosdam bonum commune procurando, per quosdam majora denuntiando.

O Deus æterne, Deus misericordissime, adorande ac supergloriose, quam magna sunt hæc! Quanta est dilectio tua ad nos tantillos vermiculos! Quanta est circa nos dignatio tua, quod mentes illas supernas, intellectus deiformes, virtutes cœlestes, animos supermundanos, empyrei cœli sacratissimos cives, immortales simplicesque essentias, ad nos pusillos atque pauperrimos ita transmittis! Quantum nos honorasti! Quantum te diligere, venerari, laudare, quam incessabiliter tibi regratiari tenemur! Væ ingratitudini, torpori et inobedientiæ nostræ. Sed da, clementissime Deus, gratiam emendationis in omnibus, quatenus hæc beneficia tua digne pensemus, et tuæ bonitatis præardenti amore jugiter æstuemus.

ARTICULUS LXV.

Contemplatio mirabilium judiciorum Dei circa homines in vita præsenti.

Sicut ait beatus Job, nihil in terra fit sine causa; (*Job* V, 6.) nec per respectum ad providentiam Creatoris est aliquid casuale sive fortuitum. Omnia quippe in sapientia fecit Deus; (*Ps.* CIII, 24.) nec unus passer sine providentia ejus cadit in terram; (*Matth.* X, 29.) sed et justus Dominus, justitiasque dilexit. (*Ps.* X, 8.)

Quum ergo hæc ita se habeant, nonne mirari quis potest cur impii in hoc sæculo prosperantur, electi vero adversitatibus exercentur; cur qui ob vitia sua omni digni sunt pœna, non castigantur, qui autem die et nocte Domino fidelissime obsequuntur, quotidie tribulantur; cur justi, qui injustis dominari condigni sunt, ab injustis graviter opprimuntur? Verumtamen, quamvis hæc mira appareant, magis tamen mirandum est, teste illustrissimo Boetio, dum electi in hoc mundo prosperantur, promoventur seu honorantur, reprobi vero dejiciuntur et asperis exercentur. (De Consolat. lib. IV, pros. 6.) Denique, sicut affirmat Gregorius, occultiora sunt judicia Dei, quando in hac vita bonis bene et malis male succedit, quam quum bonis male et malis bene contingit.

Insuper, quis satis mirari aut fari vel capere queat, quam mirabiliter, multiformiter, gratiose ac diversimode electos suos Deus ad salutis viam reducat, istum per

adversa et aspera quasi intrare compel- A
lens, illum per blanda ac prospera ad se amorose convertens? Sed et mirabile prorsus est, quod quosdam egregiæ indolis juste relinquit, quosdam vero duræ cervicis clementer sibi applicat et reducit. Nec minus mirabile, quod quosdam et in præsenti et in futuro miseros atque egenos contemnit, alii vero in hac vita bonis mundi abundant et quasi felices sunt, et tamen Deus eos elegit. Præterea, quibusdam dat verbum Dei audire, et quæ ad salutem pertinent, scire, quos novit non conver- B
tendos : et tamen aliis ista non donat, quibus si ea præstaret, converterentur.

Multa talia in operibus Omnipotentis possumus intueri, quæ non licet nec expedit curiose scrutari, sed humiliter venerari atque divino reservare judicio. Scimus enim quod infinita sit sapientia Dei : quomodo ergo rationes operum ejus comprehendere aut discutere possumus, qui tenebris tantis involvimur?

Porro, quod electos in præsenti sæculo a reprobis opprimi sinit, et adversitatibus C
tribulationibusque exercet, rationes evidentissimas habet. Siquidem id multipliciter expedit eis ad quotidianorum peccatorum remissionem, ad gratiæ cumulationem, ad patientiæ probationem, ad aliorum ædificationem, ad meriti præmiique æterni augmentum, et ne prosperis extollantur, ne divitiis in peccata labantur, ne jam cum mundo gaudendo æternaliter condemnentur. Oportet ergo ut Christi passionibus conformentur, per arctam viam profi-
Act. XIV, 21. ciscantur, quia per multas tribulationes D
oportet nos intrare in regnum cœlorum.

Amplius autem, forsitan ideo Deus quosdam reproborum etiam in hoc sæculo miseros, inopes ac desolatos vult esse, quoniam novit quod si divitiis, deliciis atque honoribus abundarent, graviorem damnationem incurrerent : sicque clementer agit cum eis.

Itaque ad hanc quartam contemplationis speciem pertinet considerare quam mirabilibus, diversis multisque modis Deus electos suos in mundo hoc revocat a peccatis, implet virtutibus, finaliterque conservat ; qualiter eos quos amat, arguit et *Apoc.* III, 19.
castigat, et omnia eis in bonum cooperari *Rom.* VIII, 28.
facit ac ordinat ; quomodo ad maximam Dei pietatem ac gratiam pertinet, atque præcipuum ejus donum est, quod electi nunc plurima patiantur adversa in ægritudinibus, persecutionibus, increpationibus, vituperationibus tentationibusque diversis ; reprobos autem dimittit secundum *Ps.* LXXX, 13.
desideria cordis eorum, ut eant in adinventionibus suis.

Ideo, juxta Salomonis præceptum, disci- *Prov.* III, 11, 12.
plinam Domini non abjiciamus, neque deficiamus quum ab eo corripimur : quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. Ideo ait Scriptura : Beatus homo qui corripitur a Do- *Job* V, 17.
mino. Ipse quoque Apostolus loquitur : Si *Hebr.* XII, 8.
extra disciplinam estis, ergo adulteri et non filii estis. Itaque in adversis lætemur ; et his qui in propria libertate inaniter ambulant, et sine timore perpetrant mala, *Eccle.* VIII, 11.
super quos non est virga Dei, compatia- *Job* XXI, 9.
mur, orantes semper pro ipsis.

ARTICULUS LXVI.

De quinta et ultima specie contemplationis.

In enumeratione, descriptione et pertractatione specierum contemplationis, more tractatus theologici processus a superioribus orsus sum, ad inferiora descendens. Nunc itaque, Deo agente, ad ultimam contemplationis speciem est perventum. Porro species ista est contemplatio donorum naturæ, seu naturalium, utpote rerum creatarum quantum ad earum essentiam, perfectionem specificam, proprietates accidentales, dispositiones, et cuncta quæ eis naturaliter competunt, per respectum et comparationem ad Creatorem, secundum quod ex contemplatione hac creatarum essentiarum atque formarum ad increatæ perfectionis (id est acto-

ris primi) speculationem excitamur ac du- A cimur. Sic quippe naturalium consideratio fructuosa efficitur, affectum accendens, intellectum clarificans devotionemque fovens, salubriter et interne delectans : unde et contemplationis nomine digna censetur.

Denique, naturam hoc loco non sumo prout contra artem distinguitur, atque in solis materialibus ac mobilibus invenitur. Sic eam sumit Philosophus primo Physicorum, quo eam describens : Natura, inquit, est principium motus ejus in quo est per se, non secundum accidens. Unde B et tria ponit principia rerum naturalium : materiam, formam, privationem. Sic quoque naturalia contra mathematica et metaphysicalia distinguuntur. Nunc ergo naturam accipio pro essentia (quam Græci οὐσίαν appellant), ut principium naturalis operationis dicatur natura : quam substantiis separatis certum est convenire ; imo et sic in divinis natura locum sortitur. Sed nunc de natura illa est sermo cujus actio realiter diversificatur ab ipsa, utpote natura creata : de qua dicunt philosophi, C quod Deus et natura nil faciunt frustra, quodque opus naturæ est opus primæ causæ, quod item nulla natura expers est propria operatione. A natura taliter sumpta, philosophia dicitur naturalis, quæ contra moralem ac rationalem distinguitur.

Itaque donum naturæ seu naturale hoc loco intelligo quidquid naturaliter fit, subsistit vel est, non supernaturaliter seu miraculose. Hinc consideratio artificialium ad hanc contemplationis pertinet speciem, præsertim quum ars humana imitetur D naturam, sicut natura artem primam, divinam et increatam. Sicque in artificialibus relucet sapientia ac eminentia Creatoris, non solum quoad eorum materiam, sed et quoad eorum accidentalem artificiosamque formam : quoniam quidquid artis atque prudentiæ in proximo exstat artifice, utpote homine, ab increata æternaque primi principii arte originaliter fluxit. Unde in sapientia discipuli commendatur ac honoratur sapientia magistri.

ARTICULUS LXVII.

De speciebus hujus contemplationis, et quod philosophia plurimum confert ad exercitium contemplationis istius.

ACTUS per objecta distingui dicuntur : itaque secundum diversitatem objectorum contemplationis præfatæ, quæ versatur circa dona naturæ, variantur species istæ contemplationis hujus novissimæ. Concernit autem (ut dictum est) contemplatio hæc quodlibet naturale, videlicet tam essentialia quam accidentalia rei creatæ quæ naturalem cursum ordinemque non transcendunt. Idcirco, prout in rebus istis divina perfectio diversimode repræsentatur, contemplatur ac splendet, assignandæ sunt species contemplationis prædictæ.

art. præced.

Creaturarum ergo quædam sunt totaliter intellectuales, ut angeli, qui a philosophis intelligentiæ, a divino autem Dionysio mentes et item deiformes intellectus vocantur. In istis resplendet superbeatissima Trinitas divinaque bonitas et natura creatrix, per modum eminentis imaginis et similitudinis evidentis ac clarioris. Aliæ sunt intellectualis naturæ omnino expertes, ut omnia quæ infra humanam naturam creata, ordinata atque locata sunt. In quibus Divinitas simplex Trinitasque æterna apparet et innotescit per modum vestigii, scilicet imperfecte ac infimo modo, loquendo in genere : siquidem in uno istorum excellentius repræsentatur divina natura ac Trinitas summa quam in alio, puta in orbibus cœlestibus atque sideribus, quam in elementis et mixtis non animatis. Aliæ sunt partim intellectualis naturæ et partim inferioris, ut homines : in quibus Deus Trinitas repræsentatur per modum imaginis mediocris et similitudinis deficientis ac declivioris. Et istæ inter prædictas habent se medio modo, cum utrisque participantes et commune quiddam habentes.

De Cœlest. hier. c. II, VII, XI, XII ; de Divin. nom. c. I, VII.

Præterea entia naturæ adhuc variis mo-

dis possunt distingui. Quædam namque A sunt res totaliter spirituales ac immortales ; quædam totaliter materiales atque mortales, ut irrationales facturæ seu bestiæ, quarum forma substantialis dicitur materialis, non quod materiam habeat in se suæ essentiæ partem, sed quia de potentia materiæ est educta, sicque immersa materiæ, ut ab ea nequeat separari. Quædam vero sunt partim spirituales ac immortales, ut homo quantum ad animam rationalem ; partim quoque materiales et mortales, ut idem quantum ad corpus. B

Denique corporalium substantiarum quædam sunt secundum se totas incorruptibiles atque perpetuæ, ut cœli stellæque ; quædam autem secundum se totas sunt corruptibiles et temporaliter durativæ, ut elementata seu mixta non rationalia, splendore intellectus carentia. Quædam vero sunt partim corruptibilis partimque incorruptibilis consistentiæ ac naturæ : quarum nonnullæ corruptibiles sunt secundum materiam et formam et secundum singulas partes, nunquam tamen totaliter C corrumpentur, imo post cursum sæculi hujus melioratæ, omnino incorruptæ ac integræ æternaliter permanebunt, ut elementa. Quædam autem secundum formam totaliter incorruptibiles, secundum corpus vero totaliter corruptibiles exstant : sicut de homine dictum est, cujus post diem judicii erit incorruptibile corpus etiam in tormentis omnipotentia Creatoris. Præterea, substantiarum corporalium mixtarum quædam sunt animatæ, quædam inanimatæ ; et utræque in multiplici differentia sunt, D quemadmodum palam opinor.

Itaque ex horum omnium speculatione ad superviventis ac supergloriosissimi Creatoris contemplationem assurgere possumus et debemus. Quumque consideratio entium horum ad philosophos spectet, qui ea considerant secundum naturales eorum proprietates ac proprias species, elucescit quod rerum istarum naturalis philosophicaque cognitio maxime conferat ad actum contemplationis istius. Nempe dum talis cognitio, caritate jubente et fide intentionem dirigente, assumitur pro devotione inflammanda et Divinitatis contemplatione haurienda seu elicienda, rite ac merito contemplatio nuncupatur : ad quam, ceteris paribus, in naturali philosophia edocti ingenioque præclari, sunt aptiores. Verum in aliis Deus per gratiam ac dona Spiritus Sancti facillime potest supplere, imo et exuberanter præbere quod naturali scientia atque ingenio obtinetur.

ARTICULUS LXVIII.

Contemplatio totius universi, vel potius contemplatio Dei ex consideratione ipsius universi.

SICUT Salomon loquitur, cuncta fecit Deus ut timeatur. Et denuo : Omnia (inquit) propter se ipsum operatus est Dominus : utpote quatenus ex consideratione creaturarum, Creatoris sapientiam, majestatem ac bonitatem noscamus, vereamur, amemus ac veneremur. Idcirco taliter fecit atque instituit universa, ut in singulis sigillatim itemque in omnibus seu pluribus simul acceptis, divina manifestetur perfectio, Creatoris majestas, ac summi sapientia Principis. Universitas ergo rerum vehiculum quoddam est assurgendi ad Conditoris notitiam, cultum atque amorem ; et sicut nulla est res quæ non aliquid divinæ bonitatis participet, sic nulla est in qua Deus cognosci aliquo modo non possit.

Eccle. III, 14.
Prov. XVI, 4.

Denique, quamvis juxta in præcedenti articulo introducta, Deus sublimis et benedictus triformiter in creaturis resplendeat, in quibusdam per modum vestigii, in quibusdam per modum imaginis mediocris, in quibusdam per modum imaginis eminentis, quæ potest dici appropriate signaculum (cui dicto consonat illud Platonis : Fluens a principio bonitas, forma est in proximis, imago in distantibus, in ultimis vero obscura reflexio. Nempe quæ primo enti et independenti principio

sunt viciniora, sunt ei in omnibus similiora); nihilo minus in omnibus creaturis relucet Deus per modum vestigii. In intellectualibus siquidem creaturis resplendet per modum imaginis, quoad id quod in ipsis ultimatum, summum, proprium specificumve consistit, videlicet quoad intellectualitatis naturam, proprietates ac vires. In eisdem quoque Creator relucet per modum vestigii, quoad earum generalia et quæ cum aliis habent communia.

Unde superbeatissimæ Trinitatis vestigia in creaturis, ex quorum speculatione ad summæ Trinitatis aliqualem cognitionem erigimur, sunt hæc : essentia, species, ordo ; intelligendo per speciem, ipsius essentiæ aliquam pulchritudinem, perfectionem sive ornatum ; per ordinem autem, locationem, vel pondus aut appetitum connaturalem : ita quod Patri, qui a nullo est, assimilatur essentia, Filio species seu pulchritudo, Spiritui Sancto, qui amor est, ordo.

Rursus, vestigia Dei in rebus sunt mensura, numerus, pondus, itemque modus, species, ordo, quæ cum mensura, numero et pondere coincidunt ; item essentia, virtus et actio ; item unitas, veritas, bonitas ; substantia quoque, potentia et habitus. In his enim secundum dependet a primo, et tertium a secundo et primo, sicut in superglorificanda Trinitate secunda Persona procedit a prima, tertia quoque a prima atque secunda.

Præterea, in rerum origine seu creatione specialiter fulget ac manifestatur omnipotentia primæ causæ, quoniam de nihilo facere non convenit nisi potestati immensæ ; in universi gubernatione apparet infinita sapientia summi Rectoris, qui entia tam magna, multa, diversa, ita aptissime ineffabiliterque disponit ; in rerum mutua deservientia, utilitate et connexione innotescit bonitas sive benignitas primi Opificis, cujus dispositione ac instituto superiora inferioribus influunt.

Conformiter, si universi magnitudinem et contentorum in ipso multitudinem, singulorum omniumque simul sumptorum venustatem, operationem, motum, situm, virtutem profunde pensemus, supersublimis Dei bonitatem, sapientiam, potestatem, opulentiam, immensitatem, pulchritudinem, nobilitatem, perfectionem penitus infinitam, nec digne nec satis mirari, extollere, prædicare, diligere, venerari valemus. Hinc ergo, ut primi Artificis excellentiam utcumque intelligamus ac honoremus, oculos erigamus ad magnam hanc domum ejus quam fabricavit, universum videlicet mundum. Intueamur alta cœlorum, granditatem cœlestium orbium, eorumdem capacitatem, poli a polo distantiam ; cœli faciem instar sapphiri splendentem, et tanquam vitrum diaphanam ; astrorum ac orbium sphæricam pulcherrimamque figuram, imperscrutabilem densitatem, efficacissimam causalitatem, velocissimam circumvolutionem ; stellarum quoque roseam claritatem, solis serenissimam lucem, planetarum decorem, sphærarum cœlestium pluralitatem ac ordinem, siderum imperceptibilem multiplicationem. Ecce qualiter ad Creatoris imperium universa cœlestia corpora incessabiliter atque celerrime circumferuntur ! O si stellarum numerum, signa, virtutem, cursus, loca temporaque sciremus, quam magnifice in his Creatoris sapientiam, potestatem, excellentiam prædicaremus ! Verum quæ scimus, minima sunt comparatione eorum quæ ignoramus.

Præterea, si elementorum situationem, coordinationem, magnitudinem, venustatem, fecunditatem adspiciamus, gloriam Conditoris facillime pensare poterimus. Quam magna est tota terra ! quam major est aqua ambigens terram ! quam diffusior aer aquam circumdans ! quam maximus ignis usque ad orbem lunæ pertingens, et cuncta intra se elementa concludens ! Quam pretiosis metallis ac gemmis ornantur viscera hujus telluris ! superficies ejus qualiter decoratur hominibus ac jumentis, floribus et virgultis, fontibus, rivis, stagnis ac fluviis, virtuosissimis herbis, la-

tissimis campis, opacis nemoribus! Sic A aqua piscibus, aer volucribus adornatur.

Porro, si universorum quæ dicta sunt, proprietates, vires, ornatus, naturas, formationes cognosceremus, nonne et copiosissimam et quasi immensam contemplandi, laudandi et superglorificandi excellentiam, potestatem, sapientiam atque clementiam Creatoris haberemus materiam? Si his mixtis, inanimatis, corruptibilibus rebus, utpote herbis ac gemmis, tam vigorosissimas proprietates deliciosissimosque colores ac pretiositatem tam grandem B Creator impressit, quam vere omnipotens, superdignissimus, itemque pulcherrimus ac delectabilissimus est ipse in semetipso? Rursus, si infimis rebus tantum indidit decorem, amœnitatem atque vigorem, quam ineffabilem utique cœlestibus corporibus, astris, planetis, potestatem, causalitatem, ornatum indidisse putandus est? Sed et animalibus in terra, mari ac aere demorantibus, distinctas, magnas ac miras proprietates, fecunditates, utilitates, operationes ac motus donavit; et quædam C singulari corporis elegantia et virtute atque coloris varietate seu pulchritudine venustavit.

Itaque ex omnium horum consideratione in contemplationem, admirationem præconiumque superbeatissimi Conditoris resolvamur, inflammemur et excitemur; et quidquid pulchritudinis, dulcedinis, subtilitatis, amabilitatis, artificiositatis, fortitudinis, perfectionis aut eminentiæ in toto universo aut quovis creato viderimus, mox id ad primi Opificis gloriam referamus, D ejus sapientiam, bonitatem ac potentiam ex illis considerando, extollendo, colendo, imo et super omnia diligendo, quærendo.

Postremo, ex ipso uniformi ac convenientissimo atque pulcherrimo regimine universi, facile est contemplari immensam sapientiam Dei, cujus nutui omnia parent; qui non aliunde instructus, sed ex proprio sapientiæ suæ splendidissimo fonte, universorum naturas, differentias, connexiones ordinesque instituit; qui et ipsos corporeos sensus tam incomprehensibiliter ad sua objecta ac media, et econverso objecta mediaque ad sensus proportionavit; cujus institutione mirabili sensibilia similitudines suas ita producunt, per media quoque tam longe, late ac repente diffundunt ac sensibus influunt; cujus præcepto lux claritatem suam per totum hemisphærium seu quodlibet spatium tam repente instantaneeque emittit; qui modicissimam organi sensuum partem tot specierum fecit simul capacem, sensibiliumque tam multorum, magnorum ac diversorum pariter perceptivam. Nonne in omnibus his, etiam minimis, declaratur superinfinita excellentia bonitatis, sapientiæ atque potentiæ incomprehensibilis Dei, qui corporales creaturas per spirituales decentissime administrat, et orbes cœlestes per intelligentias indicibili velocitate circumfert; qui ipsum universum in nihilo collocavit, fundavit, conservat ac fulcit; qui elementa redegit in propria loca, et ipsa contrariis qualitatibus tam diversa conservat suis limitibus inconfusa, nec terram undis Oceani sinit operiri, ut hominibus et jumentis pateat vivendi, habitandi nutriendique locus?

ARTICULUS LXIX.

Contemplatio Dei altissimi ex dispositione mundi, secundum Scripturas.

MUNDUS sensibilis simulacrum est, in Creatoris speculationem multiplici considerationum subtilium via mentem deducens. Porro hoc loco nomine mundi, corporalium creaturarum universitatem accipio. Nec enim putandum est quod mundus sensibilis sit aliquid unum simpliciter, sed aggregative dumtaxat.

Quidam vero philosophi, præsertim Platonici, opinati sunt mundum sensibilem esse quid unum absolute atque specifice, scilicet animal quoddam. Unde Plotinus Platonicus, qui (Augustino nono de Civita-

te Dei testante) Platonem melius intellexit, A de tribus substantiis, utpote Deo summo, νῷ ac anima mundi, librum conscripsit. Refert itaque S. Augustinus tertiodecimo de Civitate Dei, quemadmodum animam mundi dixerit Plato ab ipso terræ medio seu centro usque ad cœli summa et extrema diffundi et extendi per numeros musicos, ut sit iste mundus animal maximum, beatissimum, sempiternum, cujus anima et perfectam sapientiæ felicitatem teneret et corpus proprium non relinqueret. Hujus autem animalis asseruit B Plato quatuor elementa esse quatuor magna membra. Hinc quippe primo Timæi testatur, quod fas non erat præstantissimæ bonitati Dei quidquam facere nisi pulchrum, et certum erat eidem, intelligens melius esse obtuso non intelligente ; ideo intellectu in anima posito, et anima in corpore collocata, totum animantis mundi ambitum cum veneranda illustratione composuit : ex quo apparet mundum animal esse intelligens divinæ prudentiæ sanctione. Denique, Proclus Platonem secutus, C commento propositionis centesimæ sexagesimæ sextæ fatetur : Ipse mundus animatus simul et intellectum habens est. — Verum opinio ista insana est, nec rationi nec fidei consona, prout in Summa contra gentiles S. Thomas diligenter ostendit. (lib. II, c. 90.) Nihilo minus mundus ipse tam magnifice mirabiliterque institutus, distinctus, locatus, rectus et ordinatus exsistit, ut in libro de Civitate Dei merito dixerit Augustinus, omni miraculo quod fit in mundo, majus miraculum esse mundum.

Hinc ex mundi originali molitione, elementorum dispositione, mixtorum et animalium varia distinctione, provida gubernatione, multipartita proprietate ac congrua mansione laudat divina Scriptura excellentiam Creatoris.

(*Job* XXXVIII, 4-6, 8-11, 33.) Unde loquitur Dominus sancto Job : Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ ? Quis posuit mensuras ejus ? aut quis tetendit super eam lineam ? Super quo bases ejus solidatæ sunt ? Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens ? Quum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem, circumdedi illud terminis meis, et posui vectes et ostia, et dixi : Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra ? Hinc denuo scriptum est in Job : Qui extendit aquilonem super vacuum, et appendit terram super nihilum ; qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum ; in fortitudine illius repente maria congregata sunt, et spiritus ejus ornavit cœlos. (*Job* XXVI, 7, 8, 12, 13.) Denique Salomon ait : Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia ; sapientia illius eruperunt abyssi, et nubes rore concrescunt. (*Prov.* III, 19, 20.)

Ad hanc Dei æterni ex creaturis speculationem hortatur nos Isaias, dicens : Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. (*Is.* XL, 26, 28.) Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus. Qui extendit velut nihilum cœlos, et expandit illos sicut tabernaculum ad inhabitandum. (*Ibid.* 22.)

De his etiam multa cecinit sanctus Psalmista : Verbo (inquit) Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum ; congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos. (*Ps.* XXXII, 6, 7.) Extendens cœlum sicut pellem ; qui tegis aquis superiora ejus ; qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæ- D culum sæculi ; abyssus sicut vestimentum amictus ejus. (*Ps.* CIII, 2, 3, 5, 6.) Et deinceps in psalmo illo dispositionem hujus inferioris mundi et animalium ejus prosequitur. Qui rursus decantat : Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis ; educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit ; qui producit ventos de thesauris suis. (*Ps.* CXXXIV, 6, 7.) Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat ; (*Ps.* CXLVI, 4, 8.) qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam. Qui dat (*Ps.* CXLVII, 16.)

nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit. *Amos* v, 8. De quo alibi legitur : Faciens Arcturum et Orionem, convertens tenebras in mane, et diem in noctem mutans ; qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ ; Dominus nomen illi.

Job xxvi, 14. Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus : et quum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri ? *Eccli.* xliii, 36. Multa quippe sunt abscondita majora his : pauca *Ibid.* 29. enim vidimus operum ejus. Multa dicimus, et deficimus in verbis ; consummatio autem sermonum ipse est.

Quod si in creaturarum cognitione in tantum deficimus, quomodo in Creatoris omnipotentis, immensi ac adorandi contemplatione non amplius infiniteque amplius deficiemus? Quis nempe satis miretur sapientiam ejus, qui omnia hæc ordinemque ipsorum ex se ipso, non ex alieni exemplaris intuitu, est molitus ? Propter *Is.* xl, 13, 14. quod Isaias ait : Quis adjuvit spiritum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit et ostendit illi ? Cum quo iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam justitiæ, et erudivit eum scientia, et viam prudentiæ ostendit illi ? Apostolus quoque *Rom.* xi, 33-36. id ipsum admirans : O altitudo (inquit) divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! Quis enim cognovit sensum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit ? aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei ? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. Propter- *Dan.* iv, 32. ea in Daniele fertur : Juxta voluntatem suam fecit tam in virtutibus cœli quam in habitatoribus terræ ; et non est qui resistat manui ejus, et dicat ei : Quare sic fecisti ?

Præterea, de præclarissima et ordinatissima mundi gubernatione pulchre loquitur Augustinus tertio de Trinitate his verbis : In angelicis spiritibus summa pace atque plenissima amicitia copulatis, et in unam voluntatem quodam spirituali caritatis igne conflatis, quasi in excelsa et sancta et secreta sede præsidens Deus velut in domo sua et in templo suo, inde se quibusdam ordinatissimis creaturæ moti- A bus, primo spiritualibus, deinde carnalibus et corporalibus, per cuncta diffundit, et utitur omnibus ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ. Et rursus : Quemadmodum corpora crassiora et inferiora per subtiliora et potentiora ordine quodam reguntur, ita omnia corpora per spiritum vitæ, et spiritus vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalem, et spiritus vitæ rationalis desertor atque peccator per spiritum vitæ rationalem justum et pium, et ille per ipsum Deum, ac sic uni- B versa creatura per Creatorem suum : sicque voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium specierum ac motionum. Itemque : Nihil fit visibiliter ac sensibiliter, quod non de interiori, invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut jubeatur aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica.

Postremo, ut ait Doctor devotus, qui C tantis rerum creatarum splendoribus non illustratur, cæcus est ; qui tantis clamoribus non evigilat, surdus est. Omnia nempe proclamant : Ipse fecit nos, et non ipsi *Ps.* xcix, 3. nos. Qui ex omnibus his effectibus Deum non laudat, mutus est ; qui ex tantis indiciis primum principium non advertit, stultus est. Aperi ergo oculos spirituales, aures admove, labia tua solve et cor appone, ut in omnibus creaturis Deum tuum videas, audias, laudes, diligas, colas, magnifices et honores, ne totus orbis terra- D rum contra te insurgat, sed vere cum Psalmista dicere queas : Delectasti me, *Ps.* xci, 5. Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo.

Unde hæc omnia mente quieta ac devotissima contemplantes, forti ac fervido Deum laudemus amore, dicentes : Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et *Ps.* cxliv, 10. Sancti tui benedicant tibi. Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! *Ps.* ciii, 24. Omnia in sapientia fecisti. Non est similis tui in diis, *Ps.* lxxxv, 8. Domine, et non est secundum opera tua.

ARTICULUS LXX.

Contemplatio Dei sublimis ac omnipotentis ex ejus imagine naturali in homine.

SICUT decimo de Civitate Dei loquitur Augustinus, omni miraculo quod fit per hominem, majus miraculum est ipse homo. Ex quo certissime innotescit hominem esse creaturam præeminentem et valde mirabiliter institutam, ac difficulter plene noscibilem, ita quod Creatoris perfectio in ipso excellenter refulget et limpide innotescit.

Ideo quidam affirmant, in nulla creatura, neque in aliquo angelico spiritu, Creatorem tam clare repræsentari, resplendere seu posse agnosci, sicut in anima rationali. Verum hoc dictum reor ambiguum. Quomodo enim hoc scire quis valeat, nisi tam perfecte proprietates angelicorum spirituum ut animæ rationalis agnoscat? Et quidem sicut natura angelica perfectioris intellectualitatis est quam anima nostra, ita in illa imago Dei sublimius clariusque refulget quam in anima jam præfata, quoad ea in quibus imago Dei principaliter, directe et proprie consistit, puta in vi intellectiva et affectiva. Nihilo minus quoad ea in quibus imago hæc secundario est consistens, magis ponitur in homine quam in angelo, saltem quantum ad aliqua, videlicet quod sicut in divinis est Deus de Deo, ita in humanis est homo ab homine, et sicut unus Deus est omnium rerum principium, ita unus homo omnium hominum; item, sicut Deus est in toto universo totus, et in qualibet ejus parte totus, regens et continens illud, ita est anima tota in toto corpore atque in qualibet ejus parte, illud conservans atque gubernans. Rursus, quemadmodum Deus omnium entium in se perfectiones superexcellenter ac idealiter comprehendit, sic homo cum universis rebus, tam superioribus quam inferioribus, in aliqua perfectione communicat : propter quod omnis creatura vocatur, ligamen, horizon ac cingulus entium appellatur, quia per ipsum inferiora ac superi- (*Marc.* xvi, 15.)

A ora continuantur, atque ad unius mundi constitutionem nectuntur. Postremo, quemadmodum intellectus divinus ponit entia in esse naturali, sic intellectus humanus materialia constituit per abstractionem in esse intelligibili. Quamvis ergo in his atque similibus homo magis assimiletur Deo quam angelus, an tamen absolute loquendo verum sit hominem magis quam angelum Deo assimilari in his in quibus secundario consistit imago, non arbitror posse sciri, nisi ab eo cui sic notæ sunt angeli- B carum mentium proprietates ut animæ rationalis seu hominis. Sed quis est hic? et laudabimus eum. (*Eccli.* xxxi, 9.)

Itaque in præinductis proprietatibus Deum Trinitatem in ejus imagine homine contemplemur. Verumtamen potius omnino superbenedictam Trinitatem in mente rationali speculemur, quantum ad ea in quibus ratio imaginis principaliter sita est quoad intellectivam animæ portionem. Quum equidem de ratione imaginis sit similitudo non qualiscumque, sed perfecta, C puta secundum speciem vel accidens, proprium id in quo homo potissime assimilatur Deo, est Trinitatis sanctæ imago in homine. Unde quamvis hæc imago imperfecte et aptitudinaliter attendatur in tribus potentiis animæ, deinde in habitibus earumdem, videlicet sapientia et caritate, perfectius tamen consistit atque perpenditur in potentiarum et habituum actibus, utpote in actuali Dei notitia et amore. Quemadmodum ergo Deus Pater se ipsum intelligendo intra se profert et gignit noti- D tiam quamdam, conceptum seu Verbum de semetipso, cum ipso quoque Verbo et Verbum cum Patre producunt quemdam amorem se diligendo, qui amor est Spiritus Sanctus ; sic anima Deum contemplando profert, format ac gignit intra se de ipso Deo tanquam objecto verbum internum seu mentalem conceptum, et cum isto conceptu sive per ipsum, producit in vi affectiva seu voluntate amorem de eodem objecto, videlicet Deo. Sic igitur in mente ejusque notitia et amore imago

superbeatissimæ Trinitatis consideratur. A Vel in memoria, intellectu ac voluntate, vel certe in intellectu agente, possibili et voluntate, imago ista perpenditur, secundum quod intellectus agens itemque memoria aciem intellectus possibilis formant, actuant sive perficiunt, intellectusque possibilis voluntatem. Unde Deus Pater comparatur fecundæ memoriæ.

Præterea, quo in Dei actuali ac fervida contemplatione et contemplativo æstuanti amore diutius figimur, fortius stabilimur et altius crescimus, eo superviventi ac B supervoluptuosissimæ Trinitati deiformius conformamur : ad quod gratiam Dei jugiter implorando semper conari debemus, et propriæ mentis dignitatem perpendere, quatenus Deo grati fiamus ac vilia ista carnalia contemnamus, in spiritualibus divitiis incessanter proficere satagentes.

Porro qui animæ suæ naturam, simplicitatem, indivisibilitatem intelligit, qui proprii intellectus immaterialitatem, separabilitatem, indestructibilitatem cognoscit, non modicam sortitus est viam contem- C plandi divinæ essentiæ proprietates, æternæque mentis dispositiones. Quum enim philosophica probet subtilitas, animam rationalem esse essentiam quamdam incorporalem, non quantam, impartibilem, simplicem ; intellectum quoque consistere potentiam inorganicam, separatam, immortalem, immixtam, quemadmodum Peripatetici atque Platonici celebriores concorditer probant, et in Elementatione theologica Procli efficacissime ac subtilissime demonstratur : nonne præ ceteris facilius, D imo facillime potest advertere, quod Deus adorandus et felix sit ens penitus immateriale, impassibile, separatum et simplex ? Et in ipsa quidem anima est compositio atque diversitas aliqua, non formæ et materiæ, sed ex *quod est* et *quo est,* potentia et actu, essentia et esse, natura et virtute ac actione, forma et aptitudine ac executione. In Deo autem simplicissimo tale nihil est, sed unitas superpurissima. Nempe divinæ naturæ perfectionem nulla valet creatura æquare, sed aliqualiter imitari : ideoque quidquid perfectionis in ea consistit, Creatori tribuere par est ; quod vero de imperfectione eidem miscetur, longe a Deo absolute perfecto relegare oportet.

Præterea, in ipso homine divina potentia, sapientia, itemque benignitas magnifice commendatur, quod tam diversa, videlicet formam immortalem, intellectualem, immaterialem, deiformem ac simplicem, et corpus corruptibile, hebes, grossum, terrenum et compositissimum, in unitate naturæ specificæ ac personæ tam sapientissime copulavit, non solum in corporis bonum, sed in animæ quoque profectum, quatenus corpus bene regendo felicitatem adipiscatur. Similiter in corporis humani intus et extra formatione, membrorum et sensuum distinctione, virium animæ multiplicitate ac ordine, ipsius demum animæ per corpus varia et artificiosa atque subtili operatione, quis omnipotentis incircumscriptique Creatoris efficacissimam ac immensam sapientiam satis vel digne miretur ?

Itaque superbenedictissimæ Trinitatis imaginem in nobis quotidie reformemus, mundemus, perficiamus ; et verbum internum de Deo intra nos jugiter per contemplationem gignere amoremque producere enitamur, ut eructet cor nostrum de Deo *Ps.* XLIV, 2.
verbum bonum, de ipso idonee sentiendo, ipsumque veraciter intelligendo quod sit ens primum, infinitum, perfectum.

ARTICULUS LXXI.

Contemplatio Dei ex naturali consideratione angelicorum spirituum.

QUAMVIS meliores philosophi inter mentem humanam et intelligentiam, quam angelum nuncupamus, substantias quasdam intellectuales homine digniores intermediare dixerunt, corpora cœlestia animata ponentes, securius tamen videtur opinari oppositum, quanquam cum S. Augustino super Genesim atque in Enchiridio et libro de Civitate Dei, liceat id sub dubio pertransire.

Nunc ergo ad angelicarum mentium naturalem considerationem aciem animi erigentes, certum habemus quod Deus excelsus, qui ideo universa plasmavit, ut sua in eis perfectio reluceret, manifestaretur, pateret, in angelicis spiritibus (quos apud se et primo, non tempore, sed natura ac dignitate creavit) suam perfectionem præclarius fecit splendere, ita quod ipsi in omni perfectione prænobili sunt Creatori summo simillimi. Unde de potentialitate, ignorantia, virium distinctione, intelligibilium specierum pluralitate, actionum diversitate, motuum variabilitate, virtutum atque habituum multiplicitate minus habent admixtum : quia quod in inferioribus fit per plura, in superioribus fit per pauciora.

Sunt ergo angeli, qui a philosophis nominantur substantiæ separatæ ac intelligentiæ, orbiumque motrices, prout primo principio subserviunt ad opera creationis sive naturæ ; a theologis autem angeli appellantur, prout omnipotenti Domino ad opera recreationis et gratiæ subministrant : sunt, inquam, simplices, immateriales, in se subsistentes formæ, deiformes essentiæ, a suæ creationis exordio omni naturali sapientia atque scientia adornati, intelligibilibus speciebus repleti, naturali potestate ac libertate præcipui ; in quibus imago Dei excellenter resplendet per modum signaculi, quoniam incessabiliter in Creatoris contemplatione actuali permanent et amore. In his intellectiva potentia una est, nec in intellectum agentem possibilemque partitur ; voluntas quoque in eis consistit vigorosa atque celerrima. Alias non sortiuntur potentias ab essentia sua distinctas, secundum quosdam ; sed quanto in eis aliquis angelicus spiritus exstat sublimior ac Deo vicinior, eo per species pauciores intelligit, etiam magis perfecte quam inferiores per plures. Verumtamen se ipsum intelligit angelus per propriam essentiam, similiter Deum.

Harum præterea mentium supernarum vigorem, causalitatem, virtutem attendere facile est ex hoc quod orbes cœlestes tam A rapido motu circumferunt, elementaque agitant, inferioribus influunt, atque innumeras formas substantiales et etiam vivas de potentia materiæ cœlorum motu educunt, motu solis in circulo obliquo accedentis faciem terræ innovant, virescentem et germinantem efficiunt, arbusta et herbas reddunt fecundas, ordinem universi dignoscunt, et mundum hunc inferiorem tam sapienter uniformiterque juxta divinitus sibi legem præfixam gubernant, ut esse corruptibilium per generationum suc- B cessus perpetuent.

Unde ex horum contemplatione in divinæ naturæ notitiam sublimius elevamur : utpote quod mens divina ab omni materiali commixtione sit prorsus liberrima ; quod item intellectus divinus sit causalissimus, sapientissimus, omnipotens, eatenus simplex, ut per ipsam suam essentiam tanquam per unam intelligibilem formam cuncta et singula distinctissime norit, gubernandi scientiam ac virtutem in se fontaliter possidens, aliisque præscribens ac C tribuens.

Postremo, ex consideratione pulchritudinis, excellentiæ et perfectionis harum supernarum virtutum, ad increatæ pulchritudinis, majestatis ac plenitudinis Dei admirationem sublimiter exaltamur. Verum, quia ad substantiarum illarum cognitionem habet se oculus spiritus nostri quemadmodum ad jubar solare noctuæ visus, ignorantia nostra claudit sermonem ; sed quo in illis natura præstantior, eo et pulchritudo splendidior, naturalis quoque D felicitas major atque jucundior. Si autem Deus æternus rebus corporeis, herbis, arbustis, gemmis, aviculis, corpori ac vultui hominis tantum decorem impressit, ut avidissime ac hilariter inspiciantur dum talia intuemur: qualis et quanta sit incomparabilis Dei pulchritudo fontalis et exemplaris diligenter pensemus, ad ejus intuitum æstuemus, atque per cordis munditiam ad ejus beatissimam visionem nos jugiter præparemus : qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

DE CONTEMPLATIONE

LIBER SECUNDUS

DE CONTEMPLATIONE SECUNDUM SANCTORUM PATRUM ATQUE DOCTORUM PRÆCIPUORUM SENTENTIAS.

PROŒMIUM.

N*OS vero revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu.* II Cor. III, 18.

Hæc sanctus Apostolus in persona contemplativorum ac perfectorum effatus, profectum ac perfectionem viæ seu viatorum in vita præsenti paucis deprompsit sermonibus. Certum est equidem mentis creatæ in hoc consistere perfectionem, ut increatæ menti assimiletur; quod per contemplationem fieri docens Apostolus : « Nos », inquit, « revelata facie », id est, interiori animæ vultu seu intellectu divinitus clarificato, expedito, edocto, et a velamine Mosaicæ legis prophetaliumque obscuritatibus visionum ac figurarum liberato, « gloriam Domini », id est majestatem beatitudinemque divinam, seu Deum gloriosum, vel Filium Dei (de quo loquitur
Is. XL, 5. Isaias : Revelabitur gloria Domini ; et
Ibid. LX, 1. item : Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est ; Simeon quoque in Evangelio :
Luc. II, 32. Lumen ad revelationem gentium, et glo-
Prov. X, 1. riam plebis tuæ Israel : siquidem filius sapiens gloria patris), vel certe « gloriam
I *Cor.* XIII, 12. Domini », utpote felicitatem et gaudia regni cœlestis, « speculantes » nunc per
A fidem et speculum in ænigmate; « in eamdem imaginem transformamur », hoc est, in divinæ majestatis seu Filii Dei quamdam gratiosam, supernaturalem ac deiformem assimilationem provehimur: quoniam teste Boetio, cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum. Unde per cognitionem beatam perfectissime assimilabimur Deo, sicut fatetur Joannes in prima sua Canonica : Similes ei erimus, quia I *Joann.* III, 2.
videbimus eum sicuti est. Hæc transformatio est commutatio salutaris, qua a for-
B ma aut modo propriæ subsistentiæ ad divinæ naturæ seu formæ imitationem transferimur, imo et unum cum Deo efficimur, non proprium esse perdendo, sed Deo per caritatem fortiter inhærendo. Transformamur autem « a claritate in claritatem », id est a gratia minori ad ampliorem, vel a lumine naturali ad lumen gratiæ, atque de lumine gratiæ ad lumen clarissimum gloriæ : nempe quo divinorum contemplationi magis intendimus, eo lumine exuberantiori a Luce increata per-
C fundimur. Quod totum completur, videlicet quod gloriam Domini taliter speculemur, « tanquam a Domini Spiritu », id est virtute et gratia Spiritus Sancti no- *Rom.* VIII, 26.
stram imbecillitatem juvantis. Ad contemplationem quippe, ut dictum est sæpe, lib. I, art. X, XV, XXII, XXVII.
singularis exigitur gratia.

Itaque, quoniam jam superiori operis

hujus tractatu de contemplatione et speciebus ac practica ejus quod Dominus dare dignatus est scripsi, propositum est in hac secunda editionis istius parte, de contemplatione sanctorum Patrum atque doctorum præcipuorum sententias commemorare, quantum donaverit ille sine quo non sufficimus aliquid salubriter cogitare. (II Cor. III, 5.)

ARTICULUS PRIMUS.

De speciebus contemplationis secundum divinum Dionysium.

Ut ergo a digno capite inchoetur, primo de contemplatione dicendum secundum divinissimum theologorum contemplativorumque principem, sacrum ac ardentissimum Divinitatis amatorem Dionysium.

Ipse itaque quarto de Divinis nominibus capitulo ponit tres species contemplationis, quas nomine motuum localium exprimit, easque aliter angelis quam animabus viatricibus convenire affirmat.

Primum ergo genus contemplationis seu contemplativam operationem nominat motum circularem, sumendo motum communiter, pro operatione perfectiva seu actu perfecti, quemadmodum ait Philosophus tertio de Anima, quod intelligere et sentire sunt motus quidam. Denique circularem hanc motionem, vel contemplationem per modum circularis motus se habentem, dicit angelis convenire, in quantum sursum extenti, uniuntur illuminationibus summi pulchri primique boni. Quæ illuminationes esse dicuntur sine principio et absque fine, secundum quod in circulo non est invenire principium et finem : non quod istæ illuminationes nunquam cœperunt, quum et angeli sui esse initium habeant, sed quoniam angeli uniformiter ac indesinenter intuentur et contemplantur omnis pulchritudinis bonitatisque fontem, Deum viventem. Juxta quem modum motus circularis, qui est circa idem centrum, carere principio ac fine asseritur. Appellatur itaque contemplatio ista angelica motus circularis, quoniam sicut motus circularis est ab eodem, ad idem et circa idem centrum immobile, sic in ista intellectiva angelorum operatione cognitio a Deo in eos derivatur, atque in ipsum immediate terminatur, et circa ipsum dumtaxat versatur : sicque per hanc illuminationem immediate revertuntur in Deum, illuminationis suæ fontem ac principem.

Istud, ut asserunt quidam, convenit primæ hierarchiæ dumtaxat, quo modo illa tantum immediate illuminatur a Deo. Sed hoc non est firmiter dictum. Omnes namque ac singuli ordines non solum quoad cognitionem in qua beatitudo essentialis consistit, verum etiam quantum ad quorumdam divinorum agnitionem effectuum, immediate illuminantur ac edocentur a Deo : multa quippe cognoscunt in Verbo. Denique S. Dionysius asserit generaliter, angelos circulariter circa Deum moveri, dicendo : Et moveri quidem dicuntur divini animi circulariter, uniti non inchoantibus et non terminatis illuminationibus boni et pulchri.

Insuper motus rectus, seu operatio intellectiva recto motui assimilata, competit angelis, in quantum superiores ad inferiorum providentiam se extendunt sive procedunt, infimi quoque angeli ad homines eorum custodiæ deputatos, recta seu recte omnia transeuntes, id est, ea quæ secundum rectum ordinem disponuntur peragentes, vel sibi subjectos rectificantes, atque per medios ad infimos recte tendentes. Hinc Dionysius ait : Directe vero moventur, quandocumque proveniunt in subjectorum providentiam, recta omnia terminantes. Quemadmodum autem Thomas affirmat in secunda secundæ, motus rectus in angelis accipi non potest secundum hoc quod in considerando procedant de uno in aliud (simplici namque intuitu res cognoscunt), sed solum secundum ordinem suæ providentiæ, prout scilicet superior inferiorem illuminat, docet, dirigit. (q. CLXXX, a. 6 ad 2um.)

Assimilatur vero operatio ista motui recto, quia sicut motus rectus est per quem transitur de uno in aliud, ita in hac actione angeli non revertuntur ab eodem ad idem, sed procedunt de uno in aliud, scilicet a se in subjectos.

Porro motus obliquus, seu actio intellectiva tali similis motioni, angelis congruit, in quantum secundum contemplationem Dei inferioribus providentes, reflectuntur in Deum (omnis boni ac pulchri principium et finem), per hoc, ut Vercellensis elucidat, quod inegressibiliter a se ipsis manent, uniformiter et indeficienter laudantes intra se bonum et pulchrum, suæ incommutabilitatis causam. Unde Dionysius : Oblique, inquit, moventur, quia et providentes inferioribus, irreversibiliter manent circa immutabilitatis causale bonum. Dicitur demum operatio ista motus obliquus, quoniam sicut motus obliquus vocatur qui ex circulari et recto componitur, sic ista angelica actio aliquid uniformitatis sortitur cum prima, in quantum est circa Deum, et aliquid de processu ad alia cum secunda.

Insuper B. Dionysius animabus hos motus seu actus aliter convenire testatur. Nempe in anima rationali circularis motus asseritur, dum investigando quasi a se egrediens, ad se rursus quasi ad punctum unde exiit, circulariter regreditur sive reflectitur, atque a multitudinis devio recollecta, uniformisque facta seu unitis virtutibus simplificata, ad summam veritatem convertitur, in primi, fontani, exemplaris, superexcellentissimi atque æterni boni ac pulchri contemplatione angeliformiter quiescens et fixa. Unde Dionysius : Animæ, inquit, motus circularis, est in semetipsam introitus ab his quæ foris sunt, et intellectualium suarum virtutum uniformis conversio sicut in quodam circulo, inerrabile suum donans, et a multis quæ extrinsecus sunt ipsam convertens et congregans primum in semetipsam, deinde velut uniformem factam adunans, et ita in bonum et optimum manuducens.

A Præterea oblique anima fertur moveri, quando non intellectuali, pura ac simplici ad divina extentione, sed juxta morem humanum rationali, discursiva atque symbolica creaturarum investigatione manuducitur ad illuminationes divinas, seu primæ et superessentialis veritatis, bonitatis ac pulchritudinis contemplationes theoricas. Hoc quippe est quod ait Theologus : Oblique, inquiens, anima movetur, quando proprie secundum se ipsis divinis illuminatur scientiis, non intellectualiter et potenter, B sed rationaliter et investigiose. Accipit itaque hoc loco Dionysius intellectum et rationem stricte ac proprie, prout ab invicem distinguuntur.

Præterea animæ dicuntur recte moveri, secundum Dionysium, quando ad exteriora prodeuntes, non inde in se ipsas reflectuntur ac redeunt, quia hoc esset circulariter ferri, sed ex illis tanquam variis divisisque divinorum symbolis, ad simplices, divinas atque unitas reducuntur ac sursumaguntur contemplationes.

C Ut autem hæc clarius elucescant, advertendum quod secunda secundæ, quæstione centesima octogesima, loquitur Thomas : art. 6 ad 2um. Homo, ait, cum angelis convenit in intellectu in genere ; sed vis intellectiva in angelo est multo perfectior : hinc oportet hos motus in animabus et angelis diversimode assignare, prout diversimode se habent ad uniformitatem. Angeli enim habent cognitionem uniformem quantum ad duo : primo, quoniam veritatis notitiam non accipiunt ex compositarum rerum varietate; D secundo, quoniam non discursive, sed simplici intuitu intelligibilem veritatem cognoscunt. Anima autem eam cum ratiocinationis discursu apprehendit, et ex sensibilibus rerum notitiam accipit. Antequam ergo anima ad angelicæ cognitionis uniformitatem sibi possibilem in hac vita pertingat, necesse est hanc duplicem ejus difformitatem qua differt ac distat ab angelicæ cognitionis uniformitate, removeri ab animæ intellectu : primo illam quæ ex rerum exteriorum diversitate contingit,

quod fit per hoc quod anima exteriora relinquit, et hoc est quod primo Dionysius ponit in circulari animæ motu introitum ipsius ab exterioribus rebus ad se ipsam ; secundo illam quæ est ex rationis discursu, quod fit dum omnes animæ operationes reducuntur ad simplicem intelligibilis veritatis contemplationem : ideo secundo Dionysius perhibet quod necessaria est uniformis conversio (vel, ut alia habet translatio, convolutio) intellectualium virtutum animæ, ut scilicet cessante discursu, figatur ejus intuitus in contemplatione unius simplicis veritatis. Et in hac operatione animæ non est error, quemadmodum nec in cognitione primorum principiorum, quæ simplici agnoscuntur intuitu. Et tunc, istis duobus præmissis, ponit Dionysius tertium, quod est uniformitas cognitionis animæ cum angelis, prout relictis ceteris universis, in sola Dei contemplatione persistit.

Postremo, hos tres contemplationis modos non est difficile ad genera contemplationis superius assignata reducere : quod diligentiæ commendo legentis. (lib. I, art. xxvi et s.)

ARTICULUS II.

De speciebus vel gradibus contemplationis secundum Origenem.

DENIQUE ingeniosissimus Origenes inducit quinque esse gradus contemplationis, quæ est carnalium mors quædam affectuum per sublevatæ illuminatæque mentis jubilum.

Primus gradus est absolutio affectivæ ab omni re potenti alligare vel retinere ipsam ad inhærendum sibi inordinate, puta ab omni re creata, vana, caduca. Si autem per absolutionem hanc intelligatur expurgatio a passionibus et peccatis, seu expeditio mentis ab impedimentis contemplationis, tunc absolutio ista non est essentialiter ipsa contemplatio, sed gradus et proximum præparamentum pertingendi ad eam ; si vero per absolutionem istam

A intelligatur elevatio formaliter mentem absolvens ab omni inordinato affectu, tunc est realiter contemplatio ipsa, et primus gradus ipsius, secundum quod absolutio talis requiritur ad salutem, videlicet ne tam inordinata sit anima, quod inhæsioni atque affectui Dei aliquid anteponatur.

Secundus gradus est continua conjunctio intellectus ad quodcumque elevans atque expediens acumen interni spiritualisque visus, quo in divina feratur : sicut est quælibet occupatio virtuosa, ut lectio,
B dictamen et oratio. Hic gradus potissime exstitit in Maria Christifera, sicut ad eam Origenes loquitur : Inter impletas et repletas, repletio tua qua gratia es repleta, obtinet primum locum ; et quoniam plenitudine gratiæ nunquam caruisti, serenitate intellectus præ omnibus puris hominibus abundantissime splenduisti : quod enim lux visui sui, hoc gratia intellectui confert.

Tertius gradus est intellectus et affectus simul proportionata commensuratio, consistens in hoc, quod magnitudo pastus seu
C dulcedinis vel saporis quo pascitur affectus, correspondet magnitudini cognitionis qua illustratur intellectus, et eam magnificat atque perornat.

Quartus est conjunctio mentis ad id quod vim, naturam et nobilitatem omnis rei animam gratificantis excedit. Res quippe animam gratificantes formaliter, sunt gratia et virtutes ; quod autem super eas est, sunt spiritus illi cœlestes beati, ex quorum ordine, officio, puritate ac visu fit quidam reflexus in animam contem-
D plantem, faciens in ea abundare felicem appetitum ad omnium Creatorem potentissimum, sapientissimum ordinatissimumque opificem.

Quintus est uniformis fixio totius congregati acuminis et spiritualis visus elevati, detersi, expediti ab omni detinente, in primum, summum ac suavissimum bonum : et hoc aliud prorsus non est quam de sæculo isto facere cœlum, et angelicam ducere vitam.

Hinc loquitur Origenes : Contemplato-

rem verum et jubilatorem certum te judico, si te perficit actio, si sensus ab exterioribus revocas, si ima et imaginabilia felicis silentii motu pertranseas, si rationalia et intelligibilia celeri motu percurras, si in primo summoque bono intelligentiam tuam reponas, inde sugens unde teneritudinem nutrias, bibens unde gaudeas, hauriens unde nunquam deficias. Sunt autem ad contemplationem hanc maxime opportuna : munditia vitæ contra sordes peccati, ne Deus mundissimus a contemplantis anima offendatur; fervor divini B amoris, ne contemplans remissus aut tepidus fiat, sed seriosus et alacer semper consistat; itemque fortitudo, ne unquam deficiat, imo usque in finem perseveret.

ARTICULUS III.

De speciebus contemplationis secundum Augustinum.

art. I. PAULO ante jam patuit quemadmodum juxta beatissimi ac divini Dionysii C anagogica documenta, angelis triplex conveniat contemplationis seu intellectivæ operationis modus, gradus seu species. Pariformiter alii angelicis mentibus triplicem cognitionem seu contemplationem attribuunt, utpote : matutinam, qua cuncta cognoscunt in Verbo, seu immediate in Deo per divinam essentiam eis per modum intelligibilis formæ unitam ; item meridianam, id est apertam, fruitivam seu beatificam Dei visionem ; vespertinam quoque, prout creata per species sibi concreatas ac D proprias noscunt secundum quod in propria subsistunt natura ; vel vespertina vocatur cognitio qua cognoscunt res ipsas in se.

Porro de cognitione angelorum matutina et vespertina loquitur Augustinus quarto super Genesim ad litteram, undecimo quoque de Civitate Dei. Et sicut Thomas dist. XII, a. 3. super secundum Sententiarum et prima q LVIII, a. 6. Summæ parte disseruit, præfata angelicæ cognitionis distinctio in matutinam ac ve- A spertinam, ab Augustino exordium sumpsit, qui dies illos quibus in Genesi legitur Gen. I. Deus cuncta creasse, non accipit de usitatis temporalibusque diebus, sed de una spirituali die, videlicet angelica cognitione, sex generibus rerum creatarum distincta. Quemadmodum ergo diei naturalis principium dicitur mane, et vespera finis ejus ; sic notitia rerum ut sunt et cernuntur in Verbo, dicitur matutina, earumdem quoque notitia in propria specie vel natura, vespertina vocatur : quoniam sicut vespera sequitur mane et inde procedit, ita esse rerum quod habent in se, procedit ab esse quod habent in Verbo.

Qualiter autem hæc tripartita angelicorum cognitio spirituum adaptetur ad triformem angelorum contemplationem seu intellectualem de qua loquitur Dionysius actionem, consideratione dignum existimo. Præterea arbitror quod cognitio matutina et etiam meridiana ad illam pertineat quam Dionysius motum circularem appellat : utraque namque attenditur penes illuminationem immediate a Deo in eis manantem, per quam convertuntur in ipsum. Cognitio autem vespertina ad alteram duarum de quibus Dionysius est locutus reducitur.

Denique, sicut præfatis nunc locis ponit Augustinus in angelis cognitionem matutinam ac vespertinam, ita duodecimo de Trinitate in anima rationali distinguit rationem in rationem superiorem ac inferiorem. Quæ quidem distinctio non est per diversas potentias, sed ejusdem potentiæ secundum varios usus seu actus, vel penes distincta objecta aut media. Unde ratio superior animæ appellatur, in quantum divinis atque æternis intenta est, vel conspiciendis et considerandis in se, vel consulendis, in quantum ex eis accipit causam ac regulas agendorum. Eadem demum ratio nuncupatur inferior, in quantum de transitoriis judicat et disponit. Hinc ratio superior sumit agendi rationes, causas seu regulas secundum leges divinas, ut hoc est agendum vel fugiendum, quoniam

Deus præcepit; ratio vero inferior, secundum leges humanas, sicut hoc est observandum, quia reipublicæ congruit.

Itaque, secundum hanc rationis duplicem distinctionem potest duplex contemplatio assignari, videlicet, divinorum, quæ (secundum Augustinum duodecimo de Trinitate) ad sapientiam pertinet, et temporalium, quam Augustinus scientiæ deputat. Per æterna autem atque divina quibus superior ratio est intenta, non solum intelliguntur ipsemet Deus sublimis et benedictus, rationes quoque et leges entium exemplares in ipso, sed rationes etiam rerum ac leges divinitus exemplatæ ac traditæ, secundum se sumptæ, vel ad exemplares rationes relatæ : secundum quem modum nominat eas Augustinus rationes incorporales et incommutabiles, super mentem exsistentes.

Præterea S. Augustinus super Genesim ponit triplicem speciem visionum. Primam nominat corporalem, secundam imaginariam ac spiritualem, tertiam intellectualem. Quemadmodum ergo in natura C humana naturaliter invenitur tripartitum visionis genus, videlicet corporale, quo visu carnali et exteriori colorata lucidaque videmus; et spirituale seu imaginativum, quo per sensum interiorem et cogitationem seu imaginationem absentia atque præterita cernimus, non per corpora, sed eorum imagines; et intellectuale, quo mentali intuitu incorporalia per se intelligibilia, divina atque simplicia contemplamur : ita supernaturaliter assignatur visionum genus triforme. Primum est corporale, D dum exteriori visui alicujus aliquod divino munere demonstratur, quod aliis præsentibus videre nequaquam conceditur : quemadmodum Daniel vidit Gabrielem, (*Dan.* IX, 21; X, 7.) Eliseus igneos equos et currus in montibus, (IV *Reg.* VI, 17.) Balthasar quoque articulos manus scribentis in pariete contra se. (*Dan.* V, 5.) Secundum genus est imaginarium, dum revelatione superna aliquid demonstratur alicui in somno vel ecstasi : sicut Petrus apostolus vidit discum, (*Act.* X, 11.) et Pharao spicas. (*Gen.* XLI, 5, 6.) Tertium A est visio intellectualis, qua nec corporalia, nec eorum imagines, sed divina, separata atque interna puro mentis conspiciuntur intuitu : quod ad anagogicam cognitionem certum est pertinere. Ad quod tertium genus etiam spectat, quod præfatæ duæ visiones designent Deo revelante dignoscere. Intelligentia nempe est opus (id est principale) in visione, ut legitur in Daniele. (*Dan.* X, 1.) Unde et Danieli datum est per intellectualem visionem imaginarias visiones Nabuchodonosor ac corporalem visionem (*Ibid.* II, 19 et seq.; IV, 16 et seq.; V, 17 et seq.) B Balthasar interpretari.

Itaque, juxta hanc triplicis visionis distinctionem potest et triplex contemplatio assignari, quamvis non proprie neque univoce ratio contemplationis ipsis conveniat. Scriptura tamen aliquando utitur nomine contemplationis pro quacumque visione. Unde in Daniele leguntur senes presbyteri contemplantes Susannam. (*Ibid.* XIII, 16.)

ARTICULUS IV.

De contemplatione et speciebus ipsius secundum Bernardum, et de mirabilibus judiciis Dei secundum Augustinum.

ASSIGNAT sanctus pater noster, divinus devotissimusque Bernardus, vir apostolicæ perfectionis, quinto libro de Consideratione, quatuor species contemplationis. Prima atque potissima est admiratio majestatis, id est Divinitatis incircumscriptæ Trinitatisque benedictæ cognitio amoroso sapore ac admiratione referta. Quo enim Divinitatis sublimitatem limpidius contuemur, eo excellentiam et proprietates ipsius vehementius admiramur. Hæc contemplatio, secundum Bernardum, requirit cor purgatum ac liberum, ut facile ad superna levetur, interdum quoque per aliquas morulas stupore et ecstasi suspensum admirando ferveat. Secunda species contemplationis, primæ necessaria et præsumptionis refrenativa, est intuitio judiciorum Dei : quæ dum pavido adspectu vehementer concutit intuentem, vitia fu-

gat, fundat virtutes, initiat ad sapientiam, humilitatem conservat. Tertia est consideratio beneficiorum Dei : quæ ne dimittat hominem ingratum Deo, sollicitat memorantem ad benefactoris amorem. Quarta est inspectio promissorum Dei : quæ ea
Philipp. III, 13. quæ retro sunt obliviscens, in sola promissorum exspectatione quiescit, longanimitatem alit, et perseverantiæ dat vigorem.

Insuper, teste Bernardo, lectio, meditatio, oratio et contemplatio sunt scala claustralium, qua de terra ad cœlestia sublevantur. Lectio beatæ vitæ dulcedinem quærit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio gustat.

In opusculo demum quod intitulatur, De arbore contemplationis, inducit septem esse necessaria ad hoc quod Deo in anima nostra hortum deliciosum sive pomarium fructuosum, in quo per radium contemplationis Deo vacemus, efficiamus. Primum est vera humilitas, sine qua virtutum aggregatio est ruina ; secundum, compassio proximi ex pura caritate procedens ; tertium, temporalis ac pœnitentialis afflictio, seu adversitatum patientiosa perpessio ; quartum, cordis compunctio ; quintum,
Ibid. I, 23. desiderium gloriæ, ut cupiat homo dissolvi et esse cum Christo ; sextum, visitatio superna quæ animam consolatur ; septimum est defectio, quando divini amoris vinculis anima ita adstringitur, ut corpus deficere compellatur. His itaque ramis mens decorata, erit thronus ac lectulus veri Salomonis, eritque Sponso cœlesti sincerissima atque ignita contemplatione
Cant. VIII, 5. intenta, deliciis affluens, innixa super dilectum suum.

Denique in epistola ad Fratres de Monte Dei, multa contemplationem contemplativamque vitam concernentia introducit.
Sap. VI, 14, 17. Sapientia, inquiens, præoccupat eos qui se concupiscunt, et occurrit eis, et ostendit se in viis suis hilariter in proficiendo ac meditando. Adjuvat enim Deus vultu suo se intuentem ; movet, promovet et attrahit species summi boni se contemplan-

A tem. Tunc ratio proficiens in amorem sursum ascendit, et amanti ac desideranti gratia condescendit. Menti quippe nil dignius est ad quærendum, nil dulcius ad inveniendum, nil validius ad habendum ; et hoc solum magnum et bonum est, quum animus devotus adspicit, miratur et affectat quod super ipsum est, Deo, cujus imago est, adhærere festinans memoria, intelligentia et amore. Quo etiam altius est quo nititur, eo fortioribus exercitiorum est studiis exercendus. Quemadmodum enim ali-
B quando magno labore ac studio perseverante virtutes trahuntur in affectum et mentem bonam, sic vitia levissima remissionis et licentiæ opportunitate transeunt in conspersionem, et quasi naturalia efficiuntur.

Porro, quum de Deo et his quæ Dei sunt cogitatur, et voluntas eo proficit ut amorosa ac fervida fiat, continuo per viam amoris infundit se Spiritus Sanctus, et cuncta vivificat, adjuvans in oratione ac meditatione infirmitatem cogitantis ; sta-
C timque memoria impletur sapientia, dum suaviter sapiunt ei bona Domini, et intellectus cogitantis efficitur contemplatio amantis. Tunc bene cogitatur de Deo, in cujus abundantissimæ suavitatis memoria exsultatur, jubilatur ; et vere sentitur de Sap. I, 1.
Domino in bonitate ab eo qui in simplicitate cordis quæsivit eum. Sed modus hic cogitandi non est in arbitrio cogitantis, sed in gratia donantis Spiritus Sancti, qui ubi vult spirans, quando vult et quomodo Joann. III, 8.
vult et quibus vult in hoc adspirat ; sed
D hominis est jugiter præparare cor. Prov. XVI, 1.

Est insuper animæ similitudo quædam naturalis cum Deo, quam nemo amittit ; est alia Deo magis propinqua, qua anima magnitudine virtutis magnitudinem cupit imitari Creatoris, et perseverantiæ in bono constantia, invariabilitatem æternitatis illius. Ultra hanc est et alia similitudo animæ cum Deo, in tantum propria, ut jam non similitudo, sed unitas spiritus nominetur, quum fit homo cum Deo unus, non tantum unitate idem volendi, sed expressi-

ori quadam unitate virtutis aliud velle non valendi. Dicitur autem hæc unitas spiritus, non tantum quia efficit eam, vel quia afficit ei spiritum hominis Spiritus Sanctus, sed quia ipsa ipse est Spiritus Sanctus, quum qui est amor, unitas, suavitas, osculum et amplexus Patris ac Filii, hoc idem fit homini suo modo ad Deum, quod cum substantiali unitate Filio est ad Patrem, vel Patri ad Filium; quum in osculo et amplexu Patris et Filii mediam quodammodo se invenit beata conscientia; quum ineffabili et inexcogitabili modo meretur fieri homo Dei, non Deus, sed tamen quod Deus est per naturam, fit homo per gratiam. Ipse enim Spiritus Sanctus artifex est omnipotens, creans hominis ad Deum bonam voluntatem, Dei ad hominem faciens propitiationem, formans affectionem, dans virtutem, prosperans operationem, agens
Sap VIII, 1. omnia fortiter et disponens cuncta suaviter; ipse docet invenire, habere et frui.

Quidquid tamen hujusmodi de visione et cognitione Dei hic fidelibus impertitur, speculum est et ænigma, tantum distans a futura visione et cognitione, quantum fides a veritate et tempus ab æternitate. Porro electo et dilecto Dei lumen quoddam vultus Dei aliquando vicissim ostenditur, sicut lumen clausum in manibus, quod patet et latet ad tenentis arbitrium, ut per hoc quod quasi in transcursu vel puncto videre permittitur, exardescat animus ejus ad possessionem plenam luminis æterni et hereditatem plenæ visionis Dei : cui ut innotescat aliquatenus id quod ei deest, nonnunquam quasi pertransiens gratia perstringit sensum amantis, et eripit ipsum sibi, et rapit in diem qui est a tumultu rerum ad gaudia silentii, et pro modulo suo ad momentum, ad punctum id ipsum ostendens ei videndum sicuti est. Interdum etiam ipsum efficit in id ipsum, ut sit ipse pro modulo suo sicut illud est : ubi quum didicerit quid intersit inter mundum et immundum, sibi redditur, et remittitur ad mundandum cor, ad aptandum animum suum ad similitudinem deiformem, ut si

A aliquando rursum admittatur, sit purior ad videndum et stabilior ad fruendum. Nusquam enim melius se deprehendit modus imperfectionis humanæ, quam in lumine vultus Dei, in speculo divinæ visionis, ubi se clarius videns, emendat similitudine seu Dei imitatione quidquid deliquit dissimilitudine vel sui a divinæ legis dissensione, quousque amor ejus proficiat in aliquam similitudinem amoris illius qui Deum fecit homini similem per humiliationem humanæ conditionis, ut ho-
B minem constituat Deo similem per glorificationem divinæ participationis. Et tunc dulce est homini cohumiliari summæ majestati, compauperari Filio Dei, divinæ sapientiæ conformari.

Hæc est sapientia cum pietate, amor cum timore, exsultatio cum tremore, dum *Ps.* II, 11.
cogitatur et intelligitur Deus humiliatus *Philipp.*
usque ad mortem crucis, ut hominem re- II, 8.
pararet et exaltaret usque ad similitudinem Divinitatis. Hinc emanat fluminis im- *Ps.* XLV, 5.
petus lætificans civitatem Dei, memoria *Ps.* CXLIV, 7.
C abundantiæ suavitatis ejus in intelligendis et cogitandis circa nos donis ipsius.

Præterea, pius ac sapiens animus, per illuminantem et adjuvantem gratiam Dei, in contemplatione summi boni speculatur etiam regulas incommutabilis veritatis, in quantum ad eas pertingere meretur intellectu amoris, et exinde format sibi modum cœlestis cujusdam conversationis et formam sanctitatis. Speculatur enim summam veritatem et quæ ex ea vera sunt, summum bonum et quæ ex eo bona sunt,
D summam essentiam et æternitatem et quæ ex ea sunt; illi veritati, illi caritati, illi æternitati se conformans, vel in istis se ordinans. Ex quo oriuntur virtutes sanctæ, imago Dei reformatur in homine, et vita in omnibus ordinatur.

Præterea ibidem docet Bernardus, quod licet æterna illa dulcedo visitationis supernæ perfectorum meritis debeatur, interdum tamen ex infinita clementia Dei, puræ orationis affectus et bona illa affectionis suavitas non invenitur, sed quasi

invenit, quum non petentem, non quæren- A tem, non pulsantem et quasi nescientem gratia prævenit, et tanquam genus servorum suscipitur in mensa filiorum, quum rudis adhuc animus et incipiens in eum orandi affectum assumitur qui pro præmio sanctitatis reddi solet meritis perfectorum. Sed tunc magna est opus cautela, ne imperfectus inaniter glorietur, verum se ipsum humilians, ad meliora provocetur.

Postremo, teste Bernardo, etiam a perfectis Sponsus ille cœlestis diu desideratus B atque quæsitus cito secedit, cito elapsus subtrahit se quantum ad visionem prædictam sublimem, quantum ad contemplationis dulcedinem, quantum ad sensibilem unionem. De quo non est inordinate dolendum : recedit namque propter illorum cautelam, ne consolationis magnitudine extollantur, ne si semper apud eos sit Sponsus, incipiant aspernari sodales, jamque continuam visitationem non gratiæ tribuant, sed naturæ. Vulgare proverbium est : Nimia familiaritas parit contemptum. C Recedit ergo, ne nimis assiduus contemnatur, ut absens magis desideretur, desideratus avidius quæratur, diu quæsitus tandem gratius inveniatur. Paulisper per-
I *Petr.* II, 3. mittit nos gustare quam dulcis est, et antequam plene sentiamus, subtrahit se ; et
Deut. XXXII, 11. ita quasi expansis supra nos alis, provocat nos ad volandum, quasi dicat : Parum gustastis quam suavis sum et dulcis ; si vul-
Cant. I, 3. tis plene hac satiari dulcedine, currite post me in odore unguentorum meorum, ha-
Coloss. III, 1. bentes sursum corda, ubi ego sum ad dex- D teram Dei Patris sedens. Ibi me videbitis
I *Cor.* XIII, 12. non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem; et plene gaudebit cor vestrum,
Joann. XVI, 22. et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

Quoniam autem nunc dictum est secundam speciem contemplationis versari circa judicia Dei, secundum Bernardum ; de ipsis Dei admirandis imperscrutabilibusque judiciis aliqua dici possent : de qui-
art. LXV. bus tamen in superiori operis hujus tractatu quædam inducta sunt.

De hac quippe materia pulcherrime loquitur S. Augustinus vicesimo libro de Civitate, secundo capitulo :

Nunc, inquiens, mala æquo animo ferre discimus, quæ patiuntur et boni, et bona non magni pendere, quæ adipiscuntur et mali ; ac per hoc etiam in his rebus in quibus non apparet divina justitia, salutaris est divina doctrina. Nescimus enim quo judicio Dei bonus ille sit pauper, malus ille sit dives ; ille gaudeat quem pro perditis suis moribus cruciari debuisse mœroribus arbitramur, contristetur ille quem pro vita sua laudabili gaudere debuisse opinamur ; cur in judicio innocens obruatur, et scelestus justificetur ; impius optime valeat, pius languore tabescat ; latrocinentur sanissimi juvenes, et qui nec verbo aliquem lædere potuerunt, diversa morborum atrocitate affligantur infantes ; utiles rebus humanis immatura morte rapiantur, et qui videntur nec nasci debuisse, diutissime vivant ; plenus criminibus sublimetur honoribus, et justus persever et absconditus ; cetera quoque hujusmodi, quæ nec colligere nec numerare sufficimus.

Quæ si haberent in ipsa velut (et ut apparet) absurditate constantiam, ita ut in
hac vita, in qua homo vanitati similis fa- *Ps.* CXLIII, 4.
ctus est, soli mali adipiscerentur transitoria bona ista atque terrena, solique boni paterentur mala ; posset hoc referri ad justum judicium Dei, seu etiam benignum : ut qui non erant assecuturi bona æterna, quæ beatos efficiunt, temporalibus bonis vel deciperentur pro sua malitia, vel pro Dei misericordia consolarentur eisdem ; et qui non erant passuri æterna tormenta, temporalibus malis pro suis quibuscumque peccatis affligerentur, vel propter implendas virtutes exercerentur. Nunc vero quando non solum in malo sunt boni, et in bono mali, quod videtur injustum, verum etiam plerumque et malis mala eve-
niunt, et bonis bona ; magis inscrutabi- *Rom.* XI, 33.
lia fiunt judicia Dei, et investigabiles viæ ejus.

Quamvis ergo nesciamus quo judicio Deus ista faciat vel fieri sinat, apud quem summa virtus est, summa sapientia et summa justitia; salubriter tamen discimus non magni pendere seu bona seu mala quæ videmus esse bonis malisque communia, et illa bona quærere quæ bonorum, atque illa mala maxime fugere quæ propria sunt malorum. Quum vero ad diem judicii extremi venerimus, non solum quæcumque tunc judicabuntur, verum etiam quæcumque ab initio judicata, et quæcumque usque ad illud tempus judicanda sunt, apparebunt esse justissima. Ubi hoc quoque manifestabitur, quam justo Dei judicio fiat ut nunc tam multa et pene omnia justa Dei judicia lateant sensus mentesque mortalium : quum tamen in hac re piorum fidem non lateat justum esse quod latet. — Hæc illuminatissimus Augustinus.

ARTICULUS V.

De contemplatione secundum Hugonem.

HUGO de S. Victore, quem Richardus affirmat sui temporis præcipuum fuisse theologum, super Ecclesiasten de spiritualium speculationum generibus loquens: Tres, inquit, sunt animæ visiones (id est interiores considerationes sive adspectus), videlicet cogitatio, meditatio, contemplatio. Cogitatio est, quum mens notione rerum transitorie tangitur, quum ipsa res sua imagine subito præsentatur animo, vel per sensum ingrediens, vel a memoria exsurgens. Meditatio autem est assidua et sagax retractatio cogitationis, aliquid involutum explicare nitens, vel scrutans penetrare occultum. Contemplatio est perspicax et liber animi contuitus, in res perspiciendas usquequaque diffusus. Inter meditationem et contemplationem hoc interesse videtur, quod meditatio semper est de rebus ab intelligentia nostra occultis, contemplatio vero de rebus vel secundum suam naturam vel secundum nostram capacitatem manifestis ; et quod meditatio

A semper circa unum aliquid rimandum occupatur, contemplatio autem ad multa vel etiam ad universa comprehendenda diffunditur. Meditatio itaque est actio animæ curiosa et sagax ad investigandum obscura et evolvendum perplexa ; contemplatio vero est vivacitas illa intelligentiæ quæ cuncta in palam habens, manifesta visione comprehendit : et ita quodammodo quod meditatio quærit, contemplatio possidet.

Denique his verbis Hugonis se conformans discipulus ejus Richardus : Cogita- B tio, ait, est improvidus animi respectus ad evagationem pronus. Meditatio est studiosa mentis intentio circa aliquid investigandum diligenter insistens ; vel sic : Meditatio est providus animi contuitus in veritatis inquisitione vehementer occupatus. Simili modo accipit eam Bernardus, dicens : Meditatio est studiosa mentis actio, occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis investigans. Unde et Thomas in secunda secundæ disseruit, quod meditatio (q. CLXXX, a. 3 ad 1um.) pertinet ad processum rationis ex aliqui- C bus principiis ad veritatis contemplationem pertingentibus, et quod ad idem, secundum Bernardum, pertinet consideratio.

Verumtamen unum præinductorum frequenter pro alio sumitur. Augustinus quippe in libro de Trinitate et Anselmus ubertim cogitationem accipiunt pro quocumque actu intellectus seu qualibet cognitione intellectiva. Aristoteles quoque in tertio de Anima sumit considerationem pro omni actu intellectus. Imo Scriptura canonica nominibus cogitationis, meditationis et con- D siderationis sic utitur. Scriptum est namque in Psalmo : Consilium Domini in æternum manet, cogitationes cordis ejus in generatione et generationem ; (*Ps.* XXXII, 11.) et rursus : Cogitabo pro peccato meo ; (*Ps.* XXXVII, 19.) et, Considerabo mirabilia de lege tua ; (*Ps.* CXVIII, 18.) et, In lege Dei meditabitur die ac nocte. (*Ps.* I, 2.) Item in Isaia, Jeremia et Zacharia cogitatio Deo adscribitur. Ideo de istis quid nominis non videtur multum curandum, nisi ut diversi actus animæ appropriatis vocibus designentur. Sicque ait Richardus, quod eamdem rem

aliter per cogitationem intuemur, aliter per meditationem rimamur, atque aliter per contemplationem miramur. Cui conforme est illud Boetii : Unam atque eamdem rem aliter sensu exteriori, aliter imaginatione, aliter ratione, aliter intelligentia noscimus. (De Consolat. lib. v, pros. 4.)

Præterea, duas contemplationis species ponit Hugo. Una est in creaturarum consideratione : quam appropriato vocabulo speculationem appellat. Alia est in Creatoris contemplatione : quæ proprie contemplatio nominatur. In Proverbiis Salomon quasi meditando processit, in Ecclesiaste ad primum contemplationis gradum ascendit, in Canticis canticorum ad supremum se transtulit.

In meditatione quasi lucta quædam est ignorantiæ cum scientia, et lumen veritatis quodammodo in media erroris caligine emicat. Cor quippe adhuc aliqualiter carnale, quasi lignum viride, et nondum ab humore carnalis concupiscentiæ exsiccatum, si quando aliquam divini timoris seu dilectionis scintillam conceperit, primo pravis desideriis reluctantibus, passionum ac perturbationum fumus exoritur ; deinde roborata mente, dum flamma amoris divini validius ardere clariusque splendescere cœperit, mox omnis perturbationum caligo evanescit, et jam pura mente se animus ad contemplationem veritatis diffundit. Novissime autem postquam assidua veritatis contemplatione cor penetratum fuerit, et ad ipsum summæ veritatis fontem medullitus toto animæ affectu intraverit, tunc in id ipsum dulcedinis, quasi ignitum totum et in ignem amoris conversum, ab omni strepitu et perturbatione pacatissimum, requiescit.

Primo igitur, quia inter pericula tentationum consilium quæritur, quasi in meditatione fumus cum flamma est. Secundo, quia mente pura cor ad contemplationem veritatis diffunditur, quasi in principio contemplationis flamma sine fumo est. Tertio, quia jam inventa veritate et perfecta caritate, nihil ultra id quod unicum

(A) est quæritur, in solo igne amoris summa tranquillitate et felicitate suaviter repausatur. Tunc corde toto in ignem amoris converso, vere Deus omnia in omnibus esse sentitur, quum tam intima dilectione suscipitur, ut præter illum etiam de semetipso cordi nil relinquatur.

Ut ergo tria hæc propriis vocabulis distinguamus, prima est meditatio ; secunda, speculatio ; tertia, contemplatio. In meditatione, mentem pia devotione succensam perturbatio passionum carnalium importune (B) exsurgens obnubilat; in speculatione, novitas insolitæ visionis in admirationem sublevat ; in contemplatione, miræ dulcedinis gustus totam in gaudium et jucunditatem commutat. Igitur in meditatione est sollicitudo, in speculatione admiratio, in contemplatione dulcedo. Solet tamen etiam speculatio ipsa spiritualis magna animum jucunditate reficere, dum post luctam tentationum et caliginem erroris, subito insperata animam pace componit, insolita claritate perfundit. — Hæc Hugo. (C)

ARTICULUS VI.

De contemplatione et speciebus ejus secundum Richardum de S. Victore.

QUONIAM contemplatio est spiritualis quidam animæ nostræ volatus, Richardus differentias contemplationum assignat juxta differentias volationum volatilium cœli. Contemplationis, inquit, formam in avibus perpendere possumus : in quibus (D) videmus nonnullas nunc se ad superiora erigere, nunc ad inferiora descendere, idque frequentius iterare; aliæ autem nunc dextrorsum, nunc sinistrorsum se ferunt ; quædam jam in anteriora, jam in posteriora multoties se devolvunt ; aliquæ vero se in gyrum flectunt, eosdemque circuitus sæpe repetunt ; reliquæ quoque in uno eodemque loco diutius suspenduntur, et mobili agitatione quasi immobiliter illic figuntur.

Porro, ut S. Thomas in secunda secundæ (q. CLXXX, a. 6 ad 3um.)

compendiose explanat, per hos motus signantur diversi rationis discursus : quia si discursus rationis sit a genere ad speciem, vel a toto ad partem, vel e converso, erit (ut Richardus exponit) secundum sursum et deorsum ; si vero sit ab uno oppositorum in aliud, prout ex notitia unius contrarii ad alterius scientiam devenitur, erit secundum dextrorsum et sinistrorsum; si insuper sit a causis in effectus, vel econtra, erit secundum ante et retro; si deinceps sit secundum accidentia quæ rem circumstant, propinqua sive remota, erit quasi in gyro vel secundum circuitum ; dum autem ratio in alicujus rei contemplatione libenter moratur, est secundum immobilitatem. Dicit quoque S. Thomas, quod B. Dionysius motus contemplationis multo sufficientius subtiliusque describit quam Richardus.

Denique, Richardus ponit sex genera contemplationis. Primum est in imaginatione et secundum solam imaginationem, quando videlicet corporalia ista quæ sensu exteriori percipimus, attendimus quam sint multa, magna, diversa, pulchra sive jucunda, atque in omnibus his Creatoris potentiam, sapientiam magnificentiamque mirando veneramur, eum in suis operibus mirabilem, laudabilem et amabilem cognoscentes. Secundum genus est in imaginatione secundum rationem, quando eorum quæ ad primum contemplationis genus pertinent rationem inquirimus, atque inventam in considerationem cum admiratione adducimus, ordinem, dispositionem, modum et utilitatem corporalium speculantes.

Tertium est in ratione secundum imaginationem, quando per rerum visibilium similitudines, naturas seu proprietates, ad invisibilium ac divinorum notitiam elevamur : ad quod pertinent loca Scripturæ sacræ in quibus cœlestia ac divina per sensibilia designantur, videlicet beatifica visio Dei per panem seu mensam. Quartum est in ratione et secundum rationem, quando secluso omni imaginationis officio, A ex cognitione invisibilium quæ in nobis sunt, scilicet animæ nostræ et superiorum virium ejus, ad superiorum intellectuum contemplationem assurgimus.

Quintum est supra rationem, sed non præter rationem, dum ex divina revelatione ea cognoscimus quæ nulla humana ratione plenarie investigari comprehendive possunt : ut sunt præsertim quæ de divina essentia et ejus unitate tenemus ; quæ licet ratione comprehendi non valeant, ratio tamen eis non contradicit, sed B facile acquiescit atque alludit. Sextum est supra rationem, et videtur esse præter rationem, quando ea adspicimus quibus ratio naturalis reclamat : ut sunt quæ de superbenedicta Trinitate cognoscimus. Sed et ea in creaturis quæ comprehendi non valent, vel rationi contraria prorsus videntur, ad hæc duo contemplationis genera spectant, secundum Richardum.

Itaque horum generum contemplationis duo prima in imaginatione, duo media in ratione, duo ultima in intelligentia noC stra consistunt.

Præterea, in gratiam contemplationis tribus modis proficimus, scilicet, ex gratia, ex propria industria, ex aliena quoque doctrina.

Adhuc autem, qualitas contemplationis tribus modis variatur. Interdum agitur mentis dilatatione, interdum mentis sublevatione, aliquando mentis alienatione. Dilatatio est, quando acies mentis latius extenditur vehementiusque acuitur, modum tamen humanæ industriæ non superD greditur. Sublevatio mentis est, quando vivacitas intelligentiæ divinitus irradiata humanæ industriæ metas transcendit, nec tamen in mentis alienationem transit, ita ut supra se sit quod videt, nec tamen ab assuetis recedat. Alienatio est, quando præsentium memoria menti excidit, et peregrinatio humanæ industriæ statum divinæ operationis transfiguratione transit : quod tribus modis contingit. Jam enim præ magnitudine devotionis, jam præ magnitudine admirationis, jam præ magnitudine exsul-

tationis fit ut mens se ipsam non capiat, sed supra se elevata in alienationem transeat. — De hoc nunc pertranseo, quia infra, ut reor, plus inde dicetur.

Præterea, dubitare quis potest quomodo duo prima contemplationis genera in imaginatione ponantur, quum certum sit omnem veram contemplationem actum intellectivæ esse potentiæ, nec sine ratione fieri possit quod Richardus ad primum contemplationis genus asserit pertinere, utpote corporalium multitudinem, magnitudinem, pulchritudinem jucunditatemque cum obstupefactione attendere. Iterum quærendum esset quid nomine imaginationis intelligat, an vim imaginativam, an actum ipsius. — Ad hæc breviter dici posset, quod prima genera contemplationis non sunt in imaginativa potentia subjective, sed in imaginatione tanquam in subserviente præcipue et directe ad veritatis intuitum obtinendum ; vel « in imaginatione », id est actu rationis ad imaginativam omnino reflexæ seu imaginationi permixtæ. Quandoque enim imaginatio pro actu rationis accipitur, sicut quum dicimus : Illius doctoris imaginatio est.

Postremo, præinductæ distinctioni Richardi simile aliquid legitur, quod Aristoteli adscribitur ; nomen quoque libelli est, De quinque digressionibus cogitationis. Cujus opusculi iste est totus textus : Quinque sunt digressiones cogitationis. Prima est in sensu, secunda est in imaginatione, tertia est in ratione, quarta in intellectu, quinta in intelligentia. Per sensum, est in istis et secundum ista ; per imaginationem, non est in istis, sed secundum ista ; per rationem, non est in istis nec secundum ista, sed in illis et de illis quæ sunt secundum ista ; per intellectum, non est in illis, sed de illis ; per intelligentiam, non est in illis nec de illis. Explicit textus.

Forte ex his verbis sumpta fuit occasio distinguendi genera contemplationis modo jam introducto. Quamvis autem propter prolixitatem vitandam, textus verborum il- A lorum tam involutus, obscurus atque difficilis, non sit loco hoc elucidandus, ut tamen aliqualiter innotescat, lectorique curioso ac avido satisfiat, breviter est tangendum, quod primus animæ motus vel cogitatus a sensuum exercitio procreatur, per quos primo anima digreditur, id est, de re una in aliam mentis circuitione graditur seu defertur. Ideo prima digressio cogitationis motusque animæ « est in istis », hoc est in conspicabilibus ac sensibilibus rebus, « et secundum ista », utpote sensibi- B lia, hoc est secundum eorum præsentiam, qua sublata, sensuum frustrantur præludia et cessant officia. Prima ergo digressio cogitationis est in sensu exteriori, id est, per usum ejus in anima generatur : cognitio quippe inchoatur a sensu.

Porro secunda digressio est per imaginationem, quum in rememoratione sensibilium ad quæ sensus exierat, anima penes se quasi quoddam memoriale exemplum inscribit, ut præter sensibilium de quibus cogitat præsentiam, in eorum imagine vi- C deatur suspensa. Ideo digressio cogitationis secunda jam « non est in istis », scilicet sensibilibus, a quibus, actu sensus cessante, discessit, « sed » est « secundum ista », id est in formis imaginibusque ipsorum, dum ad eorum considerationem recordationis motus notitias imaginarias in animam spargit.

Insuper vis animæ quæ judicii veritatem inquirit, ratio appellatur ; quæ etiam in quantum veritatem judicii sentit, intellectus nomen sortitur. Tertia ergo cogita- D tionis digressio exsistens in ratione, « non est in istis », videlicet sensibilibus, sicut sensus, « nec secundum ista », sicut imaginatio, « sed in illis et de illis quæ sunt secundum ista », id est de intrinsecis ac substantialibus sensibilium formis, quæ interioris oculi luce cernuntur : sicque ratio sensus et imaginationis transgreditur metas, sed tamen cognoscit quæ conspicit, per concretionem ad ea in quibus sunt.

Ideo quarta digressio est in intellectu, cujus est formas per rationem quæsitas a

subsistentibus cunctis abstrahere, et quid proprietate efficiendi vel essendi aut ex genere sint, aut cujus conditionis, ex ratione puriori mentis radio intueri. Ideo « non est in illis », in quibus est ratio, sed supra illa, in illorum generibus, hoc est in efficientiis essentiisve naturæ ; « sed de illis » est, quorum utique certitudo seu notitia per rationem adepta, intellectum defert in genera atque communia abstractive inspicienda : ideo non de illis est proprietate concretionis, sed consideratione abstractionis.

Postremo, quinta digressio in intelligentia collocatur, quæ « non est in illis nec de illis », sed de Deo uno ac trino, de ente illo quod super omnia incomparabili excellentia præstat, quod nec genere nec specie cum creatis communicat. Ad ejus contemplationem qui iter considerationis assumit, relictis rerum consequentiis, fidei potius quam argumentis innitatur : quoniam Deus Trinitas supra indagationem naturæ est, non sensui pervius, nec imaginatione memorandus, nec ratione penetrari nec intellectu poterit comprehendi. Nempe quod supra omnia est, informe est, simplex est, unicum est, inexpugnabile est, immensum, æternum, nulloque termino clausum est ; in quo non modo infirmitatem, sed etiam taciturnitatem profitebitur sermo ; ubi quidquid vocabulorum multitudo designet, solius professionis seu nostræ laudationis ac considerationis pluralitas est, et non signati, utpote simplicissimi Dei per diversa vocabula designati a mente humana, quæ ipsum in suæ simplicitatis puritate comprehendere nequit. Quum enim nominatur Trinitas aut Opifex vel Νοῦς, unitatis significantia multiplici subest professioni.

Verum, si Aristoteles præinductum edidit textum, ipse per digressionem quintam, quæ est in intelligentia, non superbenedictæ Trinitatis, sed divinæ essentiæ contemplationem insinuasse credendus est. Auctor vero commenti, ex quo ista breviter sunt collecta, christianus fuisse non du-
A bitatur, qui in fine ait commenti : Quanto anima immutabilis veritatis fide sustollitur, tanto alacriori desiderio in supercœlestis ac imperscrutabilis omnium causæ contemplatione rite succenditur.

ARTICULUS VII.

De contemplatione secundum Doctorem sanctum.

DE contemplatione specialem hoc loco
B formare articulum secundum B. Thomam, insignem philosophum atque profundum egregiumque theologum, non intendebam. Nempe quæ ipse de contemplatione in secunda secundæ inducit, jam pro maxima commemorata et allegata sunt parte. Primo etenim movet, an vita conveniente ac sufficienter dividatur per contemplativam atque activam. De hoc autem in primo libro præhabitum est, articulo undecimo. quæst. CLXXIX, CLXXX.

Deinde circa contemplativam movet octo
C quæstiones. Prima est, an vita contemplativa pertineat tantum ad intellectum, an etiam consistat in affectu. De hoc tractatum est septimo primi libri articulo. Secunda est, an ad vitam contemplativam pertineant virtutes morales. Quod vicesimo articulo præfati libri solutum est. Tertia est, an vita contemplativa consistat solum in uno actu. Idque duodecimo articulo primi libri discussum invenio. Quarta, an ad vitam contemplativam pertineat consideratio cujuscumque veritatis. Hoc tertio li-
D bri primi articulo est solutum. Quinta est, an vita contemplativa in hoc statu possit elevari usque ad visionem Dei per speciem. De hoc nondum quid dictum, sed infra, Deo agente, dicetur. Sexta est de motibus contemplationis secundum Dionysium. De hoc jam primo hujus libri articulo memini dictum. Septima, de delectatione contemplationis. De quo dictum reperio tertiodecimo primi libri articulo. Octava est de diuturnitate vitæ contemplativæ. Estque id ipsum quintodecimo libri

præfati articulo determinatum, infra quoque plenius, Deo implente, tractabitur et solvetur.

quæst. CLXXXII. Deinde inducit quatuor quæstiones de comparatione vitæ activæ et contemplativæ ad invicem. Prima est, quæ earum sit potior. Secunda, quæ magis meritoria. De his dictum est quartodecimo articulo libri primi. Tertia est, an contemplativa vita per activam impediatur. De qua re aliquando dictum recordor. Quarta, quæ earum præcedere debeat. Quod vicesimo primi libri articulo satis discussum opinor. Postremo, quid ipse de raptu seu ecstasi contemplationem concernente dicat, infra, si dederit Deus, locum habebit. lib. I, art. XX.

ARTICULUS VIII.

De contemplatione et speciebus ejus secundum Doctorem devotum.

INTER divinorum elevatissimos contemplatores expertissimosque gustatores, non mediocrem locum sortitus dominus Bonaventura, doctor dulcissimus ac devotus, de contemplatione præ multis abundantius scripsisse videtur. De cujus tamen redundantibus dictis non nisi paucissima hoc loco arbitror inserenda, eo quod scripta ejus, ut dignum est, ubique vulgata sint et prompte queant haberi. Multa quoque ex dictis ejus induxi, et (Deo exsequente) opportunis locis tertio libro inducam. lib. I, art. XXVIII.

Itaque Doctor iste in libro qui dicitur Itinerarius mentis in Deum, assignat gradus seu species quasdam contemplationis, quibus ad Divinitatis æternæ summæque Trinitatis speculationem quasi per ascensiones scalares pertingitur. Primus gradus est speculatio Dei per vestigia ejus in universo; secundus, speculatio Dei per sua vestigia in hoc mundo sensibili. De quibus gradibus primo libro jam dictum est, in his quæ de quinta contemplationis specie illic tractata sunt articulis sexagesimo octavo et sexagesimo nono. Tertius A insuper gradus est speculatio Dei per suam imaginem naturalibus potentiis insignitam, videlicet animam rationalem. De quo etiam gradu dictum est primo libro, articulis septuagesimo et septuagesimo primo. Quartus gradus est speculatio Dei per suam imaginem donis gratuitis reformatam. De quo dictum est primo libro, in his quæ quartam speciem contemplationis concernunt. Quintus, speculatio divinæ unitatis per ejus nomen primarium, quod est Esse. De hoc dictum est in primo libro, B in his quæ ad secundam contemplationis pertinent speciem. Sextus est speculatio beatissimæ Trinitatis in ejus nomine quod est Bonum. De quo dictum est libro præfato, in his quæ contemplationis speciem primam respiciunt. Septimus est excessus mentalis et mysticus, in quo requies intellectui datur, affectu in Deum totaliter transeunte. De quo infra, tertio libro, quod Fons veritatis concesserit, oportet diligentius pertractare. art. LVI et s. art. XLII. art. XXVII et s.

Præterea, in alio quodam tractatu, cujus C exordium est, Contemplativorum aquilinos obtutus, ponit alios septem gradus contemplationis, præinductis subliniores : quos nominat gloriosissimos, et sola experientiæ scientia cognitos. Primum nuncupat ignem, secundum unctionem, tertium ecstasim, quartum speculationem, quintum gustum, sextum quietem, septimum gloriam. Primo enim anima ignitur, ignita ungitur, uncta rapitur, rapta speculatur vel contemplatur, contemplans gustat, gustans quiescit. Hæc sex in via valent acquiri, D non tamen subito, sed gradatim ; citius autem hæc experitur, qui in spiritualibus frequentius exercetur. Septimus confertur in patria tanto abundantius, quanto quis in prædictis gradibus perfectius se ipsum exercuerit.

Ignis est vehemens divini caloris vel amoris fervor desuper veniens, qui animam contemplativam, quum se coram Deo in oratione effundit, subito valde perlucido splendore irradians, quamplurimum ignit, et arentes motus affectionesque ac-

cendit, malosque concremat et exsufflat, teporem inflammat torporemque excitat, et animam velut pinguissimum holocaustum Deo præsentat. Super hunc gradum pedem fixit qui dicere potest : In meditatione mea exardescet ignis. (Ps. xxxviii, 4.) Unctio est velut quidam roseus liquor qui per totam animam se diffundens, ipsam erudit et confortat, eamque disponit ad veritatis luculentias suscipiendas et contemplandas. Hac perunctus fuit qui dixit : Unxit me unctione misericordiæ suæ. Ecstasis est, deserto exteriori homine, sui ipsius supra se voluptuosa quædam elevatio, ad superintellectualem divini amoris fontem pro viribus se extendens. Speculatio est Beatorum et supercœlestium solique Deo plene scibilium divitiarum intellectualis et affectualis pia investigatio. Gustus est superinæstimabilis divinæ dulcedinis persuavis quædam et inolita prælibatio, ex munificentia Spiritus Sancti in contemplativorum animas distillata. Quies est totius animæ mira quædam ac suavis tranquillitas, per infusam nobis ex frequentia orationis dulcedinem concreata. Gloria est Sanctorum felicitas, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor viatorum, ut tales sunt, ascendit. (I Cor. ii, 9.) — Hæc Bonaventura.

Verum hos gradus contemplationis elucidare, et qualiter inter se differunt explanare, parvitatem meam transcendit. Ignis enim, gustus et quies non videntur ad contemplationis essentiam pertinere, nec sunt species ejus, sed formæ seu complementa ipsius, vel effectus eam concomitantes. Denique, quum in omni proprie dicta contemplatione inveniantur ignis amoris, unctio spiritualis, speculatio mentalis, gustus et quies, quomodo penes ista sumi potest distinctio graduum contemplationis?

Et respondendum, quod divisio sive distinctio contemplationis per ista, non est sicut dividitur genus in species, vel superius in inferiora, de quibus formaliter seu essentialiter sit prædicabile, sed sicut dividitur atque distinguitur aliquid per ea quæ non differunt nisi secundum magis

A et minus perfectum, quemadmodum virtus dividitur in virtutem civilem, purgatoriam et purgati animi. Designatur ergo distinctio graduum contemplationis præinducta per quædam ipsam contemplationem ornantia, perficientia sive formantia, secundum quod caritas dicitur forma virtutum, ornatus et complementum ipsarum. Et hæc ipsa contemplationis complementa, quamvis secundum aliquem gradum et juxta communem suam acceptionem in omni contemplatione proprie sumpta inveniantur atque concurrant, nihilo minus B in uno actu contemplationis sunt magis excellenter quam in alio : sicque, prout a præfato Doctore hoc loco accepta sunt, utpote secundum eminentiam quamdam et strictam acceptionem, constituunt gradus contemplationis diversos, et singulis singula per appropriationem quamdam convenire videntur. Sic quippe et divinus Dionysius cœlestium spirituum choros ordinesque distinxit, vel potius distinctos exposuit : siquidem ipse nullum nomen C ordinum supernorum distinctivum de novo imposuit, verum in Scripturis imposita et expressa exponendo elucidavit. Itaque, quamvis fervor amoris, plenitudo scientiæ, inhabitatio Dei, omni angelicæ menti secundum aliquem conveniant gradum, supremæ tamen hierarchiæ ordinibus distincte et appropriate attribuuntur.

Ita plene in proposito esse opinor ista : ut illa divinorum cognitio quam specialiter appropriateque complet ac perficit ignis divini amoris supra dicto modo de- D scriptus, ad primum contemplationis gradum pertineat.

Quum vero prædicto calori in contemplatione adjicitur unctio modo præhabito sumpta, contemplantis præcordia irrigando fecundans vel fecundando irrigans, itemque præfatum primi gradus calorem dulciter, ne plus quam oportet ardeat, temperans, jam secundus et altior gradus perhibetur. Nempe quod ignis sanctæ dilectionis purificat concremando et excitat inflammando, hoc unctio mulcet sua spiri-

tuali pinguedine perfundendo, de qua habetur in Psalmo : Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. Sic quoque unctio efficit animam divinorum ac sapientialium radiorum capaciorem, ita ut ignorantiæ locus non pateat, ubi tam gloriosi luminis copia fulget. Unde, teste discipulo quem diligebat Jesus, unctio docet de omnibus ; sicut et Vas electionis disseruit : Dabit tibi Dominus in omnibus intellectum.

Ps. LXII, 6. *I Joann.* II, 27. *II Tim.* II, 7.

Insuper, dum contemplationis sublimitas eatenus crescit, ut præ intentissima mentis, elevativa, intuitiva et affectuosissima occupatione in Deo æterno ac supersanctissimo exterior homo deseratur, et sensuum usus jam suspendatur, erit tertius contemplationis gradus, qui ecstasis appellatur. Etenim amor fervescens divinus ecstasim facit, non sinens amatores esse sui ipsorum, sed Dei quem diligunt, ut fatetur secretorum Dei conscius, beatissimus Dionysius.

De Divin. nom. c. IV.

Quum demum adhuc contemplatio altius surgens in tantum perficitur, ut eam adeptus illud apostolicum dicere queat, Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes; attingitur quartus gradus. In quo gradu, quum animus synderesim in specula æterna extendit, apex intelligentiæ et principalis affectio pariter in divina feruntur. Præcurrente autem intelligentia et ingredi non valente, quoniam per speculum in ænigmate intuetur, affectio ingreditur et unitur ; moxque intellectus per amorem subintrans ac speculans, copiosissime divina luce perfunditur, eruditur et clarificatur ; affectio etiam hilariter a Deo suscipitur, nutritur, atque intimius in Deum trahitur et impletur. Itaque intellectu et affectu taliter in Deum per contemplationem et gustum ardenter avideque suspensis, bonitas divina se ipsam exuberantius influit et immittit, et abundantius superfulget, et contemplantes in se transformat et quasi demergit.

II Cor. III, 18.

Quum autem contemplationis gradui huic quarto adjicitur gustus dulcedinis Dei dulcissimus supra descriptus, ad quintum gradum pes mentis devenit. Quæ dum ex copiosissima atque piissima summi boni perceptione, unione, impletione seu participatione, quantum in via exstat possibile, quasi obdormit in Deo, sextus gradus jam adest, in quo ratio ipsa splendescit, concupiscibilis dulcescit, irascibilis hilarescit. Ex sanctarum animarum contemplativarum dilectione præfata quies deifica emanare non dubitatur : per quam ad septimum gradum, qui est gloria Beatorum, propinquissime pervenitur.

ARTICULUS IX.

De contemplatione secundum anagogicum Joannem Ruysbroeck.

VIR mirabilis atque divinitus unctus magnifice et eruditus, Joannes Ruysbroeck, in suis codicibus de contemplatione multa profunda secundum experientiam suam conscripsit.

Denique in exordio libri de Perfectione filiorum Dei, disseruit quod quicumque vult in perfectissimo statu Ecclesiæ vivere, primo oportet ut sit bonus homo instanter actualis : ad quod tria requiruntur. Primum est conscientiæ puritas sine mortalis criminis accusatione. Secundum est, ut Deo et Ecclesiæ rectæque rationi in cunctis obediat, quoniam his tribus parem oportet obedientiam observare. Tertium est, ut in omnibus Dei honorem principaliter finaliterque intendat, et secundum ejus gratissimam voluntatem vivere cupiat.

Secundo oportet ut sit zelotes spiritualis : ad quod tria exiguntur. Primum est puritas mentis. Secundum, spiritualis in desiderio libertas, ne alicui rei creatæ inordinate mens afficiatur, atque per hoc a desiderioso voluntatis motu in Deum impediatur. Tertium est, sentire intrinsecam unionem cum Deo.

Tertio oportet ut sit elevatus, contemplativus, supernaturalis : ad quod etiam, sicut fatetur, tria sunt necessaria. Primum

est, ut fundamentum suæ essentiæ vel sui esse sentiat irrimabile, et ita ipsum debet possidere. Secundo necesse est exercitium ejus omni modo carere. Tertio ejus inhabitatio debet esse divina fruitio.

In horum verborum intelligentia parvitatem ingenii mei et experientiæ meæ fateor caligare. Verumtamen, quantum Spiritus veritatis præstiterit, quid utcumque capio, explicabo.

Itaque, quod primo oportere fatetur ut contemplativus fundamentum suæ essentiæ vel sui esse sentiat irrimabile, dupliciter posse intelligi reor. Primo, ut per fundamentum istud essentiæ esseque animæ intelligatur Deus, omnium entium stabilimentum fontale ac fundamentum causale, quod irrimabile, imperscrutabile seu incomprehensibile esse constat: quod contemplativus attendere debet, ne se ad divinorum considerationem aut perscrutationem præsumptuosius ingerat, sicque majestatis scrutator effectus, opprimatur a gloria. (*Prov.* xxv, 27.) Unde debet fundamentum hoc (quod est supra omnia, non elatum; et infra omnia, non oppressum, omnia fundans, fulciens ac conservans) ita per gratiosam affectuosamque contemplationem tanquam ens prorsus imperscrutabile possidere, sciens se illud comprehendere nullatenus posse.

Secundo, per fundamentum essentiæ seu esse contemplativi, intelligi potest ipsum ejus esse fundamentale, seu propria ejus natura, quæ (quantum ad omnia ad se pertinentia) a nobis rimari non valet, præsertim quantum ad esse ejus supernaturale, videlicet gratiæ gratificantis, potissime quoque quoad id quod est per gratiam singularem contemplationis sublimis, in qua supra se ac propriæ mentis indagationem erigitur, ita quod intimum secretissimumque mentis esse a creatis inspiciendis otiosum ac nudum, ita in Deum gratiosissima unione provehitur atque defigitur, ut etiam a sui ipsius corrimatione ac discretione deficere agnoscatur.

Denique sic videtur auctor præfatus verba hæc intellexisse. Nempe se ipsum quoad primum hoc punctum explanans, adjecit : Unionem illam spiritualis homo sentit cum Deo, quandocumque se pandit spiritui ipse Deus tanquam abyssum impercontabilem seu imperscrutabilem, hoc est sine modo atque mensura altam, longam, latam et profundam, non utique corporea extensione, sed incircumscriptibili majestate ac illimitata et omnipotenti virtute, quemadmodum in Job legitur : Excelsior cœlo est et profundior inferno, longior terra mensura ejus et latior mari. (*Job* xi, 8, 9.) In hac apparitione seu manifestatione qua Deus per gratiam contemplationis pandit se menti, percipit se spiritus contemplans in ipsa profunditate Dei a se profundatum, in altitudine inaltatum, in longitudine prolongatum, in amplitudine pervagatum : hoc est, in ipso Deo juxta intellectum prætactum profundo, alto, longo et lato, sentit se supernaturaliter sublimatum, extentum ac deiformem effectum, omnique esse naturali prælatum, ac per hoc irrimabilem factum. Et si hoc sentit de se, Dei gratiam recognoscit, Deum quoque incomparabiliter irrimabiliorem perpendit : ideo timorate, reverenter et sobrie ad ipsius contemplationem accedit.

Porro ex isto, ut doctor præfatus se explanando prosequitur, oritur secundum, videlicet exercitium superrationale et modo carens. Unitas namque Dei, quam quivis contemplans spiritus in amore possidet, ipsa est æternaliter intrahens et intro petens in se divinas Personas et universos spiritus amantes.

Quid vero sit unitas ista, ipse post pauca explicat, dicens : Intrahens Dei unitas nil aliud est quam amor internus et imperscrutabilis, amore Patrem et Filium et omne in eis vivens (videlicet mentes creatas per lumen gratiæ vel gloriæ Deo unitas) in æternam intrahens fruitionem. Siquidem divinæ et increatæ Personæ se invicem amore fruuntur : quarum fruitionem electi ingrediuntur et experiuntur; et hanc quidem intractionem sentit amans

quilibet magis et minus, secundum amoris A sui mensuram et exercitii modum. Sed contemplativus quisque qui sibi ipsi ac omnibus renuntiavit, nec aliquam a Deo abstractionem distractionemve sentit, quoniam nullam rem cum proprietate possidet, utpote ab omnibus liber et expeditus, potest semper (gratia auxiliante) nudus ac purus intimum sui spiritus introire. Et illic quidem invenit propalatum lumen quoddam æternum, videlicet Deum se illi pandentem ac ostendentem ubique præsentem, omnia penetrantem, solumque re- B rum essentiis illabentem: quo sentit ipsam æternam unitatis Dei intromonitionem (hoc est divini et increati amoris intractionem), et se ipsum quasi facem amoris perpetuam; cui tam dulciter ardenti libet super omnia unum esse cum Deo, debitumque exsolvere quod sibi a Deo exigitur.

Ipsa demum divinæ unitatis intromonitio jam prædicta focillat in spiritu creato contemplante incendium æternum, id est fervorem amoris quantum ex parte Dei
I Cor. XIII, 8. et propria est natura indeficientem. Caritas C quippe nunquam excidit, juxta Apostolum.

In ipsa insuper superinformatione unitatis, qua contemplator desuper divinæ dilectionis igne formatur, itemque in divinæ naturæ proprietatem per supernaturalem assimilationem ac gratiosissimam imitationem mirabiliter transformatur, cuncti spiritus in sua operatione deficiunt, illam non attendendo seu transcendendo, et Deum, quantumvis visibilis amabilisque in se ipso ex propria natura consistat, nec amare nec contemplari valentes, quemad- D
Ps. CXVIII, 81. modum fert Psalmista: Defecit in salutare tuum anima mea. Et nihil præter comburi se in ipsam simplicem Dei unitatem sentiunt: quia omnino per vehementem amorem resolvuntur in Deum, non proprium esse perdendo, sed deiformiter diligendo, neque se ipsos curando vel attendendo, nec secundum se aut naturaliter operan-
Galat. II, 20. do, secundum quod ait Apostolus: Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.

Istam vero simplicem Dei unitatem nullus sentire potest vel possidere, nisi sit præstans in immensa claritate et in amore superrationali modo carente, hoc est eminenter illuminatus luce divina summique boni amore vehementer succensus.

Præterea, in ipsa antestatione sentit in se spiritus æternum amoris incendium. Semper quidem spiritus ardens permanet in se ipso actu, vel saltem habitu, vel tempore opportuno, et quantum est ex parte amoris, quia amor ejus æternus est, scilicet Deus quem amat, vel amor quo amat formaliter modo jam tacto. Semper se quoque sentit in amore comburi, non per pœnalem aut nocuam consumptionem, sed per salubrem atque dulcissimam fervidæ dilectionis affectuosissimam continuationem et inflammationem majorem, quia trahitur in ipsam superinformationem Spiritus Dei. Ubi autem spiritus ardet in amore, ipso spiritu se considerante, differentiam inter se et Deum alteritatemque percipit; ubi vero in amore comburitur, simplex est, nullam prorsus habens discretionem, ita quod discretionem nequaquam advertit, et per affectum, non per essentiam, unum cum Deo est, et ideo nihil nisi unitatem sentit. Immensa namque divini amoris flamma in se ipsam absorbet, consumit ac devorat quidquid potest complecti, non substantiam annihilando, sed proprietatem meliorando, totumque in se trahendo, igniendo ac deificando: prout etiam ait Gregorius, quod quem perfecte absorbuerit, ad ea quæ mundi sunt velut insensibilem reddit.

Præterea dicit iste Joannes: In hoc autem amore ardere volumus in perpetuumque comburi. Nam in hoc consistit felicitas omnium nostrum. Quamobrem oportet nos fundare vitam nostram supra infinitæ profunditatis abyssum, scilicet Deum: sicque poterimus in æternum in amorem mergi, et a nobis in ipsam inscrutabilem profunditatem demergi, Deum acutissime ac penetrabilissime diligendo; et in eodem amore altabimur, et a nobis

exaltabimur in ipsam incomprehensibilem altitudinem Dei, atque in ipso amore modo carente palpabimus, et a nobis deviabimus ; et ipse nos ducet in immensam amoris Dei amplitudinem, in quam nos fluemus, et a nobis defluemus in ignotas delicias opulentiæ bonitatisque divinæ, in quibus liquebimus et deliquebimus, profundabimur et deprofundabimur æternaliter in gloriam Dei, ac per hoc fruitio ejus erit commoratio animæ nostræ.

Quartum vero quod ad perfectissimum statum vitæ Ecclesiæ spectat, est ut fidelis præinductis bonis ornatus, sit caritate effluens, communis et generalis, videlicet non quærens quæ sua sunt, sed in omnibus actibus suis justus ac verax, atque ad omnes indigentes jugiter effluens ; est quoque vivum instrumentum Dei, quo Deus quod vult et quomodo vult operatur; habet etiam æque promptum contemplari et agere.

Amplius autem, in libro de Spirituali desponsatione asserit tria ad supernaturaliter videndum seu contemplandum necessaria. Primum est lumen gratiæ ; secundum, libera et advertens seu conversa voluntas ; tertium est, sine mortali crimine immaculata conscientia. Alio demum in loco ponit et quartum, quod est extranearum imaginationum, turbationum sollicitudinumque exspoliatio sive nudatio, ut sit homo non transformatus imagine, nec depictus corde, non retentus nec implicatus, sed ab omni vacuus creatura.

In tertia vero præfati libri parte loquitur de vita contemplativa satis profunde, inter cetera dicens :

Quando homo ad hoc pervenit, quod Deum cognoscit ac intime diligit, eumque cum fruitivo amore, et se ipsum cum conjungente amore operativo, totam quoque vitam suam in virtutibus cum justitia et rectitudine possidet, tunc venit ad vitam contemplativam. Amatorem enim intimum et rectum Deus ex sua liberalitate ad quamdam superessentialem contemplationem A in divino lumine deiformem vult elevare : ad quam tria requiruntur.

Primo, ut homo sit ad extra bene in cunctis virtutibus adornatus, atque ab intra nullatenus impeditus, utpote tam otiosus et vacuus ab omnibus exterioribus operibus, ac si nihil operaretur. Nam si fuerit ab intus aliquo virtutis opere occupatus, jam imaginatione informatus est : in qua quamdiu duraverit, contemplari non potest. — Istud intelligendum opinor quoad indepictionem, vacuitatem seu non B informationem actualem, non habitualem. Non enim requiritur quod intelligibiles species rerum creatarum desinant esse in intellectu, sed ut intellectus eas actualiter non intendat nec inspiciat, præsertim ut sunt rerum creatarum imagines.

Secundo oportet ut Deo intus adhæreat adjungente intentione atque amore recte, sicut accensus ignis et qui non potest exstingui. In illo tempore quo ita se sentit affectum, potens est contemplari.

Tertio oportet ut jam se ipsum perdiderit C in divina essentia modo carente, et in caligine in qua omnes contemplantes homines fruitive deviant seu errant, et in qua se ipsos nunquam creato modo inveniunt. — Non enim se quoad proprium esse attendunt, sed prorsus relinquunt atque transcendunt. Qualiter vero in divina caligine seu incomprehensibili luce æterna deviare et errare dicantur, experientia melius docet quam sermo, siquidem non videndo vident, et videntes non vident : quod infra plenius (Deo implente) tractabitur. D

In abysso illius tenebrositatis seu caliginis, ubi amans spiritus sibi ipsi mortuus est, ibi incipit Dei manifestatio et vita æterna : quia in illa caligine splendet et generatur quoddam incomprehensibile lumen, quod est ipsemet Filius Dei, in quo conspicitur vita æterna. In hoc lumine spiritus videns efficitur : quia hoc divinum lumen datur in simplici esse spiritus, ubi spiritus claritatem increatam, videlicet Deum, supra omnia dona et omnia

opera ejus, in otiosa sua vacuitate recipit, A in qua, mediante fruente amore, se perdidit, et claritatem Dei sine medio recipit. Hæc abscondita claritas et lux divina, in qua quidquid desideratur videtur, tam magna est, quod amans contemplator in suo fundo, quo quiescit, nihil videt vel sentit nisi quoddam incomprehensibile lumen. Quumque suam æternam fuerit assecutus vel imitatus imaginem, atque in hac claritate per Filium possederit sinum Patris, tunc divina veritate clarificatus est, æternamque Verbi generationem omni hora B recipit novam, et in divinam contemplationem secundum hujus luminis modum ingreditur. Hic scaturit et oritur obviatio Dei amorosa, in qua summa beatitudo consistit.

Quocirca notandum, quod Pater æternus cum omnibus in ipso viventibus, tanquam vivus fundus in suum Filium sicut in sui ipsius sapientiam active seu operative conversus est; Filius quoque cum omni quod vivit in ipso, in Patrem, puta in fundum ex quo fluxit, active seu operative C reflexus est. In hac autem obviatione Patris ac Filii, tertia persona scaturit ex utroque. Is amor amborum cum tanta opulentia atque lætitia Patrem et Filium active et fruitive complectitur et penetrat, quod de hoc omnes creaturas silere necesse est : nam illud mirabile et incomprehensibile superaltatur et supereminet omnium creaturarum intellectui. Ubi ergo illud admirabile sine admiratione intelligitur et sapitur, ibi stat spiritus supra se ipsum, estque unum cum Spiritu Dei, D et videt et sapit sicut Deus opulentiam quæ est ipsemet Deus, sine mensura, in unitate seu unione vivi fundi, in qua ipsum secundum suæ increationis possidet modum. Hæc admirabilis obviatio secundum modum deiformem in nobis sine intermissione active seu operative renovatur. Pater enim dat se in Filio et Filius in Patre, in quadam æterna beneplacentia atque in quodam amoroso amplexu, scilicet Spiritu Sancto. Istud quoque in amoris vinculis omni hora in spiritu contemplante renovatur. Ista est activa illa obviatio in qua per Spiritum Sanctum æterno amore sumus amplexati a Patre et Filio. Inibi spiritus in quodam Trinitatis amplexu est æternaliter immanens.

Longum atque difficile, meæ quoque inexperientiæ impossibile satis esset præinducta liquide explanare, quanquam et quædam his difficiliora præallegato in loco præfatus auctor conscripserit. Porro in libro de Sacramento altaris, itemque in tractatu qui De alta contemplatione intitulatur, et incipit, Samuel propheta, de contemplatione sublimiter scribit : quorum aliqua infra forsitan locum habebunt.

ARTICULUS X.

De contemplatione secundum Vercellensem.

VIR gloriosus et contemplativus, atque in libris magni Dionysii studiosissimus, abbas Vercellensis, de contemplatione sublimia multa conscripsit. Denique illud Canticorum pertractans, Osculetur *Cant.* I me osculo oris sui : Mens, inquit, contemplativa postquam lustravit cuncta creata, ab exsistentium universitate cupiens separari et supersubstantiali Sponso uniri, petit osculum, id est conjunctionem cum Sponso, ita ut dicere possit illud Job : Elegit suspendium anima mea, et mortem *Job* VII, ossa mea. Suspendium quippe est mentis extentio in superfulgidas theorias seu sapientiales intuitus divinorum ; ossa vero sunt robustissimæ vires mentis, videlicet intellectus theoricus et principalis affectus ; in morte quoque defectus notatur ac separatio. Quum autem mens per orationes castissimas ad osculum Sponsi assumitur, omnis operatio et efficacia intellectus et affectus deficit circa creata. Scintilla quidem apicis affectualis, quæ est principalis et pura participatio divinæ bonitatis, ab omni inferioritate ineffabiliter separata, et quasi in vitam divinam mira-

biliter transformata, supernaturaliter dei- A ficatur; deificatio autem est ad divina, quantum possibile est, assimilatio atque unitio. Hæc est spiritualis bonaque mors, de qua in Ecclesiastica hierarchia divinus Dionysius loquitur : Mors est in nobis, quando anima ab aliis recedens et se ipsam dimittens, supersubstantiali Sponso feliciter copulatur.

Insuper, secundum Vercellensem, anima tribus artificiis utitur ad hoc quod Divinitati adsistat, videlicet, revelatione mentis, aptitudine ad unitionem, orationibus B quoque castissimis. Revelatio mentis consistit in subtractione exteriorum et quorumlibet offendiculorum. Aptitudo ad unitionem acquiritur per affluentem mentis devotionem ac resolutionem internam : fluida namque facilius uniuntur. Castissimæ orationes sunt, quando non petuntur temporalia commoda obtineri vel incommoda removeri, ut in oratione casta; nec spiritualia mala amoveri vel bona hujusmodi consequi, ut fieri solet in oratione castiori; sed ipse Sponsus in se ipso desi- C deratur et postulatur amplecti : quo facto, unguenta optima mentem contemplativam gratissima suavitate perfundentia, sunt superintellectuales illæ theoriæ quæ mentes sibi unitas deliniunt, et uberi quadam effusione internæ dulcedinis, interioris decoris ac intimæ claritatis replent atque reficiunt. Verum, quoniam ad inaccessibile illud lumen nemo venit, nisi quem traxerit Pater, anima ad divinæ gustum dulcedinis exardescens, oret cum
t. I, 3. Sponsa : Trahe me post te, hoc est : radios D tuos me ad te perducturos mihi infunde, qui me sursum agant, quo pergere opto, sed ex me nequeo : tu ergo mentem meam emunda, illumina et inflamma.

Porro optimus modus quærendi Deum, est recte superintellectualiter sursum extendi, donec apex mentis ab omni re creata separatus, super omnia exsistentem supersubstantialiter apprehendat, et per ignorantiam eum qui est super omnem agnitionem agnoscat. Quumque in summo apicis affectualis fuerit constituta, et in divinæ lucis supersplendenti caligine posita, dicere potest illud in Canticis : Nigra *Cant.* I, 4. sum, sed formosa, id est, divinæ incomprehensibilitatis caligine circumsepta, ejusque pulchrificis claritatibus decorata. Nigredo quippe quum sit color caliginosus, incomprehensibilis lucis occultationem apte designat. Quumque per contemplationis exercitium divinæ consolationis ubera suxerit anima, visibilia mox caligant, carnalia desipiunt, in fastidium cuncta creata deveniunt, temporalis etiam vita mors potius judicatur quam vita. Unde in præsentia Sponsi per contemplationem hanc modice perdurantem anima intime delectata, et quasi cum B. Petro contestans, Bonum *Matth.* XVII, 4. est nos hic esse; quærit quomodo possit ei incessanter adsistere clarissimeque conjungi, et ait : Indica mihi, quem diligit *Cant.* I, 6. anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.

At vero, ad perfectum contemplationis studium quatuor requiruntur, secundum Vercellensem, videlicet : frequens animæ pulchrificatio, felix alienatio per spiritualem abstractionem, alienatæ mentis elongatio, et elongatæ mentis unitiva applicatio. Pulchritudo autem animæ contemplativæ præsertim consistit in hoc, quod castitatem et fidem in amore ecstatico conservat Sponso cœlesti.

Postremo, de his plura desiderans, legat expositionem Occam super Cantica, quoad eum sensum quo Cantica exponuntur de sponsa speciali, quæ est anima justi.

ARTICULUS XI.

De contemplatione secundum quemdam devotum, videlicet fratrem Guigonem de Ponte, monachum olim domus Cartusiæ.

DEVOTUS quidam in tractatu suo de Contemplatione ponit duodecim gradus contemplationis, quorum quidam sunt ad contemplationem aptantes ac dispositi-

vi, alii vero ad contemplationem formali- A
ter seu essentialiter pertinent.

Primus est a peccatis purgatio. Secundus, studiosa mentis anxietas ac diligens labor ad divinam unctionem et gratiam impetrandam, sine qua mens est arida, quemadmodum herba sine rore ac pluvia. Tertius est devota mentis compunctio in qua regnat amor, ex quo generatur devotio, et dolor, qui est confessionis origo. Quartus est, proximis compati in adversis et congratulari in prosperis. Quintus, compassio animi in passione, afflictione perse- B
cutioneque Christi. Sextus est igniculus ardentis desiderii, quod est valida oratio coram Deo. Septimus, visitatio Sponsi, seu illapsus Verbi Dei, qui in animam sitientem tanquam flumen pacis gratiose declinat per infusionem consolationis occultæ. Octavus est contemplatio mentis sursum adspirantis, quæ cives patriæ et Regem gloriæ ut eis præsidentem, fideliter contemplatur. Nonus est jugis meditatio divi-
Ps. I, 2. norum, quemadmodum legitur : In lege
Domini meditabitur die ac nocte. Deci- C
mus, obumbratio divinæ caliginis in cubiculo cordis, dum mens ingressa caliginem incomprehensibilis lucis, oculis animæ in infinitum lumen defixis, habet Deum sibi
Cant. II, 3. cohabitantem, sub umbra desiderati quiescens. Hoc ad mysticam pertinet theologiam, estque contemplatio Dei per abnegationem seu negativa. Undecimus est mentis excessus, cujus vehiculo pia mens vecta, frequenter supernorum civium consortio per contemplationem ecstaticam jungitur,
et faciem Dei, quantum fieri potest, vicinius D
atque sincerius contemplatur. Duodecimus est mors felix in patriamque ingressus.

Denique horum graduum quinque primi sunt ad contemplationem præambulariter dispositivi ; quinque autem postremi ad contemplationem substantialiter pertinent, si tamen per ultimum detur intelligi visio Dei per speciem, quæ est contemplatio consummata. Sextus autem et septimus gradus aliquid participant de utroque. Oratio namque sincera, consolatio quoque interna sine contemplatione non sunt, quum oratio sit ascensus mentis in Deum, et consolatio ex consideratione convenientis emanet.

Præterea, iste devotus inducit tres esse species contemplationis speculativæ. Prima dicitur naturalis seu physica : quæ quærit et inspicit Creatorem per speculum creaturarum, per quarum considerationem philosophi Deum noverunt. Secundam appellat scholasticam : quæ intuetur Deum per speculum Scripturarum et sapientiam acquisitam. Et hæc quidem utilis ac necessaria perhibetur : interdum tamen cœlestium illuminationum influxiones per accidens impedit, dum circa Scripturas et lectiones anima per nimiam occupationem tenetur captiva, atque per hoc a Dei consortio itemque interno colloquio elongatur : quod, proh dolor ! multis religiosis indiscrete studiosis et cognitionem ad praxim non extendentibus, frequenter contingit. Tertiam vero vocat divinitus infusam : quæ contemplatur Deum per sapientiæ radios desuper fusos, stillicidiaque divina supremam animæ portionem tangentia, sicut in superiori libro plenius dictum est. art. XIX.

Postremo et alia multa utilia scribit in præfato tractatu iste devotus : quorum aliqua infra forsitan sunt tangenda.

DE CONTEMPLATIONE

LIBER TERTIUS

DE CONTEMPLATIONE DEI PER SAPIENTIAM UNITIVAM THEOLOGIAMVE MYSTICAM.

PROŒMIUM.

E*CCE Deus magnus, vincens scientiam nostram, et enarrari non potest : ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur sapientes.* Job XXXVI, 26 ; XXXVII, 23, 24.

Juxta philosophica documenta, unumquodque tantum habet de intelligibilitate ac scibilitate, quantum de entitate, actualitate et perfectione. Quum ergo superbeatissimus Deus sit ipsum esse in se pure subsistens, plenum, perfectum ac illimi- B
tatum, et actus purus quomodolibet incircumscriptus, in quo omnis nobilitas atque perfectio cum infinita excellentia superessentialiter, superfelicissime et simplicissime, imo ineffabiliter prorsusque incomprehensibiliter continetur; innotescit quod ipse omnino infinitæ intelligibilitatis ac scibilitatis consistat, sibique dumtaxat plene sit notus, nostræ quoque intelligentiæ capacitatem in infinitum et penitus incomparabiliter vincat atque transcendat, quanto et ejus essentia nostra præstantior C
est natura. Cum filialis igitur timoris reverentia ad ipsius contemplationem oculum mentis aperire necesse est; nec audeat eum quisquam adspicere, quasi comprehendere sive perspicere valens eumdem.

A

ARTICULUS PRIMUS.

Quod in hoc tractatu seu tertia hujus operis parte, agendum est de contemplatione Dei per abnegationem, prout contemplatio ista ad sapientiam unitivam theologiamque mysticam pertinet.

JAMDUDUM in prima hujus editionis par- art. XXVI.
te deductum recordor, quemadmodum divinus Dionysius de triplici theologia, videlicet symbolica et propria ac mystica, sigillatim in tribus libris determinat. Harum quoque theologiarum distinctionem perbrevem paucis perstrinxi.

Denique, contemplatio Dei de qua hactenus sum locutus, ad theologiam propriam, quæ tractat de Deo per affirmativa et intelligibilia ac perfectionalia prædicata, potissime pertinet, utpote quod Deus est summa bonitas, primum ens, actualissima vita, simplicissimus intellectus, infinita potestas, omnipotens rector, sapientissimus ordinator, itemque similia, quæ (absolute loquendo) dignius est haberi quam deesse : de quibus in libris de Divinis nominibus tractat Architheologus. Et hæc quidem ad secundam contemplationis pertinent speciem, juxta in primo libro assi- ibidem.
gnatam distinctionem. Porro contemplatio

Dei quoad ea quæ personalem distinctionem concernunt, per affirmativa, ad illam pertinet theologiam de qua in libro de Divinis characteribus Dionysius loquitur. Contemplatio autem Dei de qua jam locus et sermo est, illam respicit theologiam quomodo divinorum eminenter conscius secretorum theologicissimus Dionysius in Mystica theologia descripsit.

Præterea, quamvis contemplatio Dei primo libro in duas partita est species, quarum prima ibidem vocata est supernaturalis contemplatio summæ Trinitatis, alia vero naturalis contemplatio simplicis Deitatis, ista tamen divisio hic locum non habet : quoniam in contemplatione qua Deum per abnegationem contuemur, sive quantum ad ea quæ ad essentiæ unitatem, sive quoad ea quæ ad Personarum pertinent trinitatem, non videtur specifica esse diversitas. Nihilo minus utraque species contemplationis Dei prætacta dividi potest in contemplationem per positiva, et in contemplationem per negativa. Sed contemplationes illæ per negativa ad eamdem spectant theologiam. Etenim, quamvis in contemplatione Dei per negativa non sistat mens in mera vel pura negatione, sicut Deo illustrante patebit, principale tamen atque formale in contemplatione hujuscemodi perhibetur negatio sive ablatio, secundum sensum infra tangendum.

ARTICULUS II.

Quid sit sapientia unitiva ac mystica theologia.

CONTEMPLATIO insuper ista Dei de qua nunc mentio est, adeo supernaturalis censetur, ut mundi hujus philosophos prorsus latuerit, nec ipsis fidelibus per experientiam seu gustum internum agnita sit, nisi heroicis ac perfectis, in divini amoris ardore præfervidis, quorum purgatus est animus : nisi forte aliquando Deus omnipotens dispensatione piissima, proficientibus aut etiam incipientibus ex A gratia singulari eam per gustum revelet atque infundat. Nam et Paulo apostolo nondum diu purgato se ipsum altiori modo quam per hanc contemplationem huic vitæ possibilem demonstravit.

Itaque sapientiam unitivam, quæ alio nomine mystica theologia est appellata, septimo capitulo de Divinis nominibus ita definit S. Dionysius : *Sapientia est divinissima Dei cognitio per ignorantiam cognita, secundum unitionem quæ est supra mentem, dum mens ab universis recedens,* B *se ipsam quoque relinquens, unitur supersplendentibus radiis, inscrutabili profundo sapientiæ illuminata.*

Hujus definitionis iste est intellectus : « Sapientia » hæc unitiva, sumendo eam pro actu potius quam pro habitu sapientiali, « est divinissima Dei cognitio », id est maxime supernaturalis, deifica atque dignissima, quoad cognitiones Dei præsenti vitæ possibiles, « per ignorantiam cognita », id est, qua Deus per ignorantiam cognoscitur, utpote per abnegationem seu C ablationem omnium ab ipso : per hanc quippe contemplationem mens Deo conjungitur tanquam incomprehensibili et ignoto, ac pelago infinito atque caligini sibi penitus investigabili et absconsæ, quamvis in sua natura sit supersplendidissimum lumen. Habetur præterea ista de Deo cognitio « secundum unitionem quæ est supra mentem », id est per supermentalem conjunctionem superintellectualemque unionem : quoniam naturalem mentis virtutem rationisque inquisitionem et pro- D priam naturalem capacibilitatem transcendit; itemque quia in vi intellectiva non consummatur, neque per intelligentiæ claritatem principaliter obtinetur, sed per sanctæ ac deificatæ caritatis exardescentem fervorem infunditur, et in divini amoris ardore consummatur ac terminatur, ita quod in ea fervidus amor penitus dominatur et quasi solus sentitur, quia et ipsa notitia in amorem transire et quodammodo transformari asseritur. « Dum mens ab universis recedens », id est, a sensibilium

ac intelligibilium operatione, considera- A
tione, dilectione, occupatione desistens ac cessans, « se ipsam quoque relinquens », quia et a sui ipsius omniumque operationum suarum attentione quiescit, nec circa aliquid creatum versatur, « unitur supersplendentibus radiis », id est Spiritus Sancti supernaturalibus perdecoris fulgoribus, theoriis, stillicidiis ac fluentis, « inscrutabili profundo sapientiæ illuminata », id est ab ipso incomprehensibili, superaltissimo totius sapientiæ fonte superpurissimo docta. Ad hanc equidem præ- B
fulgidam contemplationem nequaquam assurgit, nisi a Spiritu Sancto actualiter tangatur, excitetur : ad quam excitationem per donum sapientiæ secundum statum suum perfectum, atque per ardentem, sincerum, ebullientem amorem prompta efficitur. Hinc quidam sapientiam istam seu mysticam theologiam definientes, dicunt quod sit anagogica seu sursumductiva motio mentis in Deum per amorem purum ac fervidum ; rursus, quod sit cognitio experimentalis de Deo per unitivi amoris com- C
plexum ; denuo, quod sit sapida de Deo notitia, dum ei supremus apex affectivæ per amorem unitur.

Hæc est illa præclara ac singularis Christianorum sapientia, superbeatissimæ Trinitatis clementissima distributione mentibus puris illapsa, cujus cœlesti rore mens dulciter uncta cœlitusque perfusa, non Dei super omnia prædilecti dona, seu propria commoda, sed ipsummet supercœlestem amantissimum Sponsum insatiabilibus affectibus, scintillantibus desideriis unitivis- D
que adspirationibus quærit, petit, stringere cupit, possidere affectat. Unde consurrectio mentis in Deum per affectiones flammigeras supra omne officium intellectus circa creata, in supremo affectivæ apice constituta, est sapientia unitiva et mystica theologia, seu contemplatio jam intenta, per quam mens Deo quoad scintillam synderesis copulatur.

Postremo, secundum expositores Areopagitæ Dionysii, mystica theologia est interna ac secretissima mentis cum Deo locutio, non per rerum imagines, sed per omnium transcensum et abnegationem, otiante ipsa mente ab omni virium apprehensivarum appetitivarumque actione circa creata versante, ingredienteque mente ipsam divinam caliginem, id est, se extendente ac immergente in incircumscriptibilem et inaccessibilem lucem æternam : quam quo perfectius intuetur, eo quam incomprehensibilis, inaccessibilis interminabilisque consistat, clarius contemplatur.

ARTICULUS III.

De differentiis inter theologiam speculativam ac mysticam.

PORRO inter theologiam speculativam sive scholasticam et mysticam quidam distinguentes, hanc primam earum differentiam asserunt, quod theologiæ speculativæ subjectum est intellectus ; mysticæ vero, vis affectiva. Secundam quoque differentiam ponunt ex parte objecti, ita quod speculativæ objectum sit verum seu Deus sub ratione veri ; mysticæ autem, bonum. An vero et qualiter vera sunt hæc, infra diligentius (si Deus præstiterit) inquiretur.

Tertiam differentiam ponunt, quod speculativa theologia ratiocinationibus utitur, quemadmodum physicæ disciplinæ, propter quod etiam scholastica ac litteratoria nominatur ; mystica autem per pœnitentem affectum exercitiumque virtutum moralium ad puritatem mentis disponentium, discitur sive acquiritur. Unde speculativa in schola intellectus, mystica vero in schola affectus seu religionis obtinetur.

Quarta differentia est, quod mystica theologia, quamvis sit summa atque dignissima, a fidelibus tamen quantumlibet idiotis, simplicibus et obtusis, potest haberi sine subtili ingenio et absque scientia magna, potissime acquisita, quando videlicet in Dei amore devotioneque fervent, et corde purgato Deum super omnia esse bonum,

dulcem, amabilem, ejusque beneficia recognoscunt; de speculativa autem theologia aliter esse constat.

Quinta differentia est, quod mysticam Sanctorum theologiam nemo rite intelligit, nisi illorum spiritum sibi imbiberit. Sexta, quoniam (sicut B. Dionysius discipulum suum Timotheum frequenter docet et admonet) mystica theologia ac divinissima Dei sophia non est indoctis, id est carnalibus, tumidis atque perversis, in rebus sensibilibus pressis, proponenda, sed piis, mansuetis, docilibus. Unde ait Salvator : Nolite sanctum dare canibus. Speculativa autem non ita prohibetur quibuscumque proponi.

De Cœlest. hier. c. II; de Eccl. hier. c. I, II; de Divin. nom. c. I; de Theol. myst. c. I.

Matth. VII, 6.

B

Septima differentia assignatur, quod mystica theologia non inflat, nec vitiis servit, neque perverso fine acquiritur, quemadmodum de speculativa interdum contingit in abutentibus ea, dicente Apostolo, Scientia inflat : non quod in se mala sit, sed per accidens intumescere facit, quia ad excellentiam quamdam spectat. Octava, quia per mysticam theologiam constabilimur in Deo; speculativa vero si sola sit nec cum gratia decoretur, animam inquietat potius quam quietet.

I *Cor.* VIII, 1.

Postremo, sicut in nobis itemque in brutis conspicimus, quod apprehensio sensitiva quandoque est sine affectu ad objectum sensibile, quandoque ex apprehensione hujusmodi tantus generatur impetus sensualis affectionis sive carnalis amoris, ut sensualitas quasi extra se saliat, et toto conatu in rem sensibilem apprehensam et concupitam feratur ac effundatur, ita ut eam quasi penetrare conetur, scintillantibus et tremulo se fulgore diffundentibus oculis; conformiter interiori cognitione contingit quod vis intellectiva interdum ad bonum quod intuetur parum aut nihil afficitur, interdum vero ad illud vehementer accenditur, et impatientiæ affectu totaliter in illud transfertur. Præterea, sicut aqua in vase igni apposita, nondum calefacta, intra vas remanet clausa, calore autem sibi impresso, mox efferri, ascendere

A ebullireque incipit vi caloris; sic mens nondum amore ignita, intra se continet se; inflammata autem igne sancti amoris, supergreditur semetipsam, fervens ac tendens in Deum quem diligit. Postremo, ut ex radiorum solis concursu vitrum calescit et stuppa comburitur, sic ex divinorum radiorum confluxu in mente, anima ardore amoris succenditur.

ARTICULUS IV.

De quadruplici via consurgendi ad contemplationem supergloriosi Dei, et duplici contemplatione ejus, videlicet per positionem et ablationem.

QUEMADMODUM ex diversis librorum B. Dionysii locis colligitur, quadripartita via ex creaturis ad Creatoris cognitionem ascendimus. Nempe, ut primo capitulo de Divinis nominibus, et secundo Angelicæ hierarchiæ, primo quoque Mysticæ theologiæ capitulo et alibi docet Theo-

C logus, quadruplici via ad Creatoris contemplationem ex creaturis progredimur.

Prima est via positionis seu affirmationis, quando quidquid perfectionis in creaturis consistit, primo omnium creativo principio convenire asserimus. Unde primo Mysticæ theologiæ capitulo Dionysius loquitur : Oportet in ipso omnium entium ponere ac dicere positiones seu positivas perfectiones, tanquam in omnium causa. Denique, hoc modo Deum laudantes et contemplantes, a præstantissimis et commu-

D nioribus inchoare, sicque seriatim ac pedetentim ad inferiora descendere congruit, sicut secundo capitulo Mysticæ theologiæ Dionysius instruit. Propter quod ipse hoc modo Deum laudans in libro de Divinis nominibus, primo ostendit quomodo Deus dicatur bonus et bonitas, deinde qualiter laudetur ut ens, deinceps descendit ad vitam et sapientiam.

Secunda est via ablationis seu negationis, dum omnia quæ in creaturis reperiuntur, de superexaltato Deo negantur, tan-

quam super omnia exsistente, qui nec genere nec specie cum creatis communicat, sed omnibus incomparabiliter eminet, ita quod nihil eorum quæ novimus ei convenit eo modo quo nos ea comprehendere possumus. Sicque Deum laudantes, ab inferioribus inchoare oportet, primo abnegando de Deo viliora, sensibilia et terrena, deinde et superiora ac intelligibilia, sicut secundo capitulo Mysticæ theologiæ Dionysius edocet, et quarto ac quinto ejusdem libri capitulis agit.

Præterea tertia est via causalitatis, dum divinorum effectuum naturam ac proprietates pensando, ad primi Opificis naturam ac proprietatem speculandam erigimur. Ista via ad primam reducitur.

Quarta est via eminentiæ, dum nobilitates et perfectiones creaturarum Deo adscribimus, non eo modo quo eis conveniunt, sed sublimiori præclariorique modo. Creata quippe a plena assimilatione Creatoris infinite deficiunt : ideo quidquid imperfectionis creatis adhæret, removendum est dum Deo attribuuntur quæ eis conveniunt ; quod autem perfectionis in eis est, illi adscribendum est modo in infinitum altiori quam comprehendere valeamus. Unde hæc via ad secundam reducitur.

Sicque omnis contemplatio quam de Deo concipimus, vel est per affirmationem seu positionem, de qua in primo libro tractatum est ; vel per negationem, de qua nunc locus et sermo.

ARTICULUS V.

Quod contemplatio Dei per negativa, quæ unitiva ac mystica nuncupatur, sit perfectior ea quæ est per affirmativa, imo inter contemplationem patriæ et contemplationem viæ per affirmationem quodammodo media.

art. præced. OSTENSUM jam est Deum omnis creatæ mentis capacitatem prorsus in infinitum excedere, ita quod ei et rebus creatis nihil univoce convenit nec genere nec specie : ideo quid sit Deus, in hac vita capere non valemus, nec aliquis intellectus creatus naturali virtute divinam essentiam in se et sicuti est vel quid est, per speciem valet cognoscere, quum certum omnino sit omnem formam speciemque creatam a plena divinæ essentiæ repræsentatione infinite deficere.

Hinc, secundum sacratissimum Dionysium et doctores communiter, perfectior est contemplatio Dei per negativa quam per affirmativa, ita quod aptius atque profundius dico, Deus non est bonitas, Deus non est essentia, Deus non est vita, sapientia, intellectus, etc., quam, Deus est bonitas, essentia, vita. Dum enim dico, Deus est bonitas, essentia, vita, videor designare quid sit Deus, et quod ipse sit cum creatis aliquid habens commune et simile, quem constat incomprehensibilem et ignotum, imperscrutabilem ineffabilemque consistere, atque ab omni suo effectu immensa prorsusque incomparabili disparilitate et excellentia segregari. Porro quum dico, Deus non est bonitas, etc., innuo quod ipse nequaquam est bonitas, essèntia, vita, mens vel aliquid eo modo sicut creata, et ut nos æstimare vel capere quimus, sed cum supersubstantiali excessu et incomprehensibili sublimitate ista ei convenire insinuo. Unde secundo Angelicæ hierarchiæ capitulo Dionysius : Negationes, inquit, in divinis sunt veræ, id est proprie ac veraciter dictæ ; affirmationes autem incompactæ, hoc est inconvenientes, non cohærentes atque impropriæ. Secundo quoque Mysticæ theologiæ capitulo : Hoc est, ait, Deum vere cognoscere et videre, supersubstantialem supersubstantialiter per omnium entium ablationem laudare.

De Cœlest. hier. c. II ; de Divin. nom. c. XIII ; de Theol. myst. c. I.

Præterea, contemplatio ista mysticæ theoriæ est certissima atque clarissima. Fit enim per purissimum ac superfervidum divini amoris fervorem, qui intrat ac penetrat ubi cognitio foris permanet : quo profunde acutissimeque ingresso, ipsam quoque notitiam introducit, et mentem

Deo propinquissime ac intime (quantum in hac vita fieri potest) connectit. Quo demum mens luci illi divinæ ac infinitæ propinquius infigitur, imprimitur et unitur, eo copiosius clarificatur, certius intuetur, limpidius contemplatur, atque in ignem amoris pene tota resolvitur. Quumque conspectat lucem increatam esse penitus infinitam, seque ab ejus clara per speciem intuitione atque plenaria comprehensione in infinitum occumbere, hoc est ei videre et contemplari, videre lucem illam prorsus incomprehensibilem esse ; et quo id clarius viderit, eo splendidior atque perfectior est contemplatio ejus. Hinc contemplatio ista inter beatificam visionem patriæ et speculationem Dei communiter dictam per affirmativa habitam, media perhibetur, quamvis contemplatio patriæ magis præfulgeat ei quam ipsa contemplationi per affirmativa conceptæ, quemadmodum, secundum Dionysium, status evangelicæ legis inter statum veteris Testamenti ac patriæ medius collocatur, illo superior, isto inferior.

De Eccl. hier. c. v.

Verumtamen præinductis quis possit objicere, quod esse propriissime convenit Deo, in tantum ut ipse ad Moysen sit locutus : Ego sum qui sum ; hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. Salvator quoque in Evangelio protestatur : Nemo bonus nisi Deus. Apostolus etiam scribit, quod omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur a Patre æterno : ergo paternitas ipsi potissime convenit. Et rursus : Soli (inquit) sapienti Deo. Damascenus quoque asseruit quod Esse sit primum nomen Dei. Itemque Hilarius : Esse, inquit, non est accidens Deo, sed subsistens veritas, manens causa, et naturalis generis proprietas. Postremo, nonne Deus sublimis et benedictus vere ac proprie atque dumtaxat æternus, infinitus, sanctus, felix, omnipotens perhibetur ? Quomodo ergo ista congruentius auferuntur a Deo quam sibi conveniant ?

Exod. III, 14. — *Marc.* x, 18. — *Ephes.* III, 15. — *Rom.* XVI, 27.

Et respondendum, quod omnium horum una solutio est. Siquidem ista atque similia vere, præcise ac proprie Deo conveniunt et convenire feruntur quoad naturam rei, et quoad id cui nomen imponitur, et prout res significata a nobis comprehendi et concipi potest. Non enim dubium est quin ipsa bonitatis natura, quoad suam essentialem veritatem plenitudinemque fontalem, et quantum est ex parte naturaque rei, potissime competat Deo : a quo tamen verius ac propriissime negatur, secundum quod nos eam capere possumus, et quoad proprietatem ac modum quibus competit creaturis. Similiter est de essentia, vita, sapientia, ceterisque similibus. Ex quibus utique elucescit illius difficultatis solutio, an prædicata perfectionalia verius de Deo negentur quam affirmentur.

ARTICULUS VI.

An contemplatio Dei per sapientiam unitivam, quæ est mystica theosophia, sit diuturna vel momentanea tantum.

QUÆSTIO ista de diuturnitate et brevitate contemplationis ex variis Sanctorum sententiis trahit originem. Interdum quippe affirmant quod ad modicum duret, aliquando quod diu. Unde in verbis Bernardi supra inductis præhabitum est, quod in ea sit morula brevis, et tanquam in actu pungentis pertranseat. Quod et Gregorius in Moralibus sæpius protestatur, inter cetera dicens, quod prius ab acie mentis exurente pœnitentiæ tristitia interposita vitiorum caligo detergitur, et tunc resplendente raptim coruscatione incircumscripti luminis illustratur. Et rursus : Quum mens ad contemplandum erigitur, mox pondere carnis pressa infra se labitur. Denique, quo perfectio aliqua altior fuerit et naturales vires magis transcendens, eo continuatio ejus difficilior esse videtur ac brevior. Mysticæ autem theologiæ contemplativus ille intuitus est summa præsentis vitæ perfectio.

lib. II, ar[t.] IV.

In contrarium est, quod quidam San-

ctorum frequenter leguntur multo tempore in altissima contemplatione actualiter diutius permansisse : cujus certissima erant indicia, corporis rigor ac stupor, a sensibus admiranda abstractio, insensibilitasque inferioris naturæ, atque totius hominis in aere miraculosa ac diuturna elevatio itemque suspensio, prout (Deo implente) infra particularius ostendetur.

Et respondendum, quod tota contemplatio ista caliginosa, mystica atque prælucida, est supra hominem, a supernaturali causa, videlicet Spiritu Sancto, dependens quoad inceptionem, continuationem ac consummationem. Quamvis autem Spiritus Sanctus sit causa principalis, causæ tamen proximæ, formales atque intrinsecæ sunt actualis præfervidus amor Dei, abstractio mentis ab omni operatione circa creata, sapientia quoque quæ donum est, et conatus mentis ad extentionem ac defixionem suam in Deo. Quo igitur causæ istæ fuerint perseverantiores, fortiores ac desuper magis adjutæ ininterruptibilesque effectæ, eo contemplatio ista et raptus et alienatio seu ecstasis consequens eam erunt diuturniores. Totum autem principalissime dependet ab omnipotenti pietate ac clementissima liberalitate Spiritus Sancti. Nempe quo ei placuerit mentem in tam supernaturali elevatione diutius conservare, eo plane diutius permanebit suspensa. Etenim quo contemplatio ista supernaturalior exstat, eo fortiori, incessabiliori exuberantiorique Divinitatis auxilio eget. Oportet equidem ut in hac anagogica intuitione mysticaque sophia et occultissima spiritus sermocinatione cum Deo, indesinenter, benignissime ac liberalissime superbenedicta Trinitas operetur, sapientiales deiformium radiorum, luciformes, prærutilantes fulgores, atque ignitos sanctæ dilectionis, deificantes, transformativos fervores continuando, favendo ac vigorando in virtute intellectivæ ac apice affectivæ.

Porro Sancti dum asserunt contemplationem præfatam esse perbrevem, respe-

A ctum habent ad mentis imbecillitatem humanæ, et item ad id quod frequentius regulariusque contingit, vel etiam ad diuturnitatem ac eminentiam beatificæ contemplationis in patria, cujus respectu ista permodica, obscura et imperfecta censetur, quantumcumque in se et per comparationem ad statum vitæ præsentis continuata, sublimis ac splendida judicetur.

Unde de hac materia loquens Joannes Ruysbroeck, quem alibi non immerito appellavi Doctorem divinum, ait in libro (*Cf.* t. XXXV, p. 184 C'.)
B de Sacramento altaris : Ubi translati et transformati fuerimus in claritate divina, videlicet luce æterna et increata, ibi obliti sumus nostri ipsorum, et sumus unum cum ipsa : sicque vivimus in ipsa, et ipsa in nobis ; semper tamen substantia divisi manemus. Claritas Dei quam videmus in nobis, non habet initium, finem, tempus, locum, viam, semitam, formam, speciem, neque colorem. Ipsa nos totaliter circumsepsit, comprehendit, penetravit seu pertransiit, ac simplicem visum
C nostrum tam ample aperuit, quod oportet oculum nostrum perpetuo stare apertum, nec ipsum claudere possumus aut valemus. — Verbum hoc viri istius satis videtur ad intelligendum difficile. Verum, ut arbitror, ideo hoc affirmat, quoniam præclarissima illa contemplatio Dei causat in mente vehementissimum desiderium persistendi in ea, vel indesinenter redeundi ad eam, ita quod de facili ab ejus intuitu vel affectu mentem revocare nequimus. Unde et Sapientia ait : Qui edunt (*Eccli.* XXIV, 29.)
D me, adhuc esurient ; et qui bibunt me, adhuc sitient.

Insuper scribit hic doctor : Unitos esse cum Deo, est vivens noster status, ubi habitat Deus in nobis, et nos in illo. Hæc unio est vivens atque fructifera, et esse non potest otiosa, quoniam semper innovatur in amore et in nova visitatione, mediante mutua inhabitatione, quæ non potest separari. Ibi est trahere et sequi, dare et accipere, tangere et tangi. Nam Pater noster cœlestis manet in nobis, et

visitat nos cum se ipso, et elevat nos supra rationem et considerationem. Ipse facit nos ab omnibus imaginibus nudos, trahitque nos in nostrum originale principium. Ibi nihil aliud invenimus nisi vagam et vastam ab omni imagine nuditatem, quæ correspondet æternitati. Ibi dat nobis Pater Filium suum, et Filius visitat nostrum nudum et absque imagine visum sive intuitum, cum abyssali claritate quæ ipsemet est ; et postulat ac docet nos ut intueamur claritatem et contemplemur cum semetipsa. Ideo permittimus visum nostrum internum currere cum ipsa et sequi infinite longe, late, alte ac profunde, immode, id est absque manerie. Hic videmus Filium in Patre et Patrem in Filio, et ita vivunt in nobis. Et Spiritus Sanctus dat se ipsum nobis, et visitat nos ac tangit ardentive animæ nostræ scintillam.

ARTICULUS VII.

Quantum et quomodo philosophi quidam præcipui ad mysticam theologiam appropinquaverunt, et quid de cognitione Dei per negationem, itemque de raptu ad divina locuti sunt.

CHRISTIANÆ sapientiæ gloriosi signiferi doctores et contemplatores eximii, singularem atque altissimam sapientiam, utpote mysticam theologiam, se desuper ac supernaturaliter esse sortitos, grata ac humili mente gloriantur in Deo.

art. v, vi. Porro nunc dictum est, quod mystica theologia in contemplatione Dei per negativa præsertim constat, et per ardentem amorem atque celerrimam ad instar fulgoris coruscationem mentis a Deo et ad Deum contingit. Quum ergo meliores philosophi, tam Platonici quam Peripatetici, protestentur Deum verius subtiliusque cognosci per omnium ab ipso abnegationem quam positionem, eum quoque super omnia esse amandum, intellectum etiam humanum ei nonnunquam deiformiter atque A purissime copulari per contemplationem radiosissimam prorsus brevissimam, videntur et ipsi mysticam theologiam novisse, gustasse et apprehendisse.

Ait nempe Alphorabius de Deo melius sciri quid non sit, quam quid sit, imo quid sit omnino nesciri. Avicenna quoque et Algazel dicunt primum ens esse extra omne genus, nec in aliquo cum rebus univocari, melius quoque cuncta ab ipso negari, quam aliquid entium de ipso affirmari.

B Denique Proclus Platonicus in Elementatione sua theologica subtilissime loquitur, quod ens divinum indicibile est et incognoscibile omnibus simul secundis : propter quod solum primum penitus ignotum est, tanquam ἀμέθεκτον ens. Et rursus : Neque opinabile, inquit, est esse divinum, neque meditabile, neque intelligibile, neque opinio est ejus, neque scientia, neque intelligentia ; sed a dependentibus quales sint ejus proprietates agnoscuntur. Hunc autem assequens auctor libri de Causis, C quinta propositione testatur : Causa prima est superior omni narratione, quoniam ipsa est supra omnem causam, et non narratur nisi per causas secundas, quæ illuminantur a lumine causæ primæ : propter quod ipsa non cadit sub sensu et meditatione et cogitatione et intelligentia et loquela. Et denuo : Causa, inquit, prima est supra omne nomen quo nominatur, quoniam non pertinet ei diminutio neque complementum solum.

Præterea, secundum Augustinum nono D de Civitate Dei, secundum Apuleium Platonicum, summus Deus, omnium creator, sic a Platone laudatur, quod ipse solus qui non potest penuria sermonis humani vel modice comprehendi, vix a sapientibus viris, quum se vigore animi quantum licet a corpore removerint, contemplatur ; illud quoque interdum, velut in altissimis tenebris rapidissimo coruscamine lumen candidum, intermicare.

Postremo et Aristoteles acutissime ait, quod vita nostra quandoque quidem ad

modicum talis est qualis est vita primi principii semper, utpote contemplativa et deiformis.

Et respondendum, quod quidam præclari philosophi naturalibus virtutibus decorati, qui se ad philosophicas considerationes totaliter extenderunt, atque per abstractionem a sensibilibus ad eminentem metaphysicalium essentiarum speculationem apti fuerunt, interdum ad summi Dei contemplationem quamdam præclaram atque suavem perducti sunt, quantum per scientias acquisitas naturaleque lumen, per naturalem quoque Dei amorem et virtutes naturaliter adipiscibiles, fieri potuit. Verumtamen ista eorum contemplatio et sapientia a mystica Christianorum theologia in tantum distat ac deficit, quantum a lumine nebula, a veritateque umbra ; quantum etiam a fide et sapientia supernaturali quæ donum est, itemque a caritate Dei gratuita et infusa, occumbunt atque deficiunt ratio et sapientia amorque naturalis. Nec etiam philosophorum sapientia tales habuit sapores, delectationes, ardores, excessus, raptus seu ecstases, atque in his diuturnitates, ut Christianorum mystica theologia, per quam apex intelligentiæ pene incomparabiliter Deum clarius intuetur, ardentiusque eumdem vertex affectivæ amplectitur, quam per naturalem sapientiam et amorem fieri queat.

ARTICULUS VIII.

De abstractione simplificationeque mentis ad hanc secretissimam contemplationem necessaria; et quid sit divina caligo, quid item sit eam intrare.

Quo excellentissima ista mysticæ sapientiæ contemplatio circa superessentialem supersublimemque Deum supernaturalius, purius atque simplicius occupatur sive versatur, eo plenius necesse est intellectum et affectum totumque spiritum ab universis creatis abstrahere, ne opera-

A tionis animæ objectum sit quidquam creatum, neque per inordinatum creaturæ affectum mens retardetur a Deo superamando, ejusque sanctæ dilectionis prææstuanti fervore ac limpido : quatenus totus mentis adspectus, totus quoque volitivæ potentiæ appetitus, sine retrahente ac impediente, integraliter ac sincere ferantur, figantur et constabiliantur in Deo. Nempe, ut dicitur,

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

B Hinc acies mentis tanto debilius ac intotalius in Deum defigitur, quo amplius circa quæcumque alia aperitur. Nam et virtus unita fortior est quam dispersa, et plura ut hujusmodi simul intelligi nequeunt, secundum Philosophum.

Hinc primo Mysticæ theologiæ capitulo Timotheo loquens sacer Dionysius : Tu, inquit, circa mysticas visiones forti attritione (id est vigorosa atque idonea illa exercitatione qua te ad mysticæ theoriæ sapientiales contemplationes disponis et C aptas), et sensus derelinque et intellectuales operationes, et omnia sensibilia et intelligibilia, et omnia non exsistentia et exsistentia (id est, operationes, vires, objecta, te ipsum, et universa creata et creabilia seu fingibilia), sicque ad ejus unionem restituere (id est, ei te unias) incognite (hoc est per inconsiderationem omnium prædictorum, vel « incognite », id est per omnium ablationem a Deo et incomprehensionem ipsius), qui est super omnem substantiam et cognitionem, id est incom- D parabiliter omni creatura atque notitia mentis creatæ sublimior, ita quod in hac contemplatione mens ei conjungitur tanquam imperscrutabili pelago interminabilique abysso, seu incomprehensibili, et quoad *quid est* prorsus ignoto : unde divinam caliginem ingredi perhibetur.

Porro divina caligo est inaccessibilitas et incomprehensibilitas lucis divinæ, seu lux divina ut incomprehensibilis et ignota. Ait enim S. Dionysius in epistola ad Dorotheum : Caligo in qua Deus habitare Epist. v.

asseritur, inaccessibile lumen est. Et rursus : Invisibilis, inquit, est Deus propter excedentem sui luminis claritatem. Quamvis etenim lux divina sit in semetipsa superradiosissima et superclarissima, tamen per comparationem ad mentem viatricem, quæ eam in se ob superinfinitum suum splendorem atque decorem intueri non valet, caligo vocatur, secundum quod in epistola ad Caium Dionysius adstruit : Divinæ (inquiens) tenebræ cooperiuntur omni lumini et absconduntur omni cognitioni propter incircumscriptibilem propriæ claritatis fulgorem. Interdum autem caligo quam mens intrare dicitur, actualis omnium ignorantia in transcensu mentis super omnia nuncupatur. In caligine autem primo modo accepta Deus habitare censetur, qui ponit tenebras latibulum suum ; ad quem loquitur Isaias : Vere tu es Deus absconditus. Est namque et habitat in semetipso. In caligine quoque secundo modo accepta habitat Deus, in quantum illa est dispositio proxima qua mentem contemplantis inhabitat et illustrat.

Epist. I. — *Ps.* XVII, 12. — *Is.* XLV, 15.

Denique, sicut expositores Dionysii asserunt, prædicta hæc duo integrant caliginem in qua vere est Deus, videlicet inaccessibilitas seu incomprehensibilitas lucis divinæ et ignorantia præinducta. Per superfervidum namque amorem, omnes actus virium animæ comprehensivos absorbentem atque in solum Deum æstuanter tendentem, mens Deo unitur in ista caligine, et per omnium ab eo ablationem absque sermone prolativo laudat eumdem. Unde caliginem divinam intrare, est oculum mentis apicemque affectus in Deum per hanc mysticam theoriam extendere.

Postremo, per præfatam caliginem quidam intelligunt impotentiam infigendi oculos intellectuales ex toto et affectuales ex magna parte in Deum. Et quamvis hoc dici possit, nominibus quippe ad placitum utimur, non tamen modo loquendi B. Dionysii, a quo iste loquendi usus pro maxima parte sumpsit exordium, consonare videtur : ideo nec imitandum censetur.

ARTICULUS IX.

Quod in contemplativo exercitio theoricoque processu atque interno intuitu mysticæ theologiæ sermo mentalis tanto amplius abbreviatur, quo magis ascenditur, donec tandem ad omnimodam sermonis privationem perveniatur.

SICUT ostensum est, in mystica theologia laudatur atque conspicitur Deus per omnium ablationem ab ipso ; estque ordinatus inchoandi processus a sensibilibus ac inferioribus : aptius equidem dicimus Deum non esse corpus vel saxum aut animal, quam non esse vitam, intellectum, essentiam. Porro in isto secundum mensuram ascensionis est et mensura abbreviationis totius sermonis, ita quod quo magis ad superiora intelligibiliaque consurgimus, illa negando de Deo, videlicet quod non sit intellectus nec vita, eo amplius sermo interior atque exterior de Deo corripitur, donec ad summa ac prima et communissima pervenientes, videlicet quod Deus non est virtus nec substantia neque essentia, ipsamque caliginem modo in præcedenti articulo declarato introeuntes, omnis sermo deficiet : ita quod non breviloquium, sed meram sermonis privationem, incomprehensibilitatem et inintelligibilitatem inveniemus, et Deo tanquam ineffabili, incomprehensibili atque ignoto uniemur. Imo, prout superius quoque præhabitum est, quo vicinius, clarius ac intimius lumini abyssali, increato ac incircumscripto infigimur et unimur, eo quam ineffabile, invisibile, ignotum sit, limpidius conspicimus.

Art. II, IV. — Art. II.

Hoc est quod tertio Mysticæ theologiæ capitulo Dionysius docet. Unde quarto ejusdem libri capitulo elucidat qualiter omnia sensibilia abnegentur de Deo : Dicamus, inquiens, quod nec corpus est, nec figura, nec species ; neque in loco est, neque videtur, neque sentitur ; nec indiget, nec passioni aut turbationi subjicitur, etc. Postremo, quinto et ultimo præallegati libri

capitulo instruit qualiter omnia etiam digniora ac intelligibilia abnegentur de ipso: Rursus (inquit) ascendentes, dicamus quod neque anima est, neque intellectus; nec rationem nec intelligentiam habet; nec dicitur, neque intelligitur; nec magnitudo est, neque parvitas; nec potentia est, neque potentiam habet; neque tenebræ est, neque lumen; neque vivit, neque vita est; neque substantia est, neque veritas, neque sapientia; nec unum, nec unitas, neque deitas, neque bonitas, nec spiritus, nec filiatio, neque paternitas, neque quid entium neque quid non entium est, nec entia cognoscunt ipsum secundum quod ipse est.

Qualiter autem intelligenda sunt hæc, art. v. supra pro viribus tactum recordor. Ipsa namque superadoranda superfelixque Deitas infinita excellentia omnia superessentialiter ineffabiliter transcendit, ita quod omne nomen, prout nos id comprehendere valemus, distat ac deficit a superbenedicta, supersubstantiali et supervivente majestate ipsius immenso defectu. Quo autem divinæ luci mens magis appropiat, eo inaccessibilitas et incomprehensibilitas ejus splendidius innotescunt.

ARTICULUS X.

An mystica theologia sit realiter idem quod donum sapientiæ; et quod mysticæ hujus sapientiæ contemplatio simplicibus atque humilibus potius quam mundi hujus sapientibus infundatur.

DOCTORUM concors sententia est, quod inter omnes habitus animæ supernaturales infusos, primatum virtutes theologicæ sortiuntur; post quas proximum in dignitate obtinent locum septem dona Spiritus Sancti; quorum item præstantissimum esse sapientiam, non est qui dubitet. Si itaque mystica theologia pro habituali intelligentiæ perfectione sumatur, puta pro sapientia unitiva, realiter idem erit cum dono sapientiæ. Non enim est virtus theo-

A logica. Et si non sit idem quod sapientia illa quæ donum est, erit aliqua sapientia in apice mentis ipsa mystica theologia sublimior atque præstantior: quod dictis S. Dionysii non concordat, qui mysticam theologiam fatetur altissimam. Præterea, sapientia donum, est sapida scientia, cum gustu interno recte judicans de divinis: de cujus ratione est quod sit formata divinorum notitia; unde et caritati inseparabiliter est annexa. Sed totum hoc mysticæ quoque theologiæ competere, innotescit ex B præostensis.

Si autem quis instans objiciat: Si mystica theologia cum sapientia dono identificatur, ergo quicumque in statu salutis est, mysticam habet theologiam, quæ tamen solis perfectis convenire censetur. Quicumque enim in statu salutis consistit, septem dona Spiritus Sancti habet secundum aliquem gradum. Et respondendum, quod consequentia ista non tenet. Mystica quippe theologia est sapientia donum secundum summum ipsius gradum. Tres C enim sunt gradus sapientiæ hujus, ut dictum est. Ideo quicumque habet donum sapientiæ secundum gradum ipsius perfectum, mystica quoque theologia refulget. Si autem mystica theologia sumatur pro actu, erit operatio doni sapientiæ unitivæ secundum supremum suum gradum possessæ. (art. II.; lib. I, art. XIX.)

Denique, ex præhabitis innotescit, ad art. III. mysticæ theologiæ adeptionem non exigi subtile ingenium, scholasticum exercitium, nudam et speculativam scientiam, D sed pœnitentem affectum, cor purum, ferventem amorem, mentis in Deo simplificationem, elevationem seu recollectionem, Spiritus Sancti illuminationem. Quum ergo hæc omnia frequenter magis abundent in idiotis atque simplicibus, etiam feminis et puellis mansuetis, humilibus et purgatis, præsertim quæ propriam in omnibus voluntatem abjiciunt; constat quod eis multoties prædignissima hæc mysticæ sapientiæ contemplatio copiosius influatur, quam ingeniosis ac eruditis qui per viam

purgativam et illuminativam ad viam hanc unitivam rite et digne se ipsos non aptaverunt : imo qui in oculis suis magni sunt aliosque pro nihilo reputant, ab hac mystica theoria tanquam ineptissimi indignissimique pelluntur.

At vero, quo aliquis in divina caritate plus crescit, eo in dono sapientiæ amplius proficit. Quum igitur simplices frequenter per humilitatem et patientiam in caritatis fervore multo plus crescant quam ingeniosi et eruditi, liquet quod in mystica theologia magis resplendeant. Idcirco, absolute loquendo, excellentius clariusque Deum cognoscunt quam illi : imo tanto sublimius, quanto supernaturalis, unitiva ac mystica sapientia, naturali et scholasticæ sapientiæ, vel etiam sapientiæ infusæ quoad inferiores suos gradus, eminet ac præfertur. Unde talium simplicium fides vivacior, firmior illuminatiorque vere asseritur, spes quoque perfectior.

Qui itaque veram, profundissimam ac divinissimam cupit sapientiam adipisci, omnium passionum reformationi, vitiorum eradicationi, mundanorum pleno contemptui efficaciter in primis desudet ; deinde a Deo illuminari jugiter postulet, et in Divinitatis sincerissima dilectione accendi infatigabiliter enitatur, sicque cor suum in Deo simplificare ac figere moliatur.

ARTICULUS XI.

An mysticæ sapientiæ consurrectio contemplativa in Deum, sit potius laboriosa et afflictiva quam dulcis atque jucunda.

QUIDAM de contemplatione atque divini amoris incendio conscribentes, totam contemplativæ vitæ perfectionem in tribus quodammodo ponunt, in fervore, dulcore, canore : per fervorem, intensum intelligentes amoris divini affectum ; per dulcorem, spiritualem delectationem vel suavem in Deo consolationem ; per canorem vero, secretum internumque jubilum, in

A quem ex fervore atque dulcore præfatis mens prorumpit.

Alii autem econverso affirmant, quod licet per sapientiam unitivam ac mysticam mens tendat superius, tamen, quantum est de suis motibus anagogicis, in ipso actuali exercitio sine omni mulcenti unctione seu delectatione consistit ; sed potius, inquiunt, est ibi miro modo corporalis afflictio, et in hoc solum est ibi lætitia, quod in ista actuali tendentia directe et sine aliqua obliquatione mens consurgit in ipsum bea-
B tissimum Deum, tanquam in locum suæ dignitati correspondentem, velut si grave tendat ad centrum. Unde, ut aiunt, multi decipiuntur, in hac philosophia minus experti, existimantes in motibus anagogicis mentem consurgentem cœlesti dulcore multipliciter irrorari, quum econtrario mens laboriosissima sursumactione agatur, et ex spiritus extentione sit ibi quædam corporis enervatio et spiritualis separatio, corporalium quoque membrorum ex impetuositate motuum anagogicorum pro-
C tensio, ita quod anagogicorum impetus motuum corpus diu sine magna afflictione ferre non posset, nisi gaudium spiritus de ipsius directa tendentia temperaret.

Præterea, utraque positio posset fulciri. Pro primæ etenim confirmatione est, quod omnium testimonio, quælibet virtus in sua actione habet gaudium proprium sibi annexum, superioris quoque virtutis delectatio major est. Quum ergo consurrectio contemplativa præfata sit actus præstan-
D tissimi habitus virtutisque animæ, utpote sapientiæ unitivæ theoricæ, supernaturalis, deiformis ac mysticæ, apparet quod ex sua natura sit maxime dulcis, ungens ac deliciosa. Rursus, actio quo convenientior magisque perfectiva, eo delectabilior perhibetur. Et iterum, quum gaudium sit diffusio animi in conceptu boni, oriaturque ex unione potentiæ cum objecto convenienti proportionaliter copulato, et in consurrectione anagogica sit nobilissima mentis unio cum summo et summe conve-

nienti objecto, videtur in ea præcipuum consistere gaudium. — Insuper, Joannes Ruysbroeck in libro de Alta contemplatione testatur, quod gratia Dei redundat ac fluit usque in inferiores animæ vires, hereditatque hominis mentem. Exinde scaturit cordialis amor et perceptibilis delectatio ad Deum, amor quoque et delectatio pertransiens carnem et sanguinem ac totam corporalem naturam, ita quod homo ignorat qualiter habere se debeat, eo quod ebrio similis factus sit. Inde procedit multiformis et rara maneries, quam aliqui teneri cordis compescere nequeunt. Unde frequenter caput apertis oculis levant in cœlos ex desiderio impatienti; nunc gaudent, nunc plorant; nunc cantant, nunc saltant; nunc dolent, nunc bene habent, et sæpe utrumque simul; nunc currunt, nunc manibus plaudunt; nunc genua flectunt, nunc se inclinant, atque similes gestus ostendunt ex plenitudine lætitiæ interioris. Hinc rursus in libro de Spiritualibus nuptiis ait, quod ex dilectione Dei procedit voluptas cordis et omnium corporalium virium, ita quod homini videtur quod intus in amore divino amplexu sit amplexatus. Hæc voluptas et consolatio, major, delectabilior ac sufficientior est animæ et corpori, quam quæcumque voluptas quam mundus dare potest, etiam si unus homo omnes voluptates terrenas simul haberet. Hæc voluptas facit hominem considerare quantum exsulant hi qui extra divinum amorem habitant.

Denique pro alterius positionis confirmatione facit, quod sacratissimus Dionysius admonet Timotheum circa mysticas visiones forti exercitatione relinquere atque transcendere cuncta : et per fortem exercitationem, laboriosam intelligit, ut quidam exponunt. Gregorius demum in Moralibus : Labor, inquit, contemplativorum est summum negotium. Bernardus etiam loquitur, quod solitarii contemplativam vitam ducentes, otiosi sive vacantes dicendi non sunt, quum opus eorum sit negotiosissimum.

[Theol. c. I.]

A Hujus quæstionis solutio experientiam magnam potius quam subtilitatem requirit. Quid ergo inexpertus de ea dicturus sum ? Verumtamen ex præinductis videtur aliqualiter posse dissolvi. Nempe, ut sæpe jam patuit, mysticæ theologiæ exercitium supernaturale est penitus, et tanto facilius atque jucundius exstat, quanto mens exuberantioribus charismatibus Spiritus Sancti prævenitur, regitur atque juvatur. Quamvis itaque dispositio ad secretissimam illam cum Deo theoricam, intuiti-
B vam ac ardentissimam unionem, sit aliquando laboriosa et afflictiva propter mentis conatum in omnium supergressione, fervida oratione, propria recollectione, corporis alteratione ; nonnunquam tamen perfacilis est speciali dono ac ope Spiritus Sancti : imo interdum mens sine sua præparatione quasi improvise a Spiritu Sancto repente concutitur, irradiatur, succenditur, rapitur, transformatur ; sicque divinam intrat caliginem cum voluptuosa facilitate. At vero certum est diversos esse
C gradus ac modos mysticarum visionum theoricarumque contemplationum istarum : idcirco non reor circa hujus quæstionis solutionem, generalem posse regulam assignari. Nam et corporis alteratio, rigor, stupor, insensibilitas, variis modis atque diversis ex causis contingit, ut infra forsitan magis tangetur.

[art. II, VI-VIII.]

ARTICULUS XII.

D *De septem gradibus quibus pervenitur ad divinæ caliginis contemplativum tranquillissimumque ingressum.*

QUEMADMODUM finis mortificationis exterioris hominis est membra corporis non exhibere arma iniquitatis peccato, sed rationis imperio plene subjicere, ut contra ejus censuram nullo impetu moveantur ; sic finis mortificationis interioris hominis est mentem Deo, quantum possibile est, inavulsibiliter adhærere inavertibili-

[Rom. VI, 13.]

terque uniri. Porro in interiori homine, scilicet anima, sunt tria ab hoc mundo mortificanda, ut Deo totaliter vivant, puta : memoria, ab omni labentium atque a Deo impedientium rerum occupatione seu recordatione ; intellectus, ab omni vanarum similitudinum depictione atque intuitione ; voluntas, ab omni inordinata affectione ac vili in rebus caducis delectatione. Moritur ita homo huic sæculo, dum mens ejus ab universis exterioribus interioribusque tumultibus libera, intra sinum divini amoris quasi sepulta, in abscondito faciei Dei sui dulciter requiescit.

Ad hanc stabilitatem tranquillissimæ quietis et felicissimæ obdormitionis in Deo, quæ aliud non est nisi mysticæ sapientiæ ardentissima illa ac secretissima contemplatio, seu ingressus caliginis et intima unio cum Superaltissimo, devotissima anima sex gradibus conando accedit, atque in septimo ad desideratum quietis portum divino fulta suffragio pervenit.

Primus est omnis terrenæ sollicitudinis depositio (de hoc jam ante dicta sunt plurima). Etenim nisi mens ad exteriora quasi insensibilis fiat, ad internæ gustum dulcedinis non pertingit.

lib I, art. xx, xxii, xxiii.

Secundus gradus est mentis ab omni specie creata perfecta nudatio. Oportet enim ab omni impressione cujuscumque imaginis vel similitudinis rei creatæ nudam esse superficiem mentis quæ impressionem atque imaginem in se vult recipere Creatoris, qui ait in Canticis : Pone me ut signaculum super cor tuum. De hoc quoque superius dictum est sæpe.

Cant. viii, 6. — *lib. II, art. ii, ix ; lib. III, art. viii.*

Tertius est sui ipsius in suo intimo omnimoda collectio. Divisio enim cordis, animæ est interitus, sicut Osee testatur : Divisum est cor eorum, nunc interibunt. Nempe, dum mens a summo uno in plura quasi frustatim decerpitur, ipsa sui diminutione velut in nihil redigitur. Quoniam ergo vanis variisque amoribus et imaginationibus creaturarum cor nostrum a Deo divisum est, in ipso rursus totaliter colligatur, ne extra ipsum quid velit aut cogitet. Ad hanc recollectionem tria præcipue valent : solitudo, quies, silentium ; sicut Jeremias fatetur : Sedebit solitarius, et tacebit, quia levabit se super se.

Osee x, 2. — *Thren. ... 28.*

Quartus est propriæ voluntatis in Deum totalis transformatio : quatenus homo in omni eventu divinæ voluntatis beneplacito se committat, scilicet in omni adversitate in Deo fidelissime solidatus gratias agat, certus quod Deo cura est de nobis, et sine ejus providentia nobis nil accidit, quodque diligentibus Deum et vere patientibus, qui se peccatis suis exigentibus omni adversitate et tribulatione dignos attendunt, omnia cooperantur in bonum. Qui talis est, multa pace et delectatione intra se, Deo conferente, lætatur.

I Petr. ... — *Rom. ... 28.*

Quintus est sui ipsius plenaria derelictio : quatenus homo Deo se ipsum totaliter offerat holocaustum, nihil sui sibi ipsi reservans, sed totum quod a Deo suscepit, eidem per cultum rependens.

Sextus est sui ipsius plena transcensio, quando videlicet mens per aliquam fortem gratiam visitata, in tantum ipsam trahentem gratiam sequitur, ut universorum ac sui ipsius oblita, quasi in alium statum transfigurationis a Deo donante mox transeat. Hæc transcensio etiam alienatio mentis vocatur. Quoties enim mens divinum aliquid tractans sentit quod humanas vires transcendit, non in se, sed in Deo trahente id sentit.

Septimus gradus est in divinam caliginem (ubi Deus vere est, moratur atque conspicitur) spiritualis introductio, in qua menti summa huic vitæ possibilis pax, quies perfectioque præstatur.

Hi septem gradus, quorum sex priores ad septimum ordinantur, tendunt ac præparant, sunt septem dies, in quorum sex prioribus Moyses se ad ipsum Dominum accedendum, contemplandum et alloquendum disposuit, atque in septimo, Domino ipsum vocante, ingressus est medium caliginis in qua erat Deus, ubi et mansit cum ipso.

Exod. ... 21.

ARTICULUS XIII.

Quomodo sapientia unitiva dicatur irrationalis, amens et stulta.

DIVINUS Dionysius septimo de Divinis nominibus capitulo præinductam sapientiam nominat irrationalem, amentem et stultam : non quod vere et absolute hujusmodi sit, sed talis dicitur per excessum, eo quod naturalem rationem, intellectum, virtutem sapientiamque transcendat,
col. quemadmodum etiam Deum appellat nec
c. v. unum, nec bonum, nec sapientem. Jam
v, vi, quippe frequenter ostensum est quod mystica theoria prorsus supernaturalis sit atque infusa, et per ardentissimam puræ caritatis dilectionem acquiratur ac sentiatur ; nulli quoque plenarie innotescit, nisi qui per gustum et experientiam ad ipsam devenit : qui gustus et experientia naturali virtute nullatenus obtinentur.

Rursus sapientia ista irrationalis et amens ac stulta asseritur, id est supermentalis et superrationalis et supersapientialis : quia in ea fervor divini amoris sincerus totaliter prædominatur, cujus calore mens extra et supra se elevatur, et usque ad supersublimis Dei eminentissimam huic vitæ possibilem unionem desiderabilissimo modo perducitur.

Iterum sapientia ista talis a Dionysio fertur, quia carnalibus et indoctis, superbis ac vanis sæculi amatoribus, irrationalis, amens et stulta apparet, imo eam irrident et esse discredunt.

Denuo irrationalis, amens stultaque dicitur, sicut lex Christi : quoniam ad talem vitam discipulos suos inducit, et talem ab eis vitam requirit, quæ sapientibus atque prudentibus sæculi, non habentibus sensum ac spiritum Christi, irrationalis, insensata et fatua prorsus videtur. Propter
iv, quod ait Apostolus : Nos stulti propter
d. 9. Christum ; et iterum : Spectaculum facti
, 14. sumus mundo ; itemque : Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi. Juxta hunc modum

A loquendi denuo asserit : Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes ; et item : Qui videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. (I Cor. I, 21. — Ibid. III, 18.)

Postremo, sicut stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi, ita et mundus stultam reputat sapientiam Dei : quia et ea quæ devotissimi propter Christum agunt et patiuntur secundum ejus doctrinam, homines mundani fatua arbitrantur, qui in fine dicturi sunt, sero et infructuose pœnitentes, illud Sapientiæ : Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Unde ad mysticam sapientiam perduci affectans, ab omnium mundanorum cordiali contemptu, pœnitenti affectu et humilitate præcipua noverit inchoandum. (Ibid. I, 20. — B — Sap. V, 4.)

ARTICULUS XIV.

C *An mystica theologia sit essentialiter amor vel cognitio, et de ejus subjecto atque objecto.*

SUPERIUS, quum inter theologiam speculativam ac mysticam differentiæ assignabantur, inserui quemadmodum quidam speculativam ponunt in intellectu, mysticam autem in vi affectiva; quod item speculativæ objectum sit verum, mysticæ bonum : ex quo sequi videtur quod mystica theologia sit formaliter seu essentialiter amor ; quod et interdum concedunt, di-D centes quod ipsa in apice affectivæ consurgit. Denique, secundum B. Dionysii commentatores, mystica theologia in superferventi ac puro Dei amore tota consistit. (art. III.)

Circa hanc materiam legi et quemdam doctorem novellum, cujus dicta non videntur in hac parte admodum resoluta, nec curioso nec avido scrutatori satisfaciunt, ut opinor. Aliquando enim affirmat, quod mystica theologia sit amor et in affectiva potentia subjective consistens ;

interdum, quod sit sapientia sive cognitio. A
Quod tamen concordari posset eo modo
quo ait Gregorius, Amor ipse notitia est :
quod non est verum per prædicationem
formalem et propriam, sed causalem ;
quemadmodum ira dicitur ebullitio san-
guinis circa cor, et dies fertur latio so-
lis super nostrum horizontem. Sed istud
non videtur de præfati intentione doctoris.
In libro quoque de Triplici via quædam
dicuntur ex quibus sequi videtur quod
theologia ista sit essentialiter amor ; quæ-
dam quoque ibidem dicuntur ex quibus B
infertur quod non sit amor, sed magis co-
gnitio.

Simpliciter ergo et plane procedendo,
dicendum quod mystica theologia non est
formaliter seu essentialiter amor aut fer-
vor, sed cognitio ; ejus quoque subjectum
est intellectus, non vis affectiva. Primo,
art. ii, x, xi. quia (ut jam sæpe patuit) hæc theologia
est realiter sapientia unitiva, quæ tam ve-
re est in intellectu quam ejus actus seu
habitus, qui vere est sapientia. Secundo,
art. ii. quoniam (ut ex præhabitis claret) secun- C
dum expositores Dionysii, mystica theolo-
gia est secretissima mentis cum Deo locu-
tio. Hanc autem locutionem esse actum
intellectus, non est qui possit ambigere, et
ex diversis verbis Augustini in libro de
Trinitate et super Joannem patescit. Ter-
tio, quoniam Dionysius primo Mysticæ
theologiæ capitulo ait ad Timotheum : Cir-
ca mysticas visiones sensus derelinque.
Itaque mysticam theologiam vel actum
ipsius, alio nomine nuncupat visionem ;
nec dubium quin de visione loquatur men- D
tali, puta contemplatione theologica et ab-
dita, clausa ac stricta. Quarto, nam paulo
art. x. ante probatum est, quod theologia mystica
realiter idem sit cum dono sapientiæ,
quam doctores concorditer in intellectu
constituunt. Quinto, quia Dionysius in toto
Mysticæ theologiæ libro tractat de theolo-
gia ista tanquam de potissima quadam Dei
notitia per quam omnia auferuntur ab
ipso.

Si vero theologia ista pronuntietur non
esse in intellectu, sed in intelligentia, vel
in synderesis scintilla, hoc redit in idem.
Intellectus quippe, ratio et intelligentia
non sunt vires distinctæ, sed una potentia,
secundum diversos respectus vel actus di-
versimode nominata, ut dictum est primo
libro. art. v.

Verumtamen mystica theologia quoad
suum complementum ac formativum, et
quantum ad id quo movetur et excitatur
in exercitium suum, est in apice affecti-
væ, videlicet quoad amoris fervorem. Un-
de contemplatio contemplativaque vita
consistit in via purgativa dispositive, in
via illuminativa formaliter, in via unitiva
seu perfectiva completive : quemadmo-
dum beatitudo essentialiter est in intelle-
ctu, quum sit cognitio Dei, Deo id ipsum
dicente, Hæc est vita æterna, ut cogno- Joann
scant te solum verum Deum ; completive xvii, 3.
vero in voluntate. Hinc Dionysius sapien-
tiam istam septimo capitulo de Divinis
nominibus definiens, ait quod sit divinis-
sima Dei cognitio. Alii quoque eamdem
non parum experti, fassi sunt quod sit in-
tuitio caliginis.

Deinceps videndum an theologiæ mysti-
cæ subjectum sit bonum. Et apparet quod
non. Primo, ut dicitur libro de Triplici
via, Deus in hac sapientia apprehenditur
nec sub ratione dulcis vel odorabilis, nec
pulchri vel modulosi, aut aliqua ratione
secundum quam est alicujus sensus inte-
rioris objectum. Præterea, mens in visione
mysticæ theologiæ conjungitur Deo, non
secundum aliquod affirmativum, vel sub
ratione positivæ aut comprehensibilis en-
titatis vel proprietatis, sed tanquam indici-
bili et ignoto, secundum Dionysium per
totum Theologiæ mysticæ textum, sicut
jam evidentissime patuit. Quomodo ergo art. viii,
bonum vel Deus sub ratione boni erit ejus
objectum, et non potius incomprehensibile
superbonum, non bonum ? Hanc subtilita-
tem scholasticis committendam existimo,
totisque viribus enitendum ad obtinen-
dum hanc mysticam theoriam, quam ne-
mo novit nisi qui accipit.

ARTICULUS XV.

An vis affectiva seu apex affectus, videlicet voluntatis, possit adspirando vel desiderando ferri seu moveri afficique in Deum absque omni cognitione intellectus prævia vel concomitante.

QUÆSTIO ista in fine libri de Triplici via proponitur. Nititurque auctor libri illius rationibus et auctoribus probare, quod in viris perfectis, divini amoris fervore succensis, apex affectivæ immediate feratur vi amoris in Deum sine prævia cognitione : quoniam sicut grave proprio pondere movetur deorsum, ita apex affectus proprio pondere seu fervida dilectione immediate sine omni cognitione prævia vel concomitante fertur in Deum, eo quod vis affectiva quoad suum supremum, habet immediatum respectum ad Spiritum Sanctum, qui amor est, atque eidem immediate unibilis est, sicque ab ipso directe sine prævia cognitione inflammatur ac tangitur sursumque trahitur. Dicit insuper, quod ista vis affectiva quoad suum supremum, ab omnibus ignoratur, nisi ab his quorum affectus igne Sancti Spiritus immediate tangitur et movetur. Itaque in hoc adstruit mysticam theologiam a ceteris distingui scientiis, quod in ea affectio cognitionem præcedit, in ceteris autem affectionem cognitio.

Huic autem opinioni multa possunt de facili objici. Primo, quod implicare et sibi ipsi contrariari videtur. Dicit quippe auctor præfatus, quod mystica theologia et consurrectio hæc anagogica per ferventem amorem in Deum, sit illa sapientia unitiva de qua septimo capitulo de Divinis nominibus loquitur divinus Dionysius. Hanc autem sapientiam definit Dionysius esse divinissimam cognitionem. Si ergo cognitio est, in vi intellectiva erit : sicque in consurrectione anagogica mysticæ theologiæ non fertur apex affectivæ in Deum sine prævia cognitione intellectuali, ea A præsertim quæ ad mysticam pertinet theologiam.

Præterea, Dionysius in exordio Mysticæ theologiæ vocat eamdem, divinam sapientiam. Sapientiæ autem subjectum est intellectus, sicut caritatis vis affectiva. Hinc doctores concorditer donum sapientiæ ponunt in intellectu. Consurrectio ergo anagogica mysticæ theologiæ est actus elicitus sapientiæ. Talis autem actus est realiter contemplatio sive cognitio. Mysticæ ergo theologiæ exercitium nequaquam est sine B operatione intellectus interna ac intima. Quam operationem ardentissima puri amoris concomitatur affectio, sicut Scriptura testatur : In meditatione mea exardescet ignis. *Ps. xxxviii, 4.* Idcirco doctores communiter asserunt dilectionem esse formam, decorem et complementum notitiæ : imo tam fidem quam cognitionem caritatis affectu privatam, vocant informem; eo autem ornatam, appellant formatam.

Verumtamen non reor negandum quin hanc sapientiæ sursumactionem ac mysti- C cam visionem secretissimamque cum Deo sermocinationem præcedat in affectiva ardor amoris ; sed ille est motivus ac dispositivus ad mysticæ sapientiæ actum, quem calidissima sanctæ caritatis affectio non ordine temporis sed naturæ concomitatur. Nempe, ut dictum est, ex mystica visione, amoris ignis quasi de novo exæstuat. An vero illum amoris ardorem ad hunc sapientiæ actum disponentem præcedat quædam cognitio, mox discutietur.

Insuper, quod mystica theologia in api- D ce intellectus realiter sit atque in visione consistat, evidentissime constat ex eo quod secundo Mysticæ theologiæ capitulo Dionysius ait : Secundum hanc superlucidam nos fieri oramus caliginem, et per invisibilitatem et ignorantiam videre et cognoscere quod est super visionem et cognitionem, videlicet Deum, qui a mente viatrici plene et sicuti est nequit cognosci. Propter quod Dionysius subdit : Hoc enim est vere videre et cognoscere, supersubstantialem supersubstantialiter per om-

nium entium ablationem laudare. Idem innuitur primo ejusdem libri capitulo.

Amplius, auctor prænominatus positionem suam probare conatur per id quod Dionysius primo capitulo Mysticæ theologiæ hortatur : Circa mysticas (inquiens) visiones forti contritione et sensus derelinque et intellectuales operationes, et omnia sensibilia et intelligibilia, et omnia entia et non entia. Ex hoc infert, quod in anagogica mysticæ theologiæ consurrectione, sine omni actione intellectus oporteat secundum solam affectuosi amoris unitionem consurgere.

Istud argumentum ex verbis Dionysii et commenti faciliter pellitur. Nempe quod Dionysius adstruit omnem operationem intellectualem relinquendam, intelligendum est de operatione versante circa creata : alias in mysticæ theologiæ exercitio nulla esset cognitio intellectualisque visio ; nec diceretur, Circa mysticas visiones, sed forsitan, Circa mysticas affectiones. Etenim mystica visio actus est potentiæ intellectivæ. Imo eo ipso quo Dionysius ait, Circa mysticas visiones, innuit duo : primum, quod sapientia ista in actu intellectus consistit, voluntatis namque non est intelligere seu mystice videre ; secundum, quod operatio intellectus circa increatum objectum non sit utique relinquenda. Unde, quod intentio Dionysii non sit nisi de creatis objectis eorumque cognitionibus relinquendis, declaratur ex eo quod subdit : Etenim tui ipsius et omnium irretentibili ecstasi, ad supersubstantialem divinæ tenebræ radium reduceris. In quibus iterum verbis ostendit mysticam theologiam in actione intellectus essentialiter sitam : siquidem ad supersubstantialem radium divinæ tenebræ (id est incomprehensibilis lucis æternæ) reductio, aliud non est nisi ejusdem contemplatio, visio sive cognitio. Quod item secundo Mysticæ theologiæ capitulo clarius pandens : Hic, inquit (videlicet in mysticæ theologiæ exercitio vel processu), ab ultimis ad principalissima ascendentes, omnia auferimus (id est, uni-

A versa de Deo negamus), ut incircumvelate cognoscamus illam ignorantiam (utpote divinæ lucis inaccessibilitatem) ab omnibus cognitis velatam, et supersubstantialem illam videamus caliginem ab omni exsistentium lumine occultatam. Ecce clarissime ponit, mysticæ theologiæ usum et actum ejusque exercitii finem esse præfatam theoricam, supernaturalem, affectuosissimam contemplationem.

Denique auctor prædictus pro se allegat, quod Dionysius mysticam sapientiam

B nominat irrationalem, amentem ac stultam : ex quo concludit, quod non procedit per rationis investigationem, nec sicut scholasticæ scientiæ.

Hoc totum concedo ; sed non sequitur quod sit sine cognitione mentali, quamvis sit sine naturali notitia. Habetur enim ex gratiosissima Sancti Spiritus illustratione, deiformisque radii seu intelligibilis cujusdam ac simplicis claritatis splendiflua infusione, mentem supernaturaliter clarificante, ungente, atque ad promptissimam,

C celerrimam ac certissimam Dei contemplationem habilitante et roborante : cui irradiationi ac contemplationi nec error nec incertitudo potest misceri.

Adhuc allegat pro parte sua illud ex Psalmo : Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Quum ergo gustare respiciat amoris affectum, videre autem, intellectus cognitionem, primo oportet motu amoris consurgere, quam occultissimum Deum intellectualiter cogitando cognoscere. Nam est regula generalis in mystica theologia,

D quod primo oportet habere practicam quam theoricam, id est usum exercitii in corde, quam ipsius rei vel eorum quæ dicuntur notitiam. Itaque, ut concludit, ex affectu amoris relinquitur in mente cognitio, non econverso.

Ad ista respondeo, quod nunquam quis Deum amat vel gustat, nisi prius eum aliquo modo cognoscat : quia, ut ait Gregorius, quis amet quod ignorat ? Et denuo : Nemo (inquit) diligit qui ignorat. Itemque Augustinus : Invisa diligere pos-

Ps. x... 9.

sumus, non autem incognita. Unde et auctor præfatus concedit, quod in proficientibus cognitio præcedit amoris affectum : necesse est enim ad minus ut apprehensio aliqua simplex præcedat. Verum oportet ut formatam notitiam habitualis saltem præcedat dilectio. Gustus quoque et amor actualis cognitionem, antequam ipsa fiat perfecta, ut præcedat necesse est ; et ad illam hortatur Psalmista. Nec sequitur, si in ordine verborum præponit, Gustate, quod ergo in re prior sit actus gustandi ac diligendi quam cognoscendi. Forte enim propter congruentiam versus hoc fecit, quia metrice scripti sunt psalmi ; vel ideo, ut sciamus quod ad salutarem Dei scientiam plus confert gustus boni quam nuda cognitio.

Amplius, allegat pro se, quod super Mysticam theologiam loquitur Vercellensis : Istud sapientiæ negotium sensus, imaginationis, rationis et intellectus tam practici quam theorici usus et officia suspendit, et excludit omnem intellectum et omne intelligibile, et ens et unum et verum ; transcenditque speculum et ænigma, ac ipsi divino Spiritui apicem principalis affectionis divina dignatione conjungit. Ex quo concludit, quod in mystica affectione non requiritur aliqua cognitio intellectus.

Verum, quantum capere valeo, auctoritas ista militat ad oppositum. Quum enim Vercellensis fatetur, quod sapientiæ negotium unit Deo apicem principalis affectionis, testatur quod ipse affectus ex sapientiæ exercitio oritur atque consequitur, et quod non suspenditur actio intellectus nisi circa creata, quum sapientiæ negotium ad intellectum pertineat.

Alias quoque plures persuasiones adducit : quas, brevitati studens, quia faciliter dissolvuntur, pertranseo.

Nunc vero videndum, an et illum amoris ardorem qui ad mysticæ sapientiæ contemplativum atque ecstaticum disponit intuitum, oporteat aliquam intellectualem apprehensionem præcedere, saltem ordine naturæ, quamvis non temporis.

A Ad quod quidam respondent quod imo. Primo, propter naturalem coordinationem intellectus et voluntatis, quoniam intellectiva potentia naturaliter prior est volitiva. Secundo, quoniam voluntatis objectum, est bonum intellectum seu per intellectivam vim apprehensum : non ergo fertur voluntas in bonum, nisi in quantum fuerit intellectum, quum nulla potentia feratur in suum objectum nisi sub propria ratione ipsius. Tertio, voluntas enim non fertur in suum objectum sicut appetitus B naturalis, videlicet incognitive, sed intellectualiter : unde et appetitus intellectualis vocatur. Ergo est ibi cognitio. Quarto, nam secundum totum processum Augustini in libris de superbenedictissima Trinitate, anima rationalis summæ Trinitatis imago est quoad memoriam, notitiam et amorem : ita quod sicut in Trinitate est Pater tanquam fecunda memoria, Filius tanquam notitia, Sapientia seu Veritas genita, a solo profluens Patre, et Spiritus Sanctus tanquam amor ab utroque spira- C tus ; ita in anima est notitia profluens ab intellectu fecundo, qui est memoria, et amor a mente notitiaque emanans. Quinto, quia (secundum Gregorium) ardor dilectionis non est sine visione. Ait nempe quinto Moralium : Quum internam dulcedinem mens degustat, amore æstuat et ire super se nititur, sed ad infirmitatis suæ tenebras fracta relabitur ; et magna virtute proficiens, videt quia videre non possit quod ardenter diligit ; nec tamen ardenter diligeret, nisi aliquatenus vide- D ret. Ergo non solum in proficientibus, sed etiam in perfectis cognitio affectionem præcedit. Nam in parte animæ sensitiva non est affectio in appetitu, nisi præcedat cognitio quædam in sensu. Postremo, apicem affectivæ ferri in Deum per amoris fervorem, non est aliud dicere quam animam per istud supremum suæ voluntatis quo habet immediatum respectum ordinemque ad Deum, moveri ad eum amorose seu dilective. Quomodo autem sic moveretur atque diligeret ipsum, nisi et ipsum

aliquo modo adspiceret? Hinc igitur aliqui (imo plurimi) dicunt, quod semper sit aliqua intuitio naturali ordine prævia.

Verumtamen experientiam gratiæ assequendo, apparet quod ipse affectus interdum quasi repente et improvise in Deo ardenter valde ac mirabiliter incalescat, ferveat, æstuet, ita quod nulla cognitio præcessisse sentitur, præsertim quum istud interdum mente distracta contingat. — Rursus, secundum expositores Dionysii, in mysticæ theologiæ contuitu ardor amoris omnium comprehensivarum virium operationes absorbet : non ergo ibi remanet cognitio aliqua.

Ad primum istorum responsionem ulteriorem studiosis committo. Posset enim dici, quod simul cum tali inflammatione affectus sit pariter aliqua irradiatio intellectus, quamvis propter amoris vehementiam non percipiatur. — Ad secundum dicendum, quod fervor divini amoris non ita absorbet omnem apprehensivarum virium cognitionem quod ibi nulla remaneat actio, visio, intuitio seu contemplatio circa increatum objectum, sed quod amor tam impetuosus, ingens ac fortis est, ut cognitio in ignem amoris quodammodo transformetur, et amoris ardore valenter omnino prædominante, pene non sentiatur.

Præterea, hæc dixerim sine reprobatione præfati auctoris et salva reverentia ejus, qui (sicut ex ejus libro perpenditur) fuit in spiritualis vitæ exercitio valde expertus, homo profundus et contemplator non parum sublimis. Qui etiam in hujus quæstionis discussione multa pulchra inducit, inter cetera docens, quod tam intellectus quam affectus dupliciter consurgit in Deum : uno modo ab inferioribus inchoando, videlicet ex consideratione creaturarum et bonitate atque decore earum ad Creatoris contemplationem dilectionemque proficiscens ; alio modo a superioribus inchoando, dum intellectus desuper supernaturaliter illustratur, et affectus a Spiritu Sancto immediate tangitur ac movetur, et secundum hanc sapientiam deifi-

A cumque amorem anima circa inferiora se dirigit.

ARTICULUS XVI.

De divino deificante amore, ejusque igniformi fervore prout ad mysticam pertinet theoriam ; de signis quoque amoris ecstatici.

QUONIAM, juxta omnia præinducta, summa, propinquissima atque dignissima B via ad unitivæ sapientiæ theologiæque mysticæ usum, actum seu contemplationem, est divini amoris æstuans fervor, qui mentem aperit, patulam reddit, capacemque efficit Dei super omnia concupiti ac munerum ejus; incumbit nunc de ipso sancto Divinitatis puro et irreflexo amore, quantum Spiritus ille superdulcissimus, cui amor atque benignitas appropriantur, contulerit, fari.

Verumtamen, sicut prætactum est, ardor art.p divini amoris ex mysticæ theosophiæ con- C templatione theorica oriens ac procedens, ad mysticam theologiam amplius pertinet quam ille qui eam præcedit ad eamque præparat. Ardor nempe concomitans priore calidior est : quoniam unitivæ hujus sophiæ contemplativa inspectio, præclara ac sacra intuitio, quo fuerit limpidior atque intimior, eo utique magis accendit, rapit, suspendit, transformat, deificat.

Porro amor iste divinus non est naturalis affectus ad Deum, sed dilectio gratuita, supernaturalis, infusa : quæ est ani- D mæ vigor et vita, universarum virtutum et actuum imperatrix, motrix et finis. Ipsa est quæ cor amantis dilatat, appetitum expandit, mentis sinum distendit, habitaculum cordis nostri amplificat, ut capere queat immensum, atque incircumscriptibilem teneat mansorem ac hospitem. Denique animam supra omnia terrena, caduca, vana ac materialia elevat, ultra cuncta creata consurgere facit ; usque ad Dominum majestatis volat ac pervenit, illi unit, in illum transformat, illi indisso-

lubiliter, immediate ac intime colligat A mentem quam perficit, incolit et informat; tantamque demum inter voluntatem increatam et creatam efficit conformitatem, ut earum sit eadem velle ac nolle, ita ut jam spiritus amans cum Deo unum dicatur. Hic amor Dei amicos et filios facit. Quumque acutus ac penetrativus exsistat, usque ad intima dilecti ingredi satagit, Deo immediate uniri, eum amplecti et intra se stringere nititur; ipse ignis quo vitia consumuntur, dæmones propelluntur, passiones vincuntur, mensque in B Deum resolvitur. Hæc est præstantissima mentis perfectio, summa creaturæ nobilitas, divinissima animi virtus.

Præterea, quid amor iste, quæ ejus incitamenta, qualiter purus sit, et de actibus ejus, modicum est tangendum.

Itaque, quum amare sit alicui bonum velle, amor divinus est divinissimus ille animi habitus, seu præclarissima voluntatis virtus, qua Deo, quod ipse est eique convenit vel debetur, volumus, favemus, optamus. Quum ergo sit Deus ens in omni C bonitate, felicitate et gloria infinite perfectum et perfecte infinitum, omnisque sapientia, omnipotentia, opulentia, virtus, pax, vita et gaudium ei cum immensa plenitudine insit et competat, omnis quoque honor, adoratio, gratiarum actio et gloria debeatur eidem; constat quod ipsum amare, sit ei hæc omnia velle, favere, appetere, de ipso et in ipso complacentiam cordialem habere, de ejus immensa perfectione et incomparabili excellentia intime exsultare, ejus superinfinitæ beatitudini D mentaliter congaudere, zelo honorandi eum in omnibus vehementer fervere, se ipsum cultui ejus totaliter mancipare, propriam voluntatem divino beneplacito conformare, ejus amore libentissime agere et pati quidquid pro ejus honore est eique placet, ejus quoque amore diligentissime evitare ac impedire quod ei non placet. Ecce isti sunt actus divini amoris : quibus quo quis perfectius abundantiusque fuerit occupatus, eo prorsus divinior est, sanctior atque sublimior. Sic vivere, est cœlestem vitam in corpore ducere; taliter conversari, est deificari, a Deo amplecti, amari; nec dubium quin Deo complaceat cui complacet Deus.

Ad hujuscemodi Divinitatis amorem primo atque potissime nos debet movere, excitare, inducere, ipsamet bonitas Dei : quæ quum sit Deo connaturalis, pura, perfecta, immensa, præ omnibus et supra omnia infinite ac ardentissime desideranda est et amanda, amplectenda, retinenda, stringenda; nec aliquid adspiciendum aut reputandum quo tantæ bonitatis amor ullatenus impeditur, minoratur vel tollitur.

Secundo ad idem nos provocet et inducat, quod ipsemet supergloriosus omnipotens Deus prior et gratis dilexit nos *I Joann.* IV, 10, 19.
amore æterno, tam liberalissimo, purissimo et completo, ut se ipsum nobis dare paratus sit. Itemque ut ipsummet petamus ac requiramus docet et præcipit; orandi fiduciam præbet, a nobis pater vocari di- *Matth.* VI, 9.
gnatur, dare nobis quidquid digne petierimus se esse paratum testatur. Quidquid *Joann.* XIV, 13, 14; XV, 7, 16; XVI, 23, 24.
requirit vel jubet nobis, ad nostram convertit salutem : non enim ei, sed nobis, nostra quam ei exhibemus servitus prodest. Quam dulcissimum postremo affectum habet ad nos, a quibus amari vult potius quam timeri! Indesinenter paratus est misereri, pœnitentem amplecti, conversum salvare.

Tertio ad idem nos excitet innumerabilis multitudo, munificentissima exhibitio, incomprehensibilis largitas beneficiorum ejus : a quo esse, vivere, sentire, intelligere, moveri, corpus et animam, vires et membra, sanitatem et robur, pacem gaudiumque habemus, cetera quoque dona naturæ, bona fortunæ, proventus Ecclesiæ; qui nos hucusque conservavit in esse; adhuc autem, qui tanta gratiarum charismata, virtutes, fructus et dona Spiritus Sancti toties nobis impendit, primo in fonte Baptismatis, demum quoties post peccatum doluimus; qui ingratis, impiis gravissimeque peccantibus toties atque tam

diu pepercit, bona pro malis rependit, et A durantibus malignitatibus nostris, benefacere non cessavit. Insuper, super omnia nos debet ad amorem valenter accendere, quod Patre volente æterno, et Spiritu Sancto cooperante, unigenitus Dei Filius noster vere effectus est frater ; quod tanta pro nobis assumpsit, egit et passus est, seque quotidie in Sacramento tam superliberalissime donat. Nonne omni ferro et saxo durior omnique cane ingratior comprobatur, qui tot caritatis indiciis non inflammatur, tot beneficiis non emollitur, B talem ac tantum amatorem et benefactorem non amplexatur nec honorare molitur? Quid dicemus quod mentem nostram ab ipso usquam avertimus? Nonne universis pœnis inferni nostræ ingratitudinis perversitate dignissimi sumus?

Quarto ad idem nos provocet ineffabilis beatitudo immensaque copia bonorum gloriæ quæ nobis apud se ipsum in patria præparavit, ubi et se ipsum nobis in præmium beatificumque consummatæ felicitatis objectum dare disposuit. C

At vero amor iste divinus tanto sincerior, efficacior, Deo placentior atque divinior perhibetur, quo amans ad se ipsum minus reflectitur : puta dum totus pure ad Deum convertitur, nec orando, psallendo, obsequendo, amando aliud intendit vel quærit nisi ipsum dilectum ejusque honorem et gloriam, castissimam quoque unionem cum ipso propter ipsum. Quo autem ad propriam utilitatem, mercedem vel necessitatem plus respicit, eo plus ad se retorquetur, reflectitur, obliquatur, et ser- D vilis quodammodo, non sinceriter filialis, monstratur. Itaque omni privato amore funditus pulso, bonum increatum, incommutabile, infinitum, his de causis fervidissime atque purissime diligamus ; ad ipsum jugiter adspiremus, cordialiter afficiamur, æstuanter feramur : quibus adeptis, ad mysticam theologiam aptissimi erimus, et lumini increato profundissime immergemur, clarissime infigemur, intime uniemur.

Porro, si nondum tantæ perfectionis apprehendimus arcem, ut Deum amemus quia hoc ipsum dignum, honestum, virtuosum et bonum est ; saltem diligamus eumdem, et quidquid nos ab eo avertit vitemus, quia hoc nobis utile necessariumque consistit tam ad evadendum tormenta inferni quam ad obtinendum gloriam cœli.

Porro ad mysticam theologiam spectat ac præparat amor spiritualis ecstaticus. Dicitur autem amor ecstaticus ab ecstasi, quia non sinit mentem amantem aliud cogitare nisi quod diligit, nec sinit amantem esse sui ipsius, sed amati, in cujus profectum, obsequium vel usum se totaliter transfert. Est autem amor ecstaticus duplex : videlicet spiritualis, et carnalis, qui etiam amor ἔρως a medicis appellatur, estque ingens desiderium cum concupiscentia nimia et cogitationum afflictione.

Ut autem amorem spiritualem ecstaticum per alium cognoscamus, pensandum quod primum signum amoris carnalis ecstatici, est quod amorosi in absentia multa concipiunt, sed præsentes pauca loquuntur defectiveque proferunt : defectivæ enim locutiones amantibus propriæ sunt, quando de re amata vel cum ea loquuntur. Similiter amor spiritualis ecstaticus in verbis truncatus et brevis est, quando Deum secreto affatur vel de ipso loquitur. Sic namque Sponsa ait in Canticis : Dilectus meus mihi, et ego illi ; et rursus : Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Vehemens quippe occupatio amoris circa dilectum in ejus præsentia, eorum quæ ante concepta fuerunt vel dici proponebantur, tollit memoriam.

Secundum signum amoris carnalis ecstatici, desiccatio est membrorum : quia ex vehementi occupatione circa dilectum spiritus multiplicantur, ex quo interiorem desiccationem et arefactionem membrorum amorosi incurrunt. Similiter anima ex vehementi Dei amore ab omni carnalis voluptatis arescit humore : per quod in-

star sicci ligni apta est divino amore vehementius inflammari.

Tertium hujus amoris signum, est concavitas oculorum, qui sequuntur spiritus, sese retrahentes et ad locum æstimativæ concurrentes. Sic oculi animæ amorosæ profundantur in corde, ut videat ne in corde quid sit quod Deo displiceat, ejusque (scilicet Dei) occultum anima accessum et recessum perpendat.

Quartum est siccitas oculorum seu carentia lacrimarum. Sic animam amorosam nil contristat, nisi quo dilecti sui offensam incurrit : unde nec damna rerum nec aspera plangit.

Quintum est pulsus inordinatus. Omnis enim amorosus pulsum habet aut nimis tardum et rarum, aut nimis velocem et frequentem, secundum diversas apprehensiones de re amata conceptas. Dum enim de ejus adeptione desperat, pulsum habet tardum ; velocem vero, quando sperat de ea vicem amoris reportare. Similiter pulsus animæ sunt ejus affectiones, quæ veloces sunt, et quasi celeriter tripudiare videntur, quando de sui dilecti consecutione confidit ; sed quum ex periculorum suorum consideratione pavescit et quasi lentescit, tardum pulsum sortitur.

Sextum est profunda cogitatio et sollicitudo versa ad interiora, ita quod amans eorum quæ dicuntur nihil advertit, nisi de suo dilecto quid proferatur. Sic anima amorosa rumores et ea quæ mundi sunt, vana atque carnalia non advertit ; si autem de Christo sit sermo, statim evigilat, alludit, arridet.

ARTICULUS XVII.

De raptu et ecstasi ad excellentissimam mysticæ theoriæ contemplationem præsertim pertinentibus, quid sint et qualiter differant.

Ex præostensis innotescit, quod per mysticam theologiam mens potissime et omnino supernaturaliter in Deum elevatur A ac transformatur, atque a sensibilibus elongatur, alienatur sive abstrahitur. Hoc autem ad raptum et ecstasim spectat.

Unde raptum quidam ita definiunt : Raptus est ab eo quod est secundum naturam, in id quod est supra naturam, vi intellectualis seu superioris naturæ elevatio. Alii ita describunt : Raptus est elevatio mentis, ex cujus actuatione prævalida inferiores potentiæ in operationibus suis debilitantur vel cessant. Vel sic : Raptus est fortis ac vehemens potentiæ superioris B actuatio, ob quam vires inferiores in suis actibus cessant, debilitantur sive ligantur, ita ut superiorem potentiam in sua operatione nequaquam impediant. Itaque dum quis a sensibilium apprehensione abstrahitur, rapi censetur. Potestque, secundum Thomam, hujuscemodi abstractio ex triplici causa procedere : primo, ex naturali, [Summ. th. 2a 2æ, q. CLXXV, a. 1.] sicut in his qui ex ægritudine alienationem mentis incurrunt; secundo, ex dæmonibus, ut in arrepticiis ; tertio, ex virtute divina, quemadmodum ait Ezechiel : Spi- [*Ezech.* VIII, 3.] C ritus elevavit me inter cœlum et terram, et adduxit me in Jerusalem in visione Dei.

Porro de ecstasi doctores diversimode inveniuntur locuti. Thomas enim inter [Summ. th. 2a 2æ, q. CLXXV, a. 2 ad 1um.] raptum ecstasimque distinguens, ait quod ecstasis importat simpliciter excessum a se ipso, quo scilicet aliquis extra ordinationem propriam ponitur, raptus vero superaddit violentiam quamdam. Unde, secundum eum, oportet ut ille qui rapitur, [Ibid. a. 1.] ab exteriori aliquo rapiatur in aliquid quod D sit diversum ab illo in quod propria ejus inclinatio tendit. Quæ diversitas attendi potest dupliciter : primo, quoad terminum inclinationis, ut si grave projiciatur sursum ; secundo, quantum ad modum tendendi, velut si lapis projiciatur deorsum velocius quam suæ naturæ est. Pariformiter anima dupliciter rapitur in id quod est præter naturam : uno modo quantum ad terminum raptus, ut quando trahitur ad tormenta ; alio modo quoad modum tendendi, sicut dum elevatur ad contemplan-

dum divina altiori modo per gratiæ lumen quam propriæ est naturæ.

Alii econtrario dicunt, quod ecstasis aliquid addit ad raptum, et ipsius raptus sit species, ita quod ecstasis proprie spectat ad superiorem animæ partem, videlicet intellectualem, dum mens in suo actu ita suspensa est ac divinis intenta, quod inferiorum virium actus penitus cessant, in tantum ut interdum potentiæ naturales nutritivæ atque motivæ nequeant in actus suos exire. Sicque ecstasis est majoris efficaciæ in suspendendo inferiorum virium actus quam raptus. Nam raptus vocatur, sive omnino deficiant sive debilitentur dumtaxat operationes potentiarum inferiorum ; ecstasis vero, dum prorsus deficiunt : nempe quo anima in unius potentiæ operatione amplius occupatur, vel uni alicui objecto fortius infigitur, eo aliarum virium actus plus suspenduntur.

Quum ergo in mysticæ theologiæ actu theorico mens circa divina vehementissime occupetur, afficiatur et imprimatur, certum est quod in ea raptus et ecstasis locum potissime sortiantur.

Postremo, secundum Glossam super il-
Ps. xxx, 2. lud Psalmistæ, In te, Domine, speravi, ecstasis quandoque fit pavore terrenorum, quandoque revelatione divinorum, utpote mente rapta ad superna et inferiorum oblita. Ideo, teste Gregorio, raptus ad superiora claudit oculos mentis ad inferiora.

ARTICULUS XVIII.

In quibus animæ viribus inveniantur raptus et ecstasis ; et quod alienatio mentis ecstatica tribus agitur modis.

QUUM S. Dionysius capitulo de Divinis nominibus quarto perhibeat quod divinus amor ecstasim facit, elucescit quod ecstasis possit ad vim appetitivam pertinere. Ecstasis namque dicitur ab ἐκ et στάσις positio, quasi alicujus extra se positio : amor autem amantem in amatum per
A tendentiam affectuosam transponit. Ecstasis quoque in potentia intellectiva consistit. Unde super illud in Psalmo, Ego dixi *Ps.*
in excessu meo, asserit Glossa : Vocatur hic ecstasis, dum mens non pavore alienatur, sed inspiratione revelationis sursum assumitur. Unde in Job dicitur : Cogitatio- *Jo*
nes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur.

Raptum vero quidam affirmant in potentia appetitiva proprie poni non posse, quum raptus sit præter propriam incli-
B nationem ejus qui rapitur cum violentia quadam : motus autem appetitivæ potentiæ est atque vocatur inclinatio ejus in appetibile. — Verumtamen dicunt quod raptus possit habere causam in vi appetitiva : quia ex hoc quod quis ad rem aliquam vehementer afficitur, potest accidere ut ex violentia affectionis ab omnibus aliis alienetur, videlicet dum ex amore vires apprehensivæ circa sua objecta vel actus fortiter detinentur. Verum istud non videtur multi vigoris. Dum enim intellectus
C vel voluntas per auxilium gratiæ circa divina validius quam naturaliter possint occupantur, non est proprie violentia, quum utraque vis ad Deum naturaliter ordinetur : ideo raptus ille non est contra naturam nec violentus, quamvis sit ibi quædam magna impulsio supernaturalis, non corruptiva mentis, sed perfectiva.

Denique, voluntas frequenter plus violentatur quam in raptu contingit. Nec dubium quin quoad modum tendendi, voluntas tam bene, imo et plus movetur ac
D elevatur ad Deum præter naturam, ut et quam intellectus. Hinc alii dicunt, quod raptus sit etiam in vi appetitiva. Imo affectio magis quam cognitio efficit raptum. Amor quippe ponderi comparatur : quoniam sicut pondere trahitur corpus ad proprium locum ut in eo quiescat, sic amore rapitur mens ad Deum tanquam ad id in quo solo vere quiescit, sistit et contentatur.

Præterea, amoris affectio seu ingens desiderium in imaginatione raptum inducit,

quum virtutem imaginativam ad sua ob- A jecta tam valenter trahit et applicat, quod inferiores potentiæ sensitivæ, etiam exteriores, propria objecta quamvis sibi directe proposita non attendunt. Talis quoque raptus in melancholicis atque phantasticis, et in his qui cito multumque timent vel irascuntur, locum frequentius habet : unde raptum istum non semper et immediate efficit amor.

Interdum autem et exteriores ac inferiores potentiæ circa sua eatenus occupantur objecta, quod superiores a suis actibus B impediuntur : ut patet præsertim in operationibus et delectationibus tactus. Hoc itaque non proprie dicitur raptus, sed tractus atque demersio.

Insuper, amor raptum causat in ratione abstrahente et circa considerationem difficilium vehementer se occupante, in tantum ut quæ extra fiunt non advertat, interdumque actus imaginativæ pariter cesset. Sed raptus iste in apice affectivæ fortissimus est ex amore ecstatico, de quo in præcedenti articulo facta est mentio. Unde hic C raptus in tantum transfert mentem in Deum, ut nullam operationum suarum etiam inferiorum advertat : et hic raptus perfectis, ad mysticam theologiam rite dispositis, præcipue convenit.

Postremo, alienatio ista ecstatica, sicut
art.VI. secundo quoque tactum est libro, tribus accidit modis. Primo, magnitudine devotionis. Magnitudine quippe devotionis mens supra se rapitur, dum tanto cœlestis desiderii calore accenditur, ut amoris interni flamma ultra humanum modum excre- D scens, animam instar ceræ spiritualiter liquefactam a pristino statu prorsus resolvat, atque ad similitudinem fumi attenuatam in superna provehat ; et quo altius scandit, eo subtilior redditur, donec in supernis emissa a se ipsa omnino deficiat. Quum enim se pensat in hujus exsilii calamitate locatam, a divinæ lucis claro adspectu elongari ac superdesiderabili præsentia cœlestis Sponsi divinique vultus privari, multis suspiriis ad eum (quem incomparabiliter diligit) medullitus fervet, donec quasi continuis suspiriis ad ipsum pertingat quem sitit. Talis erat qui ait :
Quemadmodum desiderat cervus ad fontes *Ps.* XLI, 2.
aquarum, ita desiderat anima mea ad te,
Deus ; et alius : Cupio (inquiens) dissolvi *Philipp.* I, 23.
et esse cum Christo.

Secundo fit hoc magnitudine admirationis, dum consideratis Dei operibus, anima in summis rationibus causisque suspensa tanto stupore concutitur, ut a proprio suo statu funditus excutiatur, cum Sancto ex-
clamans : Quam magnificata sunt opera *Ps.* CIII, 24.
tua, Domine ! Potius tamen alienatio ista contingere potest præ admiratione ingenti majestatis divinæ, quemadmodum scri-
ptum est : Domine, Dominus noster, quam *Ps.* VIII, 2.
admirabile est nomen tuum in universa
terra ! Unde Job ait : Considerans eum, ti- *Job* XXIII, 15.
more sollicitor.

Tertio magnitudine exsultationis mens supra se rapitur, quando internæ suavitatis abundantia intime potata vel potius inebriata, quid sit vel fuerit obliviscitur : ita quod sicut vinum sensum inebriati evertit, sic ista divini amoris jucunditas animum alienat, ut sui ac omnium obliviscatur, atque in eo solo quem diligit, se esse lætetur. Oritur enim ista lætitia præcipue ex Divinitatis puro amore, ex beneficiorum ejus recordatione, ex spe etiam promissorum cœlestium.

ARTICULUS XIX.

De quorumdam Sanctorum contemplatione, raptu et ecstasi.

DOMINO nostro Jesu Christo, Dei unigenito, quo Sancti propinquiores, eo et similiores fuerunt. Quum itaque ipse ab incarnationis suæ exordio perfectus Divinitatis fuerit contemplator secundum naturam assumptam, non solum per excellentissimam hujus vitæ statui possibilem contemplationis speciem, scilicet mysticam theologiam, sed per claram, immediatam ac beatificam visionem ; hinc suis

electis tanto præclariorem in vita hac præstitit contemplationis ornatum, quo sibi cariores et ab ipso electiores exstiterant. Unde non dubitatur beatissimæ suæ virgineæ Genitrici præ cunctis hominibus splendidiores contemplationum excessus communicasse; deinde Apostolis, præsertim Joanni, et Paulo, qui sibi ipsi testimonium perhibet, instigante Spiritu Sancto, (II *Cor.* XII, 2, 4.) quod raptus sit usque ad tertium cœlum, audivitque arcana verba, quæ non licet homini loqui. Unde sancti Patres concorditer adstruunt, quod in raptu illo contemplatus sit Deum per speciem, ita quod contemplatio illa contemplationum huic vitæ possibilium species, modum atque naturam excessit.

Præterea, quam sublimis, imo altissima exstitit contemplatrix beatissima Maria Magdalene, quæ in eremo quotidie septies ab angelis sanctis elevabatur in aere, corporeis auribus cœlestium canticorum audiens symphoniam, verax ipsius testatur historia. Sed et divino protestante Dionysio quarto capitulo de Divinis nominibus, scimus S. Hierotheum profundissimum utique contemplatorem fuisse. Ipsum quoque deificatum virum, magnificum Dionysium, exstitisse in contemplationis gratia præfulgentem, universi libri ejus sapientiales, altissimi, evidenter demonstrant.

Deinde anachoretæ tanto in divinorum theoricis speculationibus perfectiores fuisse noscuntur, quo hominum adspectus carnisque blandimenta eminentius evitabant. Hinc S. Antonius totis frequenter noctibus stans mente, vultu ac manibus in cœlum erectis, Deum deprecans et contemplans, tam exuberantissima divinæ claritatis atque dulcedinis luce et consolatione ineffabiliter perfundebatur in mente, ut sole jam orto mane, quasi ex divinorum saporibus atque splendoribus inebriatus, de corporei luminis perceptione internæ lucis visionem impediente mœstus ac conquerens : Quid, inquit, o sol, a veri luminis contemplatione me impedis? Sed et magnus ille Arsenius nonne a Fratre ipsum

A visitante inventus ac visus est totus quasi ignis? Quomodo ergo fulsit arsitque intus, qui foris tam clarus ac igneus apparebat?

Præterea, abbati Sisoi id consuetudinarium fuit, ut dum in oratione manus extenderet, protinus mente raperetur in Deum. Quis autem sanctissimi Bessarionis abbatis contemplativam eminentiam digne describat, qui interdum quatuordecim diebus ac noctibus stetit indesinenter manibus elevatis deprecans Deum? Ipse est ad cujus brevissimam precem sol stetit in B cœlo; qui et quadraginta noctibus stetit inter spinas, nil dormiens. Denique, sanctus pater Silvanus, dum post deificos contemplationum suarum rutilantissimos raptus ad se ipsum rediret, si quando foras quid acturus exiret, vultum operuit : Quid, inquiens, necesse est hujus mundi lucem videre, in quo nihil est utile? At vero quam copiosissima atque dulcissima contemplationis gratia sacratissimo Hilarioni abbati divinitus fuerat præstita, abscessus ejus a populo in eremumque secessus C ostendunt.

Quid demum de glorioso ac justo Hieronymo dicam? Ipse de se testatur : Ego homunculus sic abjectus, sic vilis, adhuc vivens in corpore, angelorum choris sæpe interfui, nihil de corporeis per hebdomadas sentiens; et divinæ visionis intuitu, post multorum forte dierum spatia, præscius futurorum, corpori redditus flebam. Quid ibi manens felicitatis habebam, quid inenarrabilis delectationis sentiebam, testis est Trinitas quam cernebam, testes D sunt et ipsi beati spiritus qui aderant, testis est et conscientia mea, qui tantis bonis ipse fruebar, quot et qualia nescit proferre mollities carnis.

Sed et vir apostolicæ perfectionis Gregorius Papa : Infelix, inquit, animus meus pulsatus occupationis suæ vulnere, meminit qualis aliquando in monasterio fuit, quomodo ei cuncta labentia subter erant, quantum rebus omnibus quæ volvuntur eminebat; quod nulla nisi cœlestia cogitare consueverat, retentusque corpore, ipsa

jam carnis claustra contemplatione transcendebat; quod mortem quoque, quæ pene cunctis pœna est, ut vitæ ingressum et laboris sui præmium diligebat.

Adhuc autem et S. Bernardo nonne præfulgida contemplandi collata est gratia, qui interdum corpore longe absens a claustro, et interdum lecto æger decumbens, in spiritu tamen omnes Fratrum officinas perlustrans, in choro quoque nonnunquam visus est transire, cui et tot occulta atque futura Deus ostendit?

Insuper, quantum contemplationis pro- B fundissimæ culmen omnipotens clementissimus Deus S. Thomæ de Aquino infudit, frequens elevatio corporis sui in aere, stella quoque ad eum ingrediens et super ipsius caput stans, itemque consuetudinarius raptus ejus, non solum in choro et cella, sed nonnunquam et in mensa, demonstrant.

Nunc ad gloriosissimum Sanctum, B. Franciscum, descendam : cujus corpus et anima tanto sublimius rapiebantur ad Deum et elevabantur in aere, quanto uni- C versa temporalia, terrena atque carnalia cordialius vilipendebat. Hinc aliquando ad mensuram longitudinis hominis, quandoque usque ad arborum vertices, interdum vero tam alte quod videri vix potuit, elevabatur. In monte quoque Alvernæ in specie Seraph alati Christus ipsi apparuit, vulnerumque suorum stigmata sancta impressit. Alias etiam cum Matre virginea et multitudine angelorum ipsi apparere dignatus est. Verum et hoc præclarissimum exstitit, quod quum B. Franciscus D ac ejus Fratres cum S. Clara in ecclesia ad manducandum sedissent, ipsa ecclesia videbatur tota incensa et igne operta : unde perterriti cives accurrebant; ingressi vero ecclesiam, invenerunt omnes beatissimos illos a sensibus cunctis abstractos et raptos. O qualiter intus ardebant, quorum mentalem puræ dilectionis fervorem Deus foris tam mirabiliter declaravit!

Amplius autem, devotissima virgo Elisabeth de Spalbeec, compatriota mea, quia A Spalbeec villa est non longe a villa ortus mei Rickel, quotidie septies rapiebatur ad Deum, semper quoque communione sacra accepta, ita quod omnium usu sensuum privabatur. Sanctissima etiam virgo Catharina de Senis, quæ ante pauca tempora vixit, semper communione benedicta accepta, et alias sæpe, tam eminenter ac fortiter rapiebatur mente ad Deum, ut etiam si manus et pedes ei tunc abscisi fuissent, nequaquam sensisset, sed ad se rediens gravissimos habuisset dolores : quod et B aliquando circa eam fuit expertum.

Postremo, devoto Joanne Ruysbroeck interdum in silva invento sub arbore, visa est arbor ipsa ardere : quo suæ contemplationis fulgor monstrabatur ac ardor.

Hæc gratia exempli de multis, imo de innumerabilibus pauca inserui, ut ad contemplationis amorem intime succendamur, fiduciamque proficiendi in ea concipiamus : quia et Sancti isti, quorum nunc facta est mentio, similes nobis mortales fuerunt, et tamen per gratiam Dei non C sine grandi suo labore ad tantam perfectionem deducti sunt.

ARTICULUS XX.

Disputatio pro fide catholica, ex mysticæ theologiæ experimento, contra Porphyrium, Averroem ceterosque christianæ sapientiæ irrisores.

QUEMADMODUM divinus Dionysius scribit, Græci præsertim philosophi chri- D stianæ legis sapientiam prædicari audientes, lato ore riserunt ac deriserunt : inter quos præcipui exstiterunt Porphyrius Platonicus et Averroes Peripateticus. De Eccl. hier. c. vii.

Denique, sicut nonodecimo de Civitate Dei, capitulo vicesimo tertio, Augustinus commemorat, Porphyrius iste in libris ubi rerum ad philosophiam pertinentium velut divina responsa conscribit : Interroganti, inquit, cuidam quem deorum placando revocare posset uxorem suam a Christianismo, respondit Apollo : Forte magis po-

teris in aqua scribere, aut adinflans leves pennas per aera ut avis volare, quam pollutæ revoces impiæ uxoris sensum. Pergat quomodo vult inanibus fallaciis perseverans, et mortuum Deum lamentationibus decantans, quem a judicibus recta sentientibus perditum mors pessima interfecit. Ex his verbis Apollinis concludit Porphyrius Christianos irremediabiliter reprobari, ipsosque Judæos magis suscipere summum Deum quam Christianos. Præterea scribit Porphyrius [quod] ad ea quæ interrogavit Apollinem, quid melius, verbum sive ratio, an lex, Apollo respondit : In Deum generatorem et regem ante omnia, quem tremit et cœlum et terra et mare infernorumque abdita, et ipsa numina perhorrescunt; quorum lex est Pater, quem sancti honorant Hebræi.

Ex his verbis S. Augustinus arguit contra Porphyrium. Nam si Deus Hebræorum verus summusque Deus est, et talis ac tantus ut scribit, non est diis sacrificandum, quoniam Deus iste hoc ipsum prohibuit, dicens : Qui immolaverit diis præterquam Domino soli, eradicabitur. (*Exod.* XXII, 20.) Mirum est quoque quod Porphyrius contra illius præceptum non perhorrescebat diis sacrificare.

Verumtamen philosophus iste etiam bona aliqua dicit de Christo, quasi prioris blasphemiæ suæ oblitus, vel quasi in somnis dii ejus blasphemaverint Christum, et postea evigilantes, eum bonum esse cognoverint ac digne laudaverint. Denique quasi mirabile aliquid aut incredibile prolaturus Porphyrius : Præter opinionem, inquit, profecto quibusdam videatur esse quod dicturi sumus. Christum enim dii piissimum pronuntiaverunt et immortalem factum, Christianos vero pollutos. Insuper introducit Porphyrius deam interrogatam de Christo, quæ dixit eum fuisse piissimum virum, et animam ejus post mortem cum piis conscendisse in cœlum. Interrogata cur ergo occisus sit, dixit, corpus quidem semper tormentis adversisque objici, animam vero piam ad cœlestem conscendere sedem, animam vero Christi fataliter dedisse aliis animabus quibus fata non annuerunt deorum obtinere dona neque habere Jovis immortalis cognitionem, errore implicari.

Hæc verba Porphyrii, sicut B. Augustinus ostendit, vel ab ipso Porphyrio, calidissimo viro, vel ab impiis dæmonibus sunt conficta, et sibi invicem apertissime contrariantur. Si Christus fuit piissimus vir, non erat aliorum deceptor, nec falsa est ejus doctrina, in qua cultus prohibetur deorum. Qui ista plenius legere concupiscit, ad præallegatum capitulum libri de Civitate Dei recurrat.

Præterea, Averroes omnem legem præter naturalem vituperavit, videlicet legem Moysis et Christi ac Mahometi.

Quamvis autem in primo libro argumenta fidei christianæ sufficienter inducta sint, nihilo minus hic adjici potest, quod ex his quæ circa divinissimos quosdam Christianos sensibiliter apparuerunt, de quibus in præcedenti articulo dictum est, experimentaliter demonstratur lex christiana esse a vero Deo, et sancta atque salvifica. Talis enim alienatio et raptus et ecstasis esse non possunt a causa naturali. At vero illi qui præinductos raptus et ecstases, illuminationes, fervores, delectationes, elevationes superadmirabilesque multiformes immutationes intra se sentiunt, in fide per easdem adeo roborantur, quod omni naturali scientia, imo et omni sensatione certior et clarior est fides ipsorum, in tantum quod quamvis totus mundus contradiceret, ipsi tamen non dubitarent. Si vero iniqui non credant talia Christianis contigisse, experientiæ se opponunt, quum usque in hodiernum diem quibusdam devotissimis ea eveniant, de quorum profundissima humilitate, summa patientia, deifica caritate, sincerissima veritate, singulari innocentia nequaquam ambigimus; quorum etiam sanctitati ac felicitati Deus omnipotens per diversa miracula testimonium perhibet. Tota namque eorum affectio ad verum Deum unita, fixa et recollecta ardentissime fuit.

ARTICULUS XXI.

De oratione ad theoricas mysticæ sapientiæ illuminationes pertinente.

ORATIO et contemplatio duæ sunt alæ agillimæ mentis, quibus anima fervens ac humilis penetrat cœlos, et usque ad thronum perducitur majestatis. Verumtamen, quoniam gradatim ascenditur, et ipsa contemplatio oratione simpliciter dicta sublimior est, oportet ad contemplationis apicem per devotissimam ascendere orationem ; et quo mysticæ theologiæ interna cum Deo locutio contemplativaque visio naturalem animæ facultatem magis transcendit altiorque consistit, eo ad ipsius adeptionem humilior atque ferventior necessaria exstat oratio.

Porro, quum mystica theologia non nisi in divino amore perfectis, quorum purgatus est animus, competat ; qui Deo auxiliante tales effecti sunt aut fieri digne desiderant, in suis orationibus ad se ipsos reflecti non debent, sed per amorosum purissimæ caritatis affectum directe ac linealiter in Deum verti, figi, proficisci seu elevari, nihil orantes vel adipisci petentes nisi ipsummet Dominum Deum, et quidquid de ejus voluntate in nobis esse debet, ita ut nec munera ejus, consolationem, illuminationem, inflammationem petamus, nisi in quantum necessaria nobis sunt ad habendum ac possidendum ipsum. Itaque affectuosissime deprecemur ut ipse nobis se applicet, uniat et infundat; nos sibi adstringat, illustret, accendat ; mentem nostram indesinenter inhabitet, totam semper possideat, impleat et gubernet : ut sic eum quotidie perfectius honoremus, limpidius contemplemur, ferventius diligamus, strictius atque intimius complectamur, quatenus purius et stabilius ei jugiter adhæreamus, sicque ad mysticam tendamus sophiam.

Porro ad hujuscemodi orationem exigitur spiritus ab omni phantasia, evagatione, imagine depuratus, in Deoque sim- A plificatus, roboratus ac stabilitus : ad quod sine grandi labore non attingitur, nisi mens singularissima gratiæ ope omnino supernaturaliter adjuvetur. Propter quod abbas Agathon : Non est, inquit, labor sicut orare Deum.

Præterea, quatenus sic orare possimus, ante orationem animam præparemus, dispersiones ejus abjicientes : quod ut digne agamus, tam Dei quem oramus quam nostras considerare proprietates debemus. *Eccli.* XVIII, 23. Si itaque Dei bonitatem, caritatem, maje- B statem, justitiam atque clementiam, propriam quoque pravitatem, ingratitudinem, parvitatem, calamitatem indigentiamque pensemus ; cum amoris fervore, intima reverentia, ingenti fiducia, casto timore, filiali fiducia orabimus Deum. Orabimus equidem reverenter, pensando Dei majestatem nostramque parvitatem ; ferventer, contemplando ejus bonitatem et caritatem ac indigentiam propriam ; timorate, intuendo ejus justitiam et nostram perversitatem ; fiducialiter, intuendo im- C mensam ejus clementiam propriamque miseriam. Eapropter dum nos ad orationem extendimus, mentem totaliter erigamus ad Deum, ejus adorandam præsentiam, incomprehensibilem bonitatem et caritatem, atque immensam majestatem, æquitatem, itemque clementiam penitus infinitam sinceriter contemplando. Sic namque magnificis laudibus et contemplationibus puris orabimus eum, non utique infructuose, sed fructuosissime valde, imo eo fructuosius quo minus proprium commodum co- D gitabimus.

Porro qui ita oraverit, aliquando ad illam orationis perfectionem ducetur qua nimia mentis suæ defixione, intuitione ac transformatione in Deum, non attendat proprium actum et obliviscatur se ipsum. Antonio quippe docente, et Cassiano scribente, agnoscimus orationem non esse perfectam nisi in qua devotus obliviscitur semetipsum. Collation. Patr. collat. IX, c. 31.

Certum est autem consuetudinem orandi intente, non superficialiter et sonanter,

utilissimam esse ; et quo fervor amoris claritasque doni sapientiæ plus abundant in anima, eo oratio promptior erit, efficacior, frequentior atque jucundior. Omni igitur loco, tempore, actu, causa, negotio, etiam in mensa et lectulo, assuescamus, curemus et enitamur mentem Deo per caritatem sanctam, ferventem ac humilem orationem infigere, per contemplationem et laudem internam imprimere, per actualem conjunctionem, quantum possibile est, eum complecti et stringere inseparabili-
Cant. III, 4. terque tenere, dicentes cum Sponsa : Tenebo illum, nec dimittam.

Postremo, consonat præinductis quod in Vitaspatrum legitur senior quidam dixisse, quia sicut impossibile est ut videat quis faciem suam in aqua turbida, sic et anima nisi purgata fuerit a cogitationibus alienis, Deum contemplative orare non poterit. Sic utique contemplative oravit abbas Joseph, qui quum veniente ad se abbate Lot manus extendisset in cœlum, facti mox sunt digiti ejus velut decem lampades ignis.

ARTICULUS XXII.

De devotione et gradibus ejus, præsertim de devotione ad unitivam sapientiam pertinente.

DEVOTIO propriissime atque formaliter definitur, quod est promptitudo sive alacritas voluntatis ad ea quæ Dei sunt. Unde devotionis subjectum est voluntas, quæ dicitur appetitus superior et intellectivus. Virtus quoque cujus immediatus et elicitus actus exsistit devotio, latria appellatur, per quam Deo cultus impenditur. Caritas autem est causa devotionis non solum imperative, per quem modum generaliter omnium actuum virtuosorum causa censetur, sed insuper propinquiori specialique modo, quia ex ipso caritatis affectu sive fervore profluit promptitudo animi ad divina. Contemplatio etiam est causa devotionis, tanquam iter ad eam et dire-
A ctrix ipsius. Affectiones namque voluntatis cognitionem intellectualem præsupponunt et ex ea procedunt. Quæ igitur altioris ac præstantioris naturæ sunt, majoris sunt devotionis (quantum in ipsis est) inductiva. Quum ergo contemplatio itemque dilectio sint causæ devotionis, constat quod quanto in aliquo fuerit major dilectio Dei clariorque formata cognitio ejus, eo devotio ipsius major consurget. Unde secundum triplicem gradum caritatis potest distingui devotionis gradus trifor-
B mis. Primus competit incipientibus, secundus proficientibus, tertius vero perfectis.

Porro, quum devotio sit promptitudo voluntatis ad opera Dei, dum ista promptitudo adeo amorosa deliciosaque est, quod in inferiorem animæ partem, videlicet sensitivam, perceptibiliter ac jucunde redundat, vocatur devotio experimentalis sive sensibilis ; quum vero in superiori remanet appetitu sine redundantia tali, saltem notabili, dicitur rationalis vel intellectu-
C alis. Denique, sicut (secundum Philosophum) sphæra superior suo impetu secum trahit ac circumvolvit sphæram inferiorem, ita in homine appetitus intellectivus post se trahit sibique subjicit appetitum sensitivum ; qui quamvis frequenter rationali appetitui reluctetur, natus est tamen obedire : quod fit per virtutes morales, quibus passiones frenantur ac moderantur. Itaque quo appetitus inferior rationi ac superiori appetitui promptius perfectiusque subjicitur et obedit, eo devotio
D major est, utroque videlicet appetitu concorditer se ad actus divini cultus extendente.

Denique devotio non solum dicenda est experimentalis ac perceptibilis propter redundantiam ejus ac sensibilem quemdam in inferiori appetitu saporem, sed et interdum multo sublimius propter exuberantiam suam prædulcem internamque lætitiam quam habet in superiori animæ portione et voluntate.

Unde tripartita divisio qua aliqui devo-

tionem experimentalem sive sensibilem partiti sunt in devotionem desideriosam et voluptuosam ac furiosam, non solum penes inferioris appetitus dispositionem pensanda est, sed et penes superioris : ita quod illa devotio desideriosa dicenda est, quando vel appetitus superior solum, vel simul cum ipso appetitus inferior, cum ingenti aviditate fertur ad ea quæ Dei sunt. Posset quippe in superiori esse deliciosissima et grandis aviditas, inferiori ad vitia inclinante seu renitente, præsertim in viris perfectis, qui dum se in parte animæ inferiori sentiunt aliqua passione vel tentatione pulsari, fortius se erigunt ad divina, et cum gaudio despiciunt tentamenta. Verumtamen quando tam apprehensivæ quam appetitivæ potentiæ partis sensitivæ imperio rationis in actibus suis vel actuum cessatione ordinate subduntur, atque ad exsecutionem actuum intellectus et voluntatis concupiscibiliter ancillantur ac cooperantur, tunc utique devotio magis proprie desideriosa vocatur. — Præterea, dum ista jam dicta in utroque appetitu vel in superiori dumtaxat fiunt excellentiori manerie, utpote cum exuberanti ac intima suavitate, appellatur devotio voluptuosa : quæ hominem tam saporose et redundanter exhilarat, quod omnia mundi delectabilia cito fastidit. — Postremo, devotio dicitur furiosa, dum prædicti animæ appetitus, præsertim superior, ad Dei venerationem cum zelo tam impetuoso, importuno, impatienti ac serioso feruntur, quod aliquid de proprietatibus furiosorum habere videntur. Hoc competit his qui omnia Dei dona transcendentes, ipsum Deum purissimo amore castissime cupiunt, ejusque honorem summe affectant, Deum in se et propter se diligentes, exquirentes et cupientes : quod proprie filiorum est Dei.

Definitio demum qua quidam devotionem describentes, dicunt quod sit teneritudo cordis qua quis de facili in lacrimas resolvitur, ad secundum devotionis gradum potissime pertinere videtur. — Alia autem devotionis definitio, quod sit fervor bonæ voluntatis, quem mens cohibere non valens, certis manifestat indiciis, ad tertium pertinere gradum censetur. Hæc devotio, quæ præ affectus inflammatione furiosa vocatur, ad mysticæ theologiæ pertinet professores : qui quum totum quod valent dilectionis ac venerationis Deo impenderint, parum aut nil se fecisse existimant, dolentes humillime quod plus facere nequeunt; id quoque quod agunt, gratiæ Dei prorsus adscribunt.

ARTICULUS XXIII.

Quod mystica theologia ad occultos Dei pertineat filios, et de distinctione inter mercenarios et servos fideles, ac secretos amicos occultosque filios Dei.

SUPRA distinctio facta est triplicis viæ, utpote purgativæ, illuminativæ, perfectivæ : ad quam tripartitæ viæ distinctionem multa queunt dicta Sanctorum reduci. (lib. I, art. xix.) Nempe ad viam purgativam pertinet status incipientium, qui dicitur animalis; ad viam illuminativam, status proficientium, qui dicitur rationalis; ad perfectivam, status perfectorum, qui dicitur spiritualis. Rursus, ad viam purgativam pertinent servi fideles; ad illuminativam, amici secreti; ad perfectivam, occulti filii Dei. Iterum, ad purgativam pertinet ethica; ad illuminativam, theorica; ad perfectivam, vita divina. Amplius, ad purgativam spectat virtus politica seu moralis; ad illuminativam, virtus purgatoria intellectualis; ad perfectivam, virtus quæ a theologis nuncupatur divina, a Platonicis autem virtus purgati animi, a Peripateticis virtus heroica.

Est itaque grandis distinctio inter mercenarios, servos fideles, secretos amicos, filiosque occultos. Mercenarii namque vocantur, qui in omni quod Deo impendunt obsequio, ad se ipsos inordinate penitus reflectuntur, proprium commodum, lucrum seu præmium magis quam Dei honorem et gloriam intendentes, imo se ipsos potius

quam Deum amantes : Deum quippe non A quærunt nec diligunt propter se et propriam ejus bonitatem, sed propter se ipsos, ut evadant sempiterna supplicia obtineantque cœlestia gaudia. Isti se ipsos a Deo avariter dividunt, nec in ipso confidere audent : ideo miserabiliter semper anxii sunt, nec vera ac spirituali caritate ornantur, nec in statu salutis esse censentur. — Porro servi fideles sunt, qui cum caritate infusa et intentione sincera observant divina præcepta, mortalia sollicite vitia declinantes, sed nondum interni ac B contemplativi effecti, neque per evangelicorum consiliorum professionem atque custodiam se ipsos totaliter abnegantes. — Secreti vero amici vocantur, qui amorosa et intima Deo adhæsione cohærent, ad spiritualem se gustum atque internam exercitationem extendentes. Verumtamen nondum effecti sunt nudi, nec semetipsis penitus mortui. Necdum enim proprietatem omnem abjecerunt, eo quod dona, videlicet consolationem internam, spiritualem ditationem, mentales delicias, pro C magno adspiciunt, quærunt ac diligunt. — Occulti demum filii Dei omni proprietati et præfatis muneribus moriuntur, nec aliquo modo ad propria commoda, etiam spiritualia, reflectuntur, sed ardentissimo caritatis affectu feruntur in Deum pure et integre, propter puram, immensam, naturalem bonitatem ipsius, Deum dumtaxat, non dona ipsius attendentes ; et dum ei intime adhærere, eumque intra se stringere et amplecti vel perfrui ipso desiderant, non nisi ad Deum adspiciunt, eo quod D proprio amore prorsus evulso, purissimo Divinitatis amore flammescunt. Horum purgatissimæ mentes mysticæ theologiæ capaces sunt, et Deo dignæ frui consistunt : ad cujus fruitionem sex requiruntur, videlicet pax vera, internum silentium, adhæsio amorosa, quies in dilecto, obdormitio quoque mentis in eo, intuitio quædam caliginis, quæ essentialiter dicta est mystica theologia.

Collation. Patr. collat. xi, c. 7. Præterea, Cassianus inter mercenarios et servos aliter est distinguens : nam servis mercenarios præfert. Sed ipse loquitur de servis servitute timoris pure servilis : qui servi non manent in domo in æternum. Præinducta autem distinctio loquitur de servis servitute timoris initialis, ad quem pertinent servi Domini sui gaudia introeuntes. Cassianus quoque sumit mercenarios pro his qui licet mercedis intuitu Deo ministrent, Deum tamen finaliter principaliterque intendunt. Amicos autem appellat qui puro amore ad Dei obsequium impelluntur : quod secretis amicis filiisque occultis commune est, quamvis occultis filiis sublimiori competat modo. Prædicta ergo dissonantia non stat nisi in diversa acceptione verborum. Postremo et doctor quidam inter amicos Dei filiosque distinguens, amicos præfert filiis. Et licet nominum usus in beneplacito sit, appropriate tamen loquendo, supraposita horum distinctio videtur subtilior : etenim major ac purior amor nomine filii quam amici (ut apparet) innuitur.

Itaque ad perfectionem hanc occultorum filiorum Dei totis semper præcordiis adspiremus, quia et sic amantibus Deum excellentissima gratiarum conferuntur charismata.

ARTICULUS XXIV.

An contemplatio vitæ præsentis possit conscendere usque ad visionem Dei per speciem.

QUAMVIS secundum omnia nunc probata, unitivæ ac mysticæ sapientiæ theorica intuitio, contemplativa inspectio, interna cum Deo locutio, sit operatio mentis multum præclara, supernaturalis ac perfectissima, nihilo minus a visione divinæ essentiæ immediata et clara quasi incomparabiliter distat. Quum ergo ad mysticas visiones requiratur a sensibilibus et intelligibilibus, sensu et intellectu eorumque actibus tanta abstractio, sicut præhabitum est, elucescit quod ad visionem Dei-

tatis per speciem exigatur mentis abstractio multo prorsus sublimior : ideo nullus in hoc sæculo vivendo actualiter vita corporali et sensitiva sive humana, ad contemplationem divinæ essentiæ in se ipsa sicuti est valet pertingere. Ideoque Moyses Hebræorum legislator, et Paulus gentium doctor, quando in vita hac Deum per speciem conspexerunt, ab omni actuali carnis ac sensuum vita erant omnino abstracti. [xii, ...or.]

[ix.] Præterea, sicut ostensum est, in contemplatione Dei per abnegationem secundum mysticam theosophiam, aliquando contingit tanta alienatio mentis a sensibus cunctisque creatis, quod nullo corporeo utitur sensu, sed in plenam prolabitur ecstasim propter vehementissimam mentis in Deum defixionem, immersionem et deglutionem. Quum ergo in contemplatione Dei per speciem sit defixio atque demersio mentis in Deum quasi incomparabiliter major quam in contuitione mystica jam præfata, certissimum est eam huic vitæ impossibilem esse quoad actuale exercitium vitæ humanæ et sensitivæ.

Postremo, frequenter ostensum est ali- [illegible] Deum per speciem non posse videri, [illegible] divina essentia uniatur menti tan- [illegible]m intelligibilis forma. Sed talis con- [illegible]ctio vitæ præsentis (quoad actum ejus) [illegible]ditionem vehementer omnino transcen- [illegible] Ideo, secundum divinum Dionysium, [illegible] hac vita perfectissime unimur Deo per [illegible]egationem, tanquam incomprehensibili [illegible] ignoto. Ad Moysen quoque Dominus [illegible]quitur : Non videbit me homo et vivet. [illegible]mque in Joanne habetur : Deum nemo [illegible]dit unquam. Sed et Paulus de eo loqui exorsus : Quem nemo (inquit) hominum vidit unquam nec videre potest, scilicet in statu præsenti, modo nunc dicto. Unde Dionysius in epistola ad Caium monachum, Gregorius quoque super Ezechielem, et Damascenus primo libro, concorditer adstruunt, quod si quis in vita hac Deum intelligens vidit, non ipsum in se vel propria contemplatus est claritate, sed aliquid eorum quæ ejus atque sub ipso sunt.

A Hoc autem pensandum, quod quamvis ex Scriptura canonica non pateat quemquam purum hominem Deum per speciem in vita conspexisse præsenti, præter Moysen et Paulum, an tamen ipsis dumtaxat tantum concessum sit culmen perfectionis, non constat. Neque enim putandum est id virgineæ Dei Genitrici esse negatum, quod servis scribitur condonatum. Quidam demum Sanctorum sic loqui et sentire videntur, quasi aliquando, ineffabiliter, raptim, quibusdam amantissimis B Dei ad punctum hujuscemodi contemplatio in vita hac concedatur. De qua re ego cæcutiens loqui amplius non præsumo. Hoc dumtaxat adjicio, quia revera beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Matth.* v, 8.

ARTICULUS XXV.

De vita divina, deiformi, deifica, deificante ac deificata.

C CREATÆ mentis perfectio est divinæ et increatæ menti ordinate assimilari ; et quo illi perfectius assimilatur, eo utique amplius divina efficitur. Quum ergo Deus sanctus et gloriosus sit essentialiter sapientia, veritas, caritas, virtus et sanctitas, pietas atque justitia, innotescit mentem humanam eo sublimius deificari, quo splendidiori sapientia, sinceriori veritate, ardentiori caritate, majori virtute, puriori sanctitate, intimiori pietate, excellentiori justitia decoratur, impletur et occupatur.

D Potissime vero per actus sapientiæ et caritatis Deo supernaturaliter conformis efficitur. Quum enim summi et incommutabilis Dei vita superbeatissima in se ipso aliud prorsus non sit nisi sui ipsius sempiterna dilectio, immortalis invariabilisque contemplatio, palam quod mens creata tanto deiformior fiat, quo in superviventis, superexcelsi adorandique Dei contemplatione ac dilectione illustratior, ardentior atque stabilior fuerit. Et in hoc brevi verbo stat tota nostra perfectio. Nempe qui

in hoc exstat perfectior, est absolute loquendo melior, sive religiosus sit, sive non. Omnium ergo virtutum exercitia, omnia spiritualia opera, universa quæ agimus, patimur, quidquid sumus aut possumus, ad puram contemplationem ac fervidam dilectionem Dei (quorum alterum sine altero nequit haberi) atque in utroque stabilitionem jugiter ordinemus. Denique, si claustralis ita non egerit, neque in contemplatione ac dilectione Dei omnipotentis et benedicti splendida, ardenti ac stabili vere profecerit, noverit se infructuose sæculum reliquisse, insipientem, sterilem et negligentem omnino consistere.

Insuper, vita æterni ac infiniti Dei est increati Verbi interna prolatio, quæ generatio nuncupatur, amoris quoque immensi et increati ac procedentis spiratio, itemque trium supersanctarum ac superhonorabilium incircumscriptibilium Personarum mutua complacentia penitus intensive immensa, fruitio quoque mutua infinite dulcis ac superdulcissima. Itaque cordialis complacentia qua Deus complacet menti humanæ, et fruitio qua ipsa fruitur Deo superaltissimo, ipsam vehementer deificant, et Deo præamabilem amplexabilemque efficiunt, in tantum ut in mutuo superdeliciosissimæ, superessentialis et supersimplicis Trinitatis complexu inveniatur et ipsa feliciter amplexata ab illa.

Sic Deo superamando et superdignissimo adhærere, uniri, conformari, infigi, est deiformiter simplificari, excellentissime sanctificari, supernaturaliter stabiliri, in sincerissimum bonitatis affectum transferri, super se erigi, a se ipso deficere atque defluere, Deo immergi, in ipso exspirare et mori, in eum absorberi, unum seu idem cum ipso fieri, vitam deificantem ipsum viventem, et deificatam per gratiosissimam imitationem, habere ac ducere.

Quod totum intelligendum est non per creati esse consumptionem, desitionem, vel ejus in esse divinum ac ideale translationem vel permutationem, sed per modi A essendi meliorationem, per qualitatis immutationem, per eximiam atque præcipuam imitationem. Unumquodque etenim illi potissime conformatur, ejusque nomen sortitur, cujus operationes magis sectatur : sicut voraces dicimus lupos. Res quoque intellectualis cum illo dicitur maxime fieri unum, cui pleniori nectitur caritate. Caritas quippe amantem in amatum transformat, et amborum voluntatem facit conformitate quadam volendi atque nolendi eamdem. Unde amicus dicitur alter B ego. Denique, dum quis connaturales ac proprias operationes exercere se ipsum quoque advertere desinit, et altioris vel saltem alterius naturæ operationibus magis insistit, dicitur a se ipso deficere, in aliud verti, neque quod fuit manere, quemadmodum ait Apostolus : Vivo autem, jam non ego ; et Salomon : Verte impios, et non erunt. Sic namque jubemur etiam mortificare nos ipsos.

Juxta hunc modum loquendi, Joannes Ruysbroeck ait frequenter fieri nos idem C cum Deo, unam vitam, unam felicitatem : ita quod quidam verborum ejus superficiem magis quam mentis intentionem tendens, scribit eum voluisse renova[illegible] rorem dicentium rationalem creatu[illegible] per elevationem suam ad Deum, redire verti in esse ideale et increatum : q[illegible] fuit rudissimus atque stultissimus err[illegible] Neque putandum quod præfatus Joann[illegible] unquam intenderit id affirmare aut re[illegible] vare : imo durissime contra prædict[illegible] scribit errorem. Verumtamen habet m[illegible] D dum loquendi frequenter satis extensu[illegible] sicut et alii quidam Sanctorum secundu[illegible] devotionis suæ excessum et caritatis fer[illegible] vorem loquentium.

Postremo, quum Deus naturaliter et superessentialiter infiniteque bonus, universis tam bonis quam malis multa bona liberalissima pietate impendat, cunctis quoque misereri se semper paratissimum præbeat, nec sit apud eum personarum acceptio, sed justus exsistens, justitias diligat ; innotescit quod mens creata per veram,

internam atque munificam pietatem, stabilemque ac sinceram justitiam, Deo eminenter assimiletur : dum omnibus pro viribus suis affectum et effectum pietatis ex vera caritate impertit, atque ubilibet secundum rectæ rationis censuram zelum justitiæ inviolabiliter tenet, omni privato favore, humano timore, carnali amore ac odio radicitus exstirpato ; Deum semper A præ oculis habens, atque cum sancto Job dicens, Justitia indutus sum, et, Justificationem quam cœpi tenere, non deseram ; potius eligens mori quam a via veritatis et æquitatis averti. Ad laudem, honorem et gloriam ejus a quo omnis virtus, pietas æquitasque profluxit, Creatoris et Salvatoris nostri, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

Job xxix, 14.
Ibid. xxvii, 6.

FINIS TRIUM LIBRORUM DE CONTEMPLATIONE.

SONUS EPULANTIS

PROŒMIUM

OMNES qui credebant erant pariter ; quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem. Act. II, 44, 46, 47.

Istud ad litteram S. Lucas conscripsit de primitiva Ecclesia in Jerusalem congregata : quæ, suscepto Spiritu Sancto, in celeberrimo die Pentecostes multa millia Judæorum convertit ad Christum ; tuncque « omnes qui credebant » fide formata,
« erant pariter » corporaliter spiritualiterque uniti in Jerusalem, ubi tunc multitu- *Act.* IV, 32.
dinis credentium erat cor unum et anima una, et erant perseverantes in doctrina *Ibid.* II, 42.
Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus.

Porro beatissimo Stephano lapidato, facta est in Jerusalem persecutio magna *Ibid.* VIII, 1.
credentium, et dispersi sunt omnes per regiones Judææ et Samariæ, præter Apostolos. Et illa dispersio fuit occasio multo majoris multiplicationis fidelium. Discipuli namque dispersi prædicare cœperunt evangelicam legem per totam Judæam, Galilæam atque Samariam. Qui quamvis corporaliter ab invicem separabantur, spiritualiter tamen manserunt fide, spe et caritate conjuncti. De qua conjunctione scri-
ptum est in evangelio Joannis : Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro *Joann.* XI,
gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum. In quibus verbis 51, 52.
per gentem designantur Judæi ; de quibus Caiphas dixit : Expedit vobis ut unus *Ibid.* 50.
moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Unde et ceteri retulerunt : Si *Ibid.* 48.
dimittimus eum (utpote Jesum) sic, omnes credent in eum ; et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem. Rursus quoque in Evangelio leguntur Judæi di-
xisse de centurione ad Christum : Dignus est ut ei hoc facias : diligit enim gentem *Luc.* VII, 4,
nostram, et synagogam nobis ædificavit. Per filios autem Dei qui erant dispersi per 5.
mundum ubique terrarum per varias sectas, per vitia et errores, intelliguntur electi gentiles. Qui quamvis adhuc pagani, et secundum præsentem justitiam inimici, nihilo minus secundum prædestinationem æternam erant adoptivi filii Dei ; quos Christus per prædicationem Apostolorum et illuminationem Spiritus Sancti congregavit in unitatem mystici corporis sui, puta Ecclesiæ, prout apud Joannem fuit præ-
fatus : Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, *Joann.* X,
et fiet unum ovile et unus pastor. Unde per Jeremiam deprompsit : Dabo eis cor 16. *Jer.* XXXII,
unum et animam unam, et lætabor super eis, quum bene eis fecero. 39, 41.

Itaque omnes credentes qui per Apostolos erant conversi in Jerusalem, primo erant pariter mente et corpore, « perdurantes unanimiter in templo ». Unde et in
Luca scriptum est : Reversi sunt in Jerusalem cum gaudio magno, et erant semper *Luc.* XXIV,
in templo, laudantes et benedicentes Deum. Sumpseruntque « cibum » sacramenta- 52, 53.

lem et corporalem ac spiritualem « cum exsultatione et simplicitate cordis, Deum »
Act. II, 43; v, 13. jugiter « collaudantes », ac omni plebi placentes. Fiebat quippe, ut S. Lucas testatur, omni animæ timor, et magnificabat eos populus. Quibus illud Psalmistæ conve-
Ps. LXVII, 4. nit : Justi epulentur et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia; et
Ps. XLI, 5. quod denuo dixit : In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis.

Hæc præmitto et tango, quia de hoc ultimo verbo Psalmographi, In voce exsultationis, etc., jamdudum rogatus sum aliquid scribere a bonæ indolis viris, quamvis adhuc in sæculo hoc detentis. Quod aliunde occupatus, facere distuli. Nunc vero quoniam vos, o venerabiles ac amantissimi patres ac domini mei, magister Martine ac Ludolphe canonice et sacerdos, affectuose petistis vobis communicari ac mitti quod super verbum illud Prophetæ me scripsisse putastis, non distuli amplius, imo tractatulum hunc protinus sum aggressus. Nempe, juxta quod tetigi, digni estis instar centurionis de quo ex Evangelio allegavi, quia diligitis « gentem nostram », Cartusiensis Ordinis Fratres, et « synagogam », præfati Ordinis cœnobium, ad laudem et gloriam Creatoris nobis vultis construere : in quo multæ animæ, præstante Altissimo, salvæ fient, quarum universa merita ac præmia dono Dei in vestras redundabunt dominationes.

SONUS EPULANTIS[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Quod prætactus versiculus quadrupliciter possit exponi, et de litterali expositione ipsius.

QUI *elucidant me, vitam æternam habebunt.* Eccli. xxiv, 31.

Sacram Scripturam quadrupliciter posse exponi, vulgatum est, utpote : litteraliter, allegorice quoque de Christo, tropologice item de quocumque homine justo, et anagogice de civibus triumphantis Ecclesiæ.

Quidam itaque psalmum in quo versiculus iste habetur, ad litteram de justis Judæis in Babylonica captivitate detentis exponunt, qui infra septuaginta suæ captivitatis annos frequenter ac vehementer suspirabant redire ad terram patrum suorum, ad urbem sanctam Jerusalem, ad locum et templum cultus divini. In quorum persona loquitur auctor psalmi il-
xli, 2. lius : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus : scilicet ut tibi deserviam in terra, in loco et templo divino cultui deputatis.

Et verum est quod littera psalmi illius ad sensum hujusmodi valeat applicari, quamvis improprie : siquidem etiam in Babylone poterant incircumscriptibili Deo ubique præsenti servire, placere, uniri. Nec dicitur ibi, Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad terram, locum aut templum Dei ; sed, Ad te, Deus : qui in omni utique loco ac tempore potest a fidelibus inve-
A niri, amplecti contemplationisque oculo conspici, prout apud Joannem expressit Salvator : Veniet hora in qua neque in Joann. iv,
monte hoc, neque in Jerusalem adorabitis 21, 23.
Patrem, sed veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.

Denique in psalmo illo subjungitur : Si- Ps. xli, 3.
tivit anima mea ad Deum fortem, vivum. Quando veniam et apparebo ante faciem Dei ? Certumque est, quod facies Dei in propria sua natura neque sit materialiter cogitanda, ut certo in loco determinate ac
B præcise reperiatur. Propter quod tertio
Regum Salomon ei fatetur : Si cœli cœlo- III Reg. viii,
rum te capere nequeunt, quanto magis 27.
domus hæc quam ædificavi ? Et per Isaiam
Dominus protestatur : Cœlum mihi sedes Is. lxvi, 1 ;
est, et terra scabellum pedum meorum ; Act. vii, 49.
quæ est ista domus quam ædificabitis mihi ? Unde et in Actibus sanctus asserit Pau-
lus : Deus qui fecit mundum et omnia quæ Act. xvii,
in ipso sunt, hic cœli et terræ quum sit 24.
Dominus, non in manufactis templis habitat : non, inquam, per circumscriptionem
C propriæ majestatis. Attamen per gratiæ et pietatis suæ effectus in templo spiritualiter esse et habitare asseritur : sicque in scripturis veteris Testamenti multoties dicebantur coram Deo et ante faciem ejus apparere, qui in templo præsentabantur, offerebant, orabant ac serviebant.

Præterea, quod in psalmo illo subjun-
gitur, Quoniam transibo in locum taberna- Ps. xli, 5.
culi admirabilis usque ad domum Dei,
non videtur proprie accipi posse de urbe IV Reg.
Jerusalem, aut templo ibidem constructo : xxv, 9, 10 ; Jer. xxxix,
D quia Chaldæi tam urbem quam templum 8.

[1] Ex editionibus Coloniæ, Melchioris Novesiani, 1532, et Petri Quentel, 1534.

combusserant, ut quarto Regum et in Jeremia narratur; nec reædificata fuerant nisi diu post reditum a Babylonica captivitate, ut in Zacharia et Aggæo prophetis ostenditur. (*Zach.* VI, 10 et seq.; *Agg.* I et seq.)

A

Hinc psalmus ille multo convenientius fructuosiusque exponitur in persona cujuslibet fidelis ac fervidi viatoris ad supernam patriam Beatorum ac beatificam Dei visionem, claram præsentiam, facialem, immediatum ac fruitivum intuitum anxie anhelantis : sicut et alibi postulatur : Domine, Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus. (*Ps.* LXXIX, 20.) Et Moyses quoque in Exodo precatur : Si inveni gratiam coram te, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te. (*Exod.* XXXIII, 13.)

Tamen, ut fassus sum, psalmus ille aliquo modo potest ad litteram sic exponi. Quod idcirco præmitto, quoniam sensus versiculi jam tractandi ex præcedentibus psalmi illius versibus condependet. Atque si psalmus ille sic litteraliter intelligatur, litteralis intelligentia hujus versiculi est :

Quemadmodum desiderat cervus a venantibus fatigatus, aut hausto serpente exæstuans ejus veneno, *ad fontes aquarum,* quatenus potu aquæ refrigeretur, roboretur, ac relevetur veneno; *ita desiderat anima mea ad te, Deus,* id est, tam valide anima mea afficitur, o Deus meus, ad locum et terram tui obsequii, ut in urbe et templo Jerusalem tibi perfectius serviam, offerendo et orando ibidem statutis anni diebus, prout in lege Moysis fuit præceptum. *Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum,* id est ad Deum omnipotentem, essentialiter vivum et ipsam superbeatissimam vitam. *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei,* id est in templo? In quo Deus specialiter habitavit per effectum multiplicem misericordiæ suæ, ut tertio Regum legitur promisisse : Erit nomen meum ibi; et quicumque oraverit in loco isto, exaudiam. (III *Reg.* VIII, 29, 30; II *Par.* VI, 20, 21.)

Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte, id est, ipsa lacrimarum mearum copiosa effusione reficiebar in afflictionibus meis assidue, *dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus?* id est, dum Babylonii et Chaldæi mihi insultant dicendo : Ubi est nunc Deus, quem omnipotentem dicebas et adjutorem tuum vocabas, qui te modo sic dereliquit, et adjuvare aut noluit aut nequivit? *Hæc recordatus sum,* id est, mente revolvi, causam ac pœnam captivitatis meæ pensavi, *et effudi in me animam meam,* id est, desideria cordis mei in me ipso produxi, attendi, renovavi,

B

auxi et gessi, piis affectibus æstuando. *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis,* id est, in Jerusalem redibo, sicut per Jeremiam et Ezechielem exstitit prophetatum, quod septuaginta annis expletis reverteremur in Judæam, et in locum cultus divini, ubi fuit tabernaculum admirabilis Dei, et tabernaculum illud admirabile in quo dabantur divina responsa et mirabilia multa fiebant. (*Jer.* ... 10; *Eze* XI, 17; 41, 42.) Unde in alio fertur psalmo : Replebimur in bonis domus tuæ; sanctum est templum tuum, (*Ps.* LXI... 6.)

C

mirabile in æquitate. *Usque ad domum Dei,* quæ post reditum a Chaldæa fuit per reversos recuperata. Deinde subjungitur modus transeundi in tabernaculum Dei. *In voce exsultationis et confessionis,* id est cum voce gratulabunda atque laudisona seu jubilatoria : quoniam cum gaudio cordis et laudibus oris introierunt in locum illum, prout de hoc in libro Esdræ et in præallegatis Prophetis multa conscripta sunt; (I *Esdr.* III, 10-13; VI, 16, 22.) et confitebantur tam pietatem et gratiam Dei, qui eos clementer reduxit, quam

D

peccata sua ac patrum suorum, propter quæ abducti et capti fuerunt. In voce, inquam, exsultationis et confessionis, quæ fuit et est *sonus epulantis,* id est vociferatio, laudatio seu resonantia uniuscujusque refectionem devote sumentis in mensa et tabernaculo Dei. Nam per circuitum templi et in ædibus ejus erant domunculæ, in (III *Reg.* VI, 5.) quibus afferentes et ministrantes in templo edebant cum gratiarum actione et jucunditate, expleto ministerio sacrificii ac cultus divini : quemadmodum primo Re-

.1,4,9. gum habetur de Anna et Elcana parentibus Samuelis.

Hæc pro introductione breviter dicta sunt, ut hujus versiculi plenius pateat intellectus.

Præterea, potest hic versus etiam per se intellectum habere completum, et explanari absque dependentia ad versus præhabitos, ut sit sensus : « In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis », hoc est, sonus, resonantia, laus seu vo-
.vi, ciferatio epulantis in mensa, scilicet in mensa Sapientiæ increatæ (quæ ait in Can-
t. v, 1. ticis : Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi, jucundam refectionem accipientes. Quæ Sapientia incarnata in
uc. xiv, Evangelio quoque testatur : Homo quidam fecit cœnam magnam), hic, inquam, sonus significativus consistit et fit in voce exsultationis et confessionis, id est cum vocali gratiarum actione et spirituali lætitia, atque cum laude divina, confessione quoque propriæ culpæ, distractionis et defectuositatis seu irreverentiæ habitæ aut commissæ in hujusmodi refectione et exsultatione, de qua Apostolus quoque hor-
Cor. v, 8. tatur : Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. De his infra plenius dicam.

Verba etiam psalmi hujus in expositio-
Cf. t. V, p. ne primæ quinquagenæ Psalterii diffusius
671 A et s. explanavi.

ARTICULUS II.

Expositio tropologica seu moralis ejusdem versiculi.

Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. I Cor. x, 31.

Si præinducta expositio hujus versiculi litteralis dicatur, ista allegorica erit censenda. Denique, ut hic versus plene intelligatur, oportet aliquid tangere de multiplici epulatione, de multiplici quoque cibo et potu, et de multiplici mensa Sapientiæ,
A quæ est Christus, denique de multiplici exsultatione seu gaudio, et item de multiplici confessione.

In primis igitur epulatio duplex est : una corporalis, alia spiritualis. Utraque quoque est duplex. Nam corporalis epulatio una est carnalis, inordinata, superflua, vitiosa : qua quis in cibo et potu non solum quærit necessariam corporis sustentationem, sed delectationem potius sensualem, atque immoderate se replet, stomachum gravat, et vitam suam abbreviat;
B nec corporalem refectionem ad spiritualem ac debitum refert finem, ut scilicet per corporis sustentationem reddatur robustior ad opera bona, ad Dei obsequium, ad spiritualem profectum. Hæc ergo refectio est gulosa, de qua apud Lucam ait Salvator, Væ vobis qui saturati estis, quia esu- *Luc.* vi, 25.
rietis ; et delicata, in qua excessit epulo ille de quo Christus deprompsit, quod epu- *Ibid.* xvi, 19.
labatur quotidie splendide. Quem sequuntur multi, non solum divites hujus sæculi, sed et multi ex clero. Quibus formidandum
C est quod Filius Dei effatur : Væ vobis di- *Ibid* vi. 24.
vitibus qui habetis consolationem vestram. Pro quibus, ut Innocentius Papa asserit, quæruntur pigmenta, parantur aromata, nutriuntur altilia, capiunturque studiose, coquuntur delicate et sumptuose parantur, ut vilis et misera caro in talibus oblectetur, quum tamen, teste Apostolo, hi qui sunt Christi, carnem suam cum vi- *Galat.* v, 24.
tiis et concupiscentiis crucifigant. De illis in sua Canonica S. Judas fatetur : Hi sunt *Judæ* 12, 13.
in epulis suis convivantes sine timore, se
D ipsos pascentes ; quibus procella tenebrarum conservata est in æternum. Heu, quantæ damnationis est ita consumere patrimonium Christi et pauperum bona! Præterea alia est epulatio corporalis bona et ordinata ac sobria : qualem Matthæus evan- *Matth* ix, 10 ; *Luc.* v, 29.
gelista exhibuit Christo ac ejus discipulis ; Simon quoque leprosus, quando et Lazarus *Matth.* xxvi, 6 ; *Joann.* xii, 2.
unus fuit ex discumbentibus.

Sic et spiritualis epulatio duplex assignatur : una gratiæ in præsenti, alia gloriæ in futuro ; prima in Ecclesia militanti,

secunda in triumphanti. Prima est confortatio et delectatio mentis in quocumque actu virtutum, præsertim in actibus theologicarum virtutum, in contemplatione quæ actus est doni sapientiæ, in actibus latriæ, qui sunt, orare, psallere et laudare, offerre et celebrare. Hinc dicit Apostolus de his epulis spiritualibus mentis : Optimum est gratia stabiliri cor; et Psalmista : Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea ; itemque : Edent pauperes et saturabuntur. Per Isaiam quoque Dominus cohortatur : Audite, audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. Hoc modo Ezechiel et Joannes fassi sunt cibatos se esse volumine, hoc est intelligentia prophetiæ ac Scripturarum. Porro epulatio gloriæ est beatifica Deitatis fruitio in patria, et omnis delectatio Beatorum in supergloriosissimo suo objecto, quod est Deus, qui est eis omnia in omnibus : in quo uno habent ac possident universa, quia in ipso est omnium bonorum et pulchrorum ac desiderabilium possessio perfectionaliter infinita ac infinite perfecta. Quemadmodum etiam spiritualis cibus est multiplex tam in via quam patria, ita et epulatio ista, ut mox patebit.

Hebr. XIII, 9. — *Ps.* LXII, 6. — *Ps.* XXI, 27. — *Is.* LV, 2. — *Ezech.* III, 2; *Apoc.* X, 10. — I *Cor.* XV, 28.

Est itaque multiplex panis, videlicet : corporalis, per quem intelligitur omnis corporeus cibus (de quo Isaias : Frange, inquit, esurienti panem tuum) ; et panis spiritualis, qui est confortatio, refectio et exhilaratio cordis. Iste quoque panis est multiplex. Primus est panis sacramentalis. De quo in Evangelio protulit Christus : Caro mea vere est cibus; et, Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Atque Apostolus : Panis (ait) quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? De quo pane in Oratione dominica, secundum Matthæum, oramus : Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Sic quippe et ipse Christus Deus et homo est panis, quemadmodum ait : Ego sum panis vitæ. Secundus est panis contemplationis per fidem et sapientiæ donum. Qui panis est ipsa contemplatio intellectum reficiens, roborans et oblectans, juxta illud in Ecclesiastico : Cibabit illum pane vitæ. De quo fatetur et Apostolus : Nos revelata facie gloriam Dei speculantes. Tertius est panis bonæ operationis, qui alit ac roborat atque exhilarat animam. Propter quod pœnitens loquitur : Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. De quo pane promittit Christus in Apocalypsi : Vincenti dabo manna absconditum. Unde et in Joanne Salvator expressit : Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Quartus est panis salubris compunctionis et veræ contritionis pœnitentialisque satisfactionis, panis lacrimarum, spem veniæ habens admixtam. Beati enim qui taliter lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Propter quod in Ecclesiaste scriptum est : Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii. Hinc in Psalmo dicimus Deo : Cibabis nos pane lacrimarum.

Is. LVIII, 7. — *Joann.* VI, 56. — *Ibid.* 59. — I *Cor.* X, 16. — *Matth.* VI, 11. — *Joann.* VI, 35. — *Eccli.* — II *Co*[r.] 18. — *Ps.* CI, — *Apoc.* II — *Joann.* 27. — *Matth.* 5. — *Eccle.* VI — *Ps.* LXX 6.

Possent et aliæ species hujus panis assignari, quum uniuscujusque virtutis actio sit mentis panis et ejus refectio ; et qui alium salubriter instruit, reficit eum. Hinc sacra Scriptura et sermo divinus appellatur cibus potusque hominis. Ait namque Hieronymus : Pinguissimus est sermo divinus, omnes in se habet delicias, et quidquid volueris nascitur ex eodem, quemadmodum manna secundum uniuscujusque sapuit voluntatem. Gregorius quoque : Scriptura sacra aliquando nobis cibus est, aliquando potus. Cibus est in obscurioribus locis, ubi quasi exponendo masticatur ac frangitur, et manducando glutitur ; potus vero in locis apertioribus, in quibus sicut invenitur, faciliter sumitur ac sorbetur. Postremo, alius est panis beatificæ refectionis in patria ; de quo in Luca legitur : Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Unde in Apocalypsi fertur : Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Qui panis ex parte objecti unus et communis est omnibus ; ex parte vero

Sap. X[VI], 21. — *Luc.* XIV, 1[5]. — *Apoc.* XI[X], 9.

subjecti, videlicet mentium beatarum se A reficientium ac perfruentium eo, est multiplex diversorumque graduum, juxta multitudinem ac differentiam præmiorum.

Præterea multiplex mensa est sapientiæ salutaris ac alimoniæ spiritualis. Nam mensa panis sacramentalis potest primo dici altare visibile, sicut cantamus : Ex altari tuo, Domine, Christum sumimus. Spirituale hujus panis altare est mens devota, in qua panis iste recipitur, collocatur, quiescit, siquidem anima justi sedes est sapientiæ ; similiter fides, in qua cuncta B quæ agimus bona, et sacrificia quæ Deo offerimus, fiunt ac offeruntur, nec aliter Creatori accepta sunt : imo, teste Apostolo, quidquid non est ex fide, peccatum est. Qua utique in hujus sacramenti communione et consecratione, esu ac usu potissime indigemus; quam et firmissimam atque certissimam indesinenter habere semper debemus. Ideo in sanguinis consecratione proferimus : Mysterium fidei. Rursus spirituale altare est caritas, sine qua nihil est meritorium. Hinc dixit Gregorius : Hoc C sacrificium solum accipit Deus quod ante oculos ejus in ara cordis flamma caritatis accendit. Nihilo minus sacrificium Eucharistiæ ex se et per se summe acceptum est Patri : non tamen consecratio ac sumptio ejus sine caritate prodest alicui. Amplius, mensæ sapientiæ sunt vetus et novum Testamentum, seu libri Scripturæ canonicæ, in quibus alimenta spiritualia continentur atque fidelibus proponuntur. Quadruplex quoque expositio Scripturarum est quadruplex mensa sapientiæ Dei. Unde ait D vir sanctus in Psalmo : Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me ; et Augustinus : Non fraudamus convivantes, mensa Domini est. At vero de mensa beatificæ refectionis in cœlis asserit in Luca Salvator : Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. Unde in Apocalypsi testatur : Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei.

[Margin: ...VII, 27. — ...m. XIV, ... — Ps. XXII, 5. — Luc. XXII, 29, 30. — Apoc. II, 7.]

Insuper, exsultatio, gaudium, delectatio, lætitia, jucunditas, pro eodem frequenter accipiuntur, et conformiter dividuntur. Est enim delectatio carnalis et sensualis ; est item delectatio spiritualis. Carnalis autem delectatio communiter in malo accipitur, pro inordinata et fœda oblectatione : sicut et caro ac sensualitas frequenter sumuntur secundum statum naturæ corruptæ atque infectæ. Si vero delectatio vocetur carnalis seu sensualis ratione subjecti aut objecti, quia in naturali, sensitiva et organica consistit potentia, et in corporali ac carnali objecto ; sic non omnis delectatio carnalis et sensualis est inordinata, sed quædam est pure naturalis, ex unione potentiæ cum objecto convenienti procedens : quæ si ad finem debitum ordinetur, et actus cui annexa est, imperative procedat ex caritate, bona et meritoria perhibetur, sicut et operatio cui annectitur. Nempe, ut ait Philosophus, idem est judicium de bonitate et malitia actus et delectationis ei conjunctæ. Talis quoque delectatio duplex est : una in actibus sensuum exteriorum, sicque delectationes gustus et tactus intensiores dicuntur; alia in appetitu sensitivo et actibus sensuum interiorum consistens, quemadmodum quidam in imaginando et memorando valide delectantur. — Alia demum est delectatio spiritualis, in superioribus animæ viribus constituta, ut in contemplando ac diligendo. Nam et teste Philosopho, philosophia mirabiles habet delectationes annexas : quanto magis theologia ? De hoc in Phædone diffusius asserit Plato : Quoties, inquiens, anima per se ipsam speculatur, illico defertur in sincerum lumen deliciosum. Denique, si delectatio nuncupetur spiritualis, quia in spirituali ac materiali consistit subjecto, sic spiritualis quoque delectatio duplex est : una videlicet ordinata, bona et virtuosa, actioni virtuosæ conjuncta, et de Deo ac rebus divinis concepta, seu de creaturis per relationem ad Deum, juxta illud Psalmi : Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum ex- Ps. XCI, 5.

sultabo. Et ita delectatio ista est in Deo A
et de Deo tanquam objecto immediato aut
mediato. Alia autem inordinata est et vana,
dum de rebus spiritualibus et divinis quis
gloriatur per reflexionem ad se ipsum,
aut extollendo se ipsum de spiritualibus
donis aut bonis, prout in Apocalypsi cui-
Apoc. III, 17. dam increpatorie dicitur : Dicis quia dives
sum et nullius egeo. Quocontra dicit Apo-
I *Cor.* I, 31. stolus : Qui gloriatur, in Domino glorietur.
Jer. IX, 23, 24. Et per Jeremiam loquitur Deus : Non glo-
rietur sapiens in sapientia sua, et non
glorietur fortis in fortitudine sua, nec di- B
ves in divitiis suis ; sed in hoc glorietur
qui gloriatur, scire et nosse me.

Præterea, confessio triplex est. Una lau-
dis divinæ, quæ actus est latriæ. De qua
Matth. XI, 25. Christus deprompsit : Confiteor tibi, Pater,
Domine cœli et terræ. Alia propriæ culpæ ;
Jacob. V, 16. de qua Jacobus apostolus : Confitemini
alterutrum peccata vestra. Hæc confessio
est pœnitentiæ actus. Tertia est confessio
credendorum, quæ actus fidei nominatur,
Rom. X, 10. dicente Apostolo : Corde creditur ad justi-
tiam, ore autem confessio fit ad salutem. C
Luc. XII, 8. De qua et Christus disseruit : Qui me con-
fessus fuerit coram hominibus, etc.

His præmissis elucescit qualiter versus
iste multipliciter queat exponi juxta mo-
ralitatem, secundum quod multiplex est
epulatio, multiplex mensa, multiplex ex-
sultatio, multiplex quoque confessio. Ve-
rum, ut vitetur prolixitas, istud non nisi
brevissime tangam et prosequar.

Itaque « sonus epulantis » epulatione
corporali ordinata et sobria, est in exsul-
tatione laudabili, quia de tali refectione D
gaudent homines justi, in quantum per
Sap. III, 15. eam fiunt ad bonos labores (quorum glo-
riosus est fructus) virtuososque actus de
IV *Reg.* XVIII, 4; XXIII, 1-24; II *Par.* XXX, 13-27; XXXI, 1; XXXV, 1-19. novo robustiores : quemadmodum quarto
Regum et secundo Paralipomenon legun-
tur populus regni Judæ et multi ex tribu-
bus Israel, post devotum et hilarem esum
Phase, sub sanctis regibus Ezechia atque
Josia, consurrexisse et idola destruxisse,
cum exsultatione ac veri Dei confessione.
Conformiter epulati sunt, de quibus in
libro Esdræ legitur dictum : Ite, comedite II *Esd.* VIII, 10.
pinguia et bibite mulsum : dies enim san-
ctificatus est Domino Deo nostro, nolite
lugere. Et post pauca : Surgite et benedi- *Ibid.* IX
cite Domino Deo vestro ab æterno et usque
in æternum. Talis item fuit sonus epulan-
tis in nuptiis junioris Tobiæ ; in convivio *Tob.* 21, 22.
quoque Judæorum sub Judith, Holoferne
occiso, quando populus ille fuit jucundus *Judith* 24.
secundum faciem sanctorum, atque per
tres menses gaudium celebraverunt, prout
in Judith libro recitatur. Econtra, qui car-
naliter et gulose epulantur, satiati surgunt
ad chorizandum et luxuriandum, instar
eorum de quibus in Exodo narratur : Sedit *Exod.* XXXII, 6.
populus manducare et bibere, et surrexe-
runt ludere. Taliter epulantium sonus est
in verbis lasciviæ, jactantiæ, detractionis,
et consimilium vitiorum. Ideo in inferno
cum divite epulone in lingua sua speciali *Luc.* XVI.
acerbitate flamma tartarea cruciabuntur.

Præterea, epulantes isti sonitum reddunt
« in voce exsultationis », recognoscendo
victualia sua esse beneficia Dei, et ante
comestionem cibum potumque benedicunt,
et refectione completa gratias legunt, ac
veniam deprecantur de excessu in cibo et
potu ac aliis : sicque offerunt Deo confes-
sionem laudis divinæ ac propriæ culpæ.

At vero epulantes in mensa altaris, com-
municando, celebrando, atque sumendo
corpus et sanguinem Salvatoris, resonant
Deo voce jucunda, commemorando bene-
ficia ejus, mysteria Christi et omnem cari-
tatem, misericordiam atque munificentiam
Dei Patris super genus humanum ; pro-
priam item ingratitudinem, perversitatem,
ac ceteras culpas, de quibus sibi precan-
tur ignosci. Specialiter vero attendunt in-
effabilem caritatem Christi ad homines,
et amarissimam passionem ac mortem ip-
sius pro eis. Unde et ipsis præcepit : Hæc *Ibid.* XXII, 19 ; I *Cor.* XI, 24, 25.
quotiescumque feceritis, in mei memoriam
facietis. De quibus intime regratiantur,
juxta illud Jonæ : In voce laudis immo- *Jonæ* II, 10.
labo. Verumtamen epulatio ista ipsorum
grandi timore permixta est ex propriæ de-
fectuositatis intuitu ; sicque confessio pro-

priæ culpæ eam præcedit ac sequitur, quia recogitant metuendissimum illud verbum
r. XI Apostoli : Quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.

Præterea, epulantes in mensa sapientiæ, in evangelicæ legis contemplatione et consideratione mirabilium legis divinæ, magnifice gloriantur in Deo, devotissime gratias agunt superbeatissimæ Trinitati,
LXXXV, 13. dicuntque omnes et singuli : Confiteor tibi, Domine, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum, quia misericor- B
CXV, 12. dia tua magna est super me; et : Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit
Ps. CII, 1. mihi? Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.
s. XXII, 2. Sic itaque quotidie epulemur in loco pascuæ, ubi Dominus nos collocavit : quia revera in pascuis uberrimis jam præfatis
hren. IV, nos posuit, et in croceis nos enutrit, qui et se ipsum nobis præbet et præstat in cibum. Non ergo stercora amplectamur, non in turpissimis atque vilissimis gulæ atque carnalitatis obscenitatibus inquine- C mur, ne nobis illud conveniat Psalmistæ :
Ps. XLVIII, 3, 21. Homo quum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipienti-
Joel I, 17. bus ; et quod sanctus Joel effatur : Computruerunt jumenta in stercore suo, id est homines carnales ac vitiosi in turpitudine et fœtore luxuriæ suæ aliorumque vitiorum. De quibus in Psalmo canta-
Ps. LII, 2. tur : Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus. Quibus per Mala-
Malach. II, 3. chiam Dominus protestatur : Ecce ego projiciam vobis brachium, et dispergam super D vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum, et assumet vos secum ; et apud
Is. I, 4. Isaiam : Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis.

ARTICULUS III.

Expositio allegorica versus ejusdem.

A*MANTISSIMUS Domini habitabit confidenter ; in eo quasi in thalamo* A *tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet*. Deut. XXXIII, 12.

Quemadmodum tropologia edocet quid agendum, sic allegoria quid credendum. Porro tota theologia præcipue circa duo versatur, videlicet, circa superdignissimæ Trinitatis simplicissimam deitatem, et circa Christi humanitatem : ad quæ cetera omnia reducuntur. Christus vero nominat increatam Personam in duabus naturis subsistentem, hoc est, in vera æternaque deitate, quæ in tribus adorandis supersan- B ctis Personis una est numero, atque in perfecta humanitate, in ipso esse personali Verbi æterni suppositata. Quumque Verbum illud æternum humanitati a se assumptæ communicaverit suum esse personale increatum et infinitum, prætulit et præposuit eam ineffabili excellentia omni enti creato, imo et toti universo residuo. Eodem demum momento quo sic ipsam assumpsit, implevit eam, quantum exstitit capax, omni gratia, veritate ac divino charismate Joann. I, 14. nullam imperfectionem in ratione propria C includente, ac lumine gloriæ atque eminentissima beatifica visione : ita quod beatissima et præelectissima anima Christi a primo suæ creationis instanti tam clare per speciem vidit divinam essentiam et supergloriosissimam Trinitatem, tamque gloriose ac suavissime perfruita est eadem, quam clare ac splendide nunc conspicit eam, quamque deliciose ac dulciter nunc illa perfruitur. Nihilo minus anima illa quantum ad vires suas inferiores, et carnem mortalem cui immediate erat unita D tanquam vera substantialisque forma illius, fuit viatrix atque passibilis, ac nondum plene glorificata quantum ad accidentale præmium, quod resurgendo et ascendendo sortita est, super universos angelorum ordines præclarissime exaltata ; et quantum ad hanc glorificationem, Christus homo suspiravit ad patriam et ad Dei Patris consessum, ad residendum plenarie in potioribus ejus bonis. Unde apud Marcum fertur dixisse : Generatio incredula, quamdiu Marc. IX, 18. apud vos ero? quamdiu patiar vos? Alibi

Joann. XVII, 5. quoque : Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui antequam mundus esset.

Itaque versus iste de Christo secundum ejus assumptam humanitatem eminentissime per allegoriam potest exponi. In primis, quantum ad ejus corporalem sobriissimam, ordinatissimam refectionem, in qua nunquam excessit, imo in qua semper se virtuosissime habebat. Primo quippe refectus est, nutritus et educatus virgineo lacte sacratissimæ atque mundissimæ Virginis, ab hora suæ nativitatis maternæ in stabulo. Deinde in terris apparendo et cum hominibus conversando corporaliter, usus est cibis ac potibus dignatione, non necessitate, quemadmodum etiam famem perpessus est, et fatigatus, variisque passionibus, pœnis, doloribus et tandem amarissima morte afflictus : quod totum fuit in eo dignationis effectus, non necessitatis compulsus. Quamvis namque in veritate corpus gestabat passibile ac mortale, imo passibilissimum, puta tenerrimum, nobilissime ac æqualissime complexionatum : tamen, sicut post generalem resurrectionem corpora hominum electorum protinus glorificabuntur quatuor dotes recipiendo, quæ sunt impassibilitas, claritas, agilitas atque subtilitas, ex redundantia beatitudinis animarum in corpora sua, potius tamen ex supernaturali et creativa efficientia Dei, ita quod quanto beatitudo animarum et tres dotes earum fuerint excellentiores et perfectiores, tanto quatuor dotes præfatæ abundantiores erunt in earum corporibus ; ita a primo instanti creationis glorificationisque animæ Christi in superioribus viribus ejus, redundasset beatitudo animæ suæ in vires suas inferiores et in proprium corpus suum, sicque excellentissime fuisset sortitum quatuor illas dotes, nisi moderatione sapientiæ ac omnipotentiæ deitatis Christi redundantia illa fuisset dilata. Sicque dignatio fuit et dispensatio, non naturæ necessitas, quod interim patiebatur in corpore. Virtute quoque et influxu suæ deitatis poterat corpus

A suum ab omni passione et læsione penitus præservare.

Rursus, epulatio sua cum Matthæo Simoneque leproso ac Martha frequenter, et in cœna novissima ac alibi, fuit « in voce exsultationis et » spiritualis « confessionis » laudis divinæ. Nam et indesinenter in omni loco, actu et tempore, in somno atque vigilia, anima ejus fuit in gaudio beatificæ fruitionis. Et sicut in omni virtute perfectissima fuit, sic actus virtutum cum præcipua delectatione exercuit: quan-

B quam frequenter etiam exstitit in bona ac salutari tristitia, compassione et afflictione; hoc enim fuit per respectum ad diversa objecta, vel diverso aut differenti intuitu. Amplius, in cœna novissima fuit etiam in epulatione sacramenti sacri corporis sui ac sanguinis, quæ tunc personaliter sumpsit, quamvis non sacramentaliter ut alii, quia ex illa sumptione non crevit in eo virtus ac gratia sacramenti, ut super quartum Sententiarum scribunt doctores. dist. XI. In quibus epulationibus verba ædificatio-

C nis et instructionis saluberrimæ protulit, atque ut homo gratias egit Deo : unde et hymno dicto exivit de cœna, ut scriptum est in Matthæo. In ipsa quoque cœna disseruit : Desiderio desideravi, etc. *Matth.* XXVI, 30. *Luc.* XXII, 15.

Adhuc autem, Christus ut homo seu anima ejus incessabiliter epulabatur epulatione sapientiæ salutaris quæ est donum : quia in septem donis Spiritus Sancti perfectissima fuit, et actu doni illius summam Trinitatem eminentissime novit, cum suavissimo gustu intimoque sapore increa-

D tæ bonitatis atque dulcedinis ejus immensæ, absque omni interruptione ac cessatione.

Denique multiplex sapientia fuit in anima Christi, videlicet : sapientia gratiæ gratum facientis, quæ est donum ; sapientia gratiæ gratis datæ; sapientia Beatorum, quia vidit Deitatem per speciem, et cetera omnia in Verbo æterno ; sapientia indita et infusa, qua cognovit res in propriis naturis per species concreatas, animæ rationali proportionatas et generales. Nulla

quippe naturalis perfectio defuit animæ Christi. Idcirco, quemadmodum Augustino super Genesim protestante, Deus ab exordio creationis indidit et impressit angelis species rerum intelligibiles ac distinctas, per quas cognoverunt creata notitia vespertina, præter cognitionem matutinam, qua omnia cognoscuntur in Verbo Patri consempiterno ; ita et animæ Christi indidit intelligibiles rerum species naturales. Amplius, præter omnem sapientiam et scientiam istam ponunt quidam in Christo etiam scientiam acquisitam. Quam positionem sequitur Thomas in tertia parte Summæ, quæstione nona, quanquam in Scripto tertii Sententiarum oppositum scripserit. (art. 4. … xviii, … 3 ad)

In harum itaque sapientialium notitiarum actibus jugiter fuit et epulabatur cum gaudio et laudibus Deitatis, a quibus mens ejus a suo exordio nunquam ad momentum cessavit. Propter quod Jeremias prophetavit de Christo : Novum creavit Deus super terram : mulier circumdabit virum. (… xxxi,) Hæc enim dixit unigenitus ejus : Mulier, ecce filius tuus. (…in. xix,) Cujus unigenitus fuit vir adhuc in utero matris exsistens : vir, inquam, non temporali ætate aut virili corporea quantitate, sed mentis sapientia atque constantia, et omni virtutum perfectione ac plenitudine gratiæ. Unde et in Proverbiis Salomon locutus est : Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro : viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentula. (…rov. xxx, …, 19.) Sic namque in Hebræo habetur, ut frater Raimundus in Pugione fidei, et Rabbi Paulus et alii in Hebræo periti testantur. In quibus verbis per adolescentulam exprimitur divinissima virgo Maria, quæ in adolescentia sua Unigenitum Dei concepit. Per viam autem viri in adolescentula designatur operatio Christi in Matre sua, in cujus utero ipse Christus operationes habuit perfectas in omni sapientia et virtute, in epulatione et confessione præfatis.

Postremo, anima Christi, ut tactum est, incessabiliter privilegiata fuit a primo suæ

A creationis instanti in beatifica visione, qua supersanctissimam Trinitatem tam clare conspexit atque tam gaudiose quantum mens creata est capax, utpote indicibiliter clarius atque deliciosius quam aliqua mens alia creata, quemadmodum unio illa personalis cum Verbo æterno incomprehensibiliter major propinquiorque consistit omni unione per gratiam, caritatem aut sapientiam. Si enim, ut sanctus ait Bernardus, beatissima semper virgo Maria increato lumini tam profunde et intime

B est immersa quantum sine hypostatica unione fieri potest : excogitare quis poterit quam profundissime, intimissime ac clarissime anima Christi hypostatice Verbo unita, immersa sit et conjuncta per beatificam visionem abysso lucis æternæ, increatæ, omnifarie infinitæ? Nec dubium sit quin visio illa animæ Christi tanto sit gaudiosior quanto limpidior. Quumque mens creata bene disposita, sit coram Deo tanto humilior, quanto infinitam excellentiam Deitatis profundius saporosiusque co-

C gnoscit et intuetur ; patet quod anima Christi incomparabiliter clare ac saporose Deum inspiciens, sit ineffabiliter prorsus humillima præ omni mente creata. Præterea, quo supersanctissimam Trinitatem clarius contemplatur, eo sincerius speculatur et pensat quam summe misericorditer sit ab ea præelecta, quam gratiosissime suavissimeque præventa, quam intime juncta et inenarrabiliter sublimata; quanto etiam hæc clarius conspicit, eo Deo est gratior, cordialius humiliusque subjecta, ac sem-

D per obedientissima ac conformatissima voluntati divinæ. Hinc præ universis et singulis devotissime, humillime, gratantissime, affectuosissime, excellentissime laudat, benedicit, glorificat Deum, jubilat ei et exsultat in eo, ac totum quod est et habet, ab illo se suscepisse, habere ac possidere, incessantissime ac jucundissime confitetur.

Si itaque Salvatorem nostrum etiam secundum naturam assumptam, ut decet et nobis possibile est, vere diligimus, in qua

natura tot et tanta pro nobis fecit ac pertulit; congratulemur totis præcordiis tantæ glorificationi, honorationi et beatitudini *Philipp.* III, 8. ejus, et omnia transitoria ista contemnamus ut stercora, ut Christum lucrifaciamus, ac propter eminentem scientiam caritatis ipsius omnia hæc caduca æstimemus exsistere detrimenta. Nempe, ut Aristoteles quoque fatetur, desiderabilius est de rebus substantialibus ac divinis parum cognoscere, quam multa de inferioribus rebus. Hæc est sapientia nostra, quam et Paulus *I Cor.* II, 6. loquebatur inter perfectos. Unde ad Colos- B senses effatur : Postulamus ut impleamini *Coloss.* I, 9, 10. agnitione voluntatis Dei in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei.

ARTICULUS IV.

Elucidatio anagogica versus istius.

QUÆ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Coloss. III, 2. C

Omnis excellentia et profectus atque perfectio vitæ præsentis, est quasi deficientia respectu excellentiæ ac consistentiæ Beatorum. Conformiter sapientia, scientia, claritas viatorum, est tanquam ignorantia, caligantia comparatione sapientiæ ac per- *I Cor.* XIII, 12. spicacitatis comprehensorum. Nunc quippe videmus per speculum in ænigmate, per fidem speciesque creatas ; tunc autem clare per speciem increatam, per essentiam, hoc est facie ad faciem, et co- D gnoscemus sicut et cogniti sumus : quia *Ibid.* 10. dum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.

Versus igitur sæpe jam dictus convenit valde eminenter Beatis, qui epulantur in cœlo empyreo super mensam Omnipotentis : quæ mensa est liber vitæ, liberalitas Dei, increata sapientia Conditoris, in quibus continetur ac mentibus Beatorum ostenditur atque proponitur ferculum beatificæ refectionis, infinita bonitas, dulce- A do, opulentia, exuberantissima veritas increata, scientia prorsus immensa, ratio totius naturæ, ac sinceræ lætitiæ. « Sonus » ergo tripudiantium, jubilantium, epulantium in hac mensa, in hoc convivio Beatorum, in cœna hac Agni perpetua, est vere ac summe « in voce exsultationis et confessionis », hoc est, in voce et locutione interna, in laudatione altissima, inenarrabiliter amorosa atque lætissima, in confessione purissima, qua Deum in se ipso, in suis effectibus, in donis et judiciis laudant promptissime, et omne bonum ei adscribunt plenissime.

Verumtamen non est ibi nec erit corporalis refectio, nec sacramentalis comestio, sed prorsus revelatio, inspectio divina plena, intellectualis fruitio plenarie contentativa, finaliter quietativa, infastidibiliter satiativa. Nihilo minus probabiliter creditur, quod post diem judicii resumptis corporibus, erit in supermundano empyrei cœli palatio laus vocalis inæstimabilis suavitatis, consonantissimæ harmoniæ, concordantissimusque concentus omnia sæculi hujus solatia indicibiliter superans ac transcendens. Interim vero in beatissimis illis spiritibus est sonus interior et mentalis, quem aliqualiter noscunt nunc qui assidue aut frequenter vel saltem aliquando audiunt quid loquatur in eis Dominus *Ps.* LXXX, 9.
Deus, aut angelus ejus sanctus, cujus obsequio fiunt revelationes cœlestes et exponuntur. Intelligentia namque est opus et *Dan.* X
principale (quod scilicet est maxime requisitum) in visione, et sic quasi furtive *Job* IV,
suscipit auris interior venas divini susurrii.

Denique, quo Deum deorum clarius cernunt, eo ipsius amore vehementius accenduntur : cujus ardore suavissime flagrant, atque in ejus præconiis intensissime delectantur, et universæ beatitudini, gloriæ ac excellentiæ ejus totis ineffabiliter congratulantur præcordiis ; quemadmodum reprobi ac damnati eum vehementissime odiunt, atque de omni potentia ac gloria ejus amarissime cruciantur, dolent ac con-

tabescunt, mallentque millies plus pati quam patiuntur, dummodo possent Deum occidere ac secum in tormentis habere. Quemadmodum etiam Beati Deum incomparabiliter ferventius atque intensius diligunt quam se ipsos, sic incomparabiliter amplius congaudent felicitati et excellentiæ ejus, quam de propria congaudeant gloria et salute, mallentque prorsus omnes annihilari, quam Deum ad momentum sua felicitate privari. Præterea, in ipsius superbeatissimæ Trinitatis fruitione ac visione exuberantissimo ac redundantissimo gaudio perfunduntur, replentur ac penetrantur : velut si homo complexionis tenerrimæ, assuetus deliciis, nudo corpore in calidissima claudatur fornace, protinus ineffabiliter cruciatur, cruciatibus penetratur, et præ punitionis acerbitate se ipsum nequit concipere.

Consideremus pro posse, quam gloriosus, felix, perfectus sit Deus æternaliter ac prorsus invariabiliter in se ipso. Certe quidquid perfectionis et excellentiæ, quidquid dulcedinis et decoris, quidquid opulentiæ, veritatis, felicitatis, jucunditatis ac omnipotentiæ, quidquid sanctitatis, sapientiæ, libertatis, securitatis, pietatis, justitiæ, nobilitatis ac dignitatis excogitari potest, in ipso est omnino atque omnimode, cum plenitudine atque perfectione et eminentia intensive immensa. Ejus ergo sancto et puro amore fortiter inflammemur, inexstinguibiliter inardescamus, ejus intuitu et amore universa carnalia, transitoria et terrena, fœda ac vilia toto cordis affectu aspernemur, vilipendamus ac relinquamus ut luta et stercora. Tam incomparabilis boni respectu totum mundum reputemus ut pulverem et festucam, tanquam nihilum et inane, quoniam infiniti ad finitum nulla est comparatio. Suspiremus ad patriam, vehementissime æstuemus ad talis ac tanti objecti facialem, clarum, suavissimum jucundissimumque
Is. xxvi, 8, 9. adspectum, et ex corde dicamus : Nomen tuum atque memoriale tuum, Domine, in desiderio animæ ; anima mea desideravit

A te in nocte, sed et spiritus meus in præcordiis meis. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem, omnipotentem, supersplendidissimum fontem, superserenissimam lucem superamœnissimumque objectum. O quando veniam et apparebo ante faciem superpulcherrimi et supergratiosissimi Dei, bene et gratiose accipiendus ab eo, ac sine fine permansurus cum eo? *Ps.* xli, 2, 3.

Porro, ut sic ab ipso accipi, acceptari,
B amplecti ac detineri possimus, coram eo sollicite, timorate et custodite jugiter ambulemus ; ei in justitia et sanctitate obsequamur ; ejus præsentiam assidue cogitemus, et reminiscamur ac impleamus quod electus ille David deprompsit : Oculi mei *Ps.* xxiv, 15. semper ad Dominum. Nonne magnum regnum habuit regere, multa valde disponere, qui hoc dixit? Et tamen in omnibus illis oculi ejus interiores directi et elevati erant ad Dominum, quem vehementer timebat offendere, cui summe optavit pla-
C cere, quem in omnibus honorare et colere cupiebat.

In his sonet vox cordis uniuscujusque epulantis, devote et sobrie comedentis, et comedendo ea quæ Dei sunt revolventis.

ARTICULUS V.

De benefica refectione et deliciosissima epulatione.

INEBRIABUNTUR *ab ubertate domus*
D *tuæ*, Domine, *et torrente voluptatis tuæ potabis eos : quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Ps. xxxv, 9, 10.

Quidquid inest et convenit tibi, Domine Deus meus, perfecte et cum infinita excellentia convenit tibi. Quum ergo opulentia et munificentia tibi conveniant, scimus quod divitiarum tuarum nullus est finis, nec ullus est terminus nec ulla mensura liberalitatis, communicabilitatis et supereffluentiæ tuæ. Tu igitur vere es copio-

sissimus remunerator, munificentissimus A præmiator, qui et ultra condignum remuneras, tum extensive, dando pro merito temporali præmium æternum, tum intensive, quia pro modico obsequio tibi exhibito tantam rependis mercedem, quod minister tuus ea plenarie contentatur, et
Ps. cii, 5. repletur in bonis desiderium ejus. Sicque cor ejus, quod extra te quietari non valet, confirmatur, immobilitatur atque perpetua securitate quietatur et conquiescit in te.

Tu, Deus omnipotens, vere es suavissi- B mus hospes animarum virtuosarum, ab hoc longo exsilio, a peregrinatione hac laboriosa, a servitute in terris fideliter ac ferventer exhibita, redeuntium ad te Patrem spirituum, datorem formarum, Creatorem, Regem ac Judicem universorum. O quam gratiose ac dulciter, quam pie, paterne et hilaris suscipis spiritus rationales qui in tentationibus, adversitatibus, persecutionibus tibi constanter servierunt, fideliter adhæserunt, et usque in finem
Luc. vi, 38. perseverant! Tu mox mensuram bonam et C confertam et coagitatam et supereffluentem præstas in sinum mentis eorum. Te ipsum, quem summe appretiati sunt, appretiaverunt et super omnia dilexerunt, rependis eis in præmium, evidenter ostendis eis te ipsum, pulchritudinem tuam immensam et omnes divitias gloriæ tuæ, introducis et rapis eos in medium cordis tui, in viscera tuæ caritatis dulcissimæ, in profundum miserationum tuarum. Ibi clarissime eis revelas quantum ab æterno eos dilexeris, quam misericorditer cum ipsis D egeris in hac vita, quos ad tantam beatitudinem elegisti, quos prædestinasti ad hoc ut ab eis perpetuo videaris, diligaris et lauderis in cœlis.

O quam deliciosum, nobile ac beatum est te, o superbeatissima Trinitas et superdignissima, clare conspicere, superardentissimam illam tuam mutuam dilectionem limpide intueri dulciterque gustare, ac simul in ea a te diligi et amplecti, atque in mutuo illo amplexu quo tres supervenerabiles, supergloriosæ adorandæ Personæ se invicem superamorosissime ac superdulcissime amplexantur, medium et complexatum se experiri! Etenim supersublimes illæ Personæ se invicem æternaliter superjucundissime intuentur, et ipsæ dumtaxat se invicem perfecte ac comprehensive intelligunt : a qua prorsus perfecta ac omniformiter comprehensiva cognitione omnis mens creata deficit infinite. Nec enim intellectus in esse et posse finitus, proportionatus, aptus aut potens est capere et cognoscere infinitum illud objectum, in omni actualitate, excellentia, cognoscibilitate prorsus immensum, tam perfecte et clare sicut ex sua natura cognoscibile est. Nihilo minus mentes illæ beatæ te in te clare et immediate conspiciunt : velut si homo stet in ripa super infinitum Oceanum, conspicit utique ipsam Oceani aquam, non tamen tam longe ac late sicut ipsa ex sua natura exstat visibilis, nec infra suorum terminos oculorum illam circumscribit, ambit aut claudit. O quam saluberrime reficiuntur, satiantur ac roborantur
pane illo supersubstantiali, omne in se *Sap*
delectamentum cum infinita abundantia 20.
continente, cujus permodica figura præ-
cessit in manna! Bibunt quoque de fonte *Is.* xi
Salvatoris, de increato flumine intelligibilis, exemplaris, superfloridissimi ac superpulcherrimi paradisi, cujus suavissimus odor perfundit, recreat et adimplet incolas universos paradisi cœlestis. Cujus
utique fluminis impetus, non tumultuosus, *Ps.* x
nec inquietus, sed liberalissime se effundens, lætificat civitatem supernæ ac supremæ Jerusalem, hoc est universorum civium supernorum frequentiam, qui pleno ore, jucundissimo corde, exsultabundissimo animo, ex supereminente, exuberantissimo ac superserenissimo illo fonte bibunt, reficiuntur atque inæstimabiliter exhilarantur.

O quam bonus, suavis, acceptus et placens es eis, quum, Domine Deus, in te ipso et in tua natura sis bonitas pura, dulcedo immensa, caritas infinita, in quo solo

omnium vera salus consistit, et qui te A ipsum tam caritative liberaliterque communicas omnibus illis Beatis! Stant ergo intenti vultui gloriæ tuæ, attoniti de tam incomprehensibili et interminabili majestate totius excellentiæ, omnipotentiæ et beatitudinis tuæ, sapienter mirantes de independenti æternitate et æterna independentia invariabilis consistentiæ tuæ. Hæc intuentes, se totos totaliter humillime prosternunt profundissimeque inclinant, ac reverentissime te adorant, colunt cunctisque modis sibi possibilibus venerantur. B Auget demum hanc admirationem ac venerationem eorum, quod reprobos et præscitos vident perpetuo condemnatos, tamque extremis ac acerbissimis suppliciis traditos et absorptos : sicque de sua electione cordialius regratiantur.

Præterea, o Trinitas superbenedicta, vident in te esse omnem rationem perfectissimæ mutuæ dilectionis, mutuæ complacentiæ et congratulationis. Etenim rationes mutui amoris, complacentiæ et congratulationis, sunt : bonitas, cognitio, similitudo, C communicatio seu beneficentia, propinquitas, speciositas, et amor quo quis scit se amari ab alio, et delectatio ipsa quam habet in alio, atque commune germen amborum. Porro omnes hæ rationes mutuæ dilectionis in summa Trinitate perfectissimæ sunt ac summæ consistunt. Quælibet namque divina et increata Persona infinitæ est bonitatis et amabilitatis. Unaquæque quoque earum aliam clare et comprehensive cognoscit. Estque inter eas summa propinquitas : quoniam secunda in D Trinitate Persona est a prima, utpote Filius a Patre; tertia profluit ab utraque. Imo tanta est earum propinquitas quantum ad originem et personalem distinctionem, quod substantialiter unum et idem sunt quantum ad essentiæ veritatem, unus Deus, unus Creator et divinum objectum beatitudinis nostræ. Sed et unaquæque increata Persona infinitæ est speciositatis et sanctitatis, et quælibet scit se ab utraque alia infinite amari. Pater item omnes divitias gloriæ suæ et totam suam essentiam deitatisque plenitudinem Filio communicavit, transfudit et dedit, et Pater ac Filius Spiritui Sancto.

Si ergo Trinitas superexaltata [Beatos illos] appellet filios et amicos, et tanquam consiliarios et secretarios suos habeat eos, non faciendo verbum nisi eis hoc revelet et secretum suum ipsis aperiat, incerta et occulta sapientiæ suæ manifestans eisdem : nonne Pater æternus in infinitum ardentius ac vehementius diligit unicum et superpulcherrimum Filium suum, sibi omnino ac perfecte simillimum, ac in omni bonitate, amabilitate ac pulchritudine prorsus æqualem? Certissime constat quod non minus diligit eum quam se ipsum ; in quo etiam intuetur se diligi cum infinito caritatis ardore, et in quo ipse Pater complacentiam ac delectationem habet penitus infinitam ; quem ex corde suo, id est ex substantia sua, æternaliter genuit, atque cum quo non solum inviolabiliter exstat unanimis, imo et amborum est numero una voluntas. Conformiter Filius Dei, Unigenitus Dei, Deum Patrem intensive diligit infinite, videns se habere et accepisse a Patre quidquid est aut habet, imo et quidquid ipsemet Pater est absoluteque habet (ad quem Filius dixit : Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt) ; seque scit amari a Patre tam infinite. Si itaque, ut divinus Dionysius protestatur, mentes illæ seraphicæ primi ac summi ordinis angelorum tam acute et penetrative, tam calide ac superfervide diligunt Creatorem : quis jam capere queat aut exprimere valeat, quam infinite et incomparabiliter supercalide et superfervide, atque in infinitum superæstuantissime et supervehementissime, Unigenitus Dei secundum naturam suam divinam diligat Patrem? Nec latet quod quanto aliqui se invicem intensius amant, tanto delectabilius simul sunt et cum ampliori gaudio se mutuo intuentur, dum in omnibus bene est eis et ad votum ipsis succedit : hinc Pater et Filius cum complacentia superdulcissima ac gaudio intensive im-

Amos III, 7.
Ps. L, 8.
Joann. XVII, 10.
De Cœlest. hier. c. VII.

menso intuentur se invicem et ad alterutrum se convertunt. Pariformiter Pater et Filius tam ardenter, perfecte et infinite diligunt Spiritum Sanctum, tanquam commune germen et flamen eorum, quod est amor, pax, nexus, dulcedo, communio osculumque amborum, coæquale eis in omni bonitate, perfectione et gloria. Sic et Spiritus Sanctus tam infinite et superardentissime diligit Patrem et Filium ut ipsi se invicem atque ipsum. Sic quoque et immensa suavitate hæ superperfectæ et superbenedictæ Personæ se invicem perfruuntur, et superjucundissime se mutuo intuentur, et vere ac imperscrutabiliter, circumincessibiliter et inconfusibiliter in se invicem sunt ac æternaliter manent.

Ecce horum gloriosa cognitio ac beatifica fruitio sunt Beatorum dulcissima ac præclarissima fercula prorsusque deliciosissima pocula, quæ in mensa paradisi cœlestis superaltissima Trinitas ponit, exhibet, et infundit Beatis : quorum « sonus » prorumpit et exsilit « in voce exsultationis et confessionis ». Nam et ipsi
Ps. CIII, 1, 2. confessionem et decorem induerunt, amicti
Ps. CXVII, 15. lumine sicut vestimento. Vox quoque exsultationis et salutis in tabernaculis
Apoc. VII, 14, 15. horum justorum, quorum plurimi venerunt ex magna tribulatione, et laverunt
Ibid. 9. stolas suas in sanguine Agni : ideo ante thronum Dei sunt, et palmæ victoriæ in
Is LI, 11. manibus sunt eorum. Jam venerunt et ascenderunt in Sion, in arcem speculationis supernæ, et lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et lætitiam æternalem inamissibiliter hereditaverunt.

Præterea, habent Beati in patria et alia fercula valde suavia et pocula pretiosa, omni balsamo cunctisque aromatibus ineffabiliter dulciora : quamvis respectu inductorum ferculorum ac potuum, in quibus essentiale præmium est consistens, modici sint momenti et ponderis quasi nullius. Hæc fercula et pocula sunt bona creata, in quibus accidentale præmium electorum est situm, præsertim glorificatissima Christi humanitas, sacratissima

A Christifera Virgo, universitas angelicorum spirituum chori, et exercitus hominum electorum, Apostolorum, Patriarcharum, Prophetarum, martyrum, confessorum ac virginum, et ceterorum Sanctorum : qui omnes constituunt unam integram ac perfectam triumphantem Ecclesiam, in qua universi ac singuli se invicem clare ac distincte cognoscunt, ferventissime diligunt, atque inoffensibiliter sibi invicem amantissime placent. Hinc unusquisque eorum de quolibet suo concive speciale

B et valde intensum habet ac possidet gaudium, tantoque majus quanto se invicem clarius cernunt atque ferventius amant, quoniam juxta hoc unusquisque eorum unicuique alteri congratulatur, et de omni illius felicitate ac gloria quasi de propria delectatur. Quo constat tam innumerabilia esse hujusmodi gaudia in quolibet Beatorum, quam innumerabiles ibi personæ sunt tam felicium angelorum (de quibus ait Scriptura : Numquid est numerus mili- *Job* XX
tum ejus?), quam hominum seu animarum

C sanctarum, de quibus et eadem Scriptura testatur : Vidi turbam magnam, quam di- *Apoc.* 9.
numerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, tribubus et linguis, stantes ante thronum Dei.

Ecce quot, quantis et qualibus ferculis reficiuntur Beati in mensa cœlesti ! quam sobrie inebriantur ab ubertate domus Dei ! *Ps.* XX 9.
quam item delicate potantur torrente voluptatis divinæ ! Itaque, juxta Prophetam, sa- *Malac.* IV, 2.
liunt quasi vituli de armento, et sanitas in pennis eorum. Assumunt quippe pennas *Is.* XL, 3
D ut aquilæ, volant neque deficiunt. Fulgent, *Sap.* III,
et tanquam scintillæ in arundineto discurrunt. De quibus per Isaiam princeps luminum, fons deliciarum, Deus omnipotens protestatur : Ecce servi mei comedent, et *Is.* LXV, 14.
vos qui dereliquistis me, esurietis ; ecce servi mei bibent, et vos sitietis ; ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini ; ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.

ARTICULUS VI.

Exhortatio ad præmemoratas epulationes in voce exsultationis et confessionis.

ACCESSISTIS ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et Spiritum justorum perfectorum, et Testamenti novi mediatorem Jesum. Hebr. XII, 22-24.

Quemadmodum tertio Regum descriptum est, Eliæ transeunti ad montem Sinai, (…g. XIX,) quum obdormisset in via sub arbore, advenit et subvenit angelus Dei, deferens ei subcinericium panem et aquam in vasculo, excitavitque eum, dicens : Surge velociter, et comede ; grandis enim tibi restat via. Sic unicuique viatori per desertum sæculi hujus pergenti ad celsitudinem cœlestis palatii, atque ad montem qui est Christus (de quo per Isaiam prædictum (…s. II, 2.) est : Erit in novissimis diebus præparatus C mons domus Domini in vertice montium), quum obdormierit somno superfluo corporali, aut somno negligentiæ seu torporis, advenit et succurrit angelus sanctus ei ad custodiam deputatus, et excitat eum, di- (…onæ I, 6.) cendo : Quid tu sopore deprimeris ? surge et invoca Deum tuum. Sic quippe et Christus dixit discipulis : Vigilate et orate, ut (Matth. …I, 41.) non intretis in tentationem.

Nempe, si rite pensemus immensitatem periculorum nostrorum, et quibus laqueis circumdati simus, quam crudelissimis et D callidissimis hostibus circumvallemur et jugiter impugnemur, quam defectuosi fragilesque consistamus, quam item frequenter atque enormiter offenderimus Deum, quam breve sit vitæ hujus curriculum, et quam incertus sit nobis terminus ejus, (Eccle. IX, 1.) quod etiam ignoramus an amore simus digni, an odio, quam amara sit mors, quam (Hebr. X, 31.) metuendum sit incidere in manus Dei viventis, quam intolerabilia sint tormenta, non solum inferni, sed purgatorii quoque :

A si hæc, inquam, omnia vigilanter perpenderimus, omnem prorsus negligentiam et torporem excutiemus, dicentes illud Apostoli : Hora est jam nos de somno surgere ; (Rom. XIII, 11.) et quod beatissimus princeps Apostolorum hortatur : Sobrii estote et vigilate, quia (I Petr. V, 8, 9.) adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret ; cui resistite fortes in fide. Hinc et Judex supremus tam seriose nos admonet : Vigilate, inquiens, quia nescitis qua hora Domi- (Marc. XIII, 35, 36.) nus veniat, sero, an media nocte, an galli B cantu, an mane ; ne quum venerit repente, inveniat vos dormientes. Oportet nos ergo cum metu et reverentia Deo servire, (Hebr. XII, 28.) et cum timore ac tremore nostram operari (Philipp. II, 12.) salutem.

Et ne præ inedia deficiamus in via peregrinationis exsiliique præsentis, indigemus quotidiano refici pane multiplici. In primis, corporeo alimento, cum discretione et recta intentione, ne corpus per indiscretionem frangatur, ut sit rationabile obse- (Rom. XII, 1.) quium nostrum. Estque vitandum ne aliqua crapula prægravemur aut superflua requiramus : imo potius habentes victum (I Tim. VI, 8.) et quibus tegamur, his contenti simus. Etenim debitores sumus non carni, ut secun- (Rom. VIII, 12.) dum carnem vivamus.

Præterea, quoniam Veritas protestatur, Nisi manducaveritis carnem Filii hominis (Joann. VI, 54.) et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis ; debemus quotidie ad minus spiritualiter Eucharistiæ sumere sacramentum fide et pia affectione, Christi quoque ferventissimam ad nos caritatem et amarissimam propter nos passionem cum ingenti compunctione et gratitudine reminiscendo, frequenter etiam sacramentaliter devotissime communicando. Quod et sacerdos potissime agere debet, quotidie celebrando, ac taliter conversando, ut quantum fragilitati possibile est humanæ, ad hoc suo modo sit dignus : qui enim man- (I Cor. XI, 29.) ducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.

Porro, ut sit dignus, oportet eum implere

quod sanctus edocet Augustinus, dicendo : In omni sacrificio quatuor sunt pensanda, videlicet quis, quid, cui et quare. Primo igitur, o sacerdos, antequam celebres, attende *quis* sis qui tantum sacramentum es consecraturus, contrectaturus, sumpturus. Intuere quam defectuosus sis et indignus ad Sanctum Sanctorum accedere. Conscientiam ergo tuam diligenter discute ; peccata tua distincte considera, defle, confitere, emenda evitareque satage. Secundo adverte *quid* sis facturus, utpote corpus et sanguinem Salvatoris sacrificaturus ; et adspice quam ineffabilis sit hujus dignitas sacramenti, in quo totus Christus, Deus et homo, vere ac substantialiter continetur, quamvis ex vi conversionis panis in corpus dominicum et vini in sanguinem, sit ibi dumtaxat corpus et sanguis Christi. Sicque cum omni puritate, attentione et reverentia ad tanti celebrationem mysterii perge. Tertio intuere *cui* sis hoc sacramentum oblaturus, videlicet Deo Patri, cujus utique infinita est dignitas ac
Job xxvi, 11. majestas, ad cujus conspectum columnæ cœli contremiscunt, cui exercitus cœli cum filiali timore ac summa reverentia adstant : quanto magis te cum profundissima humilitate, præcordiali compunctione ac sanctæ caritatis fervore oportet in altari coram oculis Dei Patris adsistere, orare, conficere, offerre, communicare, regratiari, atque in omnibus sinceriter conversari, ut tota tua conversatio sit ad celebrandum continua et incessabilis præparatio ? Porro vitia gustus et tactus in ministro tam spiritualis atque dignissimi sacramenti indecentissima, abominabilissima enormissimaque censentur, quum et sacerdotibus legis Mosaicæ prohibitum fuerit
Lev. x, 9. bibere vinum et omne quod potest inebriare, tempore ministerii sui in templo ; quibus nec licuit legitimis misceri uxoribus. Quarto considera *quare,* hoc est pro-
Rom. xii, 1. pter quas causas hanc hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, immoles Patri æterno, utpote in commemorationem dilectionis passionisque Christi, et pro bono

A communi totius Ecclesiæ, pro vivis ac mortuis, pro specialibus piis, caris, ac certis personis pro quibus specialiter cupis orare ac celebrare teneris.

Dum utique taliter præparatus celebras, debes in mensa altaris epulari, Christi passionem cogitando, non solum cum compassione, sed etiam cum jucunditate, in quantum per eam sumus ab æterno interitu liberati, Deo reconciliati, gratiamque adepti ac gloriam adepturi. Et ita « sonus » tui sic « epulantis », sit « in voce exsul-
B tationis et confessionis », ut dicas : Mihi Ga[l.] [vi,] 14.
absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo ; itemque : Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus. Et ita de Christi mysteriis, beneficiis gratias agas Deo Patri, imo et toti supergloriosissimæ Trinitati.

Amplius, in contemplatione divinorum æternaliumque bonorum exercere, occu-
C pare et enutrire te debes, considerando profundissimum ac superpiissimum illud consilium supersapientissimæ Trinitatis de modo nostræ redemptionis per incarnationem ac passionem Unigeniti Dei, et de institutione hujus saluberrimi sacramenti, et gloriosissimis effectibus ac præclaris ejus virtutibus. Verumtamen incomprehensibilia illa mirabilia quæ in sacramento hoc fiunt, non debes discutere nec scrutari, ne obstupescas. Imo in hoc sufficiat tibi fides sanctæ matris tuæ, totius
D Ecclesiæ. Neque enim modo tot sumus quot testes habemus veritatis sacratissimæ fidei hujus. Idcirco implere conemur ac festinemus quod ad Hebræos ait Apostolus : Ideoque et nos tantam habentes nobis Hebr.
impositam nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.

Insuper, in his actibus et ceteris exercitiis bonis uti debemus ac refici pane lacrimarum. Imo lacrimæ pœnitentiæ su-

per nostris et proximorum imperfectis, A lacrimæ sanctæ devotionis, lacrimæ piæ compassionis, lacrimæ quoque profluentes ex desiderio spiritualis profectus et futuræ felicitatis, aut certe ex suavissima complacentia supergratiosissimi et superoptimi et superpulcherrimi Dei nostri, sint
, 4. nobis panes internæ refectionis, salubris confortationis atque cœlestis consolationis
.III, die ac nocte, quousque perducamur ad bravium vocationis supernæ.

Postremo, panem bonæ operationis incessabiliter manducemus, occupando nos B jugiter in virtutum operibus, in exercitiis sanctis ; nec ullum temporis spatium infructuose pertranseamus, imo in voce ex-
XXXIII, sultationis et confessionis benedicamus Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore nostro ; nec in corporali refectione a Dei alloquio, a meditatione Scripturæ, a locutione exemplari aut doctrinali cessemus.

ARTICULUS VII.

Admonitio ad conversandum ut condecet Christianum, et ut præfata epulatio spiritualis requirit.

QUI *dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare.* I Joann. II, 6.

Quid ad omnem pertineat Christianum, in Evangelio edocetur, videlicet illa omnia adimplere quæ Christus universis præce-
Matth. V, 44. pit credentibus : Diligite (inquiens) inimicos vestros, benefacite his qui oderunt D vos, et orate pro persequentibus et calum-
Ibid. VII, 12. niantibus vos. Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite
Ibid. 13, 14. illis. Intrate per angustam portam : quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam !

Itaque constat quod universi Christiani tenentur ad arctam viam salutis, hoc est, ad conversationem timoratam et custoditam, ad vitam pœnitentialem, justam, piam, exemplarem, et breviter, ad evitationem omnium mortalium vitiorum, ad vitandum scandala pusillorum, ad observantiam præceptorum Dei atque Ecclesiæ, ad veram humilitatem, patientiam, mititatem, castitatem, sobrietatem, justitiam, ad misericordiæ opera, imo in primis ad veram Dei et proximi caritatem, ita ut primo omnium impleant primum illud maximumque mandatum : Diliges Dominum *Marc.* XII, 30, 31.
Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua, et proximum tuum sicut te ipsum.

Hæc omnia ex Evangelio demonstrantur. Ait quippe Salvator : Nolite timere eos *Matth.* X, 28 ; *Luc.* XII, 5.
qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere ; eum vero timete qui habet potestatem et animam et corpus perdere in gehennam. In quibus verbis prohibetur nobis timor carnalis, mundanus, inordinatus, ne scilicet magis vereamur C homines aut aliquam creaturam quam Creatorem, et ne timore offensæ humanæ, irrisionis, opprobrii damnive temporalis, aut corporalis læsionis sive incommodi, relinquamus justitiam, aut Dei præcepta aut honorificentiam ejus : quia, ut ait Scri-
ptura, qui timet hominem, cito corruet. *Prov.* XXIX, 25.
Et Isaias effatur : Quis tu, ut timeas ab *Is.* LI, 12.
homine mortali, et a filio hominis qui
quasi fœnum arescet ? Dominum exerci- *Ibid.* VIII, 13.
tuum ipsum sanctificate, ipse pavor vester et terror vester.

Itaque, sicut Deum super omnia toto corde diligere, ita et ipsum super omnia formidare jubemur : non utique solo servili, sed filiali aut saltem initiali timore. Etenim timor sine caritate nullius est meriti : disponit tamen ad gratiam, in quan-
tum retrahit a peccatis. Qui namque solo *Eccli.* I, 27.
servili timore Deum veretur, non amat veram justitiam, nec Dei amore vitat iniquitatem : imo, quantum in se est, amat vanitatem et voluptatem, ac ea quæ prohibet Deus ; et recedit ab eis ne incurrat

damna, opprobria aut tormenta, quæ æternaliter horret aut fugit. Ideo Deus, qui *I Reg.* xvi, 7. inspicit corda, adhuc detestatur eum, et ut talem odit eumdem, tanquam divinæ voluntati contrarium, et a Dei lege ac primo ejus præcepto, quod est Deum toto diligere corde, dissentientem.

Itaque omnis homo tenetur ad vitam filialiter aut initialiter timoratam, diligentem, sollicitam ne Deum offendat, quod magis tenetur timere et evitare quam quæcumque adversa ac aspera; ad vitam etiam custoditam, quemadmodum Moyses loquitur : *Deut.* iv, 9. Custodi te ipsum et animam tuam sollicite ; Salomon quoque : *Prov.* iv, 23. Omni custodia custodi cor tuum. Denique, quum simus ad peccata pronissimi, æternæ damnationis periculis expositi, atrocissimis inimicis circumdati, nec diem scientes nec horam, *Matth.* xxv, 13. atque tam pauci damnationem evadant : nonne pernecessarium nobis est semper esse timoratos, custoditos, sollicitos ?

Tenemur demum ad vitam pœnitentialem, *Jacob.* iii, 2. quia in multis deliquimus, omnesque iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super *I Esdr.* ix, 6. caput nostrum, et peccata nostra creverunt usque ad cœlum. Idque fuit exordium prædicationis tam Christi quam præcursoris ipsius : *Matth.* iv, 17; iii, 2. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Nullatenus ergo decet hominem christianum ire vesperi dormitum nisi prius discusserit conscientiam suam, atque pensaverit qualiter diem ipsum expenderit, quid mali in eo commiserit, quid boni omiserit ; sicque coram Deo pœniteat, et accuset, corripiat et flagellet se ipsum, confiteri etiam, emendare ac satisfacere mox proponat. Item tenetur ad vitam justam, sic quod unicuique quod suum est reddere non moretur, Deo in primis ac ejus vicariis obediendo, nullum fraudando, nulli nocendo, insidiando aut adversando, debita persolvendo, injusta restituendo.

At vero ad opera misericordiæ tam spiritualia quam corporalia Christiani potissime obligantur, unusquisque secundum sui exigentiam status. Cito ergo ac facili-
A ter debent ignoscere, nec mala pro malis rependere, sicque implere quod et per Moysen Deus præcepit : Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Hoc nos docuit Filius Dei in Oratione dominica, qua precamur : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Unde rursus deprompsit : Quum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem ; quod si non dimiseritis, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. Hoc est quod
B in Ecclesiastico salubriter dicitur (quod utinam efficaciter impleatur) : Qui vult vindicari, a Deo inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam ? Quis exorabit pro peccatis illius ?

Præterea, ad conversationem exemplarem valde adstrinxit nos Christus, ut unusquisque proximos suos alliciat ad virtutes, nec quempiam scandalizet : Luceat (in-
C quiens) lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Et denuo terribiliter protestatur : Væ homini per quem scandalum venit; et rursus : Quicumque scandalizaverit unum ex his pusillis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Heu, quam enormiter peccant jam Christiani contra præcepta hæc ! Certe, ut asserit S. Bernardus, conjurasse videtur hodie
D universitas populi christiani contra Christum. Modo videmus quam indecentissime, scandalose, lascive, vane, pompose incedant vestitæ utriusque sexus personæ : viri et adolescentes in brevibus usque ad nates, feminæ in longis caudis, in derogationem non solum divinæ et evangelicæ legis, sed etiam naturalis. Nempe, ut Sancti fatentur, vir aut mulier suo ornatu seu indecenti vestitu aliorum in se provocans visum, quamvis etiam nullum concupiscentiæ vitium inde sequatur, tamen æter-

num supplicium patietur, quia venenum A præbuit, si fuisset qui biberet. Infatuata est gens Christianorum, et quo perfectiorem, spiritualiorem diviniorem que legem desuper sunt sortiti, eo iniquius, carnalius insipientiusque conversantur. Heu ! gens absque consilio est et sine prudentia. Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent. (...xxxii, ...)

Insuper, jussit Salvator ut mutuo fraterne corripiamus peccantes. Quod vix aliquis præsidentium implet. Et ut quidam notabilis ait doctor, propter transgressio- B nem præcepti caste vivendi et violationem mandati fraternaliter corripiendi, totus pene mundus perit et condemnatur. Jam vix aliquis vult unum verbum pati ab alio. Et sicut paucissimi correptionem et castigationem prout tenentur exercent, ita paucissimi increpationem, accusationem, directionem æquanimiter ferunt. (...elmus ...siod.)

Præterea, humilitatem ac mititatem Salvator peculiarissime ac valde præcipue nobis commendat, præcipit, ostendit : Discite (inquiens) a me quoniam mitis sum C et humilis corde. Patientiam etiam, ante passionem : In patientia (dicens) vestra possidebitis animas vestras. In passione quoque, dum tanquam agnus coram tondente se obmutuit, et pendens in cruce oravit : Pater, dimitte illis. Qui quum malediceretur, non remaledicebat ; quum pateretur, non comminabatur. Stetitque coram judice facie inclinata, gestu modico, voce silenti, mente humillima, patiens ad objecta, paratus ad verbera. (Matth. ... 29.) (Luc. xxi, ...) (Is. LIII, 7.) (Luc. xxiii, 34.) (I Petr. II, 23.)

Amplius, docuit nos omnem verborum D vitare excessum, affirmans de levibus quoque verbis exigendam atque reddendam in die judicii rationem : De omni (asserens) verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem : quanto magis de verbis mendosis, dolosis, detractoriis, pungitivis, discordiæ seminativis, et consimilibus ? (Matth. xii, 36.)

At vero, hæc Christi compendiosissima documenta et jussa Paulus in suis Epistolis commendavit et scripsit frequenter gentibus quas convertit : in quibus expressit qualis debeat esse omnium nostrorum vita. Sic enim loquitur ad Ephesios : Obsecro vos in Domino ut ambuletis digne vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat ; omnis amaritudo, ira, indignatio, clamor tollatur a vobis, cum omni malitia. Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. Estote imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. Confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus ; induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Hæc hisque similia in aliis quoque scribit epistolis, quia ad omnem spectant Christifidelem. (Ephes. IV, 1-3.) (Ibid. 29, 31, 32.) (Ibid. V, 1, 2.) (Ibid. VI, 10, 11.)

Denique omnium horum summa consistit in hoc, ut satagamus et enitamur privatum et proprium funditus exstirpare amorem, ac Deum super omnia toto corde diligere, atque nos ipsos pure in Deo. Idem quippe est amor habitualis infusus, qui caritas appellatur, quo Deum super omnia et nos ipsos in Deo amamus. Quemadmodum enim Veritas increata est causa et ratio credendi veritates creatas quæ cadunt sub fide, sic bonitas prima ac summa est ratio diligendi alia. Ideo, sicut idem est habitus fidei quo Veritatem increatam et vera creata jam credimus, ita idem est amor spiritualis habitualis quo Deum hominesque diligimus. Amare autem est alicui bonum velle. Hinc amor privatus est quo intellectuales creaturæ amant se in se, non in Deo neque per respectum ad ultimum finem, sed cupiunt ea quæ in ipsis, in se et secundum se appetibilia ac placita sunt : ut propriam excellentiam et honorem, delectationes, divitias, libertatem, prælationem. Sicque ex maledicto illo amore privato oriuntur teterrima, fumosissima ac tenebrosissima germina ac

vitia ista : superbia, ambitio, cupiditas, luxuria, rebellio, irrefrenatio. Et quia qui diligit aliquid, oppositum ejus odit ac detestatur ; idcirco qui tales sunt, inflammantur ira, impatientia, rancore, invidia contra eos qui ipsorum venerationi, prælationi, voluptati, libertati, locupletationi se opponunt. Itaque qui in se privatum omnino exstinguit amorem, et amat se sapienter ac sincere in Deo, ab omnibus vitiis istis præservatur, eruitur, seu purgatur : imo et virtutibus contrariis his sceleribus decoratur, humilitate, patientia, mansuetudine, castitate, sobrietate ac spirituali ad omnes dilectione, in tantum quod omnes adversarios et persecutores sincero caritatis affectu amplectitur, multoque plus de eorum peccatis quam de suis injuriis contristatur. Ideo orat pro ipsis, atque de propriis adversitatibus gaudet, sciens se per illas a peccatis purgari præteritis et a futuris præservari excessibus, ac per hoc in gratia crescere, in virtutibus perfici gloriosaque præmia adipisci, imo et Christo Domino et capiti suo
II Cor. xii, 9. amplius conformari. Nam et virtus in in-
Job v, 17. firmitate perficitur, et beatus homo qui a Deo paterne castigatur, pie corrigitur, ac per adversa ad sui ipsius humilem recognitionem reducitur.

Hæc est sapientia evangelicæ legis, quam Christus, sapientia Dei Patris, exemplis ostendit et verbis edocuit, imo et jussit. Nec aliter salvari valemus nisi ejus se-
Joann. xii, 26. quendo vestigia, qui effatur : Qui mihi
Matth. v, 11, 12; *Luc.* vi, 22, 23. ministrat, me sequatur ; itemque : Beati eritis quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me ; gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Præterea, ista fortassis dura et gravia alicui videntur, videlicet semetipsum in cunctis ita despicere, injurias pati, in tribulationibus gloriari, per arctam viam incedere, carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifigere. Verumtamen ista est vera via salutis, et si vis salvari, oportet te am- *Is.* bulare per eam, et neque ad dexteram neque ad sinistram deflectere iter. Quod autem difficile est per naturam, facile fit per gratiam, prorsusque delectabile per assiduam ac strenuam virtutum exercitationem : ita quod servus Dei omne gau- *Jaco* dium reputat dum in diversas tentationes, afflictiones, adversitates inciderit, sciens Deum verissime protulisse : Ego quos *Apoc* amo, arguo et castigo. Iterum constat quod aliquid in se potest esse valde molestum et grave, quod tamen appetibile fit ac facile, dum utilitates et fructuositates ei annexæ rite considerantur : ut patet de medicina amara sanitatis introductiva. Ita dum intuemur quam salubre ac fructuosum, imo et quam necessarium ad salutem sit taliter conversari, et quod arctum iter ad æternam beatitudinem ducit atque ab infernali damnatione retrahit, protinus appetibile nobis fit ac dulcescit implere quod admonet Salvator : Qui vult venire *Luc.* post me, abneget se ipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.

Postremo, si vigilanter perpendimus quoties æternæ damnationis tormenta meruimus, quam enormiter ac frequenter Creatorem nostrum offendimus, reputabimus parum esse quidquid adversitatis acciderit nobis. Quod venerabilis illa Judith advertens, sapienter admonuit : Non ulci- *Judith* 26, 2 scamur nos pro his quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quasi servi qui corripimur, ad emendationem et non ad perditionem nostram evenisse credamus. Si ita egerimus, obtinebimus gratiam magnam, illuminationem supernam, consolationem internam, et reficiemur a Deo omni modo præfato, eritque uniuscujusque nostri epulatio in voce exsultationis et confessionis. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS SONI EPULANTIS.

INFLAMMATORIUM DIVINI AMORIS

DIALOGUS

PROŒMIUM

Salvator. — *Quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut ambules in viis ejus, et diligas eum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis?* Deut. x, 12; Luc. x, 27.

Caritas suprema est virtus, ad cujus perfectionem universa ordinantur præcepta divina, evangelica quoque consilia, omnes item doctrinæ Sanctorum atque salubrium introductio exemplorum. Quod si Philosopho de justitia dicere licuit, Hæc est præclarissima virtus, et non est Lucifer nec Hesperus tam admirabilis : quanto magis de caritate id dici congruit? Est etenim supernaturalis, infusa et theologica virtus. Hic te convenio, hic adversum te conqueror, hic te reprehendo, o homo, magis autem, o Christiane, maxime vero, o religiose, quod te tam ingratum invenio, tam negligentem experior, tam frigidum cerno.

Homo. — Num vox tua hæc est, Domine, Deus salutis meæ? Loquere, Domine, *Ps.* LXXXVII, 2.
quoniam audit servus tuus. I *Reg.* III, 10.

Salvator. — Ego te alloquor et exhortor, ego tui sollicitus sum, periclitanti tibi compatior; tu vero non sentis, nec gemis, nec majestatis meæ præsentiam veneraris, et inter tot incentiva sanctæ ac divinæ dilectionis durus et algens perseveras; insuper inter tot et tanta tamque gravissima imminentia tibi pericula inaniter gloriaris : imo insipientissime cantas et saltas, et ad acerbissima sempiterna properas supplicia Acherontis.

Homo. — Memento, Domine, quoniam pulvis sumus; fragilis valde est nostra *Ps.* CII, 14.
conditio. Denique homo vanitati similis factus est, et undique nobis occurrunt inci- *Ps.* CXLIII, 4.
tamenta peccandi : mundus allicit, caro inclinat, dæmones suggerunt; via impiorum *Jer.* XII, 1.
prosperatur, multæ vero sunt tribulationes justorum. Et tu, Domine, longanimiter *Ps.* XXXIII, 20.
præstolaris; veniam quoque promisisti peccanti quacumque pœnituerit hora. Præ- *Ezech.*
terea intuemur quamplures in adolescentia sua ac juventute concupiscentiis deser- XVIII, 21, 22.
vire, voluptatibus vanitatibusque vacare, et nihilo minus tandem in senio, aut certe ingravescente jam ægritudine, pœnitere, atque (ut pie confidimus) sic salvari. Ista nos detinent in peccatis, et a conversione nos retrahunt. Accedit ad hoc, quod ar- *Matth.*
cta et ardua est via salutis, et peccare delectat. VII, 14.

Salvator. — Quanto fragilior es et ad peccandum proclivior, tanto sollicitiorem te esse oportet magisque custoditum ac timoratum ne pecces, ne decipiaris, vincaris et corruas. Quis audeat nudus et inermis contra fortissimos, callidissimos ac atrocissimos hostes proficisci ad prælium? Quod si quis præsumat, nonne protinus læditur et necatur? Sic accidit homini qui non est armatus virtutibus, qui non est undique circumspectus et custoditus. Ideo princeps Apostolorum edocuit admonuitque fideles : Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo I *Petr.* V, 8.

rugiens circuit, quærens quem devoret. Amplius, quamvis multa et magna sint in-
citamenta peccandi, plura tamen et fortiora, præstantiora, imo et incomparabiliter
potiora sunt incitamenta resistendi peccatis ac prævalendi, et virtuose vivendi. Mun-
dus allicit ad illicita et iniqua ; Deus revocat et prohibet illa ; præmia pollicetur
obtemperantibus sibi, prævaricantibus autem tormenta comminatur æterna. Caro in-
clinat ad mala ; sed ratio deprecatur ad optima, synderesis quoque jugiter remur-
murat vitiis. Dæmones suggerunt ut peccetis ; angeli sancti inspirant ut Creatori ve-
stro adhæreatis. Via impiorum prosperatur ; verum temporalis ista prosperitas ad
calamitatem ducit perpetuam, atque in foveam illos præcipitat infernalem, sicut
Prov. I, 32. et Salomon dixit : Prosperitas stultorum perdet illos. De reprobis quippe locu-
Ps. LXXX, 13. tus sum : Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus
Rom. VIII, 18. suis. Multæ demum sunt tribulationes justorum ; sed audi Apostolum : Non sunt
condignæ (inquit) passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ præstabitur
ipsis piis. Denique per tribulationes has temporales a suis purgantur delictis, ad
abundantiorem gratiam disponuntur, mihi pro ipsis passo plenius conformantur, a
futuris inæstimabiliter gravioribus ac diuturnioribus eruuntur ac præservantur sup-
pliciis, gloriosius quoque coronabuntur in cœlis. Vides quam indicibiliter fructuosæ
et salubres sint tribulationes justorum ac electorum, ita quod de eisdem rite de-
Apoc. III, 19. prompsi : Ego quos amo, arguo et castigo. At vero quod peccantium emendationem
Job XXIV, 12. longanimiter præstolor, vehementius perterrere te debet. Peccata namque inulta ab-
ire non patior, et quo diutius protrahuntur, eo districtius vindicantur. Qui etiam
veniam pœnitenti promisi, eumdem de die crastino nequaquam certificavi. Postre-
mo, non pensas quam multos et innumerabiles fallat pœnitendi dilatio, pœnitentia
sera, conversio protelata. Nempe quo aliquis in vitiis diutius perseverat, eo ad ve-
ram contritionem ineptior redditur, incorrigibilius obduratur, gravius excæcatur ; et
ipsa consuetudine vitiosa tanquam ponderosissimo saxo sic premitur, quod ad ea
quæ suam concernunt salutem insensibilis fit omnino. Ideo, si qui talium tandem
pœnitere videntur, ex timore pœnarum magis procedit communiter quam ex zelo
justitiæ ac vera contritione, quamvis non sit de aliquo faciliter desperandum. Porro
quod adjecisti, arctam esse arduamque viam salutis, certe incomparabiliter durior
et intolerabilior est æterna damnatio, imo et purgatorii pœna. Advertere itidem de-
Matth. VII, 14. bes, quod ego qui dixi, Quam arcta est via et angusta porta quæ ducit ad vitam, et
Ibid. XI, 28, 30. pauci inveniunt eam ! etiam dixi : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati
estis, et ego reficiam vos : jugum enim meum suave est, et onus meum leve. Quod
etenim grave est naturæ ex se, per gratiam fit suave, et assiduitate dulcescit ; cre-
scenteque caritate et fervente, sentitur dulcissimum : quo facto, nil sic horretur ac
displicet ut peccatum.

Homo. — Ad cuncta quæ tetigi, quæ in peccatis nos detinent, plene, mi Domine, respondisti ; et evidenter monstrasti, quod consideratio eorumdem nos potius a peccatis retrahere et ad virtutes debet inducere, si prætacta perpenderemus. Sed deprecor te, o Salvator piissime, doce me quomodo compendiosius queam pertingere ad gradum hunc caritatis, ita ut quotidie magis ac magis dulce sit mihi ac jucundum tibi adhærere, servire, intendere, bonisque actibus perseveranter insistere.

INFLAMMATORIUM DIVINI AMORIS DIALOGUS[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Qualiter procedendum sit et ascendendum ad supergloriosissimi Dei amorem.

SALVATOR. — Quamvis hæc quæstio mensuram tuam videatur excedere, quum adhuc carnalis, nondum spiritualis exsistas, sapienter tamen istud interrogas. Primo, quoniam primum maximumque mandatum est Deum toto corde diligere. Secundo, quia in caritate proficere, est in omni virtute incrementum accipere, atque in septem donis Sancti Spiritus augmentum sortiri. Tertio, quoniam sine caritate nihil est meritorium, nil Deo acceptum. Quarto, nam caritas est virtus dignissima, omniumque virtutum forma, vita, vertex, finis, regina ac motrix ; nec aliqua virtus aut forma tam efficaciter et valenter movet ac incitat ad omnem actum virtutum, nec ita celeriter et potenter retrahit a peccatis, ut amor Dei. Quinto, quia beatifica visio, quæ est essentiale præmium Beatorum, caritatis perfectioni seu gradui correspondet. Hinc tuæ respondeo quæstioni :

[M]atth. [xxii,] 37, 38.

Caritas sancta est splendidissima margarita, pretiosissima gemma, purissimum ac nobilissimum balsamum, fragrantissima herba : idcirco requirit receptaculum mundum, vas quoque omni lapide pretioso A ornatum, hoc est animam ab omni ad minus mortali peccato purgatam, virtutibus moralibus decoratam, donis Spiritus Sancti fulcitam, fide item et spe consolidatam. Quumque triplex sit gradus caritatis, siquidem caritas infusa meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici ; ad primum et infimum caritatis gradum exigitur mentem ab omni labe culpæ mortalis esse liberam ac sinceram, præfatis quoque virtutibus ac donis prout ad statum spectant incipientium, esse pulchrificatam. Hinc B ad gradum hunc infimum caritatis specialiter pertinet, desiderio atque intuitu summi boni, expurgationi vitiorum, refrenationi passionum, operibus pœnitentiæ occupari, mentem a distractionibus præcipue in divinis reprimere, exterioris hominis compositioni studere, visum a circumspectionibus inhonestis arctare, linguam quoque a loquacitate compescere, sobrietati et vigilantiæ operam dare, sicque in his et consimilibus diligenter recedere ab omni peccato, et quasi a facie basilisci, Eccli. xxi, 2.
C tanquam a veneno infernali fugere a contagione flagitii. Hoc totum ad viam pertinet purgativam, ad incipientium statum, ad servos fideles, ad gradum animalem, ad virtutes civiles seu purgativas. Denique in exercitiis hujus infimi gradus oportet fortiter laborare, et sibi ipsi violentiam

[1] Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Conradi Butgenii, 1605.

salutarem inferre, sicque cum difficultate A
assuescere se ad opera bona, donec actus
hujusmodi convertantur in habitum quo
quis faciliter ac delectabiliter operetur
quæ Deo sunt placita.

Quumque in his fueris idonee exercitatus peccata tua quotidie deplorando, conscientiam tuam discutiendo, passionem meam recogitando, et nunc de metuendo Dei judicio, nunc de morte, nunc de pœnis purgatorii et inferni, nunc de beneficiis Dei reminiscendo, specialiter quoque in
vera humilitate, patientia ac Dei timore B
firmiter te fundando ; procedere debes ad incrementa virtutum, ad caritatis profectum, ad exercitationes spirituales, ad meditationes devotas, ad stabilitionem mentis in Deo, potissime in divinis, jam orando, jam psallendo, jam studendo, jam scribendo, nec unquam otio locum dando, neque a spiritualibus actibus longe eundo, nec ab eis diu cessando, imo assidue mentem elevando ad Creatorem, nunc suspirando ad patriam, atque Omnipotentis præ-
sentiam attendendo in omnibus. Totum C
hoc ad viam spectat illuminativam, ad proficientium statum, ad purgatoriarum gradum virtutum, ad occultos amicos, qui Deo suo dulciter et frequenter junguntur, fruuntur, et brachiis caritatis amplectuntur eumdem.

Insuper, his actibus atque profectibus strenue exercitatus ac constanter habituatus, ascendere debes ad actus et exercitia viæ perfectivæ ac unitivæ, ad contemplationes puras, amorosas, splendifluas, et
ad ardentissimos Dilecti complexus, ad in- D
separabiles atque continuas uniones cum Sponso, ad exercitia mysticæ theologiæ, ad transformationem in Deum, ad raptum et ecstasim, ad heroicarum actus virtutum, ad immobilem ac cœliformem prorsusque suavissimam tranquillationem et pacem mentis in Deo, ut jam per supremum doni sapientiæ gradum sis quasi con-
Ps. L, 8. siliarius et secretarius Dei tui, qui incerta et occulta sapientiæ suæ tibi tali exsistenti copiose ac dignantissime pandet, sicque in te quasi in thalamo jugiter requiescet. *L*[…] XXX[…]
Tunc ea quæ fidei sunt, cum rationibus credendorum et purificatæ mentis intelligentia contemplaberis dulciter et sincere, ac supergloriosissimæ Trinitatis gloriam, emanationem et communicationem ad intra, mutuam intuitionem, dilectionem, fruitionem, consistentiam æternalem, superdeliciosissimam, superfelicissimam et supersanctissimam intueberis deiformiter, assidue ac serene. Tunc respectu infiniti et incircumscriptibilis Dei erit tibi angusta et modica omnis creatura, in solo quoque Deo tuo erit consolatio et omnis affectio tua. Hæc est vita vere nobilis et præclara.

ARTICULUS II.

Responsio hominis ad hæc.

Homo. — Tonitruum mihi factum videtur, tam magna et alta sunt ista. Sublimis quippe est ista doctrina, et quis potest eam audire? Numquid homo est angelus, ut possit in carne fragili ac mortali tam spiritualiter vivere? Numquid viator est comprehensor, ut queat in terris tam cœliformiter conversari? Quid est homo, ut valeat in hoc mundo degere sine peccato? Quid instabilius mente humana, ut possit assidue contemplari divina, cogitare salubria, consistere custodita, omnique hora coram Deo sollicita permanere ac timorata?

Salvator. — Numquid condemnabis me, *Job* XL, 3[…]
ut tu justificeris? Numquid indiscretionis aut immoderati rigoris me argues, ut tu de tuis negligentiis, ignaviis, transgressionibus excuseris? Nonne ego in veteri
lege per Moysen jussi : Sancti estote, quo- *Lev.* XIX, […]
niam ego sanctus sum, Dominus Deus vester? Et denuo per eumdem in Deutero-
nomio sum locutus : Perfectus et absque *Deut.* XVI[…]
macula eris cum Domino Deo tuo. In Evan- 13.
gelio quoque deprompsi : Estote perfecti, *Matth.* […]
sicut et Pater vester cœlestis perfectus 48.
est. Nonne divina requirit justitia ut rationalis creatura omne tempus sibi concessum virtuose expendat? Non advertis quod

ii. ait Apostolus, Cum metu, timore et tremo- A
v. re vestram salutem operemini ; et, Sine intermissione orate ; ac, Semper quod bo-
5.
ii, num est sectamini ? Itemque : Nostra (inquit) conversatio in cœlis est. Nonne maledictus est qui asserit Deum homini impossibilia præcepisse ? Et sicut protuli-
h. mus, primum præceptum est, ut homo
38. Deum toto diligat corde. Nec ignoras quod
21. ubi amor, ibi oculus. Etenim ubi est thesaurus tuus, ibi et cor tuum. Nec mentitur
us. qui protulit : Verius est anima ubi amat quam ubi animat. Conscientiam tuam exa- B
mina. Quoties amor ille insanus carnalis prædominans impulit et quasi coegit te, non solum assidue, sed pene continue cogitare de objecto concupiscentiæ tuæ, de persona deliciarum tuarum turpium et pravarum ? et nonne tam sordida quantum ad superdignissimam Deitatem, ad supergloriosissimam Trinitatem, ad superpulcherrimum et superoptimum Deum ?

Homo. — Vicisti me, Domine, et conclu-
xii,12. sisti loquacem, atque obstructum est os meum loquens inania. Interim video quia C
tam Scriptura quam ratio, sed et ipsa quoque rerum magistra experientia, contra me militant. Verumtamen adhuc me movent instantiæ quas induxi, argumenta quæ tetigi, et precor ut ad ea respondere digneris, et meam informare imperitiam non recuses.

Salvator. — Ego qui pro hominibus crucifigi et mori dignatus sum ut salventur, et insuper adhuc occidi mallem quam hominem quemcumque, quantum in me est, in æternum perire permitterem, inde- D
sinenter paratus sum hominem informare ac adjuvare, illum præsertim qui cupit et deprecatur hoc ipsum : hinc respondebo et tibi.

ARTICULUS III.

Responsio et informatio Christi ad prætacta et objecta.

Salvator. — Quia circa finem primi articuli hujus tractatuli aliqua dixi ad per-

fectionem rationalis creaturæ spectantia, quæ tibi in tantum videntur excedere fragilitatem conditionis humanæ, ut putaveris tonitruum te audire, atque objeceris, Numquid (inquiens) homo est angelus ? quasi angelica, non humana, sit talis perfectio ; itaque audi quod homo in Scripturis non angelus tantum, sed et deus vocetur, quum de homine sacerdote dixerim per
Prophetam : Angelus Domini exercituum *Malach.* ii,
est ; ad Moysen quoque affatus sim : Con- 7.
stitui te deum Pharaonis. Præterea de san- *Exod.* vii, 1.
ctis hominibus scriptum est : Ego dixi, *Ps.* lxxxi, 6.
Dii estis. Proportionaliter ergo potest et debet homo esse vitæ angelicæ et perfe-
ctionis divinæ, seque super se, non per *Thren.* iii,
extollentiam, sed per contemplationem ac 28.
spiritualem dilectionem levare, ne ei con-
veniat illud Psalmi : Homo quum in hono- *Ps.* xlviii,
re esset, non intellexit, comparatus est 13, 21.
jumentis insipientibus. Imo per gratiæ dona potest homo in tantum proficere, ut non solum sit angelo similis in hac via, sed etiam æqualis fiat ei in gloria, major quoque quibusdam angelis sanctis in patria.

Secundo quoque objecisti, dicendo : Quid est homo, ut vivere queat in sæculo isto sine peccato ? Et in hoc, fateor, habes Scripturam pro te, prædilecto meo dicente
discipulo : Si dixerimus quia peccatum *I Joann.* i,
non habemus, nos ipsos seducimus; Jacobo 8.
quoque Justo, fratre meo præcaro : In mul- *Galat.* i, 19.
tis offendimus omnes. Et rursus testatur *Jacob.* iii, 2.
Scriptura : Quid est homo, ut immaculatus *Job* xv, 14.
sit, et justus appareat natus de muliere ? Sed scito quod peccatum proprie appellatur transgressio legis divinæ, aut naturalis, vel positivæ : quod de peccato mortali verum censetur, a quo potest homo per gratiam abstinere, imo et mundus esse jubetur atque tenetur. Porro de venialibus
scriptum est : Non est homo super terram *Eccle.* vii,
qui faciat bonum et non peccet; et ite- 21.
rum : Justus septies cadet in die, et re- *Prov.* xxiv,
surget. 16.

Tertio objecisti de instabilitate cordis humani; nec advertisti quod hortatur Apo-

I Cor. xv, 58. stolus : Stabiles et immobiles estote, abundantes in opere Domini semper. Salomon Prov. x, 25. quoque inquit : Justus quasi fundamentum sempiternum. Et ego ipse in Evangelio Matth. vii, 24, 25. sum testatus : Omnis qui audit verba mea et facit ea, similis est viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram ; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, nec cecidit : fundata etenim et firmata erat supra petram. Mens ergo humana, quæ ex sua natura, seu potius culpa et consuetudine prava, est vehementer instabilis ac instar molæ volubilis, adjutorio gratiæ stabilitur, virtutibus roboratur, et per caritatem in Deo firmatur : imo proficiendo quotidie ac digne, velut columna immobilis, Deo auxiliante, efficitur. Hinc Hebr. xiii, 9. dixit Apostolus : Optimum est gratia stabiliri cor. Et nosti quod amor quo major atque ferventior, eo plus figit ac stabilit diligentem in dilecto. Postremo, consuetudo velut altera est natura : ideo nihil ita difficile quin assuefactione assiduoque conatu tandem delectabile facillimumque reddatur. Sic igitur mens ornata divinis ac spiritualibus actibus, non solum faciliter et ferventer, sed delectabiliter quoque et fixe manet intenta. Hujus rei tot habes testes quot sanctos ac perfectos viros.

ARTICULUS IV.

Inquisitio circa jam dicta, et cur non exaudiamur a Domino juxta votum.

Homo. — Gratias tibi agit parvitas mea, D Eccli. xxiv, 5. o virtus et Sapientia Dei Patris, quæ ex ore Altissimi, ex mente Patris æterni fluxisti, super universis beneficiis tuis, et de hac tua instructione gratissima. Verum, dum nos nostram vel difficultatem vel impossibilitatem aut rei arduitatem allegamus, opponimus, ac quasi per hoc nos ipsos implicite excusamus, tu nos protinus ad gratiæ tuæ opem remittis, quasi ad manum nobis sit gratiæ tuæ auxilium obtinere, habere ac jugiter possidere, quum A tamen tuam misericordiam quotidie implorantes, ab oratione vacui, frigidi, imbecilles et ad vitia proni ut antea, redeamus. Et ubi est promissio tua, imo pollicitationes tuæ uberrimæ et frequentes? Quantoties spopondisti te exauditurum orantes? Petite (inquis), et accipietis; M[...] 7, 8 xvi etc. quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis : omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit. Porro ego, ut pace tua id dixerim, videor mihi dicere posse quod sanctus Job fassus est atque expressit : B Clamo ad te, et non exaudis me, sto, et Job non respicis me ; et quod Jeremias ait in Threnis : Opposuisti nubem ne transeat Th[...] 44. oratio ; et itidem Isaias : Multitudo visce- Is. l[...] rum misericordiæ tuæ continuerunt se super me. Interea, si viri isti tam excellentes et sancti ista veraciter sunt locuti, quid nos miseri, defectuosi ac infirmi, de nobis sentire et de nostra exauditione præsumere ac æstimare possumus seu debemus? Nonne quilibet nostrum cum Esdra dicere habet, Deus meus, erubesco faciem meam I Esd[...] 6. C levare ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et peccata nostra creverunt usque ad cœlum?

Salvator. — Inquisitiones et querimoniæ tuæ ex pia procedunt radice et permovent multos. Hinc ego qui cordium sum Prov.[...] 12. inspector, ad eas benevole respondebo. Nec enim de meorum ambigis veritate verborum; sed veram et sanam eorumdem intelligentiam sciscitaris, et qualiter concordentur ac simul stent quæ in his sibi invicem contrariari videntur, tibi declarari deposcis. Itaque pro certissima veritate et infallibili regula teneas, nullum II Petr[...] 9. quod in se est facientem perire seu relinqui a Deo, nec defectum salvationis cujusquam esse ex parte misericordissimi Creatoris, qui omnes homines vult salvari, nec I Tim. ii[...] Act. x, [...] personarum acceptor est, imo gratiæ signum generaliter aperit universis. Unicuique viatori angelum sanctum deputavit custodem. Nec vere catholicus potest ambigere quin Unigenitus Dei paratus sit homines exorantes audire, qui pro illorum

salute tot et tanta assumere, facere ac pati A dignatus est. Verumtamen noveris quod oratio est actus virtutis quæ latria nuncupatur ; nec oratio est solum qualiscumque petitio, sed postulatio decentium rerum a Deo, quas scilicet decet peti ab eo, utpote expedientium ad salutem. Et sicut aliarum virtutum actibus oportet firmiter inhæ-
viii, rere, ita et orationibus stabiliter instare oportet, neque deficere aut cessare, nec propriarum orationum effectum seu exauditionem improbe impedire. Quid enim est, præteritarum culparum remissionem B a Deo efflagitare, nec tamen ab eisdem
v, 5. cessare, imo peccatis peccata adjicere, sicque Deum de novo quotidie inhonorare, provocare, offendere ? quid, inquam, est hoc, nisi irridere Altissimum, et Omnipotenti quasi illudere ? Si regi principive terreno, aut certe cuicumque simplici a te offenso supplicares pro venia, nec ab ejus injuriis et offensis desisteres : nonne se subsannari censeret, et gravius tibi indignaretur ? Quanto magis Deus justitiæ infinitæ, Dominus majestatis immensæ, Ju- C dex sapientiæ illimitatæ ? Hoc ergo ad verum pertinet oratorem, ut in primis de Dei offensa intime doleat, et de universis suis peccatis, in quantum sunt offensiva, injuriativa inhonorativaque Dei, toto pœniteat corde, eaque deinceps et reliqua cuncta peccata firmiter proponat vitare, et insuper diligentiam exhibeat debitam ad vitandum ; sicque dolorose, integraliter et sincere ea confiteatur, et satisfacere enitatur pro posse, juxta confessoris censuram et exigentiam æquitatis. Si ergo sic D agens et taliter vivens ac ita te habens, Deum exores sive pro venia delictorum, sive pro gratia ampliori, aut pro alia quavis rationabili causa ; firmiter spera te exaudiendum, quamvis Deus instar pii ac sapientissimi patris interdum differat, et fidem ac patientiam probet orantium, ac paterne exerceat suos electos, imo et sanctos ac electissimos viros, ut eos aliis proponat et statuat in exemplum ad abundantiorem beatitudinem eorumdem.

Homo. — Objectionibus meis et querelis, o Domine, satisfactum intelligo, et præ angustiis spiritus mei quo me vertam, quid agam, in quibus petrarum scissuris me abscondam ignoro. Vereor me nunquam aut vix unquam vere fuisse contritum ac salubriter pœnitentem, aut Dominum exorasse sicut oportet, cum debita evitatione culparum.

Salvator. — Noli diffidere. Frequenter audisti quod virtus consistat in medio ; imo virtus medietas quædam est duarum extremitatum vitiosarum : quemadmodum liberalitas inter prodigalitatem et tenacitatem medium tenet. Ita et tu inter desperationem et præsumptionem, inter improvidam securitatem et immoderatam formidinem medium serva, sperando semper in Domino, cujus infinitæ misericordiæ enormissime derogat qui desperat. Verumtamen bene agis timendo, quum scriptum sit, Sapiens in omnibus metuit ; nec certi- *Eccli.* xviii, 27.
tudinaliter scias an amore sis dignus, an *Eccle.* ix, 1.
in caritate exsistas, an prædestinatus æternaliterve damnandus.

Homo. — O Deus æterne, quam arcta est *Matth.* vii, 14.
via salutis ! quam pauci salvantur ! quam infinita est excæcatio iniquorum, vanitas, calamitas, insipientia, seu potius insania hominum !

Salvator. — De hoc te sequenti articulo lucidius edocebo.

ARTICULUS V.

Quid sit contritio vera et pœnitentia salutaris, et quam cito corruat in culpas mortales, qui non exstat sollicitus vitare et fugere veniales.

Salvator. — Quemadmodum homo tenetur Deum toto corde, maxime incomparabiliterque diligere, ita ut malit propriam vitam et cuncta quæ habet amittere, cuncta quoque adversa, dura et aspera pati, quam Creatorem suum per mortale peccatum offendere ; ita tenetur de Dei sui offensa, hoc est de omni sua mortali culpa,

magis dolere quam de quocumque malo A pœnali aut damno terreno. Et talis dolor recte vocatur contritio, quæ est maximus dolor qui est in natura, loquendo de dolore partis intellectivæ.

Homo. — Hoc concesso, patere reor quam pauci veram habeant contritionem.

Salvator. — Hoc experimentaliter constat, ex eo quod tam cito atque faciliter recidivant : quod si salubriter pœniterent, non dubium quin a ruina culpæ mortalis vigilantius indesinentiusque caverent quam a quocumque nocumento corporali B aut exteriori. Quumque veniales culpæ ad mortalem disponant, caritatis fervorem diminuant, mentis sinceritatem obnubilent, cordis quoque relaxent custodiam, roburque gratiæ ac virtutum vigorem debilitent, ac levem et dissolutum faciant animum : quid clarius quam illum non diu vitare mortalia qui non assidue custoditus itemque sollicitus est venialia mala evadere ac vitare? Ideo irrefrenata venialium peccatorum frequentia, continuatio, consuetudo, est mortalis æquivalenter, C causaliter, condependenter, et virtualiter includit Dei contemptum ; ipsoque facto ostendit se non satis abhorrere mortale, qui non satagit venialia fugere. Nec enim aliquid est tam veniale, quod non per immoderatam complacentiam, dissolutionem, lætitiam, fiat aut esse possit mortale. Qui ergo suas confabulationes, machinationes, potationes, jocationes, lusus, levitates, dissolutiones et consolationes vanas ac viles continuant et frequentant per horas et horas, quomodo a mortalibus excusantur, D
Mich. II, 1. quum dixerim per Prophetam, Væ qui cogitatis inutile; et rursus per Evangelistam,
Luc. VI, 25, 24. Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis et flebitis, væ vobis divitibus qui habetis consolationem vestram ; et, Væ vobis qui saturati estis ?

Homo. — In his aliud prorsus non video nisi difficillimum esse absque omni peccato mortali diu subsistere.

Prov. XXVIII, 14. Salvator. — Idcirco beatus homo qui semper est pavidus ; qui cum electo Job semper quasi tumentes super se fluctus *J[ob]* 23[...] metuit Deum, et in præsentia Dei incessanter habet se timorate, illud Scripturæ revolvens in corde assidue : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. *III* [*Reg.*] 1[7], I. Ista præmissa sint, ut peccata sollicitius evitentur : quia a Deo nil ita elongat, a divino amore nihil sic impedit, ab exauditione orationum, a profectu virtutum, a divinorum exuberantia et conservatione charismatum nil sic retrahit sicut peccatum, præsertim mortale, deinde et veniale. Ideo recte ait Scriptura : Iste omnis fructus, ut *Is.* auferatur peccatum.

Homo. — Nunc ergo, o Domine, doce me practicam, modum, processum et ordinem proficiendi quotidie in tua sancta dilectione, in puro et spirituali amore, ac per hoc pariter in omni virtute.

ARTICULUS VI.

De compendio proficiendi et sese inflammandi in sancto ac spirituali amore.

Salvator. — Multi sunt modi ac media, multæ sunt viæ et incentiva, diversa sunt exercitia pluraque instrumenta saluberrimi hujus profectus ac sacratissimæ inflammationis in caritate.

Primum et vehementer proficuum, est desiderio complacendi Deo ac zelo honorandi eumdem, se in omnibus coram ipso custodire et reverenter habere, hoc est, coram oculis majestatis ac sanctitatis ejus immensæ vivere timorate, ambulare sollicite, *Mich.* V[I, 8]. et actibus Deo placentibus strenue insudare : quia, ut patuit, amor iste divinus *art.* I. est pretiosissimum balsamum, splendidissima gemma, margarita pulcherrima, exigens receptaculum mundum, habitaculum dignum, subjectum decorum, sibi proportionatum. Et sicut peccata mortalia caritatem auferunt et exstinguunt, sic venialia eam lædunt, offuscant ac minuunt, velut si radiantissimum aurum pulveribus adspergatur. Hinc Scriptura copiose te instruit, quod Deo in cunctis obediens et

universa ejus præcepta adimplens, vere A diligit eum, et in ejus crescit gratia et ii, amore. Maledicti vero qui declinant a man- ii, datis ipsius. Nempe qui dicit, Diligo Deum, nec servat illius præceptum, mendax est 7. et iniquus. Et scis quod odi omnes qui operantur iniquitatem, et perdo omnes qui loquuntur mendacium, sicut et vir sapiens v, 9. protestatur : Odio sunt Deo impius et impietas ejus.

Hinc itaque in amore divino non proficis, nec ejus dulcedinem experiris, quia nunc oras, psallis et boni aliquid agis, et B paulo post fabulationibus, risibus, dissolutionibus vacas : imo, quod detestabilius judicatur, in tuis orationibus, psalmodiis ac bonis operibus tot distractiones, negligentiæ, vanitates, pigritiæ admiscentur, ut totum plus displicere quam complacere Altissimo possit, si districtius judicetur, quum et sapientium unus testetur : Non placent Deo bona malis admixta. Denique similes estis idololatris, qui Janum deum suum cum vultibus pingebant duobus : sic et vos quasi duo ora habere videmini, C quorum uno laudatis, invocatis et osculamini Deum, alio quasi vituperatis, inhonoratis et multipliciter ac graviter offenditis eum, scandalizatisque plurimos. Atque per xxxix, approbationem osculamini vanitates et in- le. ii, 2. sanias falsas ; nec cum Sapiente risum reputatis errorem, nec gaudio dicitis, Quid frustra deciperis ? hoc est : Cur me inaniter decipis, qui in valle lacrimarum, in loco exsilii, in domo luctus et pœnitentiæ sum constitutus ? Nonne veraciter fert Scri- *Eccli.* xxi, 23. ptura, Vir sapiens vix tacite ridebit ? Unde D et verificari videtur illud communis versiculi :

Per risum multum poteris cognoscere stultum.

Jacob. iii, 11. Numquid fons ex eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam ? Si ergo in di- I *Petr.* ii, 3. vino optas amore concrescere, et quam dulcis est Deus degustare, stude et satage ut compunctio, devotio, recollectio cordis tui non sit solum horaria, sed potius continua, vel saltem assidua ; et omnibus actibus, verbis et apprehensionibus tuis superpone Dei timorem, qui est corona sa- *Eccli.* i, 22. pientiæ, exemplo dicentis : Verebar omnia *Job* ix, 28. opera mea, sciens quod tu, Domine, non parceres delinquenti. Cave a verbis superfluis et infructuosis et vanis, quum de *Matth.* xii, 36. omni verbo otioso exigenda ac danda sit ratio infligendaque punitio in die judicii. Adverte etiam, quod visus incustoditus, incustoditi cordis sit signum ac nuntius. Non instar cancri nunc procedas, nunc retrocedas ; sed per viam salutis progredere incessanter. Hæc via, ambula tu in *Is.* xxx, 21. ea, et neque ad dexteram neque ad sinistram.

Homo. — O Adonai, rex, judex et legifer *Ibid.* xxxiii, 22. noster, quam sapienter ac salubriter prolata sunt ista ! Et quamvis me terreant, tamen contradicere nequeo, imo in me ipso et ex me ipso veritatem eorum intueor et addisco. Etenim, dum alicui placere desidero, offensam ejus omnimode devito ; et si a quoquam amari affecto, ipsius beneplacitis pareo, ejus voluntati meam conformo, illius jussa, commissa, optata adimpleo. Præterea, in palatiis regum et principum sæculi hujus conspicimus quam reverenter et prompte ministretur magnatibus, ita ut nec displicens verbum proferre quis audeat ministrorum. Dictatque ratio impium esse, hominem plus quam Deum vereri ac revereri.

Verum unum precor mihi exponi. Si enim, ut tactum est, bona malis admixta Deo non placent, ergo nullius hominis quamvis justi opera bona complacent Deo, quum sanctus protulerit Isaias : Quasi *Ibid.* lxiv, 6. pannus menstruatæ, universæ justitiæ nostræ.

Salvator. — Bona ex genere admixta malis mortalibus meritoria non sunt. Quod autem ex caritate efficitur, meritorium est, quamvis venialibus culpis misceatur ; sed tanto minus Deo acceptum est, quanto pluribus et grossioribus venialibus admiscetur. Postremo, verbum illud Isaiæ sic potes accipere, quod comparatione divinæ et increatæ justitiæ omnis humana justitia

defectuosa est et obscura, quemadmodum
Job xxv, 5. in libro Job legis : Ecce luna non splendet et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.

Homo. — Assentio ; sed rursus occurrit quod ardua ista sunt nimis : ad quod
art. iii. tamen recolo mihi responsum et satisfactum.

Salvator. — Nonne tu, Christiane, gloriaris spiritualiorem et perfectiorem vobis
Joann. i, 17. Christianis legem desuper datam ab unigenito Filio, quam olim Judæis a Deo per
Deut. vi, 6-8. Moysen, per quem deprompsi, Erunt verba hæc quæ loquor ad te, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis ea sedens in domo tua, et ambulans in itinere, et dormiens atque consurgens, et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos? Quid hucusque tam arduum jussi tibi?

Ps. cviii, 26. Homo. — Excusationem non habeo. Adjuva me, Domine Deus meus, quia per
Philipp. iv, 13. gratiam tuam omnia possum, et sine ea meritorium nihil.

ARTICULUS VII.

De secundo modo ac medio excrescendi et inardescendi in Dei amore.

Salvator. — Nonne cognitio via est et causa ac medium ad amandum? Nam quod prorsus ignoras, non optas nec diligis; nec aurum plus amares quam ferrum, nisi ipsum melius pretiosiusque cognosceres. Denique, objectum voluntatis, quæ subjectum est caritatis, philosophi tui affirmant bonum intellectum, id est intellectualiter cognitum. Idcirco quo Deum clarius noscis, eo ceteris paribus ad ejus actualem dilectionem es aptior. Adverte igitur et limpido intellectu perpende ac inspice quid sit Deus, secundum quod in hac vita capax es. Ipse equidem olim Moysi nomen
Exod. iii, 14. Dei quærenti respondit : Ego sum qui sum; hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. Quibus verbis instrueris quod ipsum Esse sit nomen Dei : ita quod Deus

A est esse primum, æternum, incircumscriptum, immensum simpliciterque perfectum; ita quod quidquid spectat ac pertinet ad eminentiam, nobilitatem, perfectionem beatitudinemque essendi, hoc omnifarie et superplenissime ac simplicissime convenit Deo, estque in eo, et est ipsemet Deus, cum incomparabili ac penitus infinita excellentia, majestate et gloria, in tantum quod respectu illius primi increatique Esse, omne esse secundarium et creatum est quasi non esse, et solus Deus

B esse asseritur, quemadmodum in Jeremia legisti : Qui creavit omnia, ipse est; atque Jer.
in libro Job : Deus solus est, et cogitationem ejus avertere nullus potest. Denique Job xx[illegible]
in Evangelio dixi : Nemo bonus nisi Deus. Luc. 19.
Deus ergo est bonitas tam infinita et pura, tam amabilis, desiderabilis, gratiosa, accepta et supergratissima, ut comparatione ipsius bonitas omnis creata pro nihilo reputetur nec bonitas appelletur. Conformiter dixit Apostolus : Soli sapienti, soli ju- Rom. [illegible] 27 ; I [illegible] vi, 15.
sto, soli dulci et pio Deo, soli beato,

C glorioso superdeliciosoque Deo, et ita de ceteris perfectionalibus prædicatis. Huic omnia ista cum excellentia omniformiter infinita competunt superfelicissimo et superpræstantissimo Deo. Universis ergo et singulis ipse sine mensura, comparatione et termino, melior, amabilior, desiderabilior, sapientior, sanctior, dulcior, redolentior, gratiosior, deliciosior, felicior, ditior, potentior, pulchrior, splendidior, liberalior, benignior, convenientior, laudabilior, honorabilior, magnificentior, incompre-

D hensibilior simpliciorque consistit, ita quod omnia ista in ipso sint unum simplicissimum esse.

Et nunc, o miser et insensate, o tarde, ingrate, obtenebrate et nimis insipiens homo, quæ est ista insania, excæcatio atque perversitas tua, quod ad bonum illud tam incomparabile et immensum, tam supersplendidissimum et superpulcherrimum, tam superdulcissimum, delectabilissimum et superamœnissimum, tibi quoque tam proximum, a quo es et habes I Cor. iv,

quidquid es et habes, non vehementer afficeris, non inardescis et æstuas, non totis præcordiis atque visceribus incalescis? Cur illi vana et vilia ista, carnalia et terrena, sordida et fœda præfers? Cur tam infinita insipientia obtenebraris? Cur Dominum Deum tuum tam enormiter inhonoras, vilipendis, contemnis, ac per hoc te ipsum indicibiliter vilificas, impium, vitiosum atque æternæ damnationi facis obnoxium? Considera, quæso, jam introducta, intuere et pondera ista; attende quid sit Dominus Deus tuus, contemplare tam interminabilem bonitatem, amabilitatem, pulchritudinem, sapientiam, suavitatem ipsius; redi ad cor, recollige te in ipso, et mane fixus ac stabilitus in illo. Si insania reputaretur, vilia saxa auro obryzo, gemmis et balsamo præeligere et præferre : nonne incomparabiliter major est insania, excæcatio, perversitas ista, increato, infinito et supereminentissimo huic bono infima et finita ista præponere, plus amare, plus quærere ea?

HOMO. — Vere, mi Domine, vera, sancta et sapientissima sunt omnia verba, hortamenta et dogmata ista. Sed precor te de qua et quali tua sapientia et scientia dixeris ista. Videmus quippe nonnullos ingeniosos et litteratos, de te et de rebus spiritualibus ac divinis subtiliter sermocinantes, nihilo minus perditissime conversantes, quorum doctrina et vita ab invicem distant longissime.

SALVATOR. — De cognitione Dei, contemplatione ipsius, quæ sunt actus donorum sapientiæ atque scientiæ, locutus sum ista, hoc est de cognitione Dei formata et affectiva, quæ vim affectivam intellectivæ conformat, non de informi notitia, cui
I Cor. VIII, 1. virtus non sapit; de qua legitur : Scientia inflat.

HOMO. — Nonne, o Domine, etiam aliqui boni in caritate exsistentes, imo et religiosi, pondus diei et æstus portantes, septemque dona Spiritus Sancti habentes, salubriter et formate te noscunt, ac tibi devoti sunt, qui tamen conqueruntur et dolent se non posse ad tuum amorem sanctum pertingere, nec ejus in se fervorem sentire, neque in meditationibus suis exardescere ignem, quem venisti mittere in terram, de quo quid vis, nisi ut accendatur? Unde et consolatione spiritualium se cum gemitu fatentur expertes. Ps. XXXVIII, 4. Luc. XII, 49.

SALVATOR. — Diversi sunt gradus servorum Dei, ut patuit. Porro qui vere coram Deo sunt custoditi, solliciti, ac puritati studentes et reformationis internæ efficaciter cupidi ac studiosi pro ea, divini amoris frequenter experiuntur fervores, consolationes quoque internas, quamvis nonnunquam eisdem priventur ad tempus magis aut minus, moderamine dispensationis seu dispositionis divinæ, prout Providentia increata conspicit expedire, ut ipsi se magis humilient, exercitatiores expertioresque fiant in spiritualibus rebus, et patientiam discant in varietate visitationum dispositionumque Patris cœlestis, qui variis agit modis in suis electis. Præterea quidam, proh dolor! sunt sub negligentiis suis viventes (si tamen viventes, et non potius mortui), et in eis periculose manentes. Quibus vehementer horrendum est quod in Apocalypsi locutus sum uni, et in illius persona cuilibet tali : Scio opera tua, quia nec frigidus es nec calidus. Utinam frigidus esses aut calidus; sed nunc quia tepidus es, incipiam te evomere. Tales igitur resipiscant, quia aut spiritualiter mortui sunt, aut proximi hujusmodi morti. At vero qui vere dolent de sua insipiditate et ariditate interna, studeant ac satagant in conspectu metuendissimi Dei ac Judicis sui, juxta præhabita, timorate incedere, cum summa et indesinenti diligentia vitare peccata, humiliare et superare se ipsos, opus Dei reverenter et attente persolvere; sicque agentes, sentient vere in brevi dulcedinem et fervorem Spiritus Sancti. art. I. Apoc. III, 15, 16. art. præced.

HOMO. — Plenissime, Magister unice et optime, respondisti. Jam ergo, si placet, saluberrimam hanc doctrinam prosequere.

ARTICULUS VIII.

De tertio incentivo et exercitamento profectus atque incendio divini amoris.

Salvator. — Olim locutus sum per sanctificatum in utero Jeremiam : Quis est iste qui applicet cor suum ut appropinquet mihi? (Jer. xxx, 21.) Ego enim qui pro omnium salute sponte pertuli amarissimam et ignominiosissimam crucis mortem, omnium opto salutem, illosque gemitus et singultus, desideria et adspirationes quæ ad me funduntur et mihi offeruntur pro impetratione, infusione, conservatione, profectu et inflammatione divini flammigerique amoris, libenter accepto : siquidem ex caritate actu aut aptitudine inexsistente, nascuntur. Nam qui cupit diligere aliquem, jam saltem radicaliter amat illum.

Tu ergo caritatis pretiositatem advertens, et quod ad eam, ejus profectum ac perfectionem cetera omnia virtutum exercitia ordinentur rite perpendens, atque quam misera et egena, vilis et deordinata sit mens humana illam non habens, ex intimo corde clama ad Dominum, gemens et dicens : O benignissime Deus, quamdiu in hac miserrimi cordis mei sterilitate, duritia, indevotione manebo? Quamdiu te Deum, Creatorem et Redemptorem meum non diligam? Quousque tibi tam ingratus persistam atque in tanta excæcatione durabo, ut non videam nec perpendam tuæ bonitatis et amabilitatis, tuæ gratiositatis et suavitatis immensitatem? Aut certe, dato quod eam aliquo modo agnosco atque considero, non tamen in ejus apprehensione et speculatione accendor, nec ejus incomparandam suavitatem experior. Non emollitur mens mea, nec in fornace tam infiniti amoris inflammatur, resolvitur, absorbetur. O superpulcherrime et superserenissime et superamabilissime Deus, usquequo jacebo ita dejectus et obvolutus in fæcibus meis, nec brachiis sanctissimæ caritatis te in medio cordis mei amplexabor, stringam, deosculabor, tenebo neque dimit-

A tam? Nonne tota salus mea in te et in unione, adhæsione ac perfruitione tui consistit? Certe cito veniet hora necessitatis meæ extremæ, in qua tu solus juvare, eripere et salvare me poteris. Quid ergo nunc insipienter vagor et distrahor, et per multa me divido, lacero, nec quiesco, quum tu in me et intra me vere per essentiam, præsentiam, potentiam superclarissime fulgens, immutabiliter præsens sis, et ad miserendum, ad illuminandum, ad amplexandum paratum te exhibeas? Ad ipsum, o anima mea, suspi-

B ra, geme, afficere ; mentem, oculos, manus ad ipsum pariter leva, et psalle : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. (Ps. ...) Sitivit et sitiat, elevetur et inardescat anima mea ad te Deum fortem, omnipotentem, vivum et superexuberantissimum fontem. O quando veniam et apparebo ante superspeciosissimam et superjucundissimam faciem tuam? Interim vero sint mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte. Effunde, o anima mea, desideria atque sus-

C piria tua coram Domino Deo tuo.

De his, o homo, unctio te docebit, si juxta documenta prætacta te coram Deo tuo habueris, et secundum exigentiam tuæ vocationis digne Deo processeris, irreprehensibiliter vixeris, indefesse profeceris. (I Joan ... 27.)

ARTICULUS IX.

De quarto instrumento ac medio profectus divinæ dilectionis.

D Salvator. — Recte locutus est devotus rex Josaphat Deo : Quum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. (II Par. xx, 12.) Tu ergo qui scholam virtutis ingressus es, in omni cordis tui angustia ad Deum tuum confuge, recurre, festina ; et nunc pro sanctæ dilectionis incendio ac profectu fiducialiter ora, affectuose, perseveranter et anxie roga, perpendens quid per Moysen olim deprompsi et spopondi : Quum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, (Deut. iv, 29.)

si tamen toto corde eum quæsieris, et tota A tribulatione animæ tuæ.

Homo. — Quid est ita rogare et quærere Deum ?

Salvator. — A captivis et mendicis hoc discere potes. Vides qualiter captus, compedibus aggravatus, morti adjudicandus, si ei sit aliqua spes evadendi, judicem deprecetur, quam compuncte, humiliter, viscerose et lacrimose, qualiter se et omnia sua offert, quantam proponit et pollicetur emendam, quam paratum se offert deinceps judici deservire. Quod si ille B pro temporalis captivitatis atque brevissimæ mortis evasione omnia illa agit, quanto magis homo qui toties tamque enormiter Deum et Creatorem suum offendit et pœnas meruit sempiternas, pro venia et gratia ac salute Deum taliter debet invocare, vitam mutare, deinceps fideliter ministrare ? Insuper cernis quam fideliter et obnixe inopes pro eleemosyna modica rogent : quanto amplius pro præclarissimis donis charismatum supernorum, pro caritatis infusione, incremento, completione C implorare debes Altissimum ?

Homo. — Intelligo quæ tu dicis, et de mea erubesco desidia ; vereor ne pro propriis quotidianisque culpis repelli promerear.

art. iv. Salvator. — De hoc jam supra tractatum est, quemadmodum cupiens exaudiri taliter debeat conversari ut requirit is cujus est exaudire, suamque vitam ac mores pro viribus conformare venustati morum et rectitudini operum quæ sibi petit gratiose largiri. Quid enim est pro humilitate, D patientia, sobrietate, mansuetudine, caritate Deum assidue invocare, nec ipsis virtutibus per exercitia bona operam dare, nec occasiones vitare contrariorum malorum ? Fac igitur quod in te est, totisque viribus stude virtutibus ; et sic Deum invoca adjutorem, ut cor tuum quotidie magis ac magis expurget, virtutibus ornet, sicque sanctæ dilectionis fervore illud inflammare dignetur, atque in actibus divini amoris perficere, roborare, ac jugiter possidere. Ora et dic : O superbenedicta Trinitas, ob omnem tuam mutuam dilectionem superardentissimam, superdulcissimam et immensam, propter bonitatem et amabilitatem tuam supergratiosissimam ac penitus infinitam, ob omnem tuum amorem super totum genus humanum et super totam electorum tuorum universitatem, per universa quæ Christus pro nostra salute assumpsit, fecit ac pertulit, per sacratissimam Virginem omniumque Sanctorum preces et merita, mentem meam dignissimo ac purissimo tuo amore totaliter occupa, piissime imple, vigorose succende, inexstinguibiliter affice, ab omni inordinato affectu me omnino indesinenter præserva, et omnium corda fidelium misericordissime visita, imple, inhabita. Denique hæc exorans, mundam et immunem conservare satage animam tuam, omnem hominem dilige spiritualiter tantum. Quumque ex actibus laudabilibus frequentissime iteratis generetur habitus bonus et consuetudo peroptima, non cesses quotidie assidue Deum rogare brevibus ac ferventibus precibus pro sui amoris profectibus atque incendiis.

ARTICULUS X.

De quinto modo ac medio inflammativo et augmentativo divini amoris.

Salvator. — Benefactorem diligere ratio dictat : qui tanto plus diligendus est tibi, quanto plura et majora beneficia contulit tibi. Porro beneficia Dei tibi collata incomparabiliter magna et pene innumerabiliter multa sunt. Ab eo sortitus es corpus et animam, universa corporis membra et cunctas animæ vires. Si tibi sensus unus, ut visus, aut membrum unum, ut manus aut pes, deesset : quantum diligeres illum qui sensum illum aut membrum tibi præstaret ? Quantum ergo teneris illum amare a quo omnia ista sunt tibi donata ? Qui insuper præ irrationalibus creaturis totaliterque mortalibus decoravit te intellectu ac libera voluntate, intellectiva memoria,

rationis acumine, scientia et virtute ac A animæ immortalitate; sicque ad imaginem et similitudinem suam te condidit, et cuncta ista mortalia, irrationalia, inanimata elementa et mixta pedibus tuis subjecit, et ad tuum creavit usum ac commodum. De necessariis tibi cura providit paterna, et te hucusque conservavit in esse, a pluribus item periculis præservavit. Insuper quampluribus supernaturalibus donis et gratiis te ornavit; peccanti tibi enormiter ac frequenter pepercit misericordissime et distulit ultionem, quum toties æternalem B promerueris condemnationem, imo et jam innumerabiles damnaverit homines, etiam christianos, qui minus te peccaverunt; atque adhuc tuam præstolatur conversionem, indulgere paratus, et bona pro malis retribuere pronus : imo ad emendationem te exhortatur, te redeuntem amplexari dignatur. Angelicam tibi custodiam atque multiplicem hominum opem adhibuit. Præterea, Pater æternus te ita dilexit, quod unigenitum Filium suum pro te voluit incarnari, inter homines conversari, et pro C tua crucifigi salute. Creator tuus, pater tuus vocari dignatus est; Spiritum Sanctum misit, et dedit tibi donum dignitatis immensæ, superpræstantissimum hospitem animæ tuæ. Theologicis demum virtutibus, septemque donis Spiritus Sancti, aliisque diversis supernaturalibus beneficiis te insignivit. Ecce quam multa et grandia, quam copiosa, præclara, sublimia sunt beneficia et incentiva ista amoris ! Quam durus, quem non emolliunt ! quam frigidus, quem non incendunt ! quam ingratus, D perversus et impius, quem ad amandum, regratiandum, obtemperandum ac serviendum non excitant nec inducunt !

Gen. I, 26, 27.
Ps. VIII, 8.
Ps. XC, 11.

Homo. — Ita omnino est, Domine ; et dum ista perpendo, minus solito miror quod pro peccato mortali, temporali ac brevi, pœnam infligis æternam, quia tam ineffabiliter enormia sunt peccata nostra. Et nunc pro posse exclamo : Benedic, dilige et totis præcordiis tuis amplectere, o anima mea, Dominum, et noli ullam retributionum et beneficentiarum istarum oblivisci ; toto æstuantissimoque affectu dilige, lauda, honora benefactorem istum primum, incomparabilem et supremum : cujus beneficia tanto amplius sunt extollenda, appretianda, reminiscenda, quanto ipse benefactor est major ac dignior, atque in eis circa nos magis dignanter se habens ; cui æquivalens rependere nequaquam valemus, etiam si pro ipso quotidie millies moreremur.

Ps. CII, 1, 2.

ARTICULUS XI.

De sexto inflammatorio caritatis.

Salvator. — Non solum in præsenti tot, tanta et talia largitus est tibi Deus conditor tuus bona, verum majora tibi in futuro promisit ac præparavit, tam incomprehensibiliter gloriosa, quod ea nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor humanum capere potest. Quid enim infinite ac naturaliter bonus, amorosus liberalisque Deus promisit, præparavit et dare decrevit suis electis, nisi objectaliter semetipsum, atque formaliter sui ipsius beatificam, facialem, clarissimam ac deliciosissimam visionem, et suæ immensæ ac increatæ suavitatis amœnissimam fruitionem, boni immensi æternam et prorsus securam fruitionem ? Hæc est perfecta et summa dilectio, qua dator donat se ipsum. O quam immensa, inæstimabilis, gloriosa est ista felicitas, Deum pulchritudinis infinitæ in se ipso clare et immediate conspicere, Deo immensæ suavitatis in se ipso plene ad libitum et usque omnimodam contentationem æternaliter frui, Fontem totius boni, in quo est universæ opulentiæ, lætitiæ ac perfectionis incircumscripta et superplena possessio, securissime possidere ! Hoc est essentiale principaleque præmium Beatorum. Deinde sunt ibi tam innumerabilia gaudia, et secundaria præmia tam multa et magna, quod omnem mensuram, modum ac numerum prorsus excedunt.

I Co[r.]

Homo. — O Salvator dulcissime, quam

inenarrabiliter magna, præclara et desideranda sunt ista ! quam validissima et efficacissima ad inflammandum affectum, ad succendendum amorem ! Si quis hominum nos invitet ad prandium, si nos exquisite reficiat, inclinamur ad illius amorem : et quomodo non æstuamus ejus dilectione qui ad beatissimam illam refectionem æternam nos invitat, qui eam tam pretiosissime nobis emit et recuperavit, qui totius gloriæ suæ decrevit nos facere filios et heredes ? Usquequo, o anima mea, marces ignavia, et non inardescis, non festinas, non satagis intrare gloriam Domini tui, non conaris nec inflammaris ad possidendam hanc patriam veræ et ultimatæ promissionis, regionem istam viventium, in qua nullius rei penuria est quam cor potest excogitare vel cupere, in qua vere est status omnium bonorum aggregatione perfectus ?

ARTICULUS XII.

De septimo inflammativo dilectionis divinæ.

Salvator. — Perversus et durus omnino censetur, qui non amat amantem se, nec saltem rediligit illum qui prior dilexit ipsum, et in amando gratis prævenit eum etiam amore causali, qui largitur dilecto
I *Joann.* IV, 19. bona quæ habet. Sic ergo et tu dilige Dominum Deum tuum, quoniam prior dilexit te.

Ephes. II, 4. *Rom.* VIII, 32. Dilige Patrem æternum, qui propter nimiam caritatem suam qua dilexit te, unigenito superdilectissimo suo Filio non pepercit, sed pro omnibus vobis tradidit illum : quomodo etiam non omnia simul cum illo vobis donavit ? Dilige illum, qui
Ibid. 15-17. te adoptavit in filium et heredem regni cœlestis, coheredemque sui unici Filii na-
Coloss. I, 13. turalis. Dilige illum, qui te eripuit de potestate tenebrarum, de inæstimabili æternalium acerbitate pœnarum, et transtulit in regnum Filii suæ dilectionis. Diligito
Rom. V, 8, 10. illum, qui caritatem suam commendat ad vos atque in vobis, quoniam quum adhuc inimici essetis, reconciliati ei estis per mortem Filii sui dilecti. Imo ipse reconciliavit vos sibi : etenim Deus Pater erat in Christo mundum reconcilians sibimetipsi. II *Cor.* V, 18, 19.
Dilige illum, qui te elegit ante mundi constitutionem, et prædestinavit in Christo, et vocavit per gratiam suam. *Ephes.* I, 4, 5, 11.
Insuper, dilige unigenitum Filium Dei, in cujus fide et gratia vivis ; qui dilexit te, et tradidit se pro te oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis ; *Galat.* II, 20; *Ephes.* V, 2.
per quem in libertatem vocatus es, ab importabili legis onere, a jugo peccati, a servitute diaboli liberatus. *Galat.* V, 13. *Act.* XV, 10.
Dilige amatorem hunc fidelissimum ac ferventissimum, qui non corruptibilibus auro vel argento, sed purissimo, pretiosissimo, roseo suo sanguine te redemit a morte æterna. I *Petr.* I, 18, 19.
Dilige illum, qui Matrem suam carissimam, mundissimam indicibiliterque dignissimam, tibi providit ac dedit in tam misericordissimam advocatam. *Joann.* XIX, 26, 27.
Dilige illum, qui quum esset Deus, Creator et Judex tuus, incomprehensibili dignatione factus est frater, salvator advocatusque tuus. Siquidem, quoniam pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse communicavit eisdem. *Act.* X, 42. *Hebr.* II, 11, 12 ; I *Tim.* IV, 10 ; I *Joann.* II, 1. *Hebr.* II, 14.
Præterea, dilige non minus superdulcissimum paracletum Spiritum Sanctum, cujus sapientia conditus es et cujus providentia gubernaris ; sine cujus actuali inspiratione seu motione nunquam in meritorium actum procedis ; qui operatur in te et velle et perficere, ex sua bona, benignissima voluntate ; qui omnia opera tua bona operatur in te ; qui cor tuum inhabitare, illustrare, inflammare dignatur. *Philipp.* II, 13. *Is.* XXVI, 12. II *Tim.* I, 14.
Dilige supergloriosissimam Trinitatem, totius salutis tuæ fontem superserenissimum ac immensum, causam, datorem et objectum ; unum, verum, simplicissimum Deum, in quo quidquid absolute dicitur, unum et idem est numero prorsusque indivisum.

Sicut adipe et pinguedine replearis, impingueris, dulcificeris in anima caritate divina. Hanc nullæ aquæ in te queant exstinguere, nec flumina ulla obruere. Lampades ejus igneique affectus exsurgant, erum- *Ps* LXII, 6. *Cant.* VIII, 7. *Ibid.* 6.

pant, ascendant ac fulgeant in te ut lampades ignis atque flammarum, et transvolent usque in cœlum. (*Prov.* vi, 9.) Usquequo dormis, o anima? (*Is.* lii, 2.) Excutere de pulvere. Quid tibi cum rebus carnalibus, turpibus ac terrenis, qui ad sortem et numerum pertines angelorum?

(*Sap.* xii, 1.) Homo. — O quam suavis et bonus est, Domine, spiritus tuus in omnibus! (*Ps.* cxviii, 103.) O quam dulcia faucibus piæ affectuosæque mentis sunt hæc eloquia! quæ et mihi quamvis adhuc grosso et animali, suaviter sapere modo incipiunt, atque (ut spero) paulo post dulcius sapient.

(*Apoc.* ii, 10.) Salvator. — Esto fidelis usque ad mortem, et in caritate profice usque in finem; moxque ut de corporis tui ergastulo emigraveris, dabo tibi coronam vitæ, quam olim patres post moram longam sunt consecuti.

ARTICULUS XIII.

De octavo incentivo divini amoris.

Salvator. — In Evangelio sum locutus: (*Matth.* xxiii, 9.) Nolite vobis patrem vocare super terram: unus est enim Pater vester in cœlis. Qui utique verius et eminentius pater vester consistit, quam pater carnalis aut pater aliquis spiritualis. Nempe a Patre cœlesti immediate animam per creationem sortitus es; atque hoc ipsum quod a carnalibus accepisti parentibus, aut a causis quibuscumque cœlestibus et secundis, a Creatore et causa prima principalius accepisti, quemadmodum et a philosophis didicisti: Omnis (inquiunt) causa prima plus influit quam quæcumque causa secunda. Si ergo jure naturali et divino ac positivo juberis carnales parentes tam specialiter ac intense diligere, honorare, ipsisque tam prompte obedire: quanto magis Patrem illum altissimum, (*Ephes.* iii, 15.) a quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur, a quo omnis causalitas derivatur et omnis profluxit fecunditas, debes singulariter incomparabiliterque diligere, venerari, prom- A ptissime quoque parere eidem? Denique ipse per Prophetam disseruit: Filius honorat patrem suum, et servus timet dominum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Sic et Apostolus loquitur: Eruditores patres carnis habuimus, et reverebamur eos: non multo magis Patri spirituum obtemperabimus et vivemus? Ista ergo paternitas Dei ad homines et paternalis sua causalitas eorumdem, est octavum inflammativum amoris ejus in cordi- B bus vestris, ingensque causa obligans et ratio vos adstringens ad vehementer amandum, ad reverenter honorandum, ad caritative ac prompte obediendum Patri superno.

Hinc elucescit vestrorum enormitas vitiorum. Nempe, quum apud omnes, etiam sæculares, sceleratissimum reputetur, non solum non obedire parentibus, sed item contemnere eos et protervire adversus eosdem (unde et filium contumacem, protervum et gulosum lapidari in lege præ- (*Deu.* 18-21.) C cepi): quam superfacinorosissimum est, Patri omnipotenti, Deo auctoritatis immensæ, esse inobedientem, rebellem atque assidue injuriosum, in tantum ut conqueratur et dicat, Si affiget homo Deum, quia (*Mal.* 8, 9.) vos configitis me gens tota? Itemque: Servire me (inquit) fecisti in peccatis tuis, (*Is.* xl...) præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis; et denuo: Laboravi sustinens; et (*Ibid.* i,) rursus: Exacerbastis eum qui vos fecit, (*Baruch* 7.) Deum æternum. In prima quoque mundi ætate videns Deus malitiam hominum, quod (*Gen.* vi.) D multa esset nimis, tactus dolore cordis intrinsecus, et præcavens in futurum: Pœnitet me (inquit) fecisse hominem, et delebo hominem quem creavi, a facie terræ.

Homo. — Heu, Deus æterne, quam ineffabiliter magna est perversitas, inconsideratio, ingratitudo, insania nostra, qui non cessamus veteribus nostris sceleribus addere nova, et pro tanta tua dilectione, beneficentia ac patientia reddere tot pessima mala, tam enormes injurias et offen-

sas in tua præsentia, te prohibente et comminante!

Salvator. — Veniet tempus, et utique celerrime veniet, quo implebitur quod
4. prædixi : Heu, ego consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis ;
et conflabo et succendam eos in igne fu-
2. roris mei, sicut conflatur aurum in medio
4. fornacis ardentis. Eveniet filiis sceleratis, semini nequam, populo gravi iniquitate ;
10. de quibus prædictum est : Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui ; Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

ARTICULUS XIV.

De nono excitamento et exercitatorio proficiendi et incalescendi in sancto et spirituali Deitatis amore ex ejus effectibus.

Salvator. — Nosti quod filii sæculi hujus amore victi et vincti carnali prædominante, et illo miserabiliter viliterque dejecti, non solum dum personam aut rem dilectam conspiciunt, sed tunc quoque quum similem ejus intuentur, ex intimo cordis sui concutiuntur, valide alterantur, et quasi præ amore insaniunt. Ita et tu qui superspeciosissimum et superamabilissimum tuum Creatorem in isto exsilio clare in se ipso et in suo increato ac infinito decore cernere nequis, ipsum in imaginibus et similitudinibus suis conspicere debes : in ornatu et ordine universi, in claritate, causalitate, decore et lumine solis, planetarum ac siderum, cœlestium orbium et elementorum. Si ineffabiliter delectabile esset videre angelum unum in pulchritudine sua, atque audire dulcissimam melodiam cantus angelici, potius autem gloriosissimam Virginem : quid erit videre Deum deorum, cunctis et singulis penitus infinite formosiorem, dulciorem et amœniorem ?
Eccli. xliii, 2. Hinc hortatur Scriptura : Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum ; valde speciosus est in splendore suo.

Porro, quoniam connaturale est tibi ex sensibilibus ad immaterialium et usque ad simplicissimi Dei contemplationem ascendere, attende et inspice dispositionem ac faciem mundi sensibilis ; et ad elementorum inspice infimum. Ponderositatem, molem, longitudinem, latitudinem profunditatemque ejus considera, quomodo in medio universi manet immobile, cui innititur, quo sustentatur ut nullatenus inclinetur. Vide fecunditatem ipsius, quam pretiosa et varia in ejus visceribus generantur metalla, quam nobiles gemmæ, quam necessariæ utilesque materiæ usibus hominum ; quomodo disponente supersapientissimo Creatore, in ventriculis, concavitatibus et alveis ejus aquæ continentur copiosæ, quæ et fluunt in secretis meatibus ejus ; quot plantæ, herbæ ac arbores et aromaticæ species oriuntur ex terra, quarum vires, fructuositates et pretiositates nemo valet plene describere. Perpende quomodo sole in zodiaco ascendente, decoratur superficies terræ virescentibus graminibus, odoriferis floribus, rosis, violis ac liliis, terræque nascentibus diversis, animalibus quoque innumerabilium specierum, quarum individua multiformiter exstant disposita, et quædam admodum speciosa ac fortia et mirabiliter vigorosa. Attende quomodo pars terræ manet a levioribus se ac fluidis aquis discooperta pro necessaria mansione hominum et brutorum, et per terrarum spatia decurrunt particularia maria, fontes, torrentes ac flumina, ad magnas et multas hominum utilitates. Nonne de his olim locutus sum viro sapienti ac sancto : Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ ? Job xxxviii, 4-11.
Indica mihi, si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras ejus ? vel quis tetendit lineam super eam ? Super quo bases illius solidatæ sunt ? aut quis demisit lapidem angularem ejus, quum me simul laudarent astra matutina et jubilarent omnes filii Dei ? Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de ventre procedens ? Quum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine quasi pannis infantiæ obvolverem illud, circumdedi illud terminis meis, et posui vectes et ostia, et dixi : Hucusque

venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.

Ecce quam magnæ, pulchræ et fortes bestiæ sunt elephanti, unicornes, equi,
Job xxxix, 19-25. dromedarii et leones ! Quis præbuit equo fortitudinem suam, et circumdedit collo ejus hinnitum? Gloria narium ejus terror ; terram ungula fodit, exsultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus. Fervens et fremens sorbet terram ; nec reputat tubæ sonare clangorem. Ubi audierit buccinam, dicit : Vah. Procul odoratur bellum, exhortationem ducum et ululatum exercitus. An non perpendis quod ad usum hominum equos produxi ? Quamdiu equites insident illis, equi pro suis sessoribus pugnant, et unus alium mordet, percutit et quasi conatur dilaniare. Equitibus vero prostratis, unus equorum sequitur alium, etiam si salit in præceps.

Hæc de infimi ac minimi elementi ornatu protulerim. Quid de majoribus dicere possem ? Nonne aliquando in modica mortalis humanæque carnis parte, puta in facie hominis, pulchritudinem tantam impressi, ut omnes mirentur, videre desiderent, inspicere delectentur, et inspiciendo satiari et fatigari vix queant, imo et se quandoque avertant, ne videndo capiantur ? Quid sunt universæ veritates, pulchritudines, delectationes causatæ, nisi permodici rivuli ex deitatis meæ infinito fonte manantes ? Quam dulcis ergo, decorus et deliciosus sum ego in memetipso, qui infimis et corruptibilibus rebus tam dulces, pulchras, admirabiles qualitates concessi ? Si in unione sensuum et sensibilium tam intensæ delectationes consistunt, ut earum desiderio et amore homines insensati tot tantisque laboribus atque periculis se exponant, tot sumptus et apparatus efficiant : quam incomparabiliter meliores, intensiores, puriores deliciæ sunt in conjunctione intellectualium virium ad præclara sua objecta, maxime autem inæstimabiliter magis ex immediata unione ad increatum

A objectum, quod est Deitas vera, quæ non solum pulchra, dulcis et delectabilis est ad intuendum, amplectendum ac perfruendum, sed et essentialiter, incomparabiliter et prorsus interminabiliter est ipsa incircumscriptibilis pulchritudo, infinita dulcedo, immensa voluptas ?

Leva in excelsum oculos tuos, et prospice magnitudinem, causalitatem, ornatum cœlestium orbium, qui omnes sphæricæ sunt figuræ. Si minima stella fixa perceptibilis visu, major est tota terra visibili, B nonne proportionaliter cœlum stellatum tanto majus est quam apparet, quanto quælibet stella major est exsistenter quam apparet ? Præterea, si jam volubiles cœlos transcendas, et cœlum empyreum contemplando pro posse introeas, o quam præclariora, pulchriora, gaudiosiora conspicere possis ! Ibi Creator et rector universorum, Dominus excellentiæ infinitæ, est præsidens, et vultui gloriæ ejus reverentissime adstant, intenta sunt, et jucundissime absque omni labore obsequuntur C millia millium angelorum, et decies millies centena millia supernorum spirituum ; Dan. nec est numerus militum ejus, beatarumque animarum exercitus sacros æstimare Job x aut apprehendere nemo potest mortalium. Postremo, quam speciosa erit dispositio universi post diem extremi judicii, contemplare, si potes, quando lux lunæ erit sicut modo est lux solis, et lux solis septempliciter major quam modo ; quando Is. xx elementa innovabuntur, ita ut terra auriformis appareat, et corpora electorum D splendebunt ut sol in regno Patris eorum, Matth 43. suavissimi quoque erunt odoris indicibilisque decoris, nec concentum eorum dormire unquam quisquam faciet. Job xx 37.

Homo. — In horum consideratione incalescit cor meum, et dico : Beatus homo quem elegisti, o Domine. Ps. LX Quam beati qui ad illam beatitudinem sunt venturi ! Quam item miserrimi qui per impiam suam conversationem privant se illa, et insuper gehennæ incendia et innumerabilia ejus tormenta merentur !

ARTICULUS XV.

Exercitatio et inflammatio sui ipsius ad æstuantem Dei amorem ex dictis.

Salvator. — Per rationem est homo quasi rector et judex, magister et exercitator sui ipsius. Propterea dictum est : Multos regere potes, si te ipsum rexeris 1. ratione ; et iterum : Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Hinc unus 5. admonuit Prophetarum : Ponite corda vestra super vias vestras : hoc est, per rationem considerate, discutite et corrigite opera vestra. Quemadmodum igitur pereunt multi ex inconsideratione et negligentia suorum superiorum, qui non omni modo sibi possibili student directioni, informationi, ædificationi, emendationi, profectui et inflammationi subditorum suorum ; sic pereunt multi, quia per propriæ rationis discussionem, exhortationem, allocutionem et reprehensionem non satis custodiunt semetipsos : quia præsidentium diligentia non prodest, nisi propria ratio auscultet, obtemperet et quod suum est faciat. Tu ergo quotidie, imo assidue, specialiter tamen certis horis diei, animo in tuo secreto recollecto, alloquere animam tuam, dicens :

Perpende, o anima mea, et sollicite pensa quod cito educeris et exies de ergastulo om.xiv,10, ; II Cor. 10. corporis tui, et coram tribunali præsentaberis Judicis summi, qui te de universis cogitationibus, affectibus, verbis et actibus, omissionibus, negligentiis et acediis tuis judicabit. O infelix et negligentissima anima mea, cur non perpendis nec ponderas quam horrendum sit incidere in manus Dei viventis (Hebr. x, 31), præsertim quum nescias an amore sis digna an odio, an electa an reproba (Eccle. ix, 1) ? Diem quoque et horam ignoras quamdiu in hac vita subsistes (Matth. xxv, 13).

Quam vehementer, o homo, formidares a terreno judice judicari, in cujus personam peccasses, cujus sponsam aut conjugem violasses, cujus carissimam prolem necasses, cujus mandata, ipso cernente, A prohibente et comminante, esses transgressus ! Et certe jam ab illo es judicandus, in cujus personam enormiter ac multipliciter es prævaricatus, cujus filiam, sponsam et conjugem, id est animam tuam, toties constuprandam exposuisti diabolo et spiritualiter occidisti, quoties peccasti mortaliter, imo et animas proximorum, quoties illos dire scandalizasti, sicque fructum passionis et sanguinis Domini tui in illis, quantum in te est, evacuasti.

Intuere, o anima, quantum omni hora B possis proficere, quam pretiosum thesaurum in cœlis tibi reponere, quantum mereri ; et tu, o stulta et insensata, non solum hoc negligis, sed et multipliciter peccas, et thesaurizas tibi iram in diem (Rom. ii, 5) justi judicii Dei, et tripudiando curris et properas ad futura acerbissima illa in æternum duratura supplicia. Nunc ergo, o misera, resipisce, vocationem tuam perpende ; quid Creatori tuo in Baptismo postmodum promiseris recole, quantum profeceris, quousque perveneris, quantum C defeceris adspice. Pœnitentiam age condignam, idoneam Deo offer emendam ; quo gravius frequentiusque peccasti, eo major sit tua contritio humiliorque confessio et satisfactio plenior.

Præterea, jam inducta animadverte, o anima, et ex illis in Dei amore accendere. Cur ignobilitas, degeneras, vilificas temetipsam ? Tu enim, o misera, quæ seriose, timorate, fructuose, pure ac fervide conversando esse posses carissima filia, nobilis sponsa, familiaris amica, splendida D margarita Dei et Creatoris Salvatorisque tui ; negligenter, carnaliter, incustodite conversando, adultera, socia et ancilla exstas diaboli, vilior bestiis, et indigna alimento quo vesceris. Esto ergo vere magnanimis ; cupida esto saluberrimæ nobilitatis, avida divini et æterni honoris. Ferventissime ama Sponsum cœlestem, Regem dignissimum, Sapientiam increatam. Imitare sincerum ac nobilem amatorem qui dixit : Hanc amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam eam (Sap. viii, 2).

mihi assumere, amator factus sum formæ illius. (*Sap.* VII, 10, 9.) Super salutem et speciem dilexi illam, et non comparavi ei quidquam creatum. (*Ibid.* VIII, 16.) Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, et erit allocutrix, consolatrix, doctrix mentis meæ gratissima : non enim amaritudinem habet conversatio ejus, nec tædium convictus illius.

Homo. — His obtemperare cupio et propono, o Domine ; sed, precor te, doce me et fundamentaliter instrue, et plane elucida quid sit vere spiritualiterque diligere, et qui sint actus divini amoris, qualiter quoque saltem probabiliter scire queam an vere te diligam.

ARTICULUS XVI.

Quid sit vere ex caritate diligere Deum, et de actibus effectibusque divini amoris, ex quibus probabiliter noscitur quod Deus salubriter diligatur.

Salvator. — Salubriter ac sapienter quæsisti. Grave etenim esset homini pro caritatis profectu atque incendio assidue laborare, et non scire neque sentire se in illa proficere.

Porro diligere, proprie est alicui bonum velle. Deo autem nihil melius velle potes nisi quod ipse est, et quod in se æternaliter habet et inamissibiliter ac prorsus invariabiliter possidet. Porro hoc bonum vultis Deo, non per desiderium ut illud acquirat, sed per favorem, congratulationem et complacentiam, quia id perfectissime ac superbeatissime habet et possidet, imo et substantialiter hoc est : Deus etenim id est quod in se habet. Denique Deus est infinite, omnifarie simpliciterque perfectus, et ipse est sua superessentialis infinitaque perfectio, hoc est, sua sapientia, sua omnipotentia, sua justitia, sua beatitudo et gloria, sua dulcedo, pietas, opulentia, caritas, bonitas, liberalitas et libertas. Iste ergo est principalis, præclarus ac purus actus divini amoris in vobis, Deo glorioso et summo hæc omnia toto corde favere, congratulari ei de his om-

A nibus, atque de tam superinfinita perfectione, excellentia, felicitate et gloria supersanctissimi et superdignissimi Dei præcordialissimam complacentiam lætitiamque habere. Quumque Deus ratione suæ incomparabilis sanctitatis, sapientiæ et auctoritatis sit summe honorandus, metuendus atque colendus, consequenter spectat ad caritatem, ut unusquisque caritatem habens, Deum super omnia totis præcordiis veneretur, formidet et colat, atque a ceteris omnibus diligi, venerari, vereri at-
B que coli desideret, et quantum in ipso est vel spectat ad ipsum, pro hoc oret, laboret, cooperetur verbo, exemplo et opere. Insuper, quoniam una et eadem est caritas qua Deum et vos ipsos proximosque diligitis, spectat ad caritatem, ut habens eam, super omnia velit et cupiat esse cum Deo, eum clare conspicere, eo feliciter frui et inseparabiliter ei uniri, atque hoc proximis suis sicut sibi ipsi desideret ac pro posse procuret.

Præterea, quoniam caritas conformat
C voluntatem amantis voluntati amati, id quoque pertinet ad Dei amatorem, velle quæ Deus vult, et nolle quæ Deus non vult. Hinc caritatem habens divinis obedit præceptis, virtutes amplectitur, vitia detestatur. Amplius, quanto amor plus crescit, invalescit, inflammatur et prædominatur in ipso amante, tanto vigorosius trahit, transformat et quasi absorbet amantem in dilectum. Hinc amor divinus raptum facit et ecstasim, alienat et abstrahit mentem amantis ab exterioribus rebus ac sensibus,
D et tandem etiam a se ipsa et actibus propriis, et soli superdilectissimo Deo eam facit intentam suaviterque obdormientem et quiescentem in eo per intuitionem luminosam et dilectionem præfervidam. Amplius, sicut diligens ex plena adeptione, clara præsentia, optato amplexu dilecti, et item ex condecenti ac debita veneratione ipsius, intime ac maxime exhilaratur, sic ex illius subtractione, recessu, absentia et inhonoratione valide contristatur, affligitur, dolet, pallet et infirmatur. Certum est

demum, quod amans libenter audit et loquitur de amico, et in ejus delectatur præconiis; ad illos quoque pie ac amorose afficitur qui secum ferventius amant, honorant, collaudant eumdem.

Ex his advertere potes probabiliterque agnoscere an Deum, Creatorem et Salvatorem tuum, veraciter diligas. Etenim, si cum illo universa odisti peccata, si vanitates, dissolutiones et insanias falsas, loquacitates, otiositates, pigritias cordialiter detestaris et fugis, si ad ea quæ tuæ vocationis aut professionis sunt, strenuus, alacer et jucundus moveris, procedis, imo et quotidie alacrior atque agilior inveniris, si in Dei obsequio nequaquam tardus aut insipidus fueris; confide te in sancta consistere caritate, et Deo sis gratus ac pariter timoratus, ne (quod absit) paulatim evacueris, tepescas, verum quotidie vehementius incalescas, sollicitior fias, custoditior comproberis, quum non proficere, censeatur deficere, non progredi, regredi reputetur.

Homo. — Magna mihi videtur talis perfectio, et longe distans a me: ideo pertimesco, et miror si quis possit talis ac tantus consistere, nec tamen vere esse in caritate, nec certitudinem habere de caritatis exsistentia in se.

Salvator. — Non perpendis quam admirabiles et prædominantes effectus habeat amor carnalis prædominans, qui ἔρως nominatur, in suis subjectis? Quanto magis naturalis dilectio Dei, si exercetur assidue, potest valenter excrescere ac miros effectus habere? Denique plus expedit homini ad humilitatem, timorem, custodiam, aliquantulum esse de caritate incertum, quam de ea esse certum omnino. Sed hoc tene esse probabilius caritatis indicium, pro nulla re sponte aut scienter Dei præceptum prævaricari.

ARTICULUS XVII.

Invectio Christi in hominem.

Salvator. — In exordio sæculorum locutus sum: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et naturalem legem ei præfixi, rationis dictamen impressi, inter bonum et malum, inter verum et falsum, inter Creatorem et creaturam discernere jussi. Sed tu, homo ingrate et miser, a sæculo confregisti jugum, rupisti vincula, et dixisti: Non serviam. Transgressus es pactum, prævaricatus es jus, violasti fœdus æternum. In principio tuæ conditionis obedisti insipienti uxori magis quam Creatori. Ad mei ipsius beatificam fruitionem te condidi; et tu bonitati meæ immensæ bonum creatum, vile ac modicum prætulisti. Jussi ut mihi soli inhæreres finaliter, et ultimum tibi finem in me constitueres incessanter; tu vero per multa te dispersisti, et in rebus caducis ac vanis te multipliciter diffudisti, divisisti ac perdidisti, et tandem totus insaniens, ad idololatrias es prolapsus. Præmandavi quoque tibi de proximo tuo, ut faceres ei sicut tibi vis fieri, et quæ tibi fieri non vis, illi non faceres; et ecce in omnibus his factus es mihi inobediens et rebellis, et mille modis fecisti contrarium. Decipit unus alium in pondere, in mensura et regula, in signis et verbis ac nutibus; famosa illa præcepta Decalogi, quæ de jure sunt naturali et de naturalis rationis dictamine ac censura, tibi præfixi; et tu sine freno egisti contraria. Corruptus es, et abominabilis factus es in iniquitatibus. Odium, furtum, rapinam, læsionem, homicidium in proximos commisisti, et quod dici vix potest, vitiis contra naturam contaminasti te sceleratissime. Quumque omnium animalium optimum esses, omni bruto et bestia factus es pejor ac vilior per scelera tua. Passionibus sensualitatis tuæ te subjicis, vitiis servis, ita ut omnis creatura adversus te clamet, et tantas Creatoris sui injurias in te ulcisci expostulet.

Homo. — Peccavi super numerum arenæ maris, et non est respiratio mihi. Nonne abusus sum, et quasi lusum putavi vitam humanam, et conversationem vitæ ad lucra esse compositam, et vix arbitratus sum providentiam esse divinam, videns impios

Gen. I, 26; Eccli. XVII, et seq. — Jer. II, 20. — Is. XXIV, 5. — Gen. III, 6. — Eccli. XVII, 12. Matth. VII, 12; Tob. IV, 16. — Ps. LII, 2. — Oratio Manassæ. — Sap. XV, 12.

prosperari, et justos adversitatibus abundare, tam vehementer obtenebrata est in me lex naturæ, et ratio offuscata?

Act. XVII, 30. SALVATOR. — Tempora prioris ignorantiæ juste olim despiciens, permisi unumquemque ingredi viam suam. Per Moysen *Exod.* XX et seq. vero in lege scripta reparavi legem naturæ, adjiciendo diversa cærimonialia judicialiaque præcepta et documenta moralia, vaticinia quoque de meo adventu in mundum per Incarnationis mysterium ad redimendum genus humanum. In quo conversando dedi evangelicam legem perfectam, quam publicavi toto orbe terrarum. Hinc consequenter de ejus transgressione gravissima te convenio, reprehendo, dijudico, Christiane.

ARTICULUS XVIII.

Invectio Christi in Christianum.

SALVATOR. — De Judæis passione mea *Joann.* XV, 22. instante testatus sum : Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Quanto plus de Christianis mihi ingratis et inobedientibus hoc dicere possum? His namque in exordio primitivæ Ecclesiæ per me ipsum, deinde per meos Apostolos sermocinatus sum, et ipsi crediderunt in me. Per plurimos quoque annos mihi ferventer ac fidelissime servierunt, præsertim durante persecutione tyrannica, quum innumerabilia beatissimorum martyrum millia pro fide catholica morerentur, atque per gloriosa et divina miracula quæ in eorum contigerunt martyriis, plures ad fidem converterent quam ante prædicando converterunt, in tantum quod tempore procedente, omnis potentia, sæcularis sublimitas, philosophorum subtilitas, magorum calliditas, et omne hominum genus, omnia regna mundi ad Christum conversa sunt. Deinde paulatim Ecclesia Dei pacem habente, prosperitatibus affluente, divitiis, gloria et honore exuberante, devotio cœpit decrescere, caritas refrigescere, fastus erumpere, et spiritualia cuncta in carnalia sunt mutata; decor ille pulcherrimus et internus gratiæ ac virtutum, sapientiæ salutaris, ceterorum quoque donorum Spiritus Sancti, octo item beatitudinum atque duodecim fructuum et omnium divinorum charismatum, pro maxima parte defecit, expalluit, et in discolorationem est versus : sicque sponsa mea Ecclesia, olim speciosissima, rubicundo ac vivido colore perfusa, nunc pene exsanguis effecta conspicitur; et quæ olim potentissima fuit regina, toto orbe terrarum copiosissima ubertate diffusa, longe lateque dominans et cunctis adversariis suis potentior, modo ancilla effecta, in adversariorum suorum potestatem redacta est, et ad angulum occidentis compressa et angustata. Heu! quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color *Th*[…] 1. optimus in mortiformem pallorem? Heu! quid est quod dilectus meus in domo mea *Jer*[…] fecit scelera multa?

HOMO. — Cur, Domine mi, sustines omnia mala ista tanta ac talia, et non potius das honorem et gloriam nomini tuo? Cur *Dan*[…] non reprimis infideles? Cur perfidos illos sordidissimi ac prorsus fœdissimi Mahometi cultores toties sinis Christifidelibus prævalere?

SALVATOR. — Cur Israelitas temporibus judicum et regum ac sacerdotum suorum permisi a circumjacentibus regibus, principibus et tyrannis dire affligi, capi, opprimi et pro plurima parte occidi, et hoc usque in præsens?

HOMO. — Ad hæc protinus respondemus, quemadmodum et scriptura veteris Testamenti clare et copiose deprompsit, quod propter illorum demerita : unde et dum pœnitentes Domino Deo rursus fideliter servierunt, misericorditer sunt erepti. Nunc *Judi*[…] 19. vero non liberantur, quia in suis perseverant perfidiis atque blasphemiis.

SALVATOR. — Nonne idem est Dominus, idem Judex, Deus ac legifer utriusque Testamenti ac legis, qui ex similibus casibus similes producit effectus, et ex eisdem meritis ac demeritis eadem præmia aut

supplicia elargitur? Numquid personarum A
acceptor est Deus? Nonne enormiora arbitratur eorum facinora quibus majora ac plura beneficia est largitus? Nonne igitur tibi videtur quod merito gravissime Christianis irascor, quibus præ cunctis gentibus misericordissime, liberalissime et amorosissime feci, ita quod tempus evangelicæ legis recte tempus gratiæ appellatur? Ipsi vero econtrario tot et tantis me offendunt criminibus, ut pene rursus pœniteat me (ut sic loquar) fecisse hanc gentem. Verumtamen, quoniam adhuc multi B
boni et justi (quamvis comparative loquendo paucissimi) sunt in ea, differo et patientiam habeo. Tu, o popule christiane, tuis indesinentibus excessibus causa es horum malorum; tu causa tuæ deformationis, dejectionis, oppressionis ac servitutis; tu causa tuæ temporalis calamitatis atque æternæ damnationis.

Præterea, quemadmodum olim per Prophetas locutus sum adversus Synagogam, quod Sodoma et Gomorrha et urbes illis conjunctæ dimidium scelerum ejus non C
commiserint; sic modo contra Ecclesiam conqueri possem, quod gentes incredulæ non sunt ita iniquæ ac vitiosæ ut plurimi Christiani. Nempe, quemadmodum in primitiva Ecclesia infideles videntes virtuosam, exemplarem et honestissimam Christianorum conversationem, compuncti passim, copiose convertebantur ad fidem; sic modo conspicientes inquinatam, sceleratam et scandalosam vitam eorum, quamvis antea habuissent propositum christianitatis, averterentur ab ea. Nam et plurimi D
tam ridicule incedunt vestiti, quasi nullam prorsus legem haberent. Denique contra omnem legem honestatis et religiositatis peccant indesinenter, in tantum ut descri-
Ibid. VIII, XVI, XXIII. ptio criminum Synagogæ ab Ezechiele exarata, modica videretur respectu descriptionis vitiorum Ecclesiæ, si per singula in scriptis redigerentur.

Hanc maximam Ecclesiæ deformationem viri virtutum, zelum Dei habentes, flebiliter descripserunt, protestantes sinceriter, quod tanta scelera et peccata in populo regnant et confluunt christiano, quod universitas Christianorum contra Christum conjurasse videtur, et cum dæmonibus concordasse, sine mensura et numero irrefrenatissime Deum inhonorare, offendere, aspernari, idque tam evidenter, quod et infideles Christianos propter eorum abominabiles pompas, vanitates, impietates derident, et justum Dei judicium recognoscunt ac benedicunt, dum Christiani prosternuntur, quemadmodum olim Nabuzardan, princeps militiæ regis Babylonis, dixit
ad Jeremiam: Dominus Deus tuus locutus *Jer.* XL, 2, 3.
est malum hoc super locum istum: peccastis enim Domino Deo vestro, et venit vobis hic sermo.

HOMO. — Justus quidem es tu, Domine, *Ibid.* XII, 1.
si disputem tecum. Verumtamen pace tua id dixerim, quod ex defectu et culpa superiorum nostrorum, vicariorum tuorum, hæc mala pro maxima parte videntur contingere. Et tu, Domine, qui universorum providentiam habes, cur lupis potius quam pastoribus veris plebem tuam committis?
Numquid ignoras quod secundum judicem *Eccli.* X, 2.
populi, sic et ministri ejus; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in
ea? Item, quia stulte egerunt pastores, et *Jer.* X, 21.
Dominum non exquisierunt, ideo omnis grex eorum dissipatus est.

SALVATOR. — Non times quod scriptum
est, Pones eos ut clibanum ignis in tempo- *Ps.* XX, 10-12.
re vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis, fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum, quoniam declinaverunt in te mala? Quid enim ista prætendit objectio, nisi causam malorum retorquere in
me? Nonne justus Dominus in omnibus *Ps.* CXLIV, 17.
viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis? Ignoras quod disseruerim in Scriptu-
ris, Dabo tibi regem in furore meo, et au- *Osee* XIII, 11.
feram in indignatione mea; et rursus, Da- *Is.* III, 4.
bo pueros principes eorum, et effeminati
dominabuntur eis; et denuo, Qui regnare *Job* XXXIV, 30.
facit hypocritam propter peccata populi? Ex hoc ergo quod iniquis et reprobis juste

subtrahuntur adminicula gratiæ, subsidia conversionis, media ad salutem, non est Deus, rector omnium et provisor justus ac sapiens, inculpandus, sed reprobus populus.

HOMO. — Cedo, Domine, sapientiæ atque justitiæ tuæ, et manum meam pono super os meum. (Job XXXIX, 34.)

SALVATOR. — Numquid qui arguit Deum, tam facile conquiescet? Certe qui arguit Deum, debet et respondere ei. (Ibid. 32.)

HOMO. — Scio, Domine; et si voluero contendere tecum, non potero respondere unum pro mille. Idcirco ipse me reprehendo; et oro ut Ecclesiam tuam oculo infinitæ misericordiæ tuæ digneris respicere, misericordissime prævenire, visitare, reformare, possidere finaliterque salvare, propter omnia et per omnia quæ pro ejus salute dignatus es assumere, facere, tolerare, per omnium electorum tuorum preces ac merita. (Ibid. IX, 2, 3. Ibid. XLII, 6.)

ARTICULUS XIX.

Invectio Christi in religiosum.

SALVATOR. — Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris præ cunctis nationibus terræ. Te alloquor, o religiose, et sub nomine tuo cunctas religiosas personas. Te præ ceteris sequestravi ab hoc sæculo nequam, ut mihi toto corde sincere adhæreas, pure ministres, perfecte ac fervide vaces. Etenim quidquid in mundo est, aut concupiscentia carnis est, cui per votum castitatis plene renuntiasti; aut concupiscentia oculorum, cui per votum paupertatis te renuntiasse fateris; aut superbia vitæ, cui renuntiasse te constat per obedientiæ votum. His tribus maledictionis seminibus a corde tuo radicitus evulsis, etiam tui ipsius privatum et ad se reflexum improbumque amorem, omnium vitiorum originem et fomentum, simul totaliter exstirpabis. (Deut. VII, 6. I Joann. II, 16.)

HOMO. — Quid est amor privatus?

SALVATOR. — Amor quo rationalis creatura amat se in se, et aliam per respectum et relationem ad se ipsam, id est ad propriam utilitatem, delectationem aut honorem, non in ordine ad Deum ac ultimum finem. Ex hoc amore universa oriuntur peccata: quem exstirpare, est se ipsum in Deo pure diligere, utputa Deum super omnia, pure propter ipsum et sui ipsius felicitatem in Deo, nec quidquam creatum, temporale, terrenum, nisi in illo, in quantum videlicet sibi utile necessariumve consistit ad obtinendum ultimum illum beatificum finem. Quumque ad obtinendum finem illum potissime prosit et conferat homini id quod propriæ utilitati, delectationi et honori contrarium est, utputa paupertas, tenuitas victus et vestitus, duritia strati, castigatio carnis, asperitas cilicii, flagellatio corporis, humiliatio, correptio, correctio, aspernatio, persecutio, injuriatio, tribulatio, adversitas, infirmitas, subjectio, abjectio, obedientia, derisio; idcirco privatum amorem exstinguere, est in omnibus his cordialiter gloriari, Deo regratiari, in quantum homo per ista purgatur a vitiis, crescit in gratia, conformaturque Christo propter se passo. Denique, quantum in hac privati amoris eradicatione quis crescit et proficit, tantum in divino crescit et excrescit amore, atque in sui ipsius ac proximorum vera et spirituali dilectione, imo in omni virtute, in sancta humilitate, in patientia triumphali, in mansuetudine stabili, in sobrietate, pœnitentia et pace interna, omnique dono et fructu Spiritus Sancti. Amplius, hujus maledicti privati amoris exstinctio est vera et saluberrima mortificatio sui ipsius, odium quoque sui salubre, de quo dixi: Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Est item abnegatio sui, vivifica et cruciformis imitatio mei, de quibus disserui: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Est enim violentia virtuosa et optima, de qua fassus sum: Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Sic disce diligere te (Joan. … 25. Luc … Ma… 12.)

in Deo, et eris vere doctus ac sapiens; [A] taliter in Deo te ama, et sufficit.

O insipientia atque perversitas hominum, qui relicta compendiosissima hac doctrina, hac saluberrima lectione, sapientissimo hoc studio seu conatu, supervacua legunt et discunt, inutiliter occupantur, non implentes quod scriptum est, Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper! O quantam in mente tua, o religiose, requiem, fructum, consolationem, exuberantiam gratiarum sentires et possideres, si in hujus privati amoris exstirpatione te [B] efficaciter occupares, strenue exerceres, digne proficeres, perseveranter persisteres! Quanta per hoc in futuro tormenta evaderes! Quam gloriosissimam felicitatis æternæ coronam acquireres per hoc ipsum, et tranquillitatem possideres dulcissimam! Denique, ad hoc tendere obligaris idonee, non segniter, sed seriose et fructuose, quum status religionis sit status perfectionis adipiscendæ, in quo ad perfectionem non pergere, est retrorsum damnabiliter ire, deficere ac perire. [C]

Ex prætactis advertere potes an in schola virtutum, hoc est in sancta religione, profeceris, et quantum in ea profecisti aut defecisti. Si jam multis diebus in religione fuisti, et adhuc tam proclivem te sentis ad motus superbiæ, indignationis, iræ, impatientiæ, ut heri et nudiustertius; si caritativam et justam reprehensionem, castigationem, instructionem gratanter et tranquille non suscipis; si verbum seu signum aspernationis, exercitationis, probationis æquanimiter non acceptas: [Rom. III, 7.] ubi est [D] gloriatio tua? ubi laborum tuorum profectus? ubi professionis tuæ impletio? Nonne [Ps. XXVI, 12.] mentitur iniquitas sibi, et putans te aliquid [Galat. VI, 3.] esse quum nihil sis, te ipsum seducis?

Præterea religiosorum diversi sunt gradus. Quidam sunt penitus negligentes, qui [Dan. XIII, 9.] averterunt oculos suos ne videant cœlum, ne Judicem cœlo præsidentem considerent; et suæ salutis prorsus immemores, vota quæ promiserunt Altissimo, quotidie transgrediuntur. Hi in statu sunt penitus damnabilissimo, incorrigibiliores frequenter mundanis hominibus, quum voti transgressio enormius sit peccatum quam perjurii crimen. Porro alii sunt religiosi in extremo contrario constituti, non solum sua vota efficaciter adimplentes, sed in aliarum quoque observantiarum Ordinis sui adimpletione solliciti, jugiter timorati, interni et ad spirituales profectus accensi, exemplares, custoditi in verbis omnique sensu, conscientias suas quotidie perscrutantes, purgantes, perficientes. Alii sunt quasi inter hos extremos in quodam medio collocati, substantialia Ordinis sui (ut præsupponunt) custodientes, sed remissi et laxi in aliis; pigri et somnolenti in divinis, et ibidem incustoditi in visu ac aliis, proni ad risum, ne dicam etiam ad derisum; in colloquiis dissoluti, verbosi interdum et contentiosi; in concessis solatiis dissoluti, reatibus loquendi non dumtaxat linguas suas, sed et alia membra culpa multiplici implicantes. Isti non toto corde Deo cohærent, sed et partim propriis libertatibus, consolatiunculis sensualitatibusque indulgent. Qui auscultent quod deprompsit Osee: Divisum est cor eorum, nunc interibunt; [Osee X, 2.] et quod in Apocalypsi prolatum est uni hujusmodi: Scio opera tua, quia nec [Apoc. III, 15-17.] frigidus es nec calidus. Utinam frigidus esses aut calidus. Sed nunc quoniam tepidus es, incipiam te evomere de ore meo: quia dicis, Dives sum, et nullius egeo; et nescis quia tu es miser et miserabilis, pauper, cæcus et nudus? Tales quippe frequenter putant se bene stare, quum longe sit aliter; et quo in sua æstimatione sunt modo magis securi, eo in futuro erunt minus tuti. Hi namque ad passionum suarum motus ac impetus sunt proclives, ad indignandum et irascendum etiam superioribus suis proni, si corripiantur, aut aliquid eis negetur caduci. Et quamvis voverint paupertatem, tamen si modicum eis desit, ad murmurandum et obloquendum erunt procaces, non pensantes quod tenuitas victus et vestitus indispensabiliter sit de religionis essentia. Heu, heu! quomodo

negligentia et ruina, torpor et ignavia, curiositas, superfluitas, loquacitas, ac consimilia multa mala paulatim sanctam intrant religionem atque inficiunt eam?

Præterea, quum in omni Christiano, quanto magis in religioso detestanda sit stulta et infelix illa pronitas ad loquendum ac odienda loquacitas, o tu, religiose, cur perdis te ipsum? Cur negligis debitum tuum profectum? Cur pro istis vilissimis solatiis privas te charismatibus gratiarum pretiosissimis? Nonne Patres sancti Spiritu Sancto pleni, scientes quot mala nascantur ex lingua irrefrenata, inter observantias regulares præcipuam statuerunt observationem silentii? Quam certe quam diligenter voluerint observari, hinc constat quod fractionem silentii decreverunt tam publice recognosci, tam dire puniri. Interea scias quod omnis oratio intelligibilem habens sensum, prolata sine licentia, fractio silentii est censenda, ut si dicas : Quis est ille? Cur ergo ad hujusmodi verba, quæ reputas pauca, tam pronus es undique, in divinis et extra divina, in choro, in sacristia, in ecclesia quoque et extra? Non advertis quod ait Scriptura,
Prov. XXIX, 20. Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est quam illius
Ibid. XXI, 23. correctio; et iterum, Qui custodit os suum, custodit ab angustiis animam suam; item-
Jacob. I, 26. que, Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio? Quis in sanctæ religionis putasset exordio, quod religiosæ personæ, tempore procedente, tot culpis et vitiis inquinarent et excæcarent animas suas? An tibi putas sufficere quod corporaliter recessisti de sæculo et propinquis, ac habitu commutato, religionem ingressus es Ordinemque professus, qui spiritualiter mundum intra te tenes clausum per affectiones mundanas, sen-
Luc. XII, 48. suales, inanes? Ignoras quod cui plus datum est et commissum, plus requiretur ab eo, et qui majora promisit, ad altiora tenetur, sine quorum impletione salutem non consequetur?

A Postremo, te alloquor, vicarie mi, qui religiosis præes personis. Quia si sub tuo regimine observantia religionis laxetur, insolentia, dissolutio, refrigescentia caritatis subintrent, nisi forsan totis viribus malis illis renitens, quod requirit officium, debite exsequaris; nequaquam sis mollis et negligens in corrigendis excessibus, in adimpletione præcepti paternæ ac fraternæ correctionis, in cooperando saluti atque profectui commissi ac crediti tibi gregis. Et per hæc tuam ostende caritatem et

B fidelitatem ad eum cujus vicarius es, et ad eos quos ille pretiosissimo sanguine suo redemit. [18]

Homo. — Me, Domine mi, optime instruxisti, vehementer perterruisti, ac boni fecisti propositi. Superest ut ejusdem propositi exsecutorem me facias tibi acceptum.

Salvator. — Quod tuum est facere non pigriteris; ego quod meam condecet pietatem non subtraham. Verumtamen unum adhuc habeo contra te, et quid sit illud, in

C fine dialogi hujus addam.

ARTICULUS XX.

Prosecutio increpationis istius, et conclusio hujus dialogi.

Salvator. — Quod in cœna illa novissima feci, docui ac præcepi, hoc memoriis meorum fidelium arctius inhærere, opere quoque diligentius volui et jugiter volo impleri. Porro tunc dixi ac jussi : Hoc est [Jo]

D præceptum meum, ut diligatis invicem [12.] sicut dilexi vos. Non quod hoc solum sit meum præceptum (quum et ante præceperim : Discite a me quia mitis sum et humilis corde; itemque : Diligite inimicos [XI.] [Ibi] vestros, etc.), sed quia istud est præceptum meum præcipuum, et post præceptum de amando Deum, potissimum. De quo in eadem retuli cœna : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut [Jo] [34.] dilexi vos. Quamvis enim et ante exstiterit jussum ut proximos diligatis sicut [Lev]

vos ipsos, non tamen sic evidenter sicut Christus dilexit vos, qui per hanc præclaram mutuam dilectionem proximorum voluit ac decrevit suos electos secerni ab aliis : In hoc (inquiens) cognoscent omnes quod estis mei disciputi, si dilectionem habueritis ad invicem. Hinc prædilectus meus discipulus, quum jam pene centenarius esset, et protinus e vita recessurus præsenti, ad ecclesiam ac sepulcrum proficiscens, suis auditoribus dixit uberrime : Filioli, diligite alterutrum. Et requisitus cur idem repeteret tam frequenter, respondit : Quia præceptum Domini est, et ipsum solum sufficit, si adimpleatur. Non quod alia licet præterire, sed quoniam in isto virtualiter continentur, quemadmodum quoque Vas electionis testatus est : Qui diligit proximum, legem implevit. Propter quod etiam summus et generalis meus deprompsit vicarius : Ante omnia mutuam in vobis caritatem continuam habentes, quoniam caritas operit multitudinem peccatorum. Insuper, reversus a raptu in tertium cœlum : Imitatores (ait) Dei estote, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis. Etiam sic et vos debetis pro fratribus animas ponere.

Ista commemoro, quia in hac fundamentali virtute, hoc est in fraternæ caritatis tenore, observatione ac adimpletione, defectuosos et imperfectos valde cerno atque invenio vos, heu ! etiam religiosos, qui præ ceteris in fraterna dilectione merito præfulgeretis, et cunctis reluceretis.

Homo. — Nonne, mi Domine, caritativi sumus ad invicem, qui eodem habitu utimur, eodem alimento reficimur, etiam refectorio in eodem, et Horas decantamus canonicas simul quotidie, atque assidue juvamus nos mutuo ?

Salvator. — Quemadmodum, teste Scriptura, si quis totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus ; ita si quis caritatem fraternam circa omnes habuerit, et violet eam in uno (hoc est circa unam personam, aut in una proprietate vel actione ad caritatem directe ac per se pertinente seu requisita), ad nullum, id est neque ad Deum neque ad proximum, imo nec ad se ipsum, veram habet et exhibet caritatem, sed factus est reus hujus virtutis ad universos.

Homo. — Heu ! Deus æterne, quid audio ? et quis salvabitur in hoc mundo ? Verum te deprecor ut indilate me instruas quæ sint caritatis proprietates et actiones, ut queam agnoscere an habeam eas, et si non, satagam indefesse eas habere ac opere exercere.

Salvator. — Cur igitur in supervacuis rebus scrutaris et occuparis multimode, et quæ tuam concernunt salutem nec scis nec discis idonee ? Non advertis quod divinus scripsit Apostolus, Si linguis homi- *I Cor.* XIII, 1-3.
num loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens, et si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum, et si dedero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest ? Audis quod sine caritate nil conferant neque sufficiant ad salutem quæcumque dona gratiæ gratis datæ, quantumlibet supernaturalia et præclara. Sed forsan blandiris tibi quod habeas caritatem. Perpende ergo quod subdit : Caritas patiens est, benigna est ; caritas *Ibid.* 4-7.
non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert et omnia sustinet. Perpende an in te ista inveniantur : nempe quod de caritate affirmat, de caritatis subjecto vult palam intelligi.

Homo. — Hæc forte de caritate quoad gradum suum supremum prolata sunt.

Salvator. — Caritas secundum nullum gradum suum cum mortali potest stare

peccato. Porro, ut hæc ipsa intelligas clarius, rite considera quod in Regula sua ait Hieronymus : Hæc sola (utputa caritas) reddit hominem Deo viventem ; hæc religiosos, hæc monachos facit. Sine caritate monasteria sunt tartara, et habitantes in eis sunt dæmones ; cum ea vero, sunt paradisus Dei in terra, et degentes in ipsis sunt angeli. Ideo, quamvis longa jejunia macerent corpora, et vestis abjecta denigret, seu quæcumque divini Officii series longa texatur ; si caritas desit intus, nondum ad infimum religionis gradum perventum est. Hinc in claustro adunatis sit
Act. IV, 32. cor unum et anima una, quemadmodum in primitiva Ecclesia. Nulla profecto vita deterior, quam simul degere corpore, et non mente ; et vere ac prorsus sunt infelices, quibus non inest una, sed diversa voluntas. Sit itaque vobis semper una proportio morum, una jucunditas, una tristitia : ne quod placet uni, displiceat alteri ; et quo unus gaudet, alter tristetur.

Homo. — Adverti prolata, et terrent
Job XL, 28. me vehementer, sumque frustratus spe mea. Nam quia hucusque non fecisti contra religiosos specialem invectionem de caritatis defectuositate in ipsis religiosis, sperabam quod in hac virtute judicasses eos sinceros et quasi perfectos ; verum, ut video, adhuc in isto spiritualis conversationis fundamento atque exordio deficimus vehementer : quippe qui tam facile et levi occasione mutuo commovemur, indignamur, irascimur, et interdum instar puerorum prattamus, ita ut unus alteri vix loqui dignetur, nisi forsan præventus allocutione ac humiliatione alterius. Et quomodo verbum exercitativum, ne dicam injuriosum, æquanimiter tolerabit, qui vix verbum fraternæ ac caritativæ correptionis a confratre, imo paternæ ac justæ correctionis medelam seu disciplinam a spirituali patre gratanter ac tranquille admittit, quod tamen etiam in homine sæculari esset damnabile ?

Salvator. — Recte concludis. At vero in divinis, in cantu et consimilibus summa concordia est servanda : quemadmodum in camino ardenti tres devotissimi viri quasi uno ore Deum laudabant.

Homo. — Quoniam, teste Apostolo, unusquisque in suo sensu abundat, grandis nobis necessaria est gratia ad conversandum in domo tua tam caritative, concorditer et tranquille, tamque sincere et perfecte in omnibus : quam nobis, o benignissime Deus, misericordissime conferre digneris.

Salvator. — Si, juxta præhabita, toto corde et omni compunctione perseveranter ac fervide eam quæsieris, consequeris. Idcirco quod tuum est, efficaciter agere non desistas, et copiose exaudieris. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS INFLAMMATORII DIVINI AMORIS.

DE PERFECTIONE CARITATIS

DIALOGUS

PROŒMIUM

SUPER omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. Coloss. III, 14.

Caritatis excellentia in divino Eloquio, in sanctorum Patrum Doctorumque scriptis uberrime commendatur. Unde Joannes ait apostolus : Deus caritas est ; et, Qui non diligit, manet in morte. Et B. Paulus : Qui diligit (inquit), legem implevit. Denique doctor quidam sic scribit : Caritas est virtutum virtus, et quodammodo omnis virtus, etsi non actu, tamen habitu. Item Gregorius ait : Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manserit in radice caritatis. Et Augustinus : Sola, inquit, caritas discernit inter filios regni et filios gehennæ.

I *Joann.* IV, 8, 16. *Ibid.* III, 14. *Rom.* XIII, 8.

Unde consultum et utile videtur de caritate tractare, scribendo, legendo, conferendo et meditando, et maxime secundum eam operando. Ideoque ea quæ sequitur materia, ex diversis sanctorum Patrum et aliorum catholicorum virorum, puta Dionysii, Augustini, Anselmi, Bernardi, Hugonis, Richardi, Vercellensis, Lincolniensis, Bonaventuræ, Gersonis ac ceterorum contemplativorum scriptis comportata est, non quidem quantum ad verborum formam, sed quantum ad sententiam. Intentionis quippe hujusmodi fuit ipse collector, non quod nova vellet cudere, sed ab aliis majoribus dudum fabricata, pro sua devotione propriis suis verbis in unum sententialiter congerere : quatenus ita promptius habere posset ad manum de caritate materiam, qua subinde suam posset mentem torpentem excitare commodius, et occupare salubrius, atque in Deum elevare frequentius. Et quamvis materia hæc originem ducat ex theologia mystica, innitendo videlicet jam purgativæ, jam illuminativæ et jam unitivæ seu perfectivæ viis ; principalius tamen viæ intendit unitivæ, quæ in dilectionis perfectione consistit.

Modus autem procedendi in subsequentibus non est directe scholasticus, sed potius monasticus, qui decet religiosos, eo quod hic agitur de his quæ magis et principalius ad devotionis affectum quam ad inquisitionis intellectum pertinere videntur, prout ea colligentis memoriæ ex prius quandoque lectis occurrebant.

Notandum quoque est, quod hic nonnunquam ponitur effectus pro causa, et econtra. Illique termini, amor, dilectio et caritas, hic pro uno capiuntur. Et licet principaliter hic intendatur de theologia mystica, interdum tamen aliqua etiam intrant de theologia scholastica. Et proceditur nunc practice, nunc theorice, scilicet modo discendo a Domino, modo orando ad Dominum, quemadmodum scribenti Dominus dabat. Potissimum vero quod hic quæritur, est impetrare a Domino et consequi caritatis donum per devotionis exercitium, et Deo uniri per amoris affectum intimum : quo nihil homini exstat melius in hac vita.

Per modum quoque dialogi, discipulo videlicet interrogante et Domino respondente, hic proceditur : et hoc ideo, ut scilicet homo sit Deo magis intentus, fiatque magis familiaris ei, cum quo tanquam corporaliter sibi præsente loquitur, et ita assuescat ceterorum omnium interim oblivisci.

DE
PERFECTIONE CARITATIS
DIALOGUS[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Adspirationes ad Deum pro lege caritatis, ut in corde scribatur.

AMATOR meus, amor meus, amantissime, amabilissime Domine Jesu Christe, Deus meus, Salvator meus, qui amore venisti ad homines in incarnatione, factus homo ; qui etiam amore venisti in homines in gratiæ collatione ; qui et præ nimio amore, mori pro homine dignatus es in cruce ; qui vinculis quoque amoris vinci voluisti, licet alias invincibilis sis : o quam digne, quam juste, quam et recte tibi amorem meum totum vindicas ! Sed utinam non tantum fervidum, imo superfervidum atque superfervidissimum amorem tibi rependere valerem. O qui me sic amasti et amas, cur vice versa a me non amaris ? O miser ego homuncio, quare talem ac tantum amatorem non ex omnibus medullis cordis mei amo ? Domine, tu prior dilexisti non diligentem, ut de non diligente diligentem faceres. Gratias tibi, dulcissime Domine. Sed ignosce, obsecro, quod præventus non subsequor, tractus vix sequor. Ad te diligendum, præmiis me invitas, suppliciis terres. Si enim dilexero, perpetuo felix ero ; si neglexero, in æternum peribo. Hæc ex tuo dono scio : attamen, heu me

A miserum ! aure surda pertranseo, non satis curans promissam dilectionis mercedem, nec debite metuens, si non dilexero, periculi imminentis magnitudinem.

Nihilo minus, Domine, tu meum nosti desiderium, neque ignoras meum imperfectum. Igitur, o Deus meus, qui caritas es, caritatem infundis, caritate delectaris, (I *Joann.* IV, 8, 16.) miserere mei. Tu qui nihil odisti eorum quæ fecisti ; (*Sap.* XI, 25.) qui solem tuum oriri facis super bonos et malos, pluisque super justos et injustos ; (*Matth.* V, 45.) qui et nulli te denegas, B nisi soli illi qui te non desiderat ; qui etiam caritatis legem verbo et exemplo nos docuisti : scribe, quæso, sanctissimam caritatis legem in corde servi tui infidelis, mei, inquam, miserrimi peccatoris, de tua tamen bonitate multum præsumentis ; scribe eam, precor, sacræ lanceæ (quæ latus tuum aperuit) stilo, seu calamo cum pretiosi sanguinis tui (quem pro nostra salute fudisti) atramento seu rubrimento, ut hanc non solum scire, sed et facere atque implere veraciter valeam. Et si, Domine, C tibi placuerit, adde adhuc etiam pro efficaciori hujus scripturæ impressione, sanctos clavos qui manus et pedes tuos foderunt, necnon lac quod beata ubera tuæ virgineæ Matris tibi præbuerunt. Et nisi ita feceris, Domine, in vanum quodammodo mihi præcipis lege timoris legeque amoris, in vete-

[1] Ex editione Coloniensi Melchioris Novesiani, 1534.

ri Testamento et in Testamento novo, ut te diligam. Idem sensisse videtur, Domine, ille singularis amicus et amator tuus, quum diceret : Da, Domine, quod jubes, et jube quod vis. Nisi enim, Domine, nostrum tu conatum juveris, sibi ipsi relictus remanebit inanis. Sine te quippe nihil validum, nihil sanctum, nec quisquam sanctus viribus suis. Verumtamen novi quoque, Domine, quod tu promptior es ad dandum gratiam, quam nos, heu ! simus ad desiderandum et accipiendum. Hoc dico in propriam meam confusionem, Domine, et in tui justificationem.

Augustinus.

ARTICULUS II.

Exponitur præceptum de diligendo Deum, et quid sit « ex toto ».

Discipulus. — Bene sum memor, Domine, tui de diligendo præcepti ad sciendum, sed utinam etiam ad faciendum. Nescio tamen si recte intelligam quæ legi et audivi. Ubi ergo deficio, doce me, obsecro, Domine. Præcipis, Domine, ut te diligam ex toto corde, per quod intelligo, ex toto intellectu, sine errore, totum videlicet intellectum in tuum captivando obsequium; ex tota mente, per quod accipio, ex tota memoria, sine oblivione, ita ut nihil nisi te, et quæ ad tuum pertinent honorem meamque salutem, cogitem ; et ex tota anima, per hoc capio, ex tota voluntate sine contradictione, sic quod mandatis tuis prompte et perfecte obediam, ab eis nec in prosperis neque in adversis declinando. Et tandem addis, ex tota fortitudine, seu ex omnibus viribus : per quod intelligo, ex omnibus potentiis et viribus animæ exsecutivis. Si iste intellectus est secundum te, confirma eum, precor, Domine, in me ; si aliter fuerit, doce me, rogo te. Etiam vellem scire libenter, Domine, cur in dilectionis hujusmodi præcepto ad clausulas singulas addideris « totum », dicens : ex toto corde, ex tota mente, etc.

Matth. xxii, 37 ; *Marc.* xii, 33 ; *Luc.* x, 27.

Dominus. — Quamvis secundum meorum servorum eruditorumque tuorum traditionem verba hæc varie exponantur et bene, iste tamen quem tetigisti intellectus eorumdem verborum, non est inter ceteros minimus, et ideo digne tuæ memoriæ est commendandus. Si autem vis habere verborum horum brevem sententiam, intellige sic, ut diligas Dominum Deum tuum quantum potes, ita ut posse tuum sit tibi mensura tua : quia quanto plus Deum amas, tanto plenius ipsum habes; et quanto plus eum habes, tanto felicior es. Non tamen tantum diligere ipsum tu potes quantum ipse diligi potest, quum ipse sit infinitus, tu vero finitus. Sufficit igitur tibi, ut tantum diligas eum quantum potes.

Discipulus. — Bona est, Domine, hæc doctrina : pro qua gratias tuæ ago bonitati.

Dominus. — Quoniam vero quæstionem moves de totalitate, audi. Si bene esses in scholasticis institutus disciplinis, intelligere posses, quod quantum ad propositum, idem sunt totum et perfectum. Nam etiam secundum mundi sapientes, perfectio est rei integritas consummata, quemadmodum totalitas est partium integralium rei summa multitudo. Quare illud totum seu perfectum meretur dici, cui nihil deest de his quæ ad suum pertinent finem. Et talis totalitas seu perfectio in spiritualibus et inter virtutes, est ipsa caritas : quam ob hoc Apostolus nominat vinculum perfectionis.

Discipulus. — Domine, quia ita est ut tu dicis, territus sum, fateor, ultra modum. Quomodo enim mortalis homo posset totaliter et perfecte te diligere ? Puto namque hoc tantum Beatis fore possibile.

Dominus. — Non ex toto erras. Audi tamen distinctionem, et sic intelligere poteris quæstionem. Totalitas seu perfectio capitur quandoque simpliciter, absolute, seu proprie : et tunc ponitur pro re cui nihil omnino deest, et in qua est omne quod melius est esse quam non esse. Sicque soli Deo convenit. Etiam capitur quandoque non simpliciter, sed secundum quid et contracte : et sic ponitur pro tali re cui nihil deest de his quæ sibi juxta suæ spe-

ciei, vel suæ naturæ, vel etiam gratiæ superadditæ conditionem competunt. Sicque potest convenire creaturis. In præcepto autem dilectionis noveris totalitatem seu perfectionem capi non pro his quæ homini ex natura competunt, sed pro talibus quæ homini competunt per mores et gratiam. Et debes scire, quod totalitas seu perfectio secundo modo accepta, distingui potest in habitualem, quæ est in pueris baptizatis, et adultis dormientibus, et ceteris hujusmodi; necnon in continuam et actualem sine interpolatione, ut in Beatis; atque in discontinuatam et interruptam, qualem ad minus oportet esse in omnibus in gratia gratum faciente exsistentibus, et hæc venialia peccata quandoque secum admittit. Ex his collige, quod quicumque est sine peccato mortali, est in statu totalitatis seu perfectionis catholicæ.

Discipulus. — Bona sunt quæ dixisti, Domine. Sed rogo ut planius aliquid inde dicas.

Dominus. — Totum seu perfectum quandoque capitur stricte, pro omnibus quæ haberi possent; et quandoque large, pro his quæ alicui de necessitate competunt. De secundo, non de primo modo totalitatis seu perfectionis præceptum dilectionis intelligendo, potes ipsum bene implere: quod et sufficit ad salutem. Sicque capiendo totum seu perfectum, non solum expedit, sed et necessarium exsistit ut nec contra nec supra Deum, sed et nec æqualiter Deo quidquam diligere præsumas. Et ab hac totalitate seu perfectione diligendi nemo se excusare valet, qui usu rationis saltem non caret.

ARTICULUS III.

Perfectio quid sit, et quomodo est duplex.

Discipulus. — Tetigisti aliquid, Domine, de perfectione occasione hujus termini, « totum » : de qua materia opto plenius informari.

Dominus. — Intellige quod vera justorum perfectio consistit essentialiter et per se in amplitudine caritatis Dei et proximi, præceptorumque Dei ex caritate observatione; accidentaliter vero seu instrumentaliter consistit in consiliorum Dei ex caritate impletione. Præcepta enim ordinantur ad ea quæ caritati sunt contraria, scilicet contra peccata; sed consilia ordinantur ad removendum ea quæ caritatis perfectionem possent impedire, licet non omnimode sint caritati contraria, ut sunt peccata venialia. Ad caritatis autem perfectionem tendere tenentur religiosi per consiliorum semitas, propter professionis solennitatem. Sæcularibus vero sufficit ad hujusmodi perfectionem caritatis ire per viam mandatorum Dei, licet difficulter et periculose id possit fieri.

Discipulus. — Domine, ex his videtur eliciendum, quod religiosi sint perfectiores et in statu perfectiori quam communiter sæculares, quum illi per arctas consiliorum tuorum incedant semitas, et isti ambulent per vias mandatorum tuorum latas. Attamen constat quod tam in veteri quam in novo Testamento, utriusque sexus fuerunt homines, atque adhuc hodie sunt, qui non secundum consilia tua, sed secundum tua præcepta vixerunt, in conjugio constituti, divitiis abundantes, et ea quæ sunt sæculi nequaquam deserentes : quos tamen magnæ fuisse perfectionis minime dubitamus. Exemplum de Abraham, David, et ceteris.

Dominus. — Bene arguis. Sed audi declarationem. Aliud est esse perfectum, et aliud est esse in statu perfectionis. Circa quam materiam multi erraverunt, distinctionem hanc ignorantes. Stat igitur aliquos esse in statu perfectionis, qui tamen sunt imperfecti : quales interdum reperiuntur tepidi religiosi, verbis et moribus dissoluti, habitu religionis quasi contenti. Sic et econtra stat nonnullos fore in statu quasi imperfectionis, qui tamen sunt perfecti, quia perfectorum habent opera : quales nonnulli reperiuntur sæculares, etiam laici, operibus caritatis abundantes, necessitate inevitabili servientes sæculo,

sed toto affectu adhærentes Deo. Est tibi quoque notandum, quod perfectionis status est duplex : quorum unus est perfectionis acquirendæ, alter perfectionis exercendæ. Primus judicatur securior, et consistit in exercitiis spiritualibus quibus ad caritatis apicem ascenditur, utpote in votis tribus religiosorum, disciplinis, jejuniis, orationibus, et ceteris hujusmodi. Secundus videtur altero præstantior, licet sit periculosior; et consistit in ponendo animam pro fratribus ex abundantia caritatis. Et quemadmodum iste secundus pertinet ad ovium Christi pastores et rectores Ecclesiarum, puta prælatos, episcopos, abbates, etc.; ita primus spectat ad religiosos et sæculum relinquentes.

Discipulus. — Domine, ex verbis tuis his elicio, quod in sola caritate consistit vera perfectio, et quod hic dicendus est perfectior, qui caritatem habuerit majorem, etiam licet statum teneat inferiorem. Unde videtur et mihi, quod religiosi inaniter quodammodo disputent de superioritate suorum Ordinum, nisi ad caritatis excellentiam habuerint respectum.

Dominus. — Recte judicasti; hoc fac, et vives. Debes etiam notare, quod licet innumerabiles possint dici perfectionis gradus (quia in domo Patris mei mansiones multæ sunt), tamen ad certam poteris eos reducere divisionem. Dic ergo, quod perfectio seu totalitas caritatis, seu perfecta dilectio, capta secundum totalitatem diligibilis et diligentis, scilicet Creatoris et creaturæ, sit una. Et hæc nulli creaturæ est possibilis. Sed est et alia, capta secundum totalitatem absolutam solius diligentis, qua diligentis affectus totus semper in Deum feratur. Nec ista est alicui viatori possibilis, sed habet tamen locum in patria in Beatis. Insuper est adhuc alia, capta secundum hanc totalitatem qua excluduntur ea quæ dilectionis motui in Deum repugnant. Hæc viatoribus possibilis est, ac ad salutem sufficiens et necessaria.

Joann. XIV, 2.

Discipulus. — Domine, quia docuisti

A servum tuum saluberrima, gratias tuæ pietati. Lætificat quoque, quod non a me omnem requiris totalitatem seu perfectionem in diligendo, sed contentaris in aliquali. Sed væ misero, quia nescio si in gradu sim infimo aut minimo tuæ dilectionis, vel si inde quidquam habeam. Fac ergo mecum misericordiam, misericordia mea.

ARTICULUS IV.

B *Modus ac media tendendi ad perfectionem.*

Discipulus. — Sum, Domine, jam bene informatus de totalitate et de perfectione in præcepto de diligendo; sed vellem, bone Domine, libenter aliquid audire etiam de hoc, quia supra dixisti, quod religiosi nihilo minus teneantur ex solennitate professionis ad totalitatem seu perfectionem quamdam dilectionis præ aliis. art.

Dominus. — Et in hoc exaudiam te. Tu non satis observasti verba quæ dixi. Non C enim dixi religiosos ad perfectionem obligatos fore simpliciter, sed dixi ipsos ad perfectionem tendere debere. Intellige ergo quod valde felix esset religiosus, si perfectus foret; sed si hoc non potest, sufficit sibi ad salutem, ut intentionem habeat in dilectione semper proficiendi et ad perfectionem veniendi.

Discipulus. — Bone Domine, desidero audire a te si qua hujusmodi tendentiæ sint signa, ex quibus intelligere valeam in me an sim in tali tendentia, an non.

D Dominus. — Quia cupis proficere, non dedignor te instruere. Signa tendendi ad perfectionem multa sunt : de quibus ista pauca nota. Signum bonum hujus tendentiæ est, si semper steteris humiliter in timore Dei, de meis donis tibi per me collatis te non extollendo, neque de tuis viribus ac de bene per te actis præsumendo, sed totaliter hominem nihili te ex corde reputando, omnemque hominem te meliorem æstimando. Bonum quoque hujus tendentiæ signum est, si pro Dei amore

libenter consolationes carnis mundique prospera respueris, atque adversa tam corporalia quam spiritualia libenter sustinueris. Similiter signum bonum tendendi est, si conscientiam tuam sæpe discusseris, si pure et frequenter confessus fueris cum firmo emendandi proposito.

Discipulus. — Heu me miserum, qui pene nihil de his signis tendentiæ in me invenio! Miserere mihi, Domine, et me paterne emenda, obsecro.

Dominus. — Si emendare te volueris, dabo tibi etiam doctrinam de mediis seu instrumentis quibus hujusmodi tendentiam ad perfectionem juvare poteris.

Discipulus. — Eia, Domine dulcissime, hoc desidero ex toto corde.

Dominus. — Si vis ad dilectionis tendere perfectionem, necesse est ut studeas mentis tuæ vitiosas passiones edomare, puta iræ, invidiæ, acediæ, suspicionum, etc., puritatique et tranquillitati cordis operam dare, occupationes superfluas vitare, verborum et morum levitates fugere, silentium et solitudinem diligere, orationes frequentare, affectum et intellectum spiritualibus occupare, ad Deum sæpius suspirare, corde frequenter dicere : O Deus meus, quando vis mihi dare ut perfecte te possim diligere? Deum in cunctis suis operibus benedicere, a proficiendi studio non tepescere, cogitareque sæpe quam magnam mercedem recipient qui magni fuerunt in perfecta dilectione : sic enim mercatores faciunt, qui cogitantes de lucro laboribus non parcunt, etiam si timeant de periculo.

Discipulus. — O Domine Deus meus, quam utilia instrumenta tendendi ad perfectam dilectionem servum tuum indignum docuisti! sed (ut videtur) satis ardua, et absque tua gratia mihi quodammodo impossibilia.

Dominus. — Non audisti aliquando, quod
xviii, quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum? Habeto proficiendi bonam voluntatem, spera in Deo, et fac quod in te est : sicque cito senties per

A gratiam facile quod per naturam fuit difficile ; et quod videbatur impossibile, senties paulatim multum possibile.

ARTICULUS V.

Signa quibus conjecturatur si quis sit in caritate.

Discipulus. — Ex quo, bone Domine, tam dignanter meam ignorantiam docuisti de signis et instrumentis tendendi ad perfectionem dilectionis, valde desidero etiam
B audire de signis (si qua sint) unde intelligere valeam an sim in caritate.

Dominus. — Nisi parcerem tuæ simplicitati, darem tibi responsum minus gratum. Cur non ad mentem tibi venit quod scriptum est, quia nemo scit utrum amore Eccle. ix, 1.
an odio dignus habeatur? Verumtamen quia non curiose, sed studiose inquiris, non præsumptuose, sed pie cupis, accipe quod petis.

De lege communi noveris hæc signa neminem satis scire posse, præsertim quibus
C habeatur de hoc certitudo : sunt tamen nonnulla spiritualia exercitia ex quibus conjecturative spes concipi potest, si quis in his frequens fuerit, atque in talibus usque in finem perseveraverit, quod hic in caritate sit. Verbi gratia, perpende bene in te si Deum semper, aut saltem frequenter, in cunctis tuis cogitationibus, verbis et factis habeas præ oculis, ipsum ubique præsentem sentiendo, et quomodo ipse scrutatur Ps. vii, 10.
cunctorum renes et corda pensando, ac ipsum propterea in omni loco humiliter
D reverendo. Hoc est bonum signum quod non sis sine caritate. Item bonum est signum quod habeas aliquid de caritate et quod non sis absque gratia, si libenter cum Deo in orationibus aut meditationibus et de Deo cum hominibus loqueris, atque loqui de Deo libenter in prædicationibus aut lectionibus audieris ; item si Deum libenter videris in suis operibus mirificis, et in venerabili altaris Sacramento, inde gratias agendo ; item si delectaris visitare loca in quibus frequentius Deus in-

venitur, puta ecclesias, Sanctorum limina, A et alia loca sacrata. Item si (prout proprium est amicorum) Domino Deo tuo miseris sæpius munuscula devotorum suspiriorum, piorum gemituum, devotarum lacrimarum et ferventium orationum, ab eoque gratanter vice versa receperis sua quibus suos honorare consuevit amicos xenia, puta opprobria, injurias, irrisiones, labores, dolores, infirmitates, gravitates, et quæcumque adversa, corporalia et spiritualia, quum magnum non sit pro beneficiis et in prosperis gratias agere, nam B etiam ethnici norunt pro bonis gratitudinem reddere : si sic feceris, confidere poteris te non totaliter sine caritatis gratia exsistere. Item si valde lætaris quum Deum laudari a suis fidelibus audis, et maxime contristaris quum ipsum a peccatoribus inhonorari cernis; bonum signum est quod aliquid de caritate habeas. Item si ex corde congaudes proximi tui prosperitati, tanquam tuæ felicitati propriæ, atque ex animo condoles aliorum miseriis, tam corporalibus quam spiritualibus, puta infir- C mitatibus et tentationibus, tanquam tuis propriis adversis ; hoc sit tibi signum in bonum quod non ex toto a caritate sis vacuus. Item si habueris animarum zelum, trahendo quoscumque potes ad Deum, orando, verbo, exemplo, increpando, obsecrando ut Deus in omnibus laudetur ; argumentum est alicujus in te caritatis. Item si conatus fueris pro posse sequi me in virtutibus, maxime quas verbo et exem-
Matth. XI, 29. plo te docui, scilicet mititate et humilitate ; signum est quod meus sis filius, D quum filiorum sit patribus assimilari, et hoc non fiat sine notabili caritatis gratia. Et si post hæc signa, hoc unum adhuc adjectum signum in te senseris, scilicet ut propter Deum veraciter et non ficte diligas tuum inimicum, non dolens de injuriis per eum tibi illatis, sed magis condolens suo (quia in te deliquit) periculo, pro peccatorum illius remissione cordialiter orando ; spem magnam habere poteris quod non ex toto sine caritate sis.

Discipulus. — O Domine Deus meus, qu caritas es, da mihi hæc caritatis signa. Tu nosti, Domine, quia nullus præter te sufficit hoc facere.

ARTICULUS VI.

Descriptio caritatis varia, et quomodo differt a dilectione et amore.

Discipulus. — Libenter peterem, Domine, si auderem, etiam informari quid sit caritas in se, cujus signa, ut præmisisti, sunt ita ardua. Oportet quod sit aliquid magnum, quod tam magnificum ac varium signorum prærequirit apparatum.

Dominus. — Bene sentis, recte loqueris. Jam immediate dixisti, quod Deus sit caritas. Si hanc vocem bene intelligeres, videlicet quomodo Deus sit caritas, tunc posses etiam alia plura de caritate intelligere. Intellige ergo juxta apostoli et evangelistæ mei qui plenus fuit caritate, scilicet juxta Joannis verba, quomodo Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, videlicet tanquam amans in amato, et tanquam participans in participato, et Deus manet in eo, tanquam habitator in sua domo propria, et tanquam Dominus in tem- *Ps.* plo sancto suo. Nolo tamen putes quod Deus sit illa caritas essentialiter aut formaliter quæ ad diligendum immediate movet absque aliquo caritatis habitu. Hoc enim divinæ derogaret perfectioni : sicuti etiam Deus non potest esse alicujus rei causa formalis aut materialis; sed est bene Deus causa rei efficiens aut finalis. Nota etiam quod habitus caritatis procedit immediate a gratia, veluti a lumine gratiæ infusus. Unde apostolus meus Paulus ait : Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux *Eph* in Domino. Ab hac itaque luce procedit caritas, sicut a lumine naturali virtutes procedunt morales. Deus autem per suam gratiam movet caritatis habitum ad operationes caritatis : non tamen movet animam sine habitibus. Hæc caritas nihil aliud est quam dilectio qua Deus amatur

propter se, proximusque in Deo aut propter Deum. Est quoque ipsa caritas quædam vita quæ donatur a Deo, ac virtus virtutum; ceteræ autem virtutes sunt quasi hujus vitæ munitiones, ut non vita ipsa mortem incurrat per aliquod peccatum, videlicet mortale. Nam caritas cum peccato mortali stare non potest: itaque peccato mortali adveniente ipsa recedit.

Discipulus. — Gratias tibi, dulcissime Domine, quia tam dignanter erudis me.

Dominus. — Ex quo gratias agis, potiora ut audias dignus eris. Adverte quod caritas adhuc multis aliis modis describitur. Caritas est virtus qua unaquæque res habetur tanti quanti est habenda, qua et Deum videre inardescit animus eoque perfrui desiderat. Estque virtus quæ melius experientia quam doctrina discitur; et est, proprie loquendo, forma habitualis superaddita potentiæ naturali, inclinans ipsam potentiam ad caritatis actus. Estque amicitia hominis ad Deum, eaque Deus homini suam communicat beatitudinem. Est nihilo minus ipsa caritas quoque virtus primam attingens regulam, omnem actum virtuosum regulantem, scilicet Deum. Estque virtutum forma, sine qua nulla vera virtus esse potest neque perfecta, veniens in hominem per Spiritus Sancti infusionem, potentiam excedens naturalem : quæ potest ex Spiritus Sancti gratia simul et ex hominis merito augeri quidem, sed nequaquam minui, quin potius tota per peccatum mortale corrumpitur atque exterminatur. Et est in incipientibus studium a peccato recedendi, tanquam terminus *a quo;* in proficientibus est studium in bono proficiendi, tanquam terminus *ad quem;* in perfectis vero est desiderium Deo semper inhærendi, tanquam terminus in quo quies exsistit desiderata et finalis.

Discipulus. — Domine, alta sunt quæ dixisti, et nescio an cuncta sane intelligam. Dic igitur, obsecro, piissime Domine, aliquid inde planius. Præsertim scire vellem an caritas, dilectio et amor sint

A unum, et quid tandem tibi facio, quum te diligo aut amo.

Dominus. — Non possum tibi adversari, quando humiliter cupis informari. Potes non incongrue capere unum pro reliquo, quando de caritate fit sermo. Est tamen caritas, proprie loquendo, gratiæ, dilectio voluntatis, sed amor naturæ. Vel amor importat magnum affectum ad Deum, dilectio majorem, sed caritas maximum. Unde patet quod sunt unum in re, sed differunt aliquo modo in ratione. Ex his

B potes perpendere consequenter, quid mihi facias, quum me diligis. Ut tamen amplius tuæ condescendam simplicitati, dic mihi, quid est carum? unde caritas nomen accepit? Nonne a pretioso et non vili? Et quid est dilectio, nisi duorum quasi simul ligatio aut collectio? et quid amor, nisi mutua animorum unio? Ecce, o parvule, lac tibi exhibui, qui cibum non capis solidioris verbi. (I Cor. III, 1, 2.) Igitur, quum Dominum Deum tuum ex caritate amas aut diligis, tunc eum, et non aliud ab eo, concupiscis, et vis eo

C frui, ipsumque vis habere et possidere : atque ideo eum præponis cunctis tibi caris, complacentiam habens magnam in ipsius perfectionibus, dolensque valde quod a te et ab omnibus non potest digne satis honorari. Et in his poteris ad tantum delectari, si frequens et constans in talibus fueris, quod spiritus tuus in Deum quasi absorbebitur, unus quasi spiritus cum Deo factus, nihil desiderans, nihil volens nisi quod ipse, cum maxima cordis dulcedine. Nec quidquam videbitur tibi difficile, præ

D ipsius nimio amore : imo et mortem turpissimam libenter sustinebis propter ipsum, ex maxima dilectione.

Discipulus. — Eia, prædulcissime Domine, laus tibi mille millies et in infinitum pluries, quia tam pie docuisti meam ignorantiam. Bone Domine, quod posuisti in servuli tui utcumque cognitionem, pone, quæso, hoc ipsum etiam in meam affectionem. Nosti namque, Domine, quia sicut ardere parum est, ita et lucere vanum. Nisi igitur utrumque junxeris, unum sine

altero nihil mihi proderit. Da ergo ut lux cognitionis in mente etiam ardeat igne amoris in corde.

ARTICULUS VII.

De figuris caritatis in sacris Litteris, ejusque laudibus.

Discipulus. — Video, Domine, quod non inconvenienter dixerim caritatem esse aliquod magnum, in simplicitate mea; et ut mihi videtur, non potest satis laudari. Unde desidero valde, bone Domine, ut non dedigneris pauperculo tuo aliquid de ejus commendatione reserare.

Dominus. — Quamvis esset utilius caritatis nosse experimentaliter operationem, quam ejus scire magistraliter commendationem; tamen, ut eo amplius desideres eam habere quo magis intellexeris ipsam pluribus laudum titulis fulgere, audi quæ dico.

Matth. VII, 17. Caritas figurata est in illa arbore evangelica quæ fructus bonos facit. Item figurata est per Psalmistam in umbra alarum
Ps. LVI, 2. in qua ipse speravit; in aquila Ezechielis,
Ezech. I, 10. cujus facies desuper ipsorum quatuor; in
Gen. VII, 21-23. arca Noe, in qua nullus periit, et extra
Cant. VI, 9. quam nullus salvatus fuit; per auroram consurgentem, diei æternitatis prænuntiam; per aurum terræ Hevilath, supra cun-
Gen. II, 11, 12. cta mineralia optimum; per non mixtum
Eccli XXIV, 21. balsamum, quia non admittit peccati mortalis consortium; per clavem regni cœlo-
Matth XVI, 19. rum, quia nemo sine caritate habebit illic
IV *Reg.* II, 11. introitum. Item currui Eliæ assimilatur, quia per ipsam in cœlum homo vehitur.
Matth. XIII, 46. Ipsa quoque comparatur evangelicæ margaritæ, pro qua emenda res ceteræ sunt distrahendæ; comparatur melli de petra, quo
I *Reg.* XIV, 27. gustato, Jonathæ oculi illuminabantur;
Ps. XLIV, 10. comparatur vestitui deaurato quo cœlestem sponsam Psalmista vidit indutam.
Ps. XVIII, 6. Item designatur per solem, in quo Deus suum posuit tabernaculum. Vestis nuptialis
Matth. XXII, 12. ipsa verissime accipitur, sine qua nemo ad cœlestes nuptias intromittitur. Denique

A ipsa etiam per velum templi quod in morte mea ruptum est, proprie figuratur: quia per peccati mortem seu mortale peccatum et ipsa rumpitur. Hæc si non tibi sufficiunt figurative, audi adhuc alia de caritatis laude.

Caritas est virtus virtutum, inter omnes virtutes tenens principatum. Ipsa namque ceteris virtutibus tribuit vigorem, et cunctis bonis operibus præstat valorem. Quare et recte dicitur pondus sanctuarii, qua cuncta bona ponderantur in conspectu Dei.
B Ipsa adveniente, omnia sunt sana; ipsa abscedente, omnia sunt inania. Sine ipsa nihil validum, cum ipsa totum sanctum et meritorium. Sicuti liquoribus cunctis supernatat oleum, ita super virtutes omnes ipsa tenet dominium. Ut inter metalla præfulget aurum, sic inter virtutes ipsa omne excellit meritorium. Ipsa multitudinem cooperit peccatorum, et stolæ primæ reddit ornatum. Ipsa omnium bonorum est mater, cuncta reddens pacata; et ideo merito inter fructus spiritus per apostolum meum Paulum in capite locata.
C

Caritas est gratia gratiarum, caritas est summa summarum omnium meritoriorum. Qui eam habet, nihil illi deest; qui eam nescit, omni bono deficit. Cum quo ipsa habitat, hic et aliorum bonis communicat; et quo amplius ipse se aliis impenderit, tanto plus dives fit. Hæc est etiam illa quæ sola inter regni et perditionis filios discernit; in qua sola quoque lex pendet et Prophetæ. Hæc est insuper summum sacrificium ad placandum Deum,
D sine quo nec martyrium aut quodcumque aliud bonum potest Deo esse acceptum.

Hæc quoque est illa virtus quam diabolus maxime persequitur in homine: quia valde eam odit, quum noverit quod Deus ipsam plurimum diligat. Contra hanc virtutem nulla prævalet fortitudo, nulla potentia, nulla violentia: quia ipsa cunctis est fortior, non metuens mortem, neque omnia mundi et inferni tormenta. Igitur qui eam habet, facile cuncta despicit,

nihil est quod ipsum terrere possit. Qui eam habet, testimonium habet quod sit filius Dei. Qui eam habet, perire non potest, etiam si totus mundus contrarius illi esset. Sic namque ipsa hominem Deo et Deum homini conglutinat inseparabiliter, quamdiu adest, quod mortalis fit quasi immortalis, infirmus fit insuperabilis, et terrestris fit cœlestis : imo fit quasi divinus, ex participativa unione qua in caritate jungitur Deo.

Audistine satis de laudibus caritatis, et placetne talis virtus ?

Discipulus. — O clementissime Domine, gratias tuæ clementiæ agant, oro, omnes Sancti tui, quia docuisti me tam bona, cordi meo super mel et favum suavia. O quam felix essem, si quidpiam de tam nobilis et magnæ virtutis donariis adipisci possem ! Eia, bone Domine, qui nosti servuli tui desiderium, ne patiaris, quæso, mendicum tuum a te abire vacuum. Tu enim solus es, piissime Deus, qui largiris caritatem.

ARTICULUS VIII.

Quantum humilitas valeat ad obtinendum caritatem.

Dominus. — Audivi tuum intentum : quod quidem approbarem, si non videretur præsumptuosum. Tu namque præsumis te dignum ad recipiendum tam pretiosum caritatis donarium, et non satis attendis an habeas aptum ad hoc in quo ipsum recipias vasculum. Vasculum loquor cor tuum, quod (ut nosti) est adhuc peccatorum et vitiosarum passionum spurcitiis plenum. Vide igitur si sit justum ut tanta puritas in tam fœtentem projiciatur cloacam.

Discipulus. — O Domine Deus meus, parce, obsecro, parce meæ temeritati, ignosce iniquitati, miserere infirmitati, succurre meæ cæcitati. Peccatorem me confiteor, beneficiis tuis me indignum fa-
A teor. Caritatem petere tamen præsumpsi, quia eam peccatorum multitudinem ope- I Petr. IV, 8.
rire intellexi.

Dominus. — Verum dicis, quod caritas peccatorum multitudinem operit ; sed intellige de his qui peccata sua per contritionem et confessionem humiliter aperiunt, non de illis qui sua peccata ex timore aut tumore dissimulant aut abscondunt.

Discipulus. — O Domine, modo intelligo quid vis. Puto enim quod velis ut prius
B exhibeam humilitatem, antequam accedam ad caritatem ; prius debeo fundamentum humilitatis in me fodere, et post ad caritatis fastigium adspirare. Novi, Domine, quod hæc est via regia et hic ordo rationis est, ut primo purgationem recipiam, antequam quæram salutis medelam.

O sancta humilitas, mater, custos et ornamentum ceterarum virtutum, veni ad me amore ejus qui te nos verbo et exemplo docuit, atque ab hora suæ nativitatis usque ad mortem crucis te in omnibus
C suis gestis comitem habuit ; qui et Matri suæ cunctisque majoribus suis amicis te tam familiarem fecit, ut in eis ubique reluceres. Veni, obsecro, in cor meum ; veni, et dic mihi quis ego sim, ut per hoc Domino Deo meo valeam placere et ad caritatem aptus fieri. O veneranda humilitas, ope tua adjutus cognosco me peccatorem vilissimum, omni miseria plenum, attamen vane adhuc præsumptuosum, nullo Dei beneficio dignum, damnationi perpetuæ ultra quam millesies (ut timeo)
D obnoxium. Peccavi namque innumerabiliter contra Dominum Deum meum et in Sanctos ejus, contra me ipsum et in proximum meum, non tantum ex infirmitate et insipientia, sed ex mera malitia. De quibus, ut timeo, nunquam satis contritus sum, nunquam sufficienter confessus ; nec unquam digne pro his, ut debui, satisfeci. Et nescio pro certo si in conspectu districti Judicis, Domini Dei mei, sint mihi dimissa peccata, aut forsan in futurum reservata.

O misericordia mea, Domine Deus meus, (A) *Ps.* cxlii, 2. ne intres in judicium, obsecro, cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Tibi namque proprium est misereri semper et parcere. Non autem dubito, Domine, quin multi sint in inferno perpetuo damnati qui minus te offenderunt quam ego. Attamen illos perdidisti, mihi pepercisti. Locum pœnitentiæ et spatium vitæ mihi misericorditer indulsisti; illos e medio ad moriendum indispositos tulisti. O Deus meus, ad quantam tibi proinde obligor gratiarum actionem! Non (B) tamen, proh dolor! sic facio; sed peccata peccatis quotidie accumulo, offensiones, heu! multiplico, et emendo me in nullo. Væ tibi, duritia cordis mei, quod nec timore horribilis gehennæ nec amore cœlestis gloriæ ad compunctionem emolliris. Non propter accepta beneficia nec ob imminentia supplicia concuteris, silicem superans frigiditate et adamantem duritia, tuo torpore et obstinatione. Non tibi blandiaris nimium de Dei misericordia, strictissima ejus neglecta justitia. Est enim et (C) justus et misericors, ita nullum relinquens malum impunitum, sicut nullum bonum dimittit irremuneratum: quanquam unum citra condignum, et ultra condignum reliquum exhibeat. *Ezech.* xviii, 23. O Deus meus, qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat, fac cum me perdito peccatore ut fecisti cum latrone in cruce, cum Magdalena, Petro, Paulo, Zachæo, Matthæo, et aliis peccatoribus, de quibus magnos fecisti Sanctos. Hoc enim, Domine, magis *Rom.* ix, 22, 23. erit ad gloriam nominis tui, quum vide- (D) licet vasa iræ commutas ex mera tua bonitate in vasa misericordiæ, et quum ea quæ apta erant in interitum, assumis ad gloriæ cœlestis complementum.

O sancta humilitas, gratias tibi, quia tetigisti utcumque cor meum. Rogo, mane semper mecum, et para iter dominæ tuæ et meæ in me, sanctæ videlicet caritati. Scio quippe, quia qui major est in humilitate, hic est et aptior ad proficiendum in caritate.

ARTICULUS IX.

De dilectione proximi, et quomodo ho[c] præceptum intelligatur.

Dominus. — Quia cognoscis te ipsum, docebo te quid ultra pertineat ad meum de diligendo præceptum. Non enim mihi sufficit ut diligas me, nisi etiam proximum tuum diligas in me aut propter me.

Discipulus. — O bone Domine, loquere, quia audit servus tuus.

Dominus. — Qui perfecte diligere vult Deum, necesse est ut diligat et proximum sicut se ipsum. Hoc præceptum dilectionis innuit. Hoc rectæ rationis dictamen requirit. Quomodo namque quis prudens credet te diligere talem dominum cujus contemnis servum? Constat etenim, quoniam qui quempiam vere diligit dominum, diligit non tantum et ejus servum, imo et ipsius canem, et quidquid pertinet ad ipsum. Itaque, si vis ut credatur tibi, quum dicis, Diligo Deum; ostende hoc erga tuum conservum propter Dominum: alioqui dicetur quod mentita sit iniquitas sibi. Si enim *P[s.]* proximum quem vides, non diligis, Deum 12. quem non vides, quomodo potes diligere? *I Jo[an.]* 20. Quis etiam diligit regem, et ejus contemnit imaginem?

Discipulus. — Bone Domine, libenter volo tui amore meum diligere proximum; sed, rogo, doce me diligendi modum, et quis per vocabulum proximi accipiendus sit.

Dominus. — Accipe per vocabulum proximi omnem hominem, sit ille inimicus vel amicus, justus vel peccator, Judæus vel paganus; imo omne quod est beatum aut beatificabile, qualis est omnis homo viator, quales et sunt omnes Sancti in cœlo, necnon omnes animæ in purgatorio, quales etiam omnes angeli boni sunt: quia tales omnes sunt beati, aut beatitudinis capaces, et ideo tibi sunt diligendi, tanquam tui proximi. Sicque exclusos a dilectione hujusmodi intellige solum spiritus malignos et homines jam damnatos:

Quia hi tales non sunt perpetuæ beatitudinis capaces.

Debes autem diligere proximum tuum sicut te ipsum. Intellige dictionem « sicut » sane, videlicet non secundum æqualitatem, sed secundum similitudinem, id est, dilige proximum simili modo quo te diligis, si recte te diligis, non tamen tantum quantum te diligis. Hoc est dicere : In eo in quo te diligis, illum dilige, hoc quod tibi cupis, etiam illi cupiendo. Vide igitur ut diligas proximum tuum propter Deum, in Deo et secundum Deum, ex ejusdem caritatis sinceritate qua te ipsum diligis, quando te recte et bene diligis, exclusa omnis sinistræ affectionis corruptela, puta carnis, cognationis, beneficentiæ, aut alterius hujusmodi. Tunc autem recte diligis te ipsum, quum te diligis propter Deum et ad Dei honorem, ut Deus sit finis hujus dilectionis, non tu ipse. Sic dilige et proximum spiritualiter, videlicet hoc servato ordine : primum, ut diligas animam tuam ; secundo, animam proximi tui ; tertio, corpus tuum ; quarto, corpus proximi tui. Ex his poteris elicere, quod plus diligere teneris animam proximi quam corpus tuum, et plus proximi corpus quam bona tua temporalia.

Et adverte diligenter, quod ordinata dilectione diligere debes et te ipsum et proximum ad triplicia bona consequenda, scilicet : ad bona suprema et maxima, quæ consistunt in felicitate æterna ; et ad bona media et magna, quæ consistunt in Dei gratia, in virtutibus et in bonis operibus, quibus mediantibus mereri potest perpetua beatitudo ; et ad bona infima et temporalia, quæ consistunt in donis naturæ et fortunæ bonis, mediantibus quibus homo potest (si his bene usus fuerit) pervenire ad bona media, et tandem quoque ad suprema. Verum contingit quandoque talibus abuti, et sic melius foret homini his carere quam ea habere : ut patet de potentia, divitiis et honoribus, de sapientia, fortitudine, pulchritudine, sanitate, eloquentia, et ceteris transitoriis prærogativis, quibus (licet hæc Dei sint dona, et in se bona) multi male utuntur, in Dei injuriam, proximorum gravamen et propriam perditionem. Hæc bona ultima debes sub differentia, sub conditione et sub certo moderamine, et non simpliciter, tibi et proximo velle et optare, videlicet, si et in quantum prodesse poterunt ad Dei honorem animarumque salutem. Et si quando in bonis hujusmodi proximum damnificasti, age pœnitentiam, et labora ad restitutionem possibilem : alioqui non credas te secundum caritatis legem ambulare.

Discipulus. — Domine mi, o quam salutarem mihi tradidisti doctrinam ! Da ut eam implere queam. Adhuc tamen unum me movet, Domine, super quo peto responsum. Præcipis namque ut diligam te et proximum. Cur non etiam præcipis ut diligam me ipsum ?

Dominus. — Non fuit hoc necessarium, sed foret superfluum. Naturale namque est ut homo se ipsum diligat. Sed et si recte sapis de dilectione Dei, tunc etiam intelliges quomodo dilectio tui includitur in dilectione Dei. Diligendo quippe recte Deum, diligis tuum verum, unicum et summum bonum ; diligendo autem tuum bonum, utique diligis te ipsum.

Discipulus. — Gratias tibi, dulcis Domine, quod tam benigne audisti me. Intelligo namque jam ex Propheta, quoniam qui te non diligit, sed iniquitatem diligit, ille *Ps.* x, 6. non se ipsum diligit, sed odit animam suam.

ARTICULUS X.

Dilectio inimici quomodo et quare sit adimplenda.

Discipulus. — Dixisti, Domine, jam immediate, quomodo dilectio proximi etiam inimicum comprehendat : ita quod etiam tanquam proximum diligere debeam meum inimicum. Fateor, Domine, quia durus est hic sermo : et quis potest eum, non dico tantum audire, sed et facto (ut tu vis) im-

plere? Nosti, Domine, quoniam natura hoc A non habet : quin imo recalcitrat, odio laborat, vindictam affectat, et læta fronte inimicum respicere non valet; insuper et sola inimici memoria hominem vexat. Sed et bestiæ ex naturali instinctu non consueverunt diligere se lædentes : quin potius eos odio habent, licet diligere norint eos qui ipsis benefaciunt.

Dominus. — O pauper homuncio, quam simpliciter arguis! Dic, quæso, an non plus sis quam bestia? Bestia ex naturali instinctu regitur, tu rationis ductu. Illa B movetur sensu, tu intellectu. Illa moritur tota, quando caro deficit; tu perpetuo manes, quum spiritus corpus relinquit. Perpende igitur, si non obligatus sis merito ad majora quam bestia. Non tamen nego hic adesse difficultatem, sed non concedo impossibilitatem. Quod igitur natura refugit, gratia operari valebit. Quare, si per adoptionis gratiam filius Dei dici et esse volueris, necesse est ut patrem in virtutibus imiteris, qui pro suis inimicis in cruce (*Luc.* xxiii, 34.) oravit, quemadmodum et protomartyr meus C S. Stephanus fecit, atque nonnulli alii (*Act.* vii, 60.) Sancti similiter egerunt. Attende Moysen et Paulum : quorum primus optavit deleri (*Exod.* xxxii, 32.) de libro vitæ propter eos qui eum voluerunt lapidare; secundus vero concupivit (*Rom.* ix, 3.) anathema fieri pro eis qui sanguinem ipsius sitierunt. Intellige quod affectus in eis loquebatur, qui quasi securi de Dei dilectione, comminabantur quasi amantis et amati separationem propter proximi dilectionem, sine quo, si possibile foret, noluerunt soli salvi fieri : quod utique ma- D gnum fuit signum in eis fraternæ caritatis. Vade, et tu fac similiter. Si autem causaris de rei magnitudine, scias ei et magna præmia reposita esse. Si oculos velles interiores aperire, posses intelligere quod inimicus esset tibi diligendus potius quam amicus. Quare? Quia ille est tibi causa merendi, si patiens fueris; iste vero coronam tibi minuit, quia nihil apponit. Et diligendo eos qui te diligunt, similis es (*Matth.* v, 46.) ethnicis et publicanis, imo et bestiis, quæ etiam diligunt suos benefactores. Sed diligendo inimicos et eos qui te oderunt, assimilaris Deo tuo et ejus magnis amicis. Modo elige cui similari velis potius.

Discipulus. — Gratias tibi, piissime Domine, quod ita bene informasti me. Vellem tamen libenter audire adhuc rationes alias cur præceperis mihi ut proximum diligam.

Dominus. — Sit tibi ratio sufficiens, quod ego qui errare nequeo nec quemquam decipio, hoc præcepi et volo impleri. Tamen quia tardus es ad intelligendum, audi adhuc. Proximus tuus et tu venistis originaliter de uno patre Adam : igitur estis fratres. Imo magis estis fratres ex uno patre Deo, qui vos ad imaginem et similitudinem suam creavit. Etiam eritis simul (si volueritis) regni cœlestis cives et heredes. Ego hominem quia maxime diligo, debes diligere et tu quod ego diligo : alioqui tuam ad me dilectionem pro nihilo reputo. Diligere teneris quoque proximum, quia hoc est naturæ consonum : vides enim quod omne animal diligit simile sibi. Unde (*E... 19.*) non sine causa discipulus ille quem maxime diligebam, dicere frequenter solebat : Filioli, diligite invicem. Novit enim hoc (*I Jo... 11, ... 11.*) esse a me præceptum. Et ideo addidit : Quod solum, si fuerit bene servatum, satis est. Apostolus meus quoque Paulus ponit efficacem diligendi proximum rationem, qua diligenter pensata, posses utiliter manuduci ad dilectionem proximi. Comparat enim pluries corpus meum mysticum (*Ro... 5; I... 15; x... seq... iv, 1... 29, 3...*) (quod est Ecclesia, cujus ego caput utique sum) corpori organico seu naturali. Sicut autem in tuo corpore unum membrum alteri non invidet, sed membra se invicem fovent et quasi diligunt, nec unum tantum sibi, sed et ceteris membris servit, ac uno læso, alia sibi compatiuntur; sic quoque esse deberet in corpore meo mystico, inter meos videlicet fideles, in dilectione fraterna, ut uno gaudente, alii sibi congauderent, ac uno dolente, alii sibi condolerent. Hanc similitudinem si sæpe præ oculis haberes, cito in dilectione fraterna

proficeres. Et ut plura verbis concludam A paucis, noveris quod ego solus debeo tibi causa esse dilectionis tam Dei quam proximi ; nec aliquam aliam debes tibi diligendi rationem assumere, si non vis errare et gratis laborare.

Attende super hoc mellis similitudinem. Quid diligitur in melle ? Nonne dulcedo ? Itaque, si propter sui dulcedinem mel diligis, certe diliges et favum. Quare ? Quia et in favo mel habetur. Est enim favus, mel in cera. Accipe igitur per mel, dulcedinem dilectionis divinæ; per favum vero, dulce- B dinem dilectionis fraternæ, id est proximi tui, in quo est, aut si actu non est, esse tamen poterit, Dei bonitas, justitia, veritas, et ceteræ virtutes quæ a Deo homini insunt seu inesse poterunt. Si autem videris deficere mel favi, et receptacula vacua, dole, et ora Deum ut replere ea misericorditer dignetur. Si autem non est de hoc spes, prout constat de spiritibus malignis et animabus jam damnatis, tunc committe Deo : quia ad talium dilectionem non teneris, quum Deum et ejus dona in eis non C invenias. Sicut igitur Deum diligere debes, quia in se est bonus ; sic etiam diligere debes proximum tuum, quia ex bono Deo bonus est, aut bonus fieri potest ex Dei bonitate. Hoc est dicere summarie : Dilige Deum ut mellis dulcedinem et propter se ipsum suasque perfectiones ; et dilige fratrem ut mellis favum, scilicet in Deo, si fuerit justus, aut propter Deum, si fuerit peccator, qui regredi tamen potest justificandus, virtutes Dei in eo veras, non temporalia, carnem, divitias, etc., D amando.

Ex his collige, quod licet duo sint præcepta caritatis (Dei videlicet et proximi) distincta, unum tamen sine altero rite impleri non potest : quia non possunt in actione separari ; sed si perfecte diligis Deum, diligis et proximum, et si proximum recte diligis, tunc et Deum diligis, sive ille sit amicus, sive inimicus, Judæus, paganus, etc.

Discipulus. — O Deus meus, parce peccatis meis. Quia nescio an digne diligam amicos, heu ! quomodo tunc sinceriter diligere potero inimicos ? Tuum donum hoc erit, Domine. Igitur quod minus est in me suppleatur per te.

ARTICULUS XI.

Ad diligendum Deum quomodo movent beneficia et perfectiones ejus.

Discipulus. — Multum necessaria de proximi dilectione, Domine, docuisti servum tuum : de quo valde regratior. Sed revertamur, obsecro, ad primum et maximum mandatum, scilicet de diligendo Deum. Ibi enim multa adhuc me movent, super quibus melius informari opto. Specialiter tamen libenter haberem aliqua meam tarditatem in tui amorem incitantia. Non enim satis me (proh dolor !) movet, quia tu hoc præcipis, quia facientibus promittis bona, et quia non curantibus minaris mala : ideo adde, quæso, aliqua attractiva.

Dominus. — Miror de tua ruditate, quum audieris sæpe de divina potentia, sapientia et bonitate, anne in istis copiosam habeas amoris materiam.

Discipulus. — Verum quidem est, Domine, quod dicis ; sed et verum est, prout nosti, quod ego dicere volo. Delectat me, bone Domine, tecum loqui : quare rogo ut mecum habeas patientiam, et non avertas a me indigno tuo servo faciem tuam. Quid- *Ps.* xxvi, 9.
quid enim, Domine, tu dicis, hoc magis mihi sapit, citius me illuminat, plus me inflammat, et tenacius memoriæ meæ inhæret.

Dominus. — Multa sunt quæ ad diligendum Deum merito hominis mentem movere debent. Beneficia solent facile movere animum ; sed oportet te circa talia esse cautum. Non enim Deus est diligendus tantum propter beneficia aut munera, quum sic diligere consueverint etiam ipsi adulatores, avari, inopes, et fatuæ mulieres ; sed potius Deum debes diligere pro-

pter suas multas et magnas perfectiones, hoc est propter semetipsum. Dilige ergo Deum, non tantum quia tibi bonus et tibi (*Ps.* CXVII, 1 et seq.) misericors, sed quia ipse in se est bonus, et quia in sæculum misericordia ejus. Est tamen nihilo minus Deus propter sua beneficia diligendus, sed non tamen principaliter nec solum propter beneficia, sed principalius et maxime propter ipsius perfectiones : alioqui haberes Deum viliorem, et dona ejus meliora quam ipsum, quia ipsum non diligeres, si tibi non benefaceret. Igitur cum multa gratiarum actione debes ejus recipere beneficia ; sed non debent pedes affectionum tuarum illic sistere gradum : quin imo debent pergere ultra, usque ad ipsum benefactorem et in ipsum, per amorem intimum, ita ut in ipso solo principaliter tuus delectetur animus, etiam si nullum tibi conferret beneficium.

DISCIPULUS. — O Domine, jam notabile me docuisti punctum ; gratias tibi. Scribe ipsum, rogo, in corde meo, ne oblivioni per me tradatur ; et dic, quæso, servo tuo aliquid de tuis perfectionibus.

DOMINUS. — Quamvis cœlum et terra et omnia quæ in eis sunt, dicant intelligentibus de Dei perfectionibus satis, tamen (*Prov.* III, 32.) quia de numero simplicium es, cum quibus libenter mea est sermocinatio, audi. Quis soli lucem, lunæ splendorem et stellis fulgorem dedit? Quis noctis tenebras et diei claritatem fecit ? Per quem facta sunt elementa et elementata ? Unde est motus orbium et vicissitudo temporum? Per quem (*Job* XXVI, 8.) in aere suspenduntur nubes, ut quandoque pluant, quandoque se contineant ? Unde astris vis influendi in inferioribus istis? Quis spirat aerem ? et quis ventorum facit alterationem ? Quis volucrum species in aere discernit? Quis in eis pennarum varietatem et modulationum suavitatem posuit? Per quem fit maris fremitus et tranquillitas (*Ibid.* 10 ; XXXVIII, 10.) ejus ? Quis aquis posuit terminum, ne cooperiant totam superficiem terræ ? Quis numerabit piscium et belluarum in mari et undis varietatem ? Quis terræ multiplicat fecunditatem ? Quis replet eam pecudibus, animantibus, reptilibus et vermiculis ? A quo viscera terræ et venæ dotantur auro, argento, aliisque mineralibus ac pretiosis lapidibus ? A quo recipiunt arbores fructum, herbæ virorem, flores odorem, gemmæ medendi vim, et radices sanandi effectum ? Unde inest melli dulcedo, aceto aciditas, unguentis fragrantia, vino virtus cor lætificandi, cibo vis corpus sustentandi ? Unde est in hominibus complexionum varietas, linguarum diversitas, morum singularitas, tantaque in faciebus discrepantia, ut vix duo ita similes inveniantur inter mille, quod in eis non notari aliqua possit differentia ?

Hæc sic vel breviter perstricta sint, ut ex his sensibilibus, ejus qui omnia hæc facit, videlicet Dei tui, elicias aliqualiter potentiam, sapientiam et bonitatem atque perfectionem. Sed longe amplius relucet divina potestas in invisibilibus et cœlestibus, puta in spiritibus humanis et angelicis, nobilissimis creaturis suis, et in eorum virtutibus, gratiaque et gloria. Hæc tamen omnia parva sunt respectu perfectionis illius quam habet Deus in se, et quæ per se est ipse. Modo considera anne talis Dominus sit honore et amore dignus.

DISCIPULUS. — O Domine Deus meus, quam magnus et perfectus es in te, qui tam magnificus in tuis reluces creaturis ! Eia, quis mihi dabit ut te digne velim, sciam et valeam diligere toto corde, teque honorare, laudare, benedicere et glorificare devotissime ? Nosti, Domine, quia nullus præter te hoc mihi potest tribuere. Igitur qui moves affectum, confer etiam in his, obsecro, effectum.

ARTICULUS XII.

Beneficia particularia quomodo ad dilectionem provocant.

DISCIPULUS. — Piissime Domine, dixisti superius, quod beneficia habeant efficaciam provocandi ad dilectionem, quan-

quam cautelam adjeceris de non sistendo A tibi. Vellem ergo libenter audire a te quomodo me habere debeam in recogitando specialia beneficia tua illa quæ mihi indigno tam misericorditer et largiter concessisti. Nosti enim quod grossus sum.

Dominus. — Cogita, si quis tibi oculum erutum, vel nasum, manum aut pedem amputatum, restitueret, quam dilectum talem haberes. Igitur multo fortius utique diligere debes eum qui te totum fecit secundum corpus et animam, deditque tibi esse et vivere; qui te non bestiam, non B terræ vermiculum, non insensatam rem fecit, sed creaturam rationalem, æternæ beatitudinis cum sanctis angelis capacem; qui secundum corpus te fecit sanum, integrum, robustum, non claudum, non cæcum, non monstruosum, non defectuosum; qui non permisit te in utero matris, in infantia in igne, aqua, aut alias in periculis diversis, prout multis contingit, ante legitimam ætatem interire; quique a multis periculis animæ et corporis te, ut nosti, per totam vitam tuam præservavit, imo et C a talibus nonnunquam miraculose liberavit; qui te multis donis naturalibus, fortuitis et gratuitis honoravit; parentes, etsi simplices et pauperes, honestos tamen et catholicos, tibi providit (si enim habuisses parentes infideles, puta paganos vel Judæos, etiam possibile est te fecisse ut ipsi); quique tibi secundum animam contulit ingenium bonum, memoriam tenacem, rationem perspicacem, litterarum scientiam competentem, virtutesque naturales et morales; et (quod his amplius est) D qui tibi post nativitatem carnis, concessit renasci per sacri Baptismatis gratiam secundum spiritum; qui animam tuam sibi desponsavit per sanctam catholicam fidem; qui etiam te non solum inter suum clerum suosque ministros, levitas et sacerdotes, sed et inter domesticos suos, scilicet inter religiosos tam solennis religionis Cartusiensium, annumerare dignatus est; quique cetera bona omnia, si qua habes, tibi gratis, absque tuo merito contulit, et plura alia contulisset, si te ad ejus gratiam aptasses, atque adhuc paratus est alia plurima beneficia conferre, si tu idoneum te ad ea faceres. Nunc itaque cogita diligenter anne talis benefactor sit tua dignus dilectione, ut eum super omnia diligas.

Discipulus. — O Domine Deus meus, quanta dignus sum confusione, et quanta demerui supplicia, quia nunquam pro tot, tantis et talibus beneficiis tanto benefactori fui unquam gratus, neque te Dominum Deum meum pro his ut debuissem dilexi, sed et (quod pejus est) te ad iracundiam meis peccatis provocare non erubui, mala tibi pro bonis reddendo! Et ut verum tibi fatear, Domine, quando tua dona in me recogito, meaque mala quæ feci contra te, mente pertracto (quod utinam frequentius facerem), mirum est quod cor meum præ dolore non rumpitur, et quod non totus in lacrimas amarissimas resolvor, quia tam pium, magnum et potentem Dominum tam graviter offendi ego nequam servus, stercus et vermiculus, pulvis et cinis, ad nihil valens, Domine, nec in aliquo utilis sine tua specialissima gratia. O Domine Deus meus, misericordia mea, ignosce, et emendationem, quæso, largire.

ARTICULUS XIII.

Creatio et redemptio quomodo ad dilectionem faciunt.

Discipulus. — Misericordissime Domine, dic (rogo) mihi figmento tuo, si qua sint adhuc alia in tui amorem incitantia. Nosti namque mei tarditatem intellectus, et frigiditatem mei affectus.

Dominus. — Satis es tardus et frigidus, si te non movent quæ supra commemorata sunt.

Discipulus. — O dulcis Domine, movent quidem; sed libenter haberem copiosam materiam pro fastidii propellenda miseria, et ad excitandam meam pigritiam. Igitur ne irascaris, quæso, meæ importunitati.

Dominus. — Quia piis desideriis consue-

vi promptus intendere, accipe quod petis. Tactum est immediate supra aliquid de hoc per quem factus sis. Audi nunc quomodo sis factus atque post perditionem reparatus, id est, qualiter sis creatus et redemptus. Quæ duo si bene pensares, sufficientem diligendi Dominum Deum tuum materiam haberes. Considera diligenter
Gen. I, 26, 27. quia factus a Domino Deo tuo es (quantum ad animam) ad ejus imaginem et similitudinem. Ecce quanta nobilitas, habere in se imaginem et similitudinem Dei ! Et quum in Adam per originale peccatum perieras, factus filius mortis perpetuæ ; antequam esses natus in hac luce, ego propter te fieri homo non dubitavi. Mortalem me feci tui amore, ut a morte te
I *Petr.* I, 18, 19. liberarem et ad vitam reducerem. Nolui te redimere auro vel argento, neque per angelum vel ullam creaturam ; sed placuit magis mihi hoc facere meo proprio sanguine, nimio tui victus amore. Ecce quanta pietas, servum redimi domini sanguine! Ideoque pensa bene si ego dignus sim vice versa amari.

Discipulus. — Fateor, Domine dulcissime, quod superdignissimus es omni amore qui possibilis est creaturæ tuæ; et parce quod nunquam digne te dilexi. Utinam adhuc hoc possim facere, Domine, tuo ex speciali munere. Sed quoniam dixisti, Domine, me ad Dei factum imaginem et similitudinem, obsecro, doce meam simplicitatem quid sit in anima mea Dei mei imago et ejus similitudo.

Dominus. — Multa de hac materia dici utiliter possent ; sed accipe pro nunc parum inde pro tui informatione, quia inferius loquendum erit inde latius. Imago Dei in anima tua relucet, si tuo pro modulo infatigabiliter memor Dei fueris, Deum intellexeris et Deum amaveris. Tunc enim facis hoc quod semper facit Deus : quia ipse semper meminit sui, intelligit se et amat se. Ideoque totum quod vivis, debes referre ad memorandum, intelligendum, amandum atque laudandum summum bonum, quod est Deus. Hoc si feceris, crea-

A tionis tuæ dignitatem qua ad Dei tui ima-ginem secundum animam factus es, in te salubriter exprimis. Similitudinem vero Dei in anima tua ita intellige : si Deum tuum consideraveris esse bonum, justum, misericordem, et sic de ceteris ejus virtutibus, et eum imitari conatus fueris, ut etiam pro tuo modulo contendas esse bonus, justus et misericors ; Dei tui similitudinem utiliter in te ostendis. Vides ergo quoniam dignior est imago quam similitudo. Nam similitudinem quamdam habent
B cum homine etiam pecora : quia moventur, comedunt, bibunt et sentiunt, sicut homo. Imaginem autem hominis nihil veraciter habet nisi alter homo, ejusdem cum ipso naturæ cujus est imago. Pro his ergo dilige Dominum Deum tuum, et diligendo lauda, laudandoque persevera, quia ad hoc tam nobiliter creatus es. Quod si feceris indeficienter, eris beatus perenniter.

Discipulus. — Eia, Domine Deus meus, gratias tibi, quia tam dignanter meam
C illuminasti cæcitatem. Da, quæso, servo tuo in his profectum efficacem. Hoc mihi, Domine, ut nosti, est valde necessarium. Tua factura sum, opus manuum tuarum.

ARTICULUS XIV.

De redemptione et vita Redemptoris.

Discipulus. — Nondum satis dixisti, Domine, de reparatione seu redemptione mea per tuam facta passionem, qualiter illa
D facit ad tui dilectionem.

Dominus. — Non possunt omnia simul dici, neque multa simul capi. Audi igitur nunc consequenter quod postulas, propter tuam de imagine et similitudine quæstionem dilatum. Magnum est quia te creavi, magnum similiter est quia te redemi. Sed dic mihi in simplicitate tua, quid horum tibi videtur majus, et quid te in his permovet amplius ?

Discipulus. — Domine, ut verum fatear, utrumque beneficium, creationis videlicet

et redemptionis, valde magnum est; me tamen magis movet ipsa redemptio quam creatio.

Dominus. — Et quare hoc ?

Discipulus. — Domine, in mea et omnis creaturæ formatione videtur quod tua magis resplendeat potentia, quæ ut placuit omnia fecit; sed in mea et totius generis humani redemptione plus videtur tua relucere caritas, quæ se continere non potuit quin redimeret per te quod perierat ex se. Etiam, Domine, sine labore cuncta creasti, sed maximo cum labore et dolore nos redemisti. Nam per verbum, Fiat, omnia facta sunt; sed per Verbum incarnatum, crucifixum et mortuum, quæ lapsa erant, reformata fuerunt. Nosti quoque, Domine, quod nihil nasci profuit, nisi redimi profuisset. Ergo, piissime Domine, plus mihi sapit, magisque me tibi afficit, et obligatiorem me tibi reddit, quia per te redemptus sum, quam quod per te creatus sum. Domine, si erro, doce me et ignosce, peto.

Dominus. — Non erras, sed recte judicas. Habes etiam tecum concordantes in hoc Patrum sententias. Vide igitur quomodo sis gratus, gratitudinem ostendendo dilectione, et dilectionem probando operis exhibitione.

Discipulus. — Habeo, bone Domine, voluntatem, sed tribue, precor, facultatem complendi quæ dicis, agendi quæ vis. Meum est, Domine, applicare vasculum, sed tuum est infundere oleum. Da ergo, piissime Domine, ut nunquam obliviscar quomodo ut nequam servum redimeres, te ipsum tradidisti; ut reum mortis absolveres, mortem sponte subiisti; ut mortem nostram occideres, vitam libenter posuisti; ut exsules tuos ad cœlestem revocares patriam per te, exsilium triginta tribus
xv, 4. annis voluntarie pertulisti; ut ovem centesimam et drachmam decimam recuperare posses, proprios humeros spontaneos supponere, et domum totam evertere, factus homo, manens Deus, non distulisti. Beneficia innumera nobis terræ vermiculis conversando nobiscum exhibuisti, docendo, consolando, sanando, obsecrando, increpando, propter nos quoque vigilando, orando, jejunando, discurrendo, et labores innumeros sustinendo. Et licet nostri amore hæc nostra infirma, Domine, pertuleris, non tamen divinitatis tuæ virtus interim latere mortales potuit: quin imo in naturæ mutatione, in spirituum immundorum expulsione et mortuorum suscitatione mirifice resplenduit.

Et quid pro his talibus ac tantis recepisti, Domine, beneficiis a nobis miseris ? Certe modicam gratitudinem, imo (quod pejus est) injurias, blasphemias, contumelias, irrisiones, in dictis et factis tuis observatores, insidiatores, detractores, calumniatores, et tandem persecutiones manifestas. Nam dixerunt tibi Judæi : Non est *Joann.* ix, 16.
hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Vorax et potator vini est, amicus pu- *Matth.* xi, 19.
blicanorum. Homo peccator est. Samaritanus es, et dæmonium habes. *Joann.* ix, 24. *Ibid.* viii, 48.

O Domine Deus meus, quanta est tua patientia, quia tam humiliter sustinuisti talia ! Gratias, dulcissime Domine, tibi ago, utinam acceptissimas; et desidero ut omnes Sancti tui id suppleant quod miseriæ meæ non valent. Omnia enim hæc pertulisti mei amore. Heu ! quare ergo te non cordialissime diligo, ego nequam servus tuus, quem tu tamen ita vehementer diligis ?

ARTICULUS XV.

Passio Domini summarie pro excitanda dilectione.

Discipulus. — Gratias tibi, bone Domine, quia tam laboriosam et dolorosam mei amore duxisti in terris vitam. Sed gravissimum et crudelissimum habuisti vitæ finem et mortem : unde adhuc amplius tibi obligor. Et quanquam hujus historiam sciam, audirem tamen libenter eam, Domine, a te, ut ex tua collocutione valeam ad ampliorem tecum familiaritatem pervenire. Loquere ergo, dulcissime Domine,

ut audiat servus tuus, non solum auribus corporis, sed potius auribus cordis intimis.

Dominus.— Memento et diligenter mente pertracta, quomodo tui amore pro tuaque salute in ultima cœna me habui ad meos discipulos, quid eis feci, et quæ eos docui ac qualia eis prædixi, ut et ipsi postmodum alios de his informare possent. Cum eis caritative cœnavi. *(Matth. xxvi, 17 et seq.)* Traditorem meum a cœna non repuli. Agnum paschalem ad terminandum veterem legem cum eis comedi. *(Joann. xiii, 5. Ibid. 12-15.)* Pedes eorum manibus propriis lavi, atque linteo detersi. Cur hoc fecissem, ipsis declaravi. *(Matth. xxvi, 26-28.)* Me ipsum eis ex maxima caritate in cibum et potum sub Eucharistiæ mysterio dedi. Sacramentum corporis et sanguinis mei saluberrimum sic instituì, et novum Testamentum inchoavi. *(Joann. xiii, 31 et seq.)* Sermonem longum, profundum et omni suavitate plenum eis feci. Contristatos consolari curavi ; Patri meo eos commendavi. Non tantum pro eis, sed et pro credituris per verbum eorum in me oravi.

(Matth. xxvi, 30. Ibid. 31, 34, 46.) Post hæc cum eis in montem transii Oliveti. Scandalum eis venturum in me, Petro negationem et adventum meorum *(Ibid. 39-44.)* inimicorum prædixi. Orando ter ad Patrem pro calicis imminentis ablatione, in tantam veni sicut verus homo anxietatem, *(Luc. xxii, 44.)* ut sudor meus fieret tanquam guttæ sanguinis in terram decurrentis. *(Matth. xxvi, 47-49, 15.)* Interim appropinquabat Judas cum armatis, qui et osculo me tradidit illis, quibus me prius pro triginta argenteis vendidit. *(Ibid. 56.)* Fugiunt a me discipuli. *(Ibid. 70, 72, 74. Joann. xviii, 12, 13, 24.)* Petrus dicit se me non nosse. Inimici mei ligant me, derident me, trahunt me hinc inde ut latronem. Vix quisquam mihi compatitur. Ex fuga discipulorum et de eorum desolatione tristitia mihi augetur. *(Marc. xiv, 65. Ps. cxxviii, 3.)* Velant mihi oculos, supra dorsum meum fabricant, conspuunt faciem meam, alapis et colaphis me fatigant. Subsannationes, blasphemiæ, injuriæ, contu- *(Luc. xxiii, 10, 11.)* meliæ et vexationes quas sustinui, non sunt omnes scriptæ.

A pontificibus, rege, præside, Scribis, Pharisæis et eorum ministris contemptus sum. *(Matth. xxvi, 60, 61 ; Luc. xxiii, 2.)* A falsis testibus sum accusatus, ab injustis judicibus sum condemnatus. Nemo pro me fuit, nullus mihi adstitit. Ego tanquam mutus os non aperui, me excusare nolui. Tanquam fatuum in alba me veste deriserunt, et velut culpabilem flagellis et virgis absque aliqua pietate corripuerunt. Veste purpurea abjecta ut fictum regem me induerunt, spinis coronaverunt, arundinibus caput meum percusserunt, et arundinem pro sceptro mihi in manum dederunt; irrisorie genua coram me flectebant, et, Ave, rex Judæorum, dixerunt ; alapas mihi dederunt, et faciem meam conspuerunt. Sine cessatione, Crucifige, crucifige, contra me clamaverunt. Tandemque optione eis data per Pilatum eligendi, elegerunt latronem, et me tanquam pejorem damnari ad mortem crucis sua importunitate obtinuerunt.

Supplicium crucis propriis portavi humeris ad montem Calvariæ inter latrones, quasi unus essem ex eis, cum fatigatione maxima. *(Ma[…] 23; […] xxvi[…])* Vino myrrhato cum felle mixto me potaverunt. Vestibus me spoliaverunt. In terram me projecerunt. Funibus in cru- *(Ps. […])* ce sic me extenderunt, ut ossa mea omnia possent dinumerari. Violenter nimis me *(Joan[…] 18.)* clavis cruci confixerunt, et crucifixum inter duos latrones erexerunt. *(Ma[…] xxvi[…] 40.)* Illudentes capita movebant ; ut de cruce descenderem, si rex Israel et Filius Dei essem, suggesse- *(Lu[…] 39.)* runt. Unus latronum etiam me blasphemavit. Sed et nimium auxit meam afflictionem dolor Matris meæ hæc videntis, cujus *(Joan[…] 26, […])* cor novi ; quam et pro aliquali consolatione Joanni commendavi. Ad tantam veni angustiam, quod ad Patrem meum clama- *(Ma[…] xxvii[…] Joan[…] 28, […] Ma[…] xxvii[…] Ibid[…] Luc. 38.)* vi : Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? Quum, Sitio, dixissem, aceto cum hyssopo me potabant. Milites inter se vestimenta mea sibi diviserunt, et super tunicam inconsutilem sortem miserunt. Causam mortis meæ super caput meum Pilatus posuit litteris Hebraicis, Græcis et Latinis, scribens : Hic est Jesus Nazarenus, rex Judæorum.

(Joan[…] 30. Luc[…] 46.) Post hæc omnia dixi : Consummatum est. Et non diu post subjunxi : Pater, in

manus tuas commendo spiritum meum. loc dicto, capite inclinato tradidi spiri- um, cum multis mirabilibus quæ per to- um mundum fiebant in detestationem anti sceleris quod in me perpetrabatur. Quo facto, latus meum lancea militis ape- ruit, unde sanguis et aqua veraciter exi- vit. Deinde fui de cruce depositus ac se- pulturæ traditus, et quamvis reverenter, amen multum propter Matrem meam et ecum exsistentes dolenter.

Hæc omnia tui amore et pro tua sustinui alute. Nunc igitur vide bene an merue- rim vel non ut diligas me, atque vice ersa patiaris saltem aliquid propter me.

Discipulus. — O Domine Deus meus, onfundor nimis in me ipso, quod nun- uam, heu me miserum ! te dilexi ut de- ui ; et nescio si quidquam tui amore pa- tienter tuli. Domine, da gratiam, obsecro, ut emendare velim, sciam et valeam me veraciter.

ARTICULUS XVI.

Circa passionem considerationes ad devotionem valentes.

Discipulus. — Copiosam ministrasti mihi, Domine, de tua dilectione tractandi materiam : non tamen sic tangit cor meum ut vellem, heu ! culpa mea. Unde videtur quod rebus insensatis sim insensibilior, et lapidibus, heu ! durior. Quum enim in cruce mortem sustineres, tenebræ factæ sunt, terræ motus factus est, petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt, mortui surrexerunt, tibi quasi compatiendo, et injurias contra te factas detestando ; ego autem, proh dolor ! parum tibi compatior. O magna perversitas ! Tu propter me pateris tam gravia, et vix cor meum tangere vult propter te compassionis affectio aliqua. Si essem tuis ex membris, tuque mihi caput, non possem utique non dolere te dolente. Væ tibi, duritia cordis mei. Si qua pietatis viscera forent in te, et bestiam pati videres talia, posses naturaliter, ut

th. 45,51,

A puto, non immerito ad condolendum moveri ; et non te movet, heu ! quum vides Dominum Deum tuum tam gravia propter te ex nimia sua caritate perpeti.

O anima mea, attende, imo omnia mea interiora et exteriora, considerate et diligenter perpendite quis sit hic qui patitur, qualia sint quæ patitur, et ob quam causam patitur. Certe is qui patitur, est verus Deus, Unigenitus Dei Patris, ac verus homo, primogenitus virginis Matris, nobilissimæ complexionis; et ex consequenti ipse B est Rex regum, Dominus dominantium, et Princeps regum terræ. Ipse est etiam Judex vivorum et mortuorum, unicuique secundum opera sua redditurus. Hinc vide, o anima mea, qualia sunt quæ talis ac tantus pati dignatur. Talia certe sunt et tam immania, quod per os Prophetæ conqueri cogitur et dicere : O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor similis sicut dolor meus. Responde ei, o anima mea, et dic : O Domine, vere non est dolor similis. Tu namque habuisti do- C lorem super dolorem propter multiplicem passionem quam passus es in inferiori portione rationis animæ, cui potentiæ sensitivæ conjunctæ sunt. Ideo ex sola terribilium imaginatione tristis facta fuit, te ipso teste, anima tua usque ad mortem. Passus es etiam toto corpore et in omnibus membris tuis : quia a planta pedis usque ad capitis verticem non mansit in te sanitas. Passus quoque es non solum in te ipso, sed et in tuis tibi conjunctis, videlicet in Matre tua tuisque discipulis, quo- D rum afflictionem propter tuam passionem optime novisti. Sed et augebat tuam, Domine, miseriam ingratitudo illorum peccatorum in quibus prævidisti tuam passionem non fructificare posse. Jam etiam vide, o anima mea, causam propter quam hic talis ac tantus talia ac tanta patitur. Ecce tu et ego sumus ei nostris cum peccatis causa tanti doloris. Ut enim pro nostris peccatis Deo Patri satisfacere et ei nos reconciliare, nosque de diabolica potestate et a perpetua damnatione eruere

Apoc. xix, 16 ; i, 5.
Act. x, 42.
Apoc. xxii, 12.
Thren. i, 12.
Matth. xxvi, 38.
Is. i, 6.

valeat, tam crudelia tormenta amore nostri sponte tolerat. Non pepercit sibi Dominus Deus noster, ut parcere possit tibi et mihi. O caritas Domini Dei mei, o perversitas nequam servi, quam estis distantes !

Dominus. — Quia bene arguis, docebo te unde amplius moveri poteris. Vide oculis tuæ mentis diligenter meam in cruce dispositionem. Sto namque in cruce extentis brachiis, ut quoties venire volueris ad me, in amplexibus suscipere queam te. Pedibus strictissime affixus sum cruci, ut intelligas quod recedere non possim neque velim a te. Manibus sto confossis, ut scias quod nihil continere velim de his quæ desiderantur a me, et scias quod clavi non retinent me in cruce, sed caritas qua ab æterno dilexi te, si tamen in mea perseveraveris et tu dilectione. Propterea namque, ut nunquam obliviscerer tui, in manibus et pedibus meis descripsi te tam fortiter, studiose et caritative. Imo et adhuc aliud quod his est majus propter te feci. Nam omnibus his quasi non contentus, lancea militis feci tibi aperiri latus meum, ut tibi liberum darem introitum ad cor meum, ut hinc quoque intelligeres ex quanta caritate mortuus sum pro te. Et tandem, ut citius te ad me possem allicere, et ut obligatius valerem adstringere te mihi vinculo perfectæ dilectionis, propinavi tibi de latere meo post mortem meam veraciter sanguinem et aquam : sanguinem quidem in redemptionis pretium, et aquam in ablutionem criminum, sic te sacramentorum hinc emanantium efficacia libertati restituendo et innocentiæ redonando.

Joann. xix, 34.

Discipulus. — O caritas Dei mei, imo caritas Deus meus, nimis est ultra modum quod pro me fecisti. Mirum est valde quod cor meum præ amore tui non rumpitur, quando tanta signa amoris in te ad se experitur. Vere tu es summus amicorum, cujus amor modum nescit, cuncta transcendit, nullamque comparationem admittit. Quis mihi tribuet ut aliqualem tibi vicissitudinem rependere queam ? Scis, A Domine, quia nullus ad hoc sufficit nisi tu ipse. Igitur, bone Domine, rogo transeat quandoque cum effectu in affectum quod de tui dilectione capio per intellectum.

ARTICULUS XVII.

De amore violento, ejusque conditionibus.

Discipulus. — Si bene memini, Domine, dixisti superius, quod amor, dilectio et caritas pene unum sint. Vellem ergo libenter B informari de aliquibus quæ de amore dici solent : quia fortassis etiam valere poterunt ad nostrum de caritate propositum. Præsertim, quoniam nonnulli loquuntur quandoque de amore violento, ideo desidero, piissime Domine, ut de hoc digneris meam simplicitatem erudire.

Dominus. — Materia de qua tangis, erit ad propositum non inutilis, si ea bene uti quis noverit, gratia mea cooperante. Noveris igitur amorem violentum fore tantæ efficaciæ, ut amantis cor ardoris sui flamC ma ita valeat concremare, alienare, transfigere et captivare, quod amans non videatur sui ipsius compos, sed quasi totus in amati potestatem redactus, animam videlicet amantis præ amati nimio desiderio vulnerando, ligando, languidam faciendo, et ei defectum inducendo.

Discipulus. — Videtur mihi quod aliquando de hac materia legerim aliquid, Domine.

Dominus. — Dic ergo quid legisti.

Discipulus. — Magis vellem, Domine, D quod tu diceres et ego audirem. Plus enim me delectat magisque ædificat vox tua. Verumtamen, quoniam vis ut loquar, dicam in insipientia mea quod memoriæ occurrit. Dicam autem orando, ut tu intendas exaudiendo.

O amor vulnerans, o amor ligans, o amor languorem inducens, o amor defectum faciens, quando venies ad me, ut secundum te diligam Dominum Deum meum. O Domine, nunquam hoc fiet in me, nisi per te. Vulnera igitur, obsecro,

Domine Deus meus, et medullitus transverbera omnia interiora animæ meæ aculeo supermelliflui amoris tui tam valide, ut ipsa anima dicere valeat veraciter, Vulnerata caritate ego sum : ita ut abscondere intus nequeat vulnus amoris quod portat, quin certis foras prodeat indiciis, scilicet pallore vultus, maceratione corporis, profundis gemitibus et altis suspiriis. Alliga etiam, rogo, Domine, tam stricte cunctas mentis meæ vires vinculis beneficiorum tuorum, quibus me tam gratuito prævenisti, naturam bonam donando, virtutes infundendo, et glôriam promittendo, ut quasi impotens mei et tuus totus, nihil cogitare, nihil mentis oculis intueri valeam nisi te unicum animæ meæ dilectum, sive dormiam, sive vigilem, sive quidquam aliud faciam, ceteris omnibus tanquam nihili contemptis. Langueat quoque tota animæ meæ substantia post te et ad te, tuo salutifero liquefacta amore, ita fortiter, ut nihil desiderem, nihil requiram et nihil sentiam nisi unum, nihil mihi sapiat, nihil libeat nihilque æstuanti animæ meæ refrigerium præstare queat nisi unum. Sint cetera omnia mihi oneri, imo et ego mihi ipsi, ut hoc solum unum apprehendere valeam quod tantum sufficit quietare animam meam, cum quo uno et ego unum fiam : quod unum utique tu es, Domine
xviii, Deus meus benedictus. Deficiat etiam, Domine, in salutare tuum anima mea, hoc est, in te et ad te ipsum, qui es Salvator meus, deficiat. Sic autem a se in teque et ad te deficere, est proficere. Deficiat ergo anima mea ferventissimi amoris tui igne totaliter concremata : ita ut quodammodo extra se facta et supra se rapta, videatur non subsistere in se, sed in te, in amoris tui abyssum quasi absorpta, sentiendo non sentiens, et velut amens facta, intelligendo non intelligens, nulla naturæ vi hunc defectum prohibere valente.

Dominus. — Ardua de amore petisti : quæ si obtineres, non parum profecisses. Verumtamen ego aliqua addam quæ tu non tetigisti.

Discipulus. — O bone Domine, loquere, quia audit servus tuus.

Dominus. — Pro adductorum per te confirmatione noveris quod hic amor violentus de quo nunc agitur, tangitur pulchre in Litteris sacris. Nam amor vulnerans innuitur per Prophetam, qui ait : Diligam te, *Ps.* xvii, 2.
Domine, fortitudo mea ; et per Apostolum, quum ait : Quis nos separabit a caritate *Rom.* viii,
Dei? tribulatio? an angustia? etc. Sed amor 35.
ligans tangitur per Prophetam, quum ait : Adhæreat lingua mea faucibus meis, si *Ps.* cxxxvi,
non meminero tui ; item ibi : Adhæsit ani- 6. *Ps.* lxii, 9.
ma mea post te. Amor vero languens innuitur per eumdem Prophetam, quum dicit : Renuit consolari anima mea ; memor *Ps.* lxxvi,
fui Dei, et delectatus sum. Similiter per 3, 4.
Apostolum : Arbitratus sum omnia ut ster- *Philipp.* iii,
cora, ut Christum lucrifaciam. Amor au- 8.
tem deficiens tangitur a Propheta dicente : Quid retribuam Domino pro omnibus quæ *Ps.* cxv, 12.
retribuit mihi? Item ab Apostolo : Mihi vi- *Philipp.* i,
vere Christus est, et mori lucrum. 21.

Discipulus. — Gratias tibi, bone Domine, quia tu supplesti quod neglexi. O supereminentia caritatis Dei, quæ parentum dilectionem vincis, amorem obliviscceris * * oblivisci facis
prolis, affectionem transcendis conjugis, propriam animam homini in odium vertis, et cunctas naturales virtutes transgrederis, quando vis venire ad me, mihique hanc sanctam et salutarem facere violentiam amorosam, ad diligendum Dominum Deum meum amore insuperabili, amore inseparabili, amore irremediabili et amore insatiabili? Hoc enim vult dicere amor vulnerans, ligans, languens et deficiens. O Deus meus, misericordia mea, miserere mei.

ARTICULUS XVIII.

Quomodo quatuor sunt gradus amoris violenti.

Discipulus. — Quia ultra modum mihi suavia sunt quæ tacta sunt, Domine, de violento amore, supplico non displiceat

de tam nobili materia plus tractare. Præsertim delectat, Domine, audire de hujus sancti amoris violenti gradibus, et graduum conditionibus, si sit distinctio in his.

DOMINUS. — Miror quod in tam alta materia delectaris, quum tamen satis haberes agere, te exercitando adhuc in infimis. Vide igitur ut curiositatis vanitate magis quam discendæ veritatis amore non ducaris et seducaris.

DISCIPULUS. — O bone Domine, parce meæ præsumptioni, si tibi non placuerit mea supplicatio. In tantum enim præsumo de tua pietate, Domine, quod meæ indignitatis non satis sum memor. Igitur, dulcissime Domine, ne irascaris meæ temeritati, sed dic dignanter quæ servus tuus audiret libenter.

DOMINUS. — Vicisti tua importunitate : ideoque audi quod cupis de violento amore. Quando mihi complacet in aliquo ut eum meo amore violento velim honorare et dotare, tunc hunc ad solam recordationem mei meo vulnero amore, et tanta inebrio interius dulcedine, ut etiam foris
Cant. IV, 11. innotescat in verbis, quasi habeat mel et lac sub lingua, et tanquam favus distillans
Matth. XII, 34. sint labia sua : ita quod ex abundantia cordis os ejus quoque loqui de amoris mei dulcedine sentiatur. Qua dulcedine amoris mei prævenire consuevi eos quos quandoque de sæculi vanitatibus ad religionis portum traho, ne videlicet observantiæ austeritate territi, retrorsum abeant, in Ægyptum revertentes. Hæc dulcedo spiritualis designata fuit per manna, quo pavi filios Israel in deserto, quum de Ægypto eos educerem. Et diligenter in similitudine hac advertendum est, quod antequam filii Israel hac dulcedine essent digni, oportuit eos Ægyptum deserere, mare Rubrum transire, Ægyptios in mari perire, et cibos Ægyptiacos deficere. Sic quoque priusquam conversos de sæculo manna hujusmodi consolationis reficiam, necessarium est ut mundum relinquant, non tantum corpore, sed et mente ; amaritudinem maris, id est mundi tristitiam, pertranseant calcando ; Ægypti mores, id est opera te-nebrarum, cum curribus et equitibus su[...] demergant in mare contritionis, ac cibo[...] Ægyptiorum, id est carnales consolatione[...] amplius non gustare neque habere curen[...] Tunc demum manna cœlestis consolationis erunt digni. In hoc statu me amant[...] ita me exhibeo præsentem, ut tamen fa-ciem meam anima ejus non videat ; infun-doque ei suavitatem, sed contineo clarita-tem ; accendo ejus affectum, sed nondum illustro intellectum : ideoque ad sequen-tem adspirat gradum. Et hic potest dic[...] primus gradus amoris violenti.

Pro secundo gradu quod dicam accipe[...] Et consistit in hoc, quod anima devota si[...] amans, ita ligatur amati amore ejusqu[...] ardet desiderio, ut dicere audeat : Si inve-ni gratiam coram oculis tuis, ostende mihi te ipsum. Sed scias quod antequam anima diligens et dilecta ad hunc ascendere mereatur gradum, necesse est ut ferventer petat, frequenter pulset et fortiter perseveret, dicendo cum Propheta sæpius : Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem ? quare avertis faciem tuam a me ? Et Ps[...] sic tandem, quando mihi placuerit, misertus animæ talis, elevo intellectum ejus ad contemplandum quæ oculus non vidit, nec I Co[...] auris audivit, ita quod postea poterit dicere cum Propheta : Vidi Dominum facie ad faciem. Et in hac illustratione tanto anima Gen[...] 30. perfunditur gaudio, quod nunquam ejus in posterum valet oblivisci, eodem gaudio tanquam vinculo fortissimo, ut sui impotens, alligata.

In hoc statu cupit anima amans audire quod videt. Sed quoniam ipsum est inaccessibile (quia Deus lucem inhabitat inaccessibilem), nequit hoc ex se perficere : I T[...] 16. ideoque consequenter ad tertium amoris violenti adspirat gradum. Et sic fit de vulnerata atque ligata, quasi languida præ nimia amoris violentia, fatigaturque ineffabiliter, donec per gratiam visitata et confortata, mereatur in divini luminis rapi abyssum : ita ut omnium oblita, etiam se ipsam quasi nesciat, et totaliter in

ecum transeat, omnium carnalium desi- A
eriorum tumultuatione sopita; sicque in ujus animæ cœlo silentium fiat quasi ora dimidia, et quidquid molestiæ prius dfuit, tunc absorbeatur a gloria. Et tunc nima hæc amorosa se ipsam quasi ex- ens, divinum quemdam induit affectum, isæ divinæ pulchritudini configurata, in liam translata gloriam, quemadmodum rrum in igne in aliam transmutatur for- am. Hi sic amore meo languentes, pro- ria nihil agere præsumunt voluntate, ni- ilque proprio reservare volunt arbitrio, B
ed totaliter se meæ committunt provi- entiæ, inter prospera et adversa æquani- es, nec occupant se aliis, nisi ad quæ olentus amor meus languens eos impel- t: ita ut quasi sine libero essent arbitrio, um tamen non sit ita; sed manente ibero arbitrio, excellentior virtus ipsum per gratiam movet et in eo operatur. Hoc pro tertio sit dictum gradu.

Verum huic animæ amorosæ et jam quasi deiformi, adhuc quartus restat pro sui perfectione gradus amoris violenti, C
non quidem exaltationis, sed humiliatio- nis. Oportet namque ut anima hæc ad in-
Philipp. II, 8. star mei obediat ad omnia amore Dei, etiam usque ad mortem, ponendo videlicet quandocumque necesse fuerit, animam suam pro fratribus, nullam propter Deum metuens adversitatem, neque mortem quamcumque, sed magis cupiens mecum fieri Deo Patri in holocaustum odoris suavissimi. Et sic demum homo erit in mea dilectione consummatus, videlicet in hoc quarto
Joann. XV, 13. violenti amoris gradu: quia majorem ca- D
ritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Per hunc gradum fit homo Deo maxime similis, quoniam fit cum eo quodammodo impassibilis et immortalis, ex quo pati et mori non metuit.

Discipulus. — O Domine Deus meus, quam magna sunt quæ dixisti! Supra me sunt longe. Timeo quod nunquam te his amoris quatuor gradibus possim diligere. Laus nihilo minus tibi, quia ostendisti mihi perfecti et violenti amoris gradus. Bonum mihi ut saltem desiderem, etiam si non totum apprehendam.

ARTICULUS XIX.

De angelorum dilectione secundum choros.

Discipulus. — In superioribus, Domine, art. XI.
ostendisti servo tuo quomodo operum tuorum perfectio et excellentia possunt cooperari ad tuam dilectionem, si attente considerentur. Unde videtur meæ simplicitati, quod spiritus angelici, qui hæc melius norunt, et te etiam absque his clarius vident, in tua dilectione sint ferventiores et perfectiores quam nos mortales simus, aut etiam hic esse possimus. O igitur quam libenter vellem, Domine, audire aliquid de spirituum cœlestium dilectione, si de auditis possem fortassis quidpiam etiam in usum meum trahere!

Dominus. — Avidus es satis ad sciendum, utinam et sic ad faciendum.

Discipulus. — Domine, utrumque in tua consistit potestate, parum in mea voluntate.

Dominus. — Ne te excusare valeas per ignorantiam, audi quæ tibi pandam.

Noveris igitur, quod spiritus cœlestes qui Angeli nuncupantur, multum me diligunt, ideo quod irrepercussa mentis acie multam judiciorum meorum abyssum intuentur: quorum judiciorum dilectione ipsi sunt beati, gloriantes atque gaudentes hinc, quoniam mediante eorum ministerio eadem judicia mea palam fiunt in creaturis exsecutionique demandantur. Et in hoc specialiter consistit dilectionis eorum materia. Archangelos quia ad mea admitto consilia, hoc mirabiliter eos delectat, gaudentque quia dispensanda hæc eis per me creduntur. Unde et rationem hinc hauriunt specialem me diligendi. Virtutes vero, quia virtutum et prodigiorum singulariter norunt in me occultas causas, et ad exhibendum ea quandoque destinantur, ex hoc mea in dilectione specialem habent provocationem fervendi.

Potestates autem, quoniam crucis meæ

specialiter contemplantur potentiam ubi- A que attingentem, delectantur modo miro hanc magnificare, et cum hac hominum et dæmonum (quando opus est) temeritatem humiliare, causam me diligendi specialem hinc colligentes. Principatus quoque, cognoscentes in me quomodo ego Coloss. I, 15. sum principium omnium, et primogenitus omnis creaturæ, ineffabiliter in hoc delectantur, me diligentes, unde capiunt a me potestatem principandi, regnaque terræ et Luc. I, 52. principatus moderandi, deponendo videlicet, quum hoc ego voluero, potentes de B sede, et exaltando humiles. Dominationes, meum speculantes super cuncta dominium, et quomodo, quum voluero, ad nutum meum sunt omnia, et quomodo nihil fit in creaturis sine mea voluntate, sine quacumque tamen mea inquietudine, delectabilissimam hinc sibi assumunt me diligendi causam, jucundantes inæstimabiliter in hac speculatione, cum tanta pace, tranquillitate et securitate, ut cetera spirituum beatorum agmina militare et ministrare videantur, his spiritibus pau- C santibus, tanquam eorum dominis.

Et quamvis prælibatis spiritibus beatis singulis copiosa sit ratio me diligendi, prout audisti, est tamen altior et major me diligendi causa spiritibus illis beatis qui Throni dicti sunt. Nam hi tanta mihi familiaritate juncti sunt, quod in eis quasi residens, per ipsos tanquam de consistorio immediate doceo angelum et hominem scientiam : ita ut singuli in cœlo infra eos, et in terra universi ab eis recipiant juxta meum beneplacitum, ad meum honorem D et ad universitatis conservationem, dignitatum et officiorum suorum moderamen et gubernationem. Cherubim autem spiritus hauriunt de me, qui æterna sum Sapientia, scientiæ plenitudinem. De qua admirantes et lætantes in immensum, me maxime diligunt, sapientiæ donum ad meum quoque nutum, prout mihi visum fuerit, pro universalis Ecclesiæ directione et omnium salute singulis distribuendo. Seraphim vero spiritus beatissimi, præ omnibus enumeratis beatis spiritibus cau- sam habent me diligendi hinc potiss- mam, quia ego qui caritas sum, eos ade mihi univi et in amoris mei pelagus ab sorbui, ut unus spiritus mecum omnin esse videantur : quemadmodum apparet i aere quem ignis inflammat, unde recip aer ignis calorem et colorem, ita ut ae non tantum ignitus, sed et totus ign factus videatur. Et quoniam horum sera phicorum spirituum dilectio declaration indiget ampliori, si sane intelligi debeat ideo in consequentibus de hac plus dicen dum restat.

Discipulus. — Pulchra dixisti mihi, Do mine, de angelicorum spirituum dilectio ne. Quibus licet assimilari nequeam, larg re tamen, Rex angelorum, obsecro, ut eo saltem in aliquo imitari valeam : te vid licet ob tuorum æquissimorum judiciorum profunditatem diligendo cum Angelis; propter consiliorum tuorum arcana, cum Archangelis ; ob mirabilium tuorum magnificentiam, cum Virtutibus ; ob tuam summam potentiam, cum Potestatibus. Diligamque te ut omnium fontalem principalitatem, cum Principatibus ; cum Dominationibus, propter tuum imperturbabile dominium ; cum Thronis, ob tranquillissimam tuam gubernationem ; cum Cherubim, ob scientiæ tuæ profunditatem ; et cum Seraphim, propter maximam tuam ad creaturas tuas dilectionem : quia nihil Sap. XI, 2 odisti eorum quæ fecisti. Sicut autem (prout, Domine, tu nosti) cœlestium harum virtutum dilectio est continua, et per nihil impediri, averti aut interrumpi potest quin semper feratur in te ; ita largire mihi tuo pauperculo, ut saltem ad instar eorum te et ego diligam fortius et frequentius absque peccati interruptione.

ARTICULUS XX.

De seraphico amore, ejusque gradibus.

Discipulus. — Promisisti, Domine, de dilectione seraphicorum spirituum plenius

elle disserere; exspectat servus tuus pro-issi impletionem. Multum desidero nam-ue, Domine, audire aliquid de modo dili-endi tam nobilis creaturæ, in qua utique ilectio est perfectior quam in creaturis nis rationalibus ceteris.

Dominus. — Audi quæ dico, et cura ut liquid inde in tuum usum trahere possis: lioqui quid prodest multa scire, et ad cientiæ fructum nunquam pervenire?

Gradus esse noveris in hoc seraphico more. Quorum primum dicere consueve-unt Patres mobile; et non incongrue: uia hic amor seraphicus nullam patitur n amando interruptionem per aliquam ausam aut quietem, sed continue et irre-issibiliter fertur et movetur semper in uum amatum, suique amoris objectum, oc est in Deum.

Post hunc gradum sequitur alius sera-phici amoris gradus, quem nonnulli dicunt incessabile, id est sine cessatione, hoc est infinibile et interminabile: quia iste amor seraphicus nullum recipit suæ magnitu-dinis, intensionis vel augmentationis in sua actione terminum, quum ipsius obje-ctum in quod fertur, id est Deus, sit infi-nitæ potentiæ, sapientiæ et bonitatis, pul-chritudinisque, pietatis et justitiæ. Bene Augustinus. ergo dixit, qui ait, verum diligendi Deum modum esse sine modo: quia infinitus est Deus.

Deinde ponunt aliqui in amore sera-phico pro gradu tertio, calidum; et qui-dem satis congrue. Sicut enim prima actio ponderosi aut levis, est ad locum sibi connaturalem, scilicet deorsum aut sur-sum, quemadmodum patet in lapide et plumis, necnon in terra et igne; ita ope-ratio virtutis amativæ ipsius seraphici amoris, quæ bene igni comparatur, semper sursum tendit in suum objectum deside-ratum, puta in Deum: quia hæc ignea amoris vis nullo modo quiescere valet, nisi in loco sibi connaturali. Et quamvis nondum ad nutum penetret suum ama-tum, est tamen in quadam continua in ipsum tendentia: in qua quidem dulciter

A ardet, et ardendo in immensum se dilatat in gaudio ineffabili sibi soli cognito.

Habet hic amor seraphicus etiam in se pro gradu quarto, acutum. Acutum autem in naturalibus dicitur, quod in motu est velox, et in penetrando subtile: per quæ duo in quod tendit pervenit. Sic et iste amor seraphicus beatissimorum ho-rum spirituum a suo cessare nequit motu, quousque amatum suum citissime et sub-tilissime non solum attingat, sed etiam (quantum possibilitas admittit) usque ad B intima tam profunde penetret, ut modo mirabili unum suo cum amato factus vi-deatur.

Est quoque in seraphico amore adhuc gradus altior, videlicet quintus: qui a nonnullis judicatur esse summus, et vo-catur, secundum tales, superfervidum. Cui tamen alium supersternunt gradum aliqui, quem dicunt simpliciter fervidum. Et non-nulli huic superponunt gradum adhuc alium tanquam summum, quem dicunt inaccessibile. Qui tamen gradus duo, sci-C licet fervidum et inaccessibile, secundum alios, in ceteris gradibus satis compre-hensi videntur. Bene autem hic summus seraphici amoris gradus superfervidum nominatur: quia habet se secundum ali-qualem similitudinem quodammodo ad in-star aquæ bullientis, quæ ex nimio fer-vore extra et supra se saltat continue, licet sua naturali ponderositate relabatur econverso in se. Si vero naturæ virtus ad hoc sufficeret (quod tamen non potest) ut fervor bullientem aquam in sursum eleva-D tione absque relapsu posset retinere, tunc talis aqua dici mereretur proprie super-fervescere, id est plusquam fervida fore. Ita et iste seraphici amoris gradus juste dici potest superfervidus: quia sic in suum amatum tendens, se supra se elevat fer-vore tam ineffabili, quod nunquam in se relabitur, imo (quod amplius est) ut et sui ipsius nescius et extra se factus, totaliter in sui transeat amoris objectum, in eodem irremissibiliter et intimissime continue versando. Et in hoc consistit proprium

ac singularissimum ipsius seraphici amoris privilegium. In quo nullus amor alius, quantumcumque fervens, potest eidem comparari. Unde bene dixit ille qui ait : Non perfecte nec vere diligit, qui cum eo quem diligit, etiam adhuc se ipsum aut aliquid aliud diligit. Amor quippe imperfectus est, quamdiu non se totum perdit in amato, sed cogitat adhuc de se ipso.

Discipulus. — Ignosce, piissime Domine, quia tam altam et nobilem materiam indignus audivi, nescio ob quem fructum. Est enim nimis ultra me. Regratior tamen tuæ pietati, quia condescendere non dubitasti desiderio servi tui. Domine, ut fructum parturiat in me lectio tam pretiosa, hoc in tua stat principaliter potestate. Fiat igitur, peto, Domine, misericordia tua super me, quemadmodum speravi in te. *Ps.* xxxii, 22.

ARTICULUS XXI.

De imagine et similitudine Dei in anima.

Discipulus. — Recordare, precor, dulcissime Domine, quomodo in superioribus promisisti quod velles me de imagine et similitudine Dei in anima mea informare latius. Præstolor igitur promissum ; imple, quæso, pauperculi tui desiderium. art. xiii.

Dominus. — Non nego promissionem, sed reservavi ad congruam loci opportunitatem ejus impletionem. Hoc autem scire te volo primum, quoniam non parum tibi prodesset ad cognoscendum Deum ipsumque diligendum, si bene theologice atque scholastice nosceres animæ tuæ quidditatem ejusque nobilitatem. Intellige igitur quod quomodo Deus est, vivit et sapit, ita et anima rationalis pro modulo suo est, vivit et sapit. Et quamvis anima rationalis sit unius naturæ, habet tamen tres in se vires, in quibus consistit, intellectum scilicet, voluntatem et memoriam. Et sicut in divinis ex Patre gignitur Filius, et ex Patre et Filio procedit Spiritus Sanctus ; ita suo modo ex intellectu generatur

A voluntas, et ex his ambobus procedit me-moria. Rursum quoque, sicut Deus Pate[r] et Deus Filius, et Deus Spiritus Sanctus est tantum unus Deus, et non tres Di[i], attamen tres personæ ; ita anima intelle-ctus, et anima voluntas, et anima memo-ria, tantum una est anima, et non tres animæ in uno corpore, quamvis tres nihil[o]minus sint vires. Ecce habes gloriosæ Trinitatis imaginem. — Accipe etiam ejus-dem in rationali anima similitudinem. Deus est caritas, bonitas, justitia, sancti-

B tas, misericordia, gratia et gloria ; et si[c] de ceteris suis intellige perfectionibus, prout etiam supra tactum est. Ita Deu[s] imagini suæ, id est animæ rationali, indi[dit] ut si non ad omnimodam, saltem a[d] aliqualem conformitatem, habeat in se De[i] similitudinem, scilicet ut homo animal rationale habeat caritatem, sit bonus, justus, sanctus, misericors ; et sic intellige quoque de aliis virtutibus, in quibus quanto quis perfectior fuerit, tanto Conditoris sui similitudinem plenius in se ostendit, ei-

C que propinquior et acceptior erit.

Discipulus. — Non sum immemor, Domine, quid in principio dixeris, quum declarares mihi quomodo intelligendum sit « ex toto corde », id est intellectu, « ex tota mente », id est memoria, et « ex tota anima », id est voluntate. Ideoque recognosco quod mihi bene est necessarium ut de anima rationali aliquid intelligam. art. ii.

Dominus. — Quia sapis hujus scientiæ utilitatem, dicam tibi plus de animæ tuæ nobilitate. Ecce Deus unus est, semper et

D ubique totus, omnia vivificans, movens et gubernans, prout apostolus meus Paulus loquitur, dicens : In ipso enim vivimus, movemur et sumus. Ita anima rationalis suo in corpore ubique tota viget, illud vivificans, movens et gubernans. Et quamvis eadem anima non sit in se diversa, diversa tamen per sensus operatur. Estque anima secundum modulum suum ita in suo corpore, sicuti Deus in universo mundo, interius puta et exterius, superius et inferius. Regendo quippe ipsa est superius, *Act.* xvii, 28.

portando est inferius; replendo est interius, sed circumdando est exterius. Sicque anima est interius, ut extra sit, sic circumdat, ut penetret; sic possidet, ut portet, et sic portat, ut tamen præsideat. Et quemadmodum Deus crescentibus creaturis non crescit, nec eis decrescentibus decrescit; ita et anima rationalis minutis corporis sui membris non minuitur, neque membris auctis ipsa augetur. Ecce quamdam rationalis animæ in his habes deiformitatem, et per consequens ipsius excellentiam et maximam nobilitatem. Quam nobilissimam excellentiam animæ suæ si homo diligenter attenderet, mirum si unquam per peccata degenerem et ignobilem se fieri consentiret.

Discipulus. — Domine, gratias (utinam uberes) refero, quia tam utiliter instructus sum sacro tuo eloquio. Et oro, bone Domine, ut nobilitatem reformare hanc in anima mea misericorditer digneris, conservare et consummare, in tui laudem, et mihi in salutem, aliisque (quantum expedit) ad ædificationem. Da etiam, obsecro, piissime Domine, ut pro gratiarum actione anima mea te tam ferventer ex omnibus suis viribus et potentiis diligere velit, sciat et valeat, ut pervenire tandem mereatur illuc ubi fulget quod non capit locus, ubi sonat quod non rapit tempus, ubi redolet quod non spargit flatus, ubi sapit quod non minuit edacitas, ubi inhæret quod non avellit satietas: ut illic, Domine, te videam sine intermissione, cognoscam absque diminutione, te amem sine offensione, teque laudare merear perpetuo absque fatigatione.

ARTICULUS XXII.

De dilectione perfectorum et imperfectorum.

Discipulus. — Applicationem desiderarem, Domine, horum quæ dignanter effudisti de anima, quomodo videlicet hæc faciant ad dilectionem tui.

A Dominus. — Propterea verbum tibi feci de anima, ut scires quomodo perfecta fieri habeat in anima Dei dilectio. Non potest autem hoc perfecte fieri nisi potentiis animæ seu viribus ejus recollectis: ita ut ipsa toto affectu, ex omni intellectu et cum omnibus suis viribus tendat in unum, hoc est in solum Deum, ceteris omnibus seclusis, hoc scilicet unum solum desiderando, requirendo, et intimi amoris brachiis indesinenter amplexando, sic ut unus spiritus cum Deo factus videatur homo
B per amoris purissimi et ferventissimi liquefactionem, per serenissimæ speculationis illustrationem, et per intimissimam in Dei vultu ab omnium exteriorum strepitu absconsionem, cum quietissima divinæ dulcedinis fruitione, quam timentibus *Ps.* XXX, 20.
se serviliter utique Dominus merito abscondit, sed diligentibus se filialiter ostendit. Ibi omnes vires et potentiæ animæ a suis dispersionibus in unum congregatæ, atque in unum, verum, summum et simplicissimum bonum suspensæ, in quamdam
C divinæ conformitatis perpetuæque stabilitatis similitudinem necesse est transformentur: sic quod reliquiæ cogitationum *Ps.* LXXV,
nulli nisi illi summo bono, quod est Deus, 11.
diem festum agant, maneatque motuum et *Exod.* XVI,
sensuum exteriorum et interiorum quis- 29, 30.
que apud se, ne contra legis præceptum ostium mentis præsumat egredi, quatenus *Ibid.* XII,
sic soli Deo totus interior et exterior homo 22.
sabbatizare valeat, neque dilectam hujus- *Cant.* II, 7.
modi animam ita in cœlestis Sponsi amplexibus quiescentem quisquam suscitare
D audeat, donec ad Sponsi nutum ipsa velit. En modo audisti quomodo fieri habeat perfecta dilectio per virium animæ recollectionem internam, qua mentis dispersio seu evagatio cohibetur. Et proprie ad contemplativos hæc pertinet recollectio atque perfectio hujuscemodi.

Ex præmissis collige, quod quamdiu ratio, memoria et voluntas, quæ potentiæ animæ nominantur, non sunt in te ex toto impressæ Deo, anima tua non meretur dici deiformis, quum tamen animæ ratio-

nalis forma sit Deus : cui formæ anima habet imprimi tanquam signatum sigillo. Quod quidem fit, quum in anima ratio cognitione Dei, qui est summa veritas, perfecte pro sua capacitate illuminatur; et voluntas in Dei amore, quia ipse est summum bonum, digne inflammatur ; ac memoria in Dei fruitione, quia ipse est summa felicitas, plene absorbetur. Et quoniam in horum perfecta consummatione consistit æternæ gloriæ beatitudo, quæ non nisi in patria cœlesti complete revelabitur; colligere hinc potes quomodo horum perfecta hic inchoatio, est viatoribus in via possibilis perfectio.

Discipulus. — Dixisti, Domine, mihi facturæ tuæ de dilectione perfecta plura in prioribus, quæ libenter audivi ; sed ego adhuc indigerem informari de dilectione imperfectorum seu incipientium, ut mihi videtur. Ex carnali quippe concupiscentia propagatus, et in vitiis carnis enutritus, moleque carnis gravatus, possum (ut nosti) difficulter et vix ad amorem spiritus, seu ad dilectionem spiritualem, me erigere cum potentiis animæ meæ, prout docuisti me. Adjuva igitur me, obsecro, dulcissime Domine.

Dominus. — Incipe ergo ab amore carnali, quem naturalem voco, ut sic gratia ductrice ad dilectionem superinfusam atque gratuitam merearis adspirando quandoque pervenire. Itaque, quemadmodum naturaliter diligis te ipsum propter te, atque Deum etiam propter te, quia nosti te beneficiis ejus indigere ; sic disce cum Dei adjutorio, in hac dilectione non sistendo, sed proficiendo, Deum quoque diligere non tantum propter te, nec ob propriam tuam utilitatem, sed propter se ipsum, id est propter ejus infinitam bonitatem, quæ summa dilectione et omni laude est digna. Deinde disce nihilo minus quoque ut diligas te non propter te ipsum, sed propter me, et ob honorem meum. Quod fieri gratia ductrice poterit, si tu ad instar mei,
Philipp. II, 7. qui homo factus dilexi te dulciter, formam servilem induendo, sapienter, naturæ corruptionem caute vitando, et fortiter, mortem crucis sponte pro te subeundo, dilexeris similiter me cordialiter, prudenter et perseveranter, contra mundi illecebras, diaboli astutias et adversantium persecutiones.

Discipulus. — O Domine Deus meus, quanta est difficultas in rebus istis ! Miserere misero tuo, misericordia mea.

ARTICULUS XXIII.

De sex gradibus throni Salomonis, cum petitione pro caritate.

Discipulus. — Multa utilia de caritate seu dilectione dixisti, Domine, servo tuo : adhuc tamen occurrunt aliqua mihi de hujusmodi materia, in quibus desidero humiliter informationem ex tua gratia. Præsumo quippe quod tibi non displiceat de caritate tractare.

Dominus. — Si non curiose, sed religiose quæsieris, et si non solum ad sciendum, sed etiam ad faciendum intentio tua fuerit, non displicebit tua inquisitio.

Discipulus. — Tu nosti, Domine, cor facturæ tuæ : quod si fuerit rectum in conspectu tuo, laus tibi; si aliter se habuerit, ignosce, precor, mihi. Legi namque de throno regis Salomonis, quem et alii dicunt ferculum Salomonis, alii solium, quomodo ad hunc per sex ascendebatur gradus. Et additur ibidem, præsertim in Canticis canticorum, quod hoc fiebat ascensu purpureo media caritate constrato. Puto, Domine, hic aliquid mysterii de caritate signatum : quod peto humiliter, Domine, elucidari. *Cant.* III, 9; III *Reg.* x, 18, 19; II *Par.* IX, 17, 18. *Cant.* III, 10.

Dominus. — Ita est ut dicis. Intellige ergo in primo gradu throni eum amoris caritativi gradum qui in suavitate mentis consistit : quo agitur ut amor meus fiat cordi hominis super mel et favum suavissimus. In gradu throni secundo accipe insatiabiles famem et sitim desiderii : quo fit ut cor hominis ineffabiliter meo amore æstuet, cetera cuncta fastidiendo. In gradu

throni tertio suscipe mei amoris incendium, quo cor hominis ita fervet, ut omnes adulterinas affectiones consumat, quemadmodum calor solis nebulas et de terra vapores exhalantes consumit, et exsiccat fontes aquarum. In gradu quarto potes bene accipere mei amoris ebrietatem : quo fit ut mei amoris plenus sis, tanquam ebrius, inter prospera et adversa non discernens, sed ita mecum sis occupatus, quod amara et dulcia, blanda et aspera æqualiter tibi sapiant, absque aliqua dijudicatione et electione. In quinto throni gradu potes intelligere singularem mei amoris familiaritatem, qua mihi ita secretus efficiaris, quod timore servili quasi penitus excluso, pie præsumas de mea dilectione quoniam nunquam a me possis separari, et quod ego nequaquam te a facie mea velim abjicere neque te deserere. Quem ad hunc amoris gradum traxero, hic magna mentis gaudet jucunditate, quanquam cautela sit ei necessaria, ut videlicet sic confidat, ne præsumptuosus fiat. In gradu throni Salomonis sexto et supremo accipe mei amoris soporem, ut videlicet amoris mei gustu suavissimo quasi soporatus, resolvaris in quamdam tranquillissimam mentis quietem, in me solo delectando ineffabiliter, omnium creaturarum strepitu propulso, factus sentiendo quasi non sentiens, neque de exterioribus quidquam intelligens.

Discipulus. — Eia, Domine Deus meus, gratias tuæ caritati, quia tam dignanter me vile tuum figmentum docuisti, non tantum de caritate ejusque utilitate, sed et de ejus necessitate, de ejus quoque gradibus et incitamentis. Sed quid, Domine, prodest hæc scire, nisi tu misericorditer adjicias etiam secundum scientiam operari ? O igitur tu, Creator meus, Redemptor meus, Salvator meus, amator indeficiens, amicus supereminens, consiliator prudens, consolator excellens, fortissimus adjutor, fidelissimus protector, lumen oculorum meorum, lætitia cordis mei, gaudium animæ meæ, unica spes salutis meæ, fortitudo mea, refugium meum, consolatio mea tota, felicitas mea vera, dulcedo animæ meæ, jubilus mentis meæ, exsultatio mea, gloria mea, illuminatio mea, misericordia mea, beatitudo mea, meum desiderium, vita mea, portio mea, thesaurus meus, finis meus, bonum meum summum, verum, unicum, perfectum et plenum : quando vis pauperculæ creaturæ tuæ facere gratiam mihique infundere caritatem ? O potentissime, sapientissime, clementissime, summe, optime, honorabilissime, reverendissime, invictissime, fortissime, metuendissime, colendissime, piissime, pulcherrime, dilectissime, desiderabilissime, dulcissime, illustrissime, serenissime, nobilissime, gloriosissime, excellentissime, pretiosissime, superamabilissime, dignissime, misericordissime, superlaudabilissime, felicissime, sanctissime, beatissime et perfectissime, Domine Jesu Christe, Deus et homo, mediator Dei et hominum, Fili Dei vivi et Fili dignissimæ virginis Mariæ, infinitam tuam deprecor bonitatem, quæ omnem superat iniquitatem, ego totus peccator et nimis indignus, etiam nec dignus minimo tuo dono, opus tamen manuum tuarum et pretium sanguinis tui, deprecor, inquam, per omnium Sanctorum tuorum merita, fac mecum misericordiam, et da mihi de sancta caritate tantum, quantum noveris mihi prodesse in tui laudem et ad meam salutem.

ARTICULUS XXIV.

De caritatis aliquibus effectibus.

Dominus. — Verbis multis ostendisti tuum de caritate desiderium ; sed non expressisti quem velis diligendi ex caritate modum seu effectum.

Discipulus. — Domine, parce meæ, quæso, stoliditati. Tu enim nosti quod ignoramus quid petamus, nisi Spiritus tuus, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, nos postulare doceat. Supple ergo, peto, bone Domine, per te sponte

Rom. VIII, 26.

quod ego neglexi petere ex simplicitate. A

DOMINUS. — Fac tu quod in te est, et
Ps. LXXX, 11. ego faciam quod in me est; aperi os tuum, et ego implebo illud; pete cum fiducia, et non deerit gratia.

DISCIPULUS. — Gratias tibi, dulcissime Domine, quia audaciam postulandi præstas facturæ tuæ. O Deus meus, qui caritas es, da mihi terræ vermiculo caritatem de peccatis dolentem, da caritatem a peccatis cavere volentem pariter et valentem, et da caritatem tua in lege tuisque in sermonibus delectantem. Da etiam caritatem sic B de proximi malo ut de proprio dolentem, atque de ejus bono sicuti de proprio gaudentem. Et ut mihi ipsi cautius, proximo exemplarius et tibi acceptius vivere valeam, ac per hoc tibi familiarior fieri merear, da, Domine, obsecro, caritatem quæ conscientiam meam semper discutiat stricte, venialia cavere studeat non ficte, et mortalia ignoret peccata ex animi puritate. Dare etiam digneris caritatem quæ carnis illecebras et mundi concupiscentias abhorreat, ac toto corde ad spirituales C consolationes cœlestesque delicias jugiter adspiret. Peto etiam caritatem, Domine, quæ nullo metu mortis nec spe temporalis mercedis a tuis declinet mandatis; quæ et in tuis ubique delectetur judiciis; quæ nullum in tuo servitio admittat torporem, sed et de die in diem inardescat se totam expendere ad tuum honorem; quæ etiam ab omni vanitate cor meum revocet, atque in omnibus me tuam voluntatem scire et adimplere faciat. Addere etiam, opto, Domine, non recuses, caritatem illam qua D speciales et magnos tuos honorare consuevisti amicos, videlicet ut quum tibi visum fuerit opportunum, non dubitem animam pro fratribus meis ponere: qua caritate etiam queam meos inimicos diligere, eisque bona pro malis reddere; qua et valeam quæcumque adversa, imo et mortem tui amore non solum patienter, sed et libenter et gaudenter sustinere; qua et nihil in mundo mihi libeat nisi tu solus, cuncta mihi sint oneri præter te, omnibusque libenter caream, ut te solum habeam. Adhuc ultro precor, Domine clementissime, placeat addere caritatem post te et ad te ex intimo cordis affectu suspirantem, requiem nullibi nisi in te solo quærentem: cujus caritatis fortitudine sursum semper agatur meus spiritus; cui caritati sint semper familiares tui amoris scintillæ superfervidissimæ; quam et nulla creatura consolari valeat; et qua mediante spiritus meus unum tecum fiat, ut et ego pro modulo meo cum apostolo tuo Paulo possim dicere: Vivo autem, jam non ego, vivit vero Galat. II, 20.
in me Christus. Hæc sunt, Domine, quæ mihi in simplicitate mea videntur caritatis effectum concernere, pro quo, ut puto, voluisti me petere te. Si erravi, ignosce, bone Domine, et doce me aliter orare.

DOMINUS. — Non errasti, sed pene quidquid ad caritatem in effectu pertinet, verbis paucis pro tua capacitate perstrinxisti. Nunc sis igitur (si non semper, tamen sæpe) memor quid postulaveris, et ab hujusmodi postulatione vide ne contrarium agendo cessaveris: quemadmodum nonnulli faciunt, quorum devotio est horaria, non autem frequens aut continua; qui cito compunguntur, et cito ad levitates revertuntur.

DISCIPULUS. — O Deus meus, quam bene tetigisti me! Vere unus sum ex illis. Sed ignosce, bone Domine, quia tua ope libenter me emendare volo.

ARTICULUS XXV.

De difficultatis causa in diligendo Deum.

DISCIPULUS. — Non parum miror, Domine, unde hoc sit, quod libenter vellem in tuo fervere amore, attamen retrahor, nescio quomodo, ex difficultatis cujusdam quasi horrore, timendo videlicet quod nihil proficiam, et cogitando quod mihi satis sit ut secundum communem modum cum aliis simpliciter ambulem. Et nescio, Domine, qualiter mecum agis in hujusmodi. Moves enim (ut mihi videtur) in me cordis

affectum, attamen amoris tui rore non A perfundis meum desiderium ; excitas cordis conatum, attamen non tribuis optatum ; concupiscentiam tui adspiras, sed tui copiam non præstas ; uno et eodem motu, ut videtur, trahis, sed et repellis, contraria ita quasi agendo simul et semel et pro eadem vice.

Quare hoc facis, bone Domine ? Si peccata mea, ut timeo, sint in culpa, piissime Domine, tu tolle ea. Non vincat, obsecro, mea malitia pietatis tuæ viscera. Noli etiam apud me quærere innocentiæ meri- B tum, qui gratis justificare consuevisti impium. Nec patiaris obstrui fontem tuæ pietatis torrente meæ iniquitatis. Aufer, oro, Domine, cuncta obstacula, ut libere fluere possint gratiæ tuæ stillicidia. Non tamen, Domine, prætendo in tuo amore sentire tantum suavitatem, et nullam difficultatis gravitatem, quum noverim hoc contra amoris fore conditionem ; sed solum hoc me movet, quia mihi in tuo amore est consolatio rarior, et gravedo crebrior : cujus contrarium ego libenter haberem. Sit C tamen quidquid sit, Domine, sive fiat per dura, sive per blanda, dummodo amore tuo non ex toto caream, nullam volo ultra de hoc movere querelam. Igitur projicio me totum in tuæ paternæ pietatis sinum, ut fiat semper in me tua benedicta voluntas.

Dominus. — Recte sapis, bene loqueris. Quia vero miraris de difficultate in meo amore, audi rationem. Si virtutum est versari circa ardua, prout et mundi sapientes non ignorant, et caritas seu amor Dei, ut constat, est virtutum regina ; non mire- D ris ergo de ipsius difficultate. Verum, est et alia hujus difficultatis ratio. Ne enim vilescant in animo ingratorum mea dona, facio ea per laborem expertum ipsis pretiosa. Quod enim laboriose est acquisitum, magis diligitur ac diligentius custoditur. Etiam quoniam in difficultate augetur desiderium, vitaturque præsumptionis periculum, et crescit meritum, ideo pia dispensatione agitur in electis Dei difficultatis hujusmodi negotium.

Noveris quoque quomodo non oportet caritatis eminentiam in hominibus colligere ex magna quam nonnulli habent in suis orationibus devotione. Illam quippe devotionem a me gratis receperunt : quam augere aut minuere ad beneplacitum meum possum. Sed ibi attende, quum videris aliquem infortuniis, infirmitatibus, injuriis, contumeliis aut aliis adversitatibus gravatum, et nihilo minus hunc in divinis laudibus et aliis pietatis operibus pro modulo virium suarum perseverantem manere, mihique cum beato Job benedicere, et bene *Job* I, 21. contentum esse, idque quod præ debilitate et impedimentis legitimis non potuerit perficere, mihi humiliter committere, nec propter hujusmodi gravamina ac gratiæ subtractionem murmurare; de tali homine sic se æquanimiter habente potes digne tenere quod caritatis eminentiam possideat, et magnus amicus meus exsistat.

Discipulus. — Modo intelligo, Domine, quod multi mecum errant, et ego cum ipsis, in judicando de caritatis seu amoris perfectione seu plenitudine, quam putabamus consistere in singulari nonnullorum devotione, non habendo respectum ad id quod tu modo aperuisti verum fundamentum. Gratias tuæ pietati, dulcissime Domine, quia tam dignanter dirigis nos ne erremus, et doces ut nos emendemus. Adhuc tamen, Domine, ut cum tua indulgentia loquar, tenet me admiratio cur te diligere cupientibus reddas te tam difficilem, et quasi præ ceteris duriorem. Patet hoc in sanctis martyribus, et multis aliis sanctis et justis, mortuis et vivis. Attamen quanto plus permittis eos tribulari, tanto amplius ipsi videntur in tuo amore fervescere.

Dominus. — Quæstionem moves cujus intelligentia est super tuas adhuc vires : quam melius intelliges quando in contemplatione proficies. Pro nunc autem tibi sufficiat quod dico : Quos amo, arguo *Apoc.* III, 19. et castigo. Mihi cariores facio mihi similes.

ARTICULUS XXVI.

Ignorantia Dei quomodo dilectionem impediat.

Discipulus. — Reserasti servulo tuo indigno dignanter, dignissime Domine, causas aliquas de difficultate in tui dilectione ; sed si non displiceret, vellem adhuc addere alias, sub tua paterna tamen correctione, quæ non parum videntur facere ad hujusmodi difficultatem.

Dominus. — Loquere, audiam te.

Job xiii, 3. Discipulus. — Tecum disputare, Domine, ad instar servi tui Job, non præsumo ; sed hoc quod occurrit, cum tui licentia, causa informationis humiliter proponere volo. Intellexi, Domine, quod amoris negotium magis ad affectum quam intellectum pertineat : ita tamen ut intellectus non ex toto excludatur, sed tanquam captivus affectui se quodammodo submittat. Nihilo minus tamen videtur mihi, Domine, in fatuitate mea, quod non parum impedimenti nobis mortalibus præstet, quod minus de te intelligimus quam angelici spiritus et animæ beatæ exutæ corporibus, quum utique ita sit naturaliter ut nihil a nobis sit volitum neque amatum, nisi prius sit cognitum. Nam quod nemo novit, quando hoc diligit ? O igitur quam felices sunt Beatorum spiritus, et quam miseri sumus nos ! Quod enim de tui cognitione ipsis est facie ad faciem continue, hoc est nobis per speculum in ænigmate. Puto namque, Domine, si plus de te intelligerem, quod etiam amplius te amarem. I *Cor.* xiii, 12.

Dominus. — Si memoriter retineres quæ superius commemorata sunt, non modo sic argueres de ignorantia. Et utinam in tantum me diligeres, quantum de me intelligis : non enim ex toto me ignoras. Triplici quippe lumine illuxi tibi, si bene adverteres. Habes namque a me lumen naturæ, lumen Scripturæ, et lumen fidei catholicæ. Per quæ lumina tria potes, si volueris, me utique invenire : imo non poteris me ignorare, etiam clausis (ut ita art. xi et s.

A dicam) oculis, nisi omnino privatus esses usu rationis. Ex natura etenim intelligere vales ductu rationis, quod ego sim, et sim tui causa, quum ex te ipso non sis. Similiter ex Scriptura intelligis, si vis, qualiter ego sum ex me, et cuncta non ex se, sed per me, sic et tu per me. Sic etiam per fidem invenis quomodo ego sum auctor salutis tuæ, te proprio meo redimendo sanguine. Insuper, si quas speciales in te noveris gratias, recole, quæso, unde eas habeas. Mirum igitur est cur ignorantiam B mei in argumentum quasi excusationis propter difficultatem de diligendo me, prætendere audeas. Verius namque posses tuam allegare ignaviam quam ignorantiam. *Exod.* iii, 14; *Ps.* xcix, 3; *Joann.* i, 3. I *Petr.* i, 18, 19.

Discipulus. — Parce mihi, Domine, quia locutus sum incaute. Præsumebam bene quod tali responso meam velles fatuitatem retundere : tamen conceptum sermonem non potui retinere. Nihilo minus etiam audivi libenter quæ disseruisti dignanter. Et addo ego, Domine, quod non est quisC quam peccator tam magnus, sit ille Judæus, paganus aut malus Christianus, qui non plus quam ego te diligeret, si tantum quantum ego te cognosceret, etiam si vix medietatem a te recepisset beneficiorum quæ ego miser de tua bonitate paterna tam copiose recepi. Hoc dico, Domine, in propriam meam confusionem, et ad tuam dignissimam laudem. Sed ignosce peccatis meis, obsecro, Domine Deus meus ; parce meis negligentiis, remitte meam ingratitudinem, tolle meam iniquitatem, da mihi D vitæ emendationem ; transeant vetera in oblivionem, nova sint omnia per amoris tui vivifici infusionem. Tu enim nosti, Domine, quod nihil boni est in me, nisi dilectione tua operante ; nihilque meriti, nisi virtute amoris tui. Caritas igitur est omnia. Quam qui habet, illi omnia cooperantur in bonum ; qui autem ea caret, nullum verum de suis operibus exspectet præmium, etiam si qua habere videatur de genere bonorum. O igitur sancta caritas, quam necessaria es nobis miseris ! *Rom.* viii, 28.

ARTICULUS XXVII.

Amoris operationes variæ, et cor offertur.

art. vi. DISCIPULUS. — Superius audivi, Domine, quid sit caritas, dilectio seu amor, unum capiendo pro reliquo, tam causaliter quam effectualiter : adhuc tamen de ipsius quidditate non parum moveor propter ejus varias, imo et sibi invicem quasi contrarias operationes, et nescio quid inde sentire debeam. Utinam placeret, Domine dulcissime, adhuc aliquid de hoc tangere.

DOMINUS. — Putabam quod superiora deberent tibi sufficere : quia tamen adhuc dubitas, audi pro quo postulas. Amor meus est quoddam sentimentum internum ex dulci et amaro confectum ; et est vinum novum, odoriferum et saporosum, non depuratum. Suavitas mentis est ineffabilis, non ad accipientis nutum perseverabilis ; jucunditas mentem exhilarans, quæ cum teneri putatur, non comparet ; cibus super omnia delectans, sed non ad nutum satians, mentem sic cibans, ut post refectionem plus sit esuriens. Estque manna (*Sap.* xvi, 20.) cœleste, omne in se delectamentum continens, non tamen omnifarie palatum cordis oblectans ; et est gaudium mœrore mixtum, mœrorque gaudio annexum habens effectum. Est consolatio producens lacrimas nunc tristes, nunc lætas. Et est tale quid, ut non satis possit depingi calamo, neque satis explicari verbo ; et verbis si exprimeretur, non tamen intellectu plene caperetur ; in intimis cordium potest quidem sentiri, sed ratione nequit comprehendi, neque voce enuntiari. Et ut breviter multa expediam, verus amor meus est tale quid (*Apoc.* ii, 17.) quod nemo novit nisi qui accipit, quod nemo accipit nisi qui sollicite quærit, quodque nemo quærit nisi qui prius aliquid inde gustavit. De quo et dubitatur per nonnullos, an amor ipse sit, vel an potius sit ipsa res amata. Sed de hoc nullum manet dubium, imo et est certissimum, sit quidquid velit, quod hoc ipsum A amando quæritur, amando invenitur, et non nisi amando possidetur.

DISCIPULUS. — O Domine, quam dulcia me docuisti de quidditate amoris ! Tibi laus, honor et gloria pro omni bonitate tua. Utinam, bone Domine, digneris hæc scribere in corde servi tui, quatenus per hæc in contrariarum qualitatum tui amoris vicissitudinibus semper æquanimis possim perseverare usque in finem.

DOMINUS. — Quomodo vis ut in corde tuo scribam amorem meum, nisi tu ipse B cor tuum mihi primum donaveris ? Alioqui perderem quidquid tibi impenderem.

DISCIPULUS. — O Domine, intelligo (ut puto) quid velis. Sum memor verborum tuorum, o æterna Sapientia, quæ per Sapientis dixisti oraculum, inquiens : Præbe mihi cor tuum, fili mi. (*Prov.* xxiii, 26.) O quam libenter, Domine, hoc faciam ! Sed doce, obsecro, formam.

DOMINUS. — Intellige id faciendum per cordialem, ferventem affectionem, qua omnibus ceteris amoribus exclusis, semper C mihi intendas, ita ut veraciter dicere queas : Ego dilecto meo (supple, intendo), (*Cant.* vii, 10.) et ad me conversio ejus.

DISCIPULUS. — O Domine, de ferventi affectione me expedire nescio. Tu enim meum nosti torporem. Sed utinam istud tibi placeat, Domine, sacrificium. Offero ecce me tibi totum. Tunc etiam, Domine, habebis cor meum. Volo namque, Domine, libenter esse sine corde, si tu digneris cor meum habere. Imo, si haberem cor ita magnum ut corda simul sunt omnium hoD minum, et hoc ipsum cor esset castissimo, sincerissimo et delicatissimo amore plenissimum, nulli, Domine, hoc cor vellem favere nisi tibi, sciens quod neque sic tuo dulcissimo quo me diligis amori possem pro minimo respondere. Nunc itaque, quia nihil possum ultra, accipe, obsecro, bone Domine, tuæ pauperculæ facturæ gratanter oblationem ; et sicut tibi placet, da mihi cor illud, ne forte absque corde incidam in mortis discrimen.

DOMINUS. — Rem grandem fecisti, me-

que ad dandum tibi cor novum obligasti. Quod et facere volo, si tamen te mihi servare fidem invenero.

Discipulus. — Eia, Domine, parce mihi, quia tuo amore quasi ebrius, nescio quid feci aut dixi. Si tibi placet, bene ; sin autem, ignosce.

ARTICULUS XXVIII.

De cordis instabilitate, ejusque causa et remedio.

Discipulus. — Cor meum, imo et me totum, Domine, tibi obtuli ; sed, proh dolor ! conditionem fidelitatis quam tu apposuisti, non servavi. Cor namque meum, heu ! post, ut ante, in diversa rapitur; non tibi et tuo amori soli intendit, sed pene cum omnibus quæ sunt in mundo se occupat ; et te tuumque amorem quasi pro nihilo reputat, quia non est res aliqua tam vana, inutilis aut turpis, quin cordi meo illabatur citius quam tu aut amor tuus. Et quamvis ipsum revocare coner quandoque, nihil tamen possum proficere. Unde puto fuisse mihi utilius, si cordis tibi non fecissem oblationem, quam offerre et oblatum repetere ; aut non donasse, quam donationem infringere. Væ mihi misero. Sperabam amoris perfectioni appropinquare, et in eo proficere ; sed remotior factus sum, et magis incipio, heu ! deficere.

Dominus. — Si quid boni egisti, non te pœniteat. Novi enim tuam intentionem, nec ignoro tuam infirmitatem. Supra satis tactum est de operationum varietate in amore meo. Noli igitur quærere in via quod promittitur in patria. Hic contrarias oportet sustinere vicissitudines, ibi erit solida res.

Discipulus. — Scio, Domine, quod ita est ut tu dicis. Attamen multum miror super inquietudine mei cordis, quia vix ad momentum possum ipsum in aliquo stabiliter retinere. Unde est hoc, bone Domine? Dic, obsecro, unde, si forsitan possem remedium invenire.

[A] Dominus. — Scias hujus instabilitatis causam esse peccatum. Quia enim homo noluit in primis parentibus suo obedire superiori, sed mandatum Dei transgressus est, ideo in pœnam peccati originalis, sensualitas rebellis est rationi, ut homo, etiam quum vult, non sciat nec valeat absque speciali Dei gratia salutem suam operari, nec cor suum ad salutaria facile absque contentione revocare, salva semper tamen libertate liberi arbitrii. Sponte enim homo deseruit bonum suum incommutabile, sci-
[B] licet Deum, et declinavit ad commutabile, post suas concupiscentias eundo : quare et in pœnam peccati, quum conatur, regredi nequit, nisi divinitus adjuvetur. Remedium ergo retinendi cor, de quo quæris, noveris esse Dei gratiam principaliter, prout scriptum est : Optimum est gratia stabiliri cor. [Hebr. xiii, 9.] Verum multum huic gratiæ cooperari potest hominis diligentia, si videlicet homo studeat cum divino auxilio, quando cordis sentit distractiones, cor ipsum sæpius revocare, et ad spiritua-
[C] lia et utilia quasi violenter cogere. Etiam vera et profunda humilitas facit hominem multum internum, et excludit ab eo pene omne externum. Humilitatis quippe est cor hominis congregare, quemadmodum superbiæ est ipsum pene in omnem ventum dispergere.

Igitur noveris non tibi imputari damnabiliter in culpam hujusmodi cordis instabilitatem, præsertim quum per te non præstiteris tibi causam notabiliter aut occasionem, neque habueris in hac inquietu-
[D] dine cordis complacentiam, sed magis gravamen et detestationem. Imo potest tibi cedere in meritum, propter laborem quem sustines nitendo in contrarium, et propter tuam humiliationem quam hinc consequeris, considerando hanc in te miseriam, et confitendo hujusmodi tuæ infirmitatis exercitium. Non enim tibi esset bonum, si cuncta succederent etiam in spiritualibus ad nutum tuum, propter præsumptionis maxime periculum cavendum.

Discipulus. — Gratias tibi, dulcissime

Domine, quia utiliter instruxisti me. Convalescat, oro, tua doctrina in me; et parce cordis mei instabilitati, quam tu solus, quum placuerit, potes in melius commutare. Tuus sum ego, salvum me fac. *Ps.* CXVIII, 94.

ARTICULUS XXIX.

Quare quandoque Dominus non exaudit.

art. XXV. DISCIPULUS. — Dixisti, Domine, superius aliqua de hoc, cur diligere te volentibus reddas te ita difficilem, diversa gravamina eis occurrere permittendo, et eos quasi non exaudiendo quum te invocaverint : non tamen mihi adhuc satisfactum est per adductas per te tunc rationes. Moveor enim non parum, Domine, hinc, quia quum spiritualia et salutaria peto, puta caritatis affectum et in eo profectum, et cetera hujusmodi, videris quasi non advertere, ut salva tua sic loquar gratia, nec curas pauperculi tui desiderium attendere : quia quanto plus quandoque te pulso, tanto aridior fio. Cur facis hoc, bone Domine, quum tamen sis auctor pietatis et pater misericordiæ? Non dubito quin totum facias pia intentione atque dispensative. Vellem tamen libenter aliquid inde intelligere, pro mea in hujusmodi tentationibus aliquali consolatione. Satis intelligo, Domine, quod sic fiat mecum propter peccata mea, necnon propter cautelam, ad humiliandum me et probandum in me longanimitatem, atque ad augendum desiderium, et ex consequenti et meritum. Sed quoniam hæ rationes sunt generales, audirem libentius speciales.

DOMINUS. — Possem tibi respondere et dicere, quod contra Scripturæ consilium, nimis velis esse curiosus in Dei judiciis et operibus, rationes quærendo plus quam necessarium sit. Ne tamen turbatum perturbare amplius videar, audi in specie aliquid inde unde te dicis motum. *Eccli.* III, 22.

Quum salubria videris petere, et a me non exaudiris, crede firmiter quod indubitanter et veraciter te exaudio in tempore opportuno, licet pro tuo bono differo. Multa enim justis meis non statim ut vellent tribuo, sed tempus quo congruentius dentur exspecto. Igitur, si hi in fide et spe perseverantes ad me clamare non cessaverint, tunc tempore debito experimento discent me eorum desideria non contempsisse. Nolo enim ut quis mihi exaudiendi præfigat terminum, sed ut magis humiliter meum præstoletur beneplacitum. Ego enim electis meis libentissime eorum desideria tribuo, etiam abundantius quam ipsi præsumere audent, dummodo hoc pro eorum fuerit salute; sin autem, tunc tamen tribuo alia meliora.

Esset ergo homini valde proficuum, si in orationibus suis et desideriis spiritualibus, imo etiam in corporalibus quibuscumque necessitatibus, eum quem docui servaret modum. Dixi enim in agonia constitutus : Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste; non tamen sicut ego volo, sed sicut tu; fiat voluntas tua. Hinc etiam institui ut in oratione quotidiana dicatur : Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Multum quippe mihi placet, et est homini valde utile, ut de me bene confidat, et nihil de se suisque viribus, virtutibus, meritis et factis, seu devotione et industria, præsumat, faciendo nihilo minus, quantum in se est, quidquid potest. Talem hominem non possum derelinquere. Et si sibi videatur interdum, quod quasi a me derelictus sit in suis adversitatibus, tunc sit memor qualiter mihi in cruce contigerit, quando præ nimio dolore ad Patrem meum cœlestem clamare cogebar : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Non quod mea humanitas fuerit a deitate derelicta; sed humanitas tanta patiebatur, quod ei videbatur quasi esset derelicta, quum a divinitate nullam perciperet in tantis afflictionibus consolationem. Si igitur tibi quandoque similiter contigerit, tunc cogita quod te maxime diligo : quia te hic in pœnis, et suo modo etiam per gloriam postea in cœlis, mihi similem facere intendo.

Matth. XXVI, 39, 42. *Ibid.* VI, 10. *Ibid.* XXVII, 46.

Bene præterea advertendum, quoniam misericorditer quosdam in eorum orationibus quandoque non exaudio, et damnabiliter nonnullos, quum petunt, in malum ipsorum exaudio. In exempla tibi sint, II *Cor.* xii, 7-9. Paulus apostolus, quem nolui exaudire, quando petiit a se auferri stimulum carnis, *Act.* xiii, 21. et filii Israel, quibus, exaudiendo dum importune peterent, in furore meo regem Saul dedi. Sic et pia mater dilecto puero non semper dat quæ desiderat, et prudens medicus concedit ægro quæcumque vult, quando de ejus salute desperat. Consultum igitur tibi sit ut in tuis cunctis necessitatibus fiducialiter me petas, sed tempus, modum et effectum exaudiendi mihi relinquas.

Discipulus. — Gratias tibi, dulcissime Domine, quia tam salutarem dedisti mihi doctrinam. Da, bone Domine, ut secundum eam me regere valeam, ne gratis in me laborasse videaris.

ARTICULUS XXX.

Quomodo Deus vult invocari per medium Sanctorum.

Dominus. — Adhuc unum te docebo modum, quem servabis quando in orationibus tuis efficaciter et cito exaudiri vis. Fac *Job* v, 1. sicut scriptura illa dicit : Ad aliquem Sanctorum convertere. Ego namque singularem habeo complacentiam in meorum Sanctorum honorificentia eis a mortalibus impensa. Unde do uni gratiam subveniendi se invocantibus in necessitate una, alteri vero succurrendi sibi devotis in necessitate alia, quatenus sic in omnibus honorificetur qui eos condidit, elegit, sanctificavit et glorificavit. Quare et quandoque exaudio invocantes aliquem Sanctorum non majorem, et invocantes majorem non exaudio, ut sic singulis honor etiam a terrigenis impendatur. Etiam nosti quod quicumque negotia aliqua habet in curia terreni regis, hic causæ suæ quærere solet patronum, invocat regis domesticos, solli- A citat regi acceptos, rogat quoscumque regi familiariter notos, ut dignentur se suamque causam in conspectu regis habere commissam, reputans se ipsum indignum et insufficientem ad proponendum et tractandum coram regali majestate. Hunc modum servavit mulier Chananæa, inter- *Matth.* xv, 22-28. pellando pro sua filia. Nam quum ei respondere differrem, ipsa fortis mansit in fide, perseveravit in humilitate, et non cessavit a sua devota importunitate quousque et Apostolorum meorum in se provoca- B vit compassionem atque intercessionem : quare et meruit a me sui commendationem et filiæ liberationem. Ideoque, si hanc et tu imitatus fueris orandi formam, senties citius et crebrius in tuis precibus consolationem optatam.

Sed novi quod quum tuis in orationibus me quasi tibi durum et inexorabilem putas, et in adversis consolationem non ad nutum tuum reportas, cito cum quadam mentis dejectione ab orationis instantia cessas. Verum tunc deberes magis ad C orandum te ipsum cogere, sicque multum posses in devotione, gratia et virtutibus proficere. Accipe de igne similitudinem. Quum enim ignis a vento et aqua sibi contrariis sentit pugnam, amplius et validius invalescit, ac stridentibus flammis se quantum prævalet defendit, faciendo eis tota virtute sua resistentiam. Sic et homo devotus deberet facere in tentatione quacumque ei occurrente.

Discipulus. — Gratias tibi referant, opto, Domine, omnes Sancti tui, quia tam bo- D num tradidisti mihi indigno modum orandi. Quod utique fecisti, Domine, ex nimio quo tu me diligis amore, et ex mera tua bonitate. O amor indeficiens, cuncta transcendens, nullo egens, omnibus abundans, mentes immutans, te gratis communicans eis qui te desiderant, nemini te denegans, nisi eis qui de te non curant, de hominibus deos faciens, terrena cœlestibus jungens, sine quo nullus est felix, cum quo nemo est infelix : quibus te laudibus efferam, nescio, et tamen ex toto tuas laudes

tacere nequeo. Eia, quando vis me mutare A in virum alium? Veni, obsecro, o amor deifice, in servuli tui cor quod creasti, reple vasculum quod fecisti, dilata opus quod statuisti, fac tranquillum quod inquietasti, perfice quod cœpisti, consolare quod turbasti, sana quod vulnerasti, posside quod proprio sanguine emisti, uni tibi ex toto quod in parte tibi attraxisti. Tuæ *Prov.* VIII, 31. enim, Domine, sunt deliciæ, esse cum filiis hominum; et nostræ sunt divitiæ, Domine, esse tecum. Sic igitur, superdulcissime Domine, esse digneris tu semper B mecum, ut ego semper valeam esse tecum, et a te nunquam separer in perpetuum. Hoc enim proprium est, Domine, amantis et amati : alioqui verus amor inter eos non est.

ARTICULUS XXXI.

Sanctorum invocatio pro dono caritatis.

art. præced. Discipulus. — Quoniam docuisti me, Domine, ut quæram in orationibus meis C patronos et intercessores; ne frustra orasse fortassis videar, hoc libenter facere volo, gratia tua pauperculo mihi succurrente.

Primum igitur venio ad te, o Virgo virginum, quæ genuisti Dei Filium, plus in te quam in omnes Sanctos confidens. Scio enim quod tu potes apud Dominum Deum meum plus quam omnes Sancti. O Regina cœlorum, Mater Regis angelorum, mundi Domina, Imperatrix totius orbis gloriosissima, sed et Mater misericordiæ piissima, peccatorum advocata fidelissima, reorum D reconciliatrix clementissima, miserorum consolatrix dulcissima, fateor me indignum invocare nomen tuum sanctum : tamen necessitate me compellente, recurro ad maternæ, virgineæ et deificatæ pietatis tuæ viscera, quæ nunquam alicui tibi supplicanti clausisti, totus lacrimis cordis suffusus, ante sanctitatis tuæ pedes jacens prostratus, ego totus pauper, miser et miserabilis peccator, petiturus, Domina mea, a tua clementia unam eleemosynam, ne fame peream. Peto, inquam, o Domina mea, mea Domina, Domina mea caritativissima, te per illum caritatis ardorem qui te Matrem Dei fecit, quum diceres, Ecce *Luc.* I, 38. ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, impetra mihi saltem unam scintillam caritatis a tuo dulcissimo Filio, qui tibi nihil negabit : alioqui ad pedes tuos præ caritatis fame et siti moriar; et sic, Domina, ut salva gratia tua sic loquar, tu videreris in morte mea rea, quia non subvenisti ut potuisti. Ne permittas hoc, bona Domina, ut talia dicantur de tua magnificentia.

O vos, beatissimi cœlestes spiritus trium hierarchiarum et novem chororum, sancti Seraphim, Cherubim et Throni, Dominationes, Principatus et Potestates, Virtutes, Archangeli et Angeli, quos in Dei laudibus et gloria cœlesti confirmavit caritas, qua mediante vos, angelis apostaticis cadentibus, stabiles permansistis, qua et perpetuo felices estis, qua etiam incessanter continue flagratis : eia, misereamini mei indigni servuli vestri, tamen dono Dei rationis vobiscum et gloriæ cœlestis capacis, impetrando mihi a summo Patrefamilias, cui vos carissimi estis, caritatis eleemosynam, ne corpore et anima peream, et sic non promovendo vestrum mendicum, sed perire patiendo, utique non evaderetis negligentiæ signum.

Sed et vos, beatissimi Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, martyres, confessores, virgines et continentes, in ea caritate qua salvati estis, sitis, obsecro, memores meæ quam patior miseriæ, quam et vos quandoque tolerastis, et quam vos per caritatem misericorditer evasistis; et subvenite mendico vestro, mihi miserrimo, communicando mihi saltem unam caritatis micam aut guttam de vestra abundantia, ne ad pedes sanctitatum vestrarum pereama inedia : quod certe, ut salva vestra caritate ita loquar, non esset gloriæ vestræ absque nota, quum consortem naturæ permisissetis sine eleemosynæ subsidio interire.

Specialiter tamen invoco pro caritatis

eleemosyna vos omnes meos sanctos patronos, de quorum meritis et promotione singulariter præsumo. Eia, nolite pietatis vestræ viscera mihi servitori vestro indigno claudere, qui meruistis Deo per caritatem placere, cuncta mala evadere, et perpetuæ beatitudinis gloriam percipere : alioqui cogerer dicere, quod cum mutatione status vestri etiam mutassetis caritatis affectum, non in laudabilius, sed in deterius (quod absit), quia hic ex caritate fuistis compassivi, nunc vero videremini duri.

Cordialissime tamen singulariter singulos rogo vos omnes Sanctos et Sanctas Dei, qui præ ceteris Sanctis et supra alios Sanctos fuistis et estis a Deo caritatis dono specialiter privilegiati : ostendite vestræ caritatis magnum affectum erga me pauperculum vestrum in effectu, et nolite me inopem a vestris opibus excludere, nec manu vacua permittatis, quæso, vestrum mendicum a vestro conspectu recedere. Quomodo enim alias relucebit vestra caritas, nisi eam experiatur miserorum necessitas?

Eia, Domine Deus meus, jam nescio quid ultra debeam facere. Miserere pauperculæ facturæ tuæ. Tu nosti servuli tui desiderium. Et si juste preces meas non exaudis, non tamen potes tot intercessorum (quos invocavi) contemnere interventum. Da ergo, bone Domine, caritatis necessarium donum.

ARTICULUS XXXII.

Commendatur orationis instantia cum ejus efficacia.

Dominus. — Libenter audivi tuam erga Sanctos meos instantiam, habeoque in tua devotione complacentiam, nec possum Sanctorum meorum refutare (quum pro te interpellaverint) petitionem. Verumtamen tu facias quod in te est, te humiliando, pulsando, et Sanctorum patrocinia sæpe quærendo ; et reliquum mihi committas,
A scilicet modum et tempus exaudiendi. Si ita feceris, confide quod quum minus putas, mirabilia experieris.

Discipulus. — O Domine, fiat voluntas tua. Ego tuum sum figmentum, tu es unicum meum refugium. Tu es Deus meus, ego portiuncula creaturæ tuæ. Tu es Dominus meus, ego indignus servus tuus. Quidquid tibi placet, fac mecum, dummodo non me frustraveris, Domine, caritatis munusculo.

Dominus. — Si te defraudare vellem
B optato, non incitarem tuum desiderium ad petendum pro caritatis donario. Volo autem te scire, quod postquam anima mihi devota, pro caritatis dono et dilectionis perfectione seu amoris fervore consequendis, per ea quæ potest exercitia fecit quod in se est, me scilicet intime desiderando, amore mei nullis parcendo laboribus, et si omnia propter me contempserit; tunc tandem, tempore quo mihi placuerit, eam per mentis excessum sursum in contemplatione rapio : ita ut fiat silentium in ejus cœlo *Apoc.* VIII, 1.
C dimidia quasi hora, nullaque alternantium cogitationum tumultuatione animus hujus contemplantis conturbetur, nec ultra quidquam inveniat quod appetat, nihilque occurrat quod non fastidiat; sed animus ipse totus intra contemplationis tranquillitatem intromittitur et colligitur, ubi sentit quemdam affectum multum inusitatum, qui est tantæ dulcedinis, quod sentiri quidem potest, sed verbis nequaquam valet exprimi. Hic affectus si sic in anima continue perseveraret, tunc ipsa quasi felix perpetuo
D jam esset. Nam tunc nihil sensualitas nihilque imaginatio in anima operantur : imo et omnes inferiores vires animæ tunc proprio viduantur officio. Sed animæ superior ac purior vis tunc in illud intimæ quietis secretum summæque tranquillitatis arcanum, delectabilissima jucunditate introducitur. Et in hoc tranquillitatis silentio, omnia quæ ipsius animæ sunt, silent : quin imo et ipsa anima silet sibi ipsi, ut solum Verbum æternum tunc loquatur huic animæ devotæ in hac contemplatione,

non quidem per linguam carnis, nec per alicujus similitudinis phantasmata, sed immediate per semetipsum.

Discipulus. — Placent, Domine, quæ dixisti; sed contentare nequeo nisi experimento didicero quandoque quæ promisisti, ut sic, Domine, cum tua licentia, fiducialiter et non proterve loquar. Si tamen tibi mea displicuerit instantia, tunc rogo, Domine, cum venia, ut habeas eam pro nulla. Ego enim quandoque nescio quid loquor; sed quia multum de tua confido pietate, quidquid occurrit menti, hoc coram te effundere non dubito etiam voce verbi.

Dominus. — Quantumcumque te ad longanimitatem hortor, video quod tu nihilo minus in tua perseveras importunitate: quam non ex toto abjicio, si tamen non caruerit discretionis freno. Sed unum adhuc tibi restat in quo probandus es, antequam beneficio quod petis dignus fias. Pro caritatis namque eleemosyna opportune et importune per medium meorum amicorum et Sanctorum postulasti; sed nondum tu aliis indigentibus caritatis eleemosynam forsitan pro tuo modulo digne tribuisti.

Discipulus. — O Domine Deus meus, quid est quod modo dicis? Multum namque de hoc miror. Domine, quomodo ego possum aliis dare quod ipse non habeo? Mendicus ego ipse, quid mendicis possum facere?

ARTICULUS XXXIII.

Exhortatio ad caritatis eleemosynam dandam aliis.

Dominus. — Caritatis eleemosynam unde aliis tribuas, dicis quod non habeas. Miror si quod dicis consideras. Si nihil esses, verum diceres, quia nihil haberes. Nunc autem ex quo esse habes, nec aliis donis Dei cares, non recte dicis quod caritatis eleemosynam unde aliis tribuas, non habeas. Nonne habes intellectum, affectum et memoriam, pedes, manus, oculos et os, A quibus poteris, quum vis, mihi servire, et proximis subvenire? Et si in ceteris tibi deesset facultas, non tamen tibi deesse poterit, quum vis, bona voluntas.

Discipulus. — O piissime Domine, ignosce meæ insipientiæ, quia non sic tuum verbum intellexi de exercendo caritatis opere. Putabam enim te velle ut ego alios caritativos facerem, quum ipse si caritativus sim, ignorem. Nunc autem, quia sentio quod vis ut in caritate et ex caritate aliis pro modulo meo per te mihi concedentem caritative subveniam, et caritatis B eleemosynam aliis impendam, o Domine, quam libenter te me juvante id faciam! Sed tamen, bone Domine, quia tu nosti quod argentum et aurum non est mihi, et quoniam inops et pauper sum ego, totusque miser et miserabilis, et mente et corpore, adjuva me, obsecro, ut tentem si aliquid valeam saltem devota oratione. Ps. LXXXV, 1. Apoc. III, 17.

Dominus. — Hoc est quod volo.

Discipulus. — Bone Domine, doce modum quomodo ex caritate per orationes possim caritatis eleemosynam dare, ut C aliis proficiat, tibique placeat, et mihi etiam pinguiorem caritatis eleemosynam obtineat.

Dominus. — Aperi oculos cordis tui, et vide quot miseriæ, pericula, dolores, angustiæ, gemitus, ploratus, ululatus et cruciatus sunt in toto mundo, in terra videlicet et in purgatorio. O quot homines sunt in periculis animæ et corporis in diversis mundi partibus, de tuis fratribus et sororibus, non tantum tuæ religionis Cartusianæ, sed et communis religionis fidei christianæ, D qui indigent caritatis eleemosyna, ne ex toto depereant inter tentationum varietates atque insidiarum jacula! Quorum aliqui patiuntur a propria carne, aliqui a perversis hominibus, aliqui a malignis spiritibus. Et ex illis sunt aliqui in periculis aquæ, ignis, latronum, ferarum et ægritudinum diversarum. Nonnulli quoque ex eis clerici, religiosi, orphani, viduæ, et miserabiles personæ aliæ defendere se non valentes, oppressi sunt injuriis,

falsis judiciis, et tyrannorum violentiis. A Nonnulli vero infirmitatibus, doloribus, paupertatibus, senio et aliis diversis incommodis sunt fatigati nimis. Aliqui etiam ex his detinentur ita crudeliter in vinculis et carceribus, quod magis eligunt mortem quam vitam. Alii sunt in perpetuos servos et ancillas venditi infidelibus, ubi viliores bestiis reputantur, vel die noctuque, in frigore et calore, in mari in navibus remigare [coguntur], catenis compediti, vel super terram aratrum aut currum more equorum vincti trahere, in caumatibus so- B lis et imbribus frigoris, pane et aqua non nisi ad solam necessitatem refecti, et vix camisia pro solo tegmine nuditatis die noctuque vestiti. Et quum ex defectu virium aut alias, non ad nutum ribaldorum qui eos regunt ambulant, tunc flagellantur circa crura usque ad sanguinis copiosam effusionem. Quorum nonnulli, quum se quocumque modo a vinculis possunt excutere, præ nimia mentis amaritudine et ex desperatione se ipsos miserabiliter perimunt, in mare se præcipitando, aut caput C in petras illidendo. Attamen multi de talibus sunt sacerdotes, clerici, milites, mercatores, religiosi, et magni domini in sæculo fuerunt : unde tanto fit eis miseria sua gravior, quanto prius fuit eorum felicitas major. Cogita etiam pie quid fiat de virginibus et mulieribus christianis quæ per infideles captivantur : quarum aliquæ sunt moniales, nobiles, et magnorum filiæ et uxores. Quæ ut vitam redimant, voluntatem eorum infidelium a quibus detinentur oportet quod faciant. Item multi sunt D diabolica fraude decepti, multi a pravis hominibus seducti, et multi propria opinione illecti ad sentiendum erronee in fide, in moribus et aliis dogmatibus periculosis. Modo bene pensa si non occasionem invenias sufficientem dandi talibus caritatis eleemosynam.

Adhuc autem amplius, attende et vide diligenter quoque miserias fidelium defunctorum quorum animæ in purgatorii igne ineffabiliter graviter puniuntur. Attamen aliquæ ex his sunt apud me magni meriti : quas ex naturali mea pietate licet vellem libenter de tormentis eripere, non tamen hoc sinit æquitas meæ justitiæ, quoad pro suis peccatis usque ad minimum quadrantem satisfecerint per se in hujusmodi tormentis, aut per alios vivos cum Ecclesiæ suffragiis. *Matth.* v, 26. Inter quas si tu adhuc patrem, matrem, fratres, sorores, aut alios habeas amicos et benefactores, pro quibus utique obligaris ad subveniendum eis, ignoras. Nam dico tibi pro certo, quod multorum animæ ibidem adhuc purgantur, quæ ante annos multos a vivis suis amicis putabantur ad gloriam evolasse. Ex quibus sunt etiam nonnullæ pauperculæ animæ, nulla alia habentes suffragia nisi quæ in communi facit sancta Ecclesia. Hi sic in purgatorio detenti, clamant sine intermissione cum ineffabili desiderio ad suos in terra amicos vivos, et ad alios, ut eorum misereantur. Quod certe valde caritativum esset, et opus magnæ pietatis : quia amici Dei sunt, se ipsos tamen juvare non valentes, sed aliorum indigentes eleemosyna ; qui et potentes erunt post sui ereptionem promovere et juvare alios apud Deum.

Vides ergo quot modos, quot causas, quot occasiones habes caritatis eleemosynam aliis dandi, et aliis ex caritate subveniendi. Et si non vales pecuniis, beneficiis, obsequiis, jejuniis aut Missis vel aliis mediis consolationem facere eis, poteris ad minus talibus subvenire pro eis devote orando, aut saltem ad Deum propter ipsos lacrimabiliter ex fraternæ caritatis zelo suspirando. Et noveris quod quanto plus te in hujusmodi compassionis affectu exercueris, tanto citius et copiosius tu a me caritatis donis repleberis, ita ut non tibi opus sit caritatis eleemosynam amplius mendicare ab aliis.

Discipulus. — O Domine, quam bonam lectionem mihi de caritatis eleemosyna eroganda legisti ! quæ omnia mea interiora (ut verum fatear) ita concussit, ut vix lacrimas possim continere. *Ps.* LXVII, 29. Confirma, obse-

cro, Domine, hoc quod operatus es in me. Heu, quantæ sunt humanæ conditionis mi-
II Cor. I, 3. seriæ ! O misericordiarum Pater et Deus
Ps. CXXXVII, 8. totius consolationis, ne despicias opus ma-
Ps. LXXIII, 19. nuum tuarum, et ne obliviscaris nos in finem.

ARTICULUS XXXIV.

De caritatis eleemosyna pro vivis.

Discipulus. — Gratias tibi, Domine piissime, quia copiosam materiam mihi ministrasti de modo tribuendi caritatis eleemosynam. Largire, precor, Domine dulcissime, etiam caritatis tribuendi eleemosynam formam tibi placitam. In nomine etenim tuo tentare volo orando id quod tu dare dignatus fueris inspirando.

Per sacrosanctam itaque, Domine, tuam passionem, per dignissimæ Genitricis tuæ intercessionem, per sanctorum angelicorum spirituum tuorum ministrationem, per beatorum Patriarcharum et Prophetarum merita, per gloriosorum Apostolorum caritatem, per sanctorum martyrum constantiam, per illustrium confessorum devotionem, et per sanctarum virginum ac continentium puritatem, obsecro, Domine clementissime, non prævaleant nostra peccata contra infinitam tuam bonitatem; sed potius attende, misericordissime Domine, omnium horum Sanctorum tuorum præclara merita, cunctorumque tuorum justorum et electorum pia vota, et oblivisci digneris clementer offensiones nostras. Memento quod sumus tui, licet caduci
Is. XLII, 8. plasmatis. Ne des honorem nominis tui,
Ps. CXLII, 2. precamur, alteri ; et ne intres in judicium cum servis tuis, quia non justificabitur in
Is. LXIV, 8. conspectu tuo omnis vivens. Tu enim fictor noster es, nos vero opus manuum tuarum. Tu noster es redemptor, nos pretium sanguinis tui. Pater noster nihilo minus tu quoque es, nos autem tui filii,
Job XIII, 15. licet, heu! prodigi et nimis indigni. Etiamsi nos occideris, adhuc tamen in te sperabimus. Scimus namque quoniam etiam
A quum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. *Habac.* III, 2.

Eia ergo, bone Pater, pie Redemptor, omnipotens Creator noster, rogo intimius quo possum, respice Ordinem nostrum, dirigendo ipsum, tam in capite quam in membris, in prælatisque et subditis, feliciter in tui nominis laudem, aliorum ædificationem et totius Ecclesiæ tuæ sanctæ decorem usque in finem. Similiter commendo tuæ gratiæ omnes religiones totius Christianitatis, virorum et mulierum. Præ-
B serva, pie Domine, eas a ruina; multiplica tua in eis dona, ad totius Ecclesiæ tuæ sanctæ consolationem. Potissimum tamen oro, bone Domine, intuere paterne sanctam Romanam Ecclesiam, fidei utique nostræ magistram, necnon Dominum nostrum apostolicum, tuum vicarium, cui regimen ejus committi voluisti, una cum dominis cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, specialiter tamen cum nostro ordinario, necnon cum abbatibus, prioribus, et ceteris Ecclesiarum prælatis :
C ut Spiritus tui virtute cuncta fiant rite, digne et laudabiliter, in pacis tranquillitate, ad tui nominis gloriam populique credentium felicem augmentationem. Præcipue tamen peto, Domine, ut Ecclesiam tuam sanctam, quam tuam vocare sponsam voluisti, ab hæresum veneno et schismatum contagio cunctisque erroribus semper præservare digneris illibatam, contra infidelium et tyrannorum rabiem dextra potentiæ tuæ ipsam quoque misericorditer protegendo. Da etiam, misericors
D Deus, presbyteris, diaconis, subdiaconis, clericis, monachis, monialibus, et ceteris personis ecclesiasticis, ministris tuis ac tibi devotis, gratiæ tuæ abundantiam, qua dotati valeant singuli servitutis suæ debitum tibi reddere quotidie obsequium, non solum sine offensione, sed etiam pro totius mundi salute christianæque plebis conservatione.

Respice etiam oculis tuæ pietatis, quæso, omnipotens Deus, Romanum imperium, aliaque regna et dominia terrarum,

A una cum nostro Imperatore, ceterisque regibus, principibus et terræ dominis christianis, necnon cum suis comitibus, commilitonibus et clientibus temporali gladio utentibus, atque cum eorum subditis : ut dextræ tuæ potentia roborati, paganorum et aliorum infidelium superbiam, ceterorumque inquietorum temeritatem, potestate sibi credita humiliare et compescere noverint et possint ita viriliter et utiliter, ut omnibus in Ecclesia tua et in populo christiano pacatis, tibi auctori pacis dignas universi mereamur gratiarum reddere actiones. B Tribuere etiam digneris, bone Domine, cunctis rectoribus et officialibus civitatum, villarum, oppidorum et locorum quorumcumque in terris Christianorum, prudentiam et justitiam ad regendum digne alios, subditis vero obedientiam et fidelitatem ad conversandum pacifice inter se et ad majores, quatenus in omnibus ubique laus tua perficiatur.

Sint etiam tuæ pietati, precor, Domine, specialiter commissi omnes mei consanguinei, benefactores, amici, et pro quibus C in specie obligor. Fac eos, opto, dulcissime Domine, experiri ex mera tua gratia, quod religiosorum familiaritas eis fuerit utilis atque consolatoria. Sed et inimicos meos et æmulos, adversarios et persecutores, si qui sint, Domine, dilectioni tuæ,
Sap. xi, 25. qua cuncta diligis et nihil odisti eorum quæ fecisti, commendo. Da nobis pariter, hoc est et ipsis et mihi, veram caritatem, qua tibi placere possimus perpetuo.

Peto etiam, indulgentissime Domine, ut spiritum dones consilii sanioris omnibus D errantibus, falsis Christianis, perversis et obduratis, excommunicatis et interdictis, necnon perfidis Judæis et cæcis paganis, ad cognoscendum tuam bonitatem suamque stultitiam, ne propter suam obstinationem incurrant finaliter perpetuam damnationem. Et quoniam, prout nosti, Domine, temporali indigemus hic consolatione, igitur, ut valeamus tibi servire alacriter, concede nobis propitius terrarum pacem, aeris temperiem, fructuum ubertatem et corporum sanitatem cum aliis necessariis, refrenando hostium rabiem, tempestates comprimendo, fulgura, tonitrua, grandines et pruinas mitigando, famem et corruptionem aeris et fluminum repellendo, pestilentiam et omnem languorem auferendo.

Valde etiam cordialiter deposco, Domine misericordissime, quia tibi cura est de Sap. vi, 8.
omnibus, et quoniam tu es miserorum consolatio vera, sis consolator, adjutor et protector universis et singulis, tribulatis, tentatis, captivis, tristibus et afflictis, necnon viduis, orphanis, pupillis, mulieribusque prægnantibus et in partu laborantibus, atque cunctis infirmantibus, navigantibus et peregrinantibus, ac ceteris miserabilibus personis in quacumque angustia constitutis, ita ut in adversitatibus suis non deficiant, sed humiliter consolationem a te exspectent, atque tandem eam optate percipere ex tua clementia mereantur, ne forte cogantur (quod absit, Domine) impie agere ex desperatione, aut nomen tuum sanctum blasphemare præ mentis inopia, in propriam perditionem, inimicorum suorum gaudium et christiani nominis confusionem.

Dominus. — Si ita sæpius orares ex corde, promitto tibi, quod non remaneres absque remuneratione tam pro te quam pro aliis.

ARTICULUS XXXV.

Pro defunctis caritatis eleemosyna.

Discipulus. — Et quoniam, Domine, tuæ bonitati (ut præsumo) non displicet facta per me pro vivis deprecatio, supplico, adjuvare dignare me tuum pauperculum, ut etiam ipsis defunctis caritatis eleemosynam orando digne impendere valeam.

Eia ergo, Domine Deus meus, qui nos patrem et matrem honorare præcepisti, Exod. xx, 12; Matth. xv, 4.
miserere propitius animabus patris et matris meæ. Redde patri vicem, quæso, pro laboribus et cura pro mea educatione ha-

bitis, et largire matri consolationem pro doloribus et miseria, fidelitate et diligentia in mei portatione in utero, necnon in pariendo, me confovendo et gubernando, per ipsam exhibitis; et da eis pacem, requiem, lætitiam, lucem et gloriam sempiternam. Memento etiam in bonum eorum quibus ex naturali obligor dilectione (quam tu utique nobis indidisti, licet præposueris ei dilectionem spiritualem), videlicet meorum fratrum, sororum, progenitorum, consanguineorum, cognatorum et omnium meorum amicorum in quocumque gradu consanguinitatis vel affinitatis mihi attinentium. Libera animas eorum, misericors Deus, ab omni cruciatu inferorum, et transfer eas ad locum beatitudinis, ubi cum Sanctis tuis gaudere mereantur in sempiternum. Subveniat etiam, oro, tua clementia, omnipotens Deus, animabus meorum carorum, benefactorum et recommendatorum, quibus specialis me obligat gratitudo. Responde, precor, Domine, eis tu pro me, ne propter meam inopiam videantur in me perdidisse piam suam ad me affectionem.

Specialiter quoque, Domine, commendo tuæ miserationi animas meorum in Ordine et domo Fratrum ac Sororum, necnon Ordinis et domus habentium participationem et societatem, necnon illorum quorum apud nos corpora requiescunt. Erue eas de omni angustia, et indulge ipsis propitius refrigerii sedem, quietis beatitudinem et luminis claritatem. Supplici etiam cum instantia commendandum duxi, misericors Deus, tuæ bonitati specialiter animas nostri fundatoris et omnium suorum ad ipsum modo quocumque pertinentium, necnon eorum qui notabiliter nostræ domui et congregationi benefecerunt. Da eis, bone Domine, pro temporali nostra sustentatione tabernacula sine fine mansura, cum cœlestium bonorum ubertate.

Tandem quoque totis ex præcordiis commendo tuæ infinitæ clementiæ, o auctor pietatis, animas omnium fidelium defunctorum, tam generaliter quam specialiter.

A Eia, respice, obsecro, oculis misericordiæ in opera manuum tuarum, nullam in tormentis, nisi solam tuam paternam bonitatem et communia sanctæ matris Ecclesiæ dumtaxat suffragia, habentia consolationem; et clementer miserere omnibus fidelibus defunctis in purgatorio quomodocumque detentis. Specialiter tamen, pie Domine, succurre cito, peto, miseris, egenis et pauperculis animabus eorum qui non bene parati, improvise, subito, ex ignis, aquæ, latronum aut aliorum inopi- B natorum casuum periculo morte præoccupantur, vel suffocantur in somno, vel per publicam justitiam violenter subjiciuntur mortis tormento. O Domine, præsta talibus id de misericordiarum tuarum thesauris quod ipsi minus sibi providerunt, dum potuissent in tempore sanitatis et libertatis. Nosti enim, pie Domine, quoniam miseris misericordia est necessaria, tibique proprium est misereri et parcere.

Dominus. — Fortiter instas, et efficaciter urges; sed non recte judicas. Vis enim C ut misericordiam exhibeam, et justitiam meam negligam; reos absolvam, et eos justis æquiparem.

Discipulus. — O Domine, si tibi mea displicuerit deprecatio, veniam peto. Attamen videtur meæ simplicitati, bone Domine, ut salva tua gratia ita loquar, quod nihil deroget tuæ sanctæ justitiæ, si miseris misericordiam feceris ex mera tua bonitate. Imo, si nunquam misereri velles, hoc, Domine, de tua justitia faceret injustitiam, quum utique justitia sine mi- D sericordiæ temperamento careat merito justitiæ præconio.

Etiam, Domine, ut videas quoniam non ex toto justitiæ tuæ præjudicare volo, offero tuæ justitiæ in satisfactionem pro cunctorum fidelium defunctorum reatibus, et in supplementum meritorum quæ eis desunt, in plenamque ipsorum tecum reconciliationem, sanctam tuam incarnationem et nativitatem, totamque tuam perfectissimam, innocentissimam et laboriosissimam vitam, tuam sacrosanctam

passionem et pretiosissimam mortem, tuam gloriosam resurrectionem, admirabilem ascensionem, et Spiritus Sancti missionem saluberrimam. Insuper offero tibi, Domine, tuæ dignissimæ Matris gloriosa merita, suæ videlicet divinæ maternitatis et virgineæ puritatis excellentiam. Etiam offero tibi, Domine, omnium sanctorum angelorum tuorum merita, quibus ipsi semper placuerunt tibi placebuntque in perpetuum. Sed et sanctorum tuorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, martyrum, confessorum, virginum et continentium, omniumque justorum et electorum tuorum jam in cœlis tecum regnantium, necnon adhuc in terris degentium, gratissima multa et magna merita, Domine, offero tuæ pietati. Offero quoque tibi, Domine, omnia bona quæ in tota Ecclesia tua sancta unquam facta sunt, fiunt et fient usque ad mundi finem, et specialiter illam excellentissimam reconciliationis nostræ hostiam, in qua quotidie adhuc pro nostra salute per mysterium quodammodo pateris.

Eia, bone Domine, acceptare digneris gratanter tantam satisfactionem, et absolve misericorditer animas tuorum fidelium defunctorum, pro quibus deprecor. Vincat tua bonitas, rogo, Domine, nostram malitiam. Amicorum tuorum merita prævaleant, quæso, contra captivorum tuorum delicta. Misericordia tua justitiæ rigorem temperet, miserosque lætificet et ad tuæ jucundissimæ visionis gloriam perducat. Amen.

ARTICULUS XXXVI.

Reprehensio præsumptionis, et de quinque sensibus animæ.

Dominus. — Placet quia largam erogasti caritatis eleemosynam. Utinam tu cum ceteris aliique tecum haberetis affectum semper talem in dicendo preces ad Horas, necnon in litaniis. Sed oris strepitum facitis, et raro intentionem cordis adhibetis :

A igitur etiam taliter orando parum proficitis aliis et vobis ipsis.

Discipulus. — O Domine, heu ! verum est quod dicis. Da nobis omnibus emendationem propter infinitam tuam bonitatem. Insuper, bone Domine, quia feci (licet taliter qualiter) quod jussisti, in dando caritatis eleemosynam : quando vis reddere servulo tuo quod promisisti, caritatis eleemosynam mihi tribuendo ?

Dominus. — Jam pluries dixi tibi in superioribus, quod hoc debeas mihi commit- art. xxix, xxxii.
B tere, quia ego scio melius quam tu quid tibi expediat. Persevera tu in desiderio longanimiter, et experieris tempore opportuno promissionem meam efficaciter. Tibi videtur (ut sentio) quod jam aliquid magni feceris, ideoque dignum fore ut a me reportes aliquid mercedis in recompensam quasi laboris. Dic mihi, homuncio, quid fecisti ? Quæ sunt aliorum, mihi obtulisti ; de alienis prodigus, in propriis parcus. Propria mea et Sanctorum meorum mihi obtulisti merita, et quid ultra ? De propriis
C tuis quid apposuisti ? Ubi sunt Missæ, psalteria, pœnitentiales psalmi, vigiliæ, cantica graduum, jejunia, flagella, eleemosynæ et lacrimæ, ceteraque hujusmodi spiritualia exercitia quæ pro liberatione captivorum quos redimi optas, de propriis tuis obtulisti ?

Discipulus. — Parce, Domine, parce, rogo, meæ præsumptioni, et ignosce meo torpori. Cognosco enim, Domine, quoniam vere ita est ut tu dicis. Libenter enim multa expedirem aliorum labore, quæ di-
D gito minimo (ut sic loquar) vix ipse curo tangere. Da, pie Domine, emendationem, et fac tu nihilo minus pro nominis tui gloria aliquid ad rem, illis indulgendo gloriæ tuæ præmium, et mihi pauperculo tuo largiendo caritatis donativum.

Dominus. — Quantumcumque te informem ad longanimitatis refugium, tu tamen semper reverteris in tuum pristinum canticum. Ideoque iterum te docere volo aliqua, adhuc tibi ad inhærendum Deo per amoris affectum necessaria.

Noveris quod in anima rationali sunt A quinque sensus spirituales seu interiores, quibus ipsa Deo conjungitur mediante caritate. Est enim in anima interior auditus, in potentia animæ memorativa, cujus est doctrinam et inspirationes divinas recipere et conservare. Unde loquitur Propheta in Psalmo, dicens : Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Et hic sensus seu hæc potentia respicit personam Patris in divinis. Sed visus animæ interior consistit in potentia animæ intellectiva, cujus est divinas perfectiones pro posse intel- B ligere, non tantum per fidem, sed etiam per aliqualem experientiam. Unde ait quidam : Sicut Deus per memoriam auditur, ita per intelligentiam videtur. Et hic sensus seu hæc potentia respicit personam Filii in divinis. Ad hunc visum non sufficit videre Deum in creaturis vel in Scripturis aut in humanitatis veste, sed requiritur ut anima devota per unitivum amorem immediate, absque aliquo medio, etiam in Deum suum feratur, omnibus sensibilibus et intelligibilibus penitus exclu- C sis. Hæc est illa divinissima sapientia, quam nonnulli dicunt amentiam seu stultitiam sapientissimam : quam nullus mortalium per propriam attingit industriam naturalem, nisi singulari præventus sit gratia, et nisi prius multam præmiserit inquirendi per gemitus, desideria et bona opera diligentiam.

Ps. LXXXIV, 9.

Reliqui tres spirituales et interiores sensus animæ, puta odoratus, tactus et gustus, sunt spiritualiter in potentia animæ volitiva seu affectiva secundum tres volunta- D tis actus, qui sunt desiderare, diligere et delectari : quorum primum correspondet odoratui, secundum tactui, sed tertium gustui. Nam sicut famelicus primum a longe cibum odorat, et sic desiderat, deinde propius accedens, tangit manibus et tractat, ac postmodum ore recipit et degustat ; sic suo modo anima rationalis et devota suum cibum, qui est Deus, per tres actus potentiæ affectivæ, qui Spiritui Sancto in divinis attribuuntur, sentit experimentaliter, et spiritualiter attingit : primo ipsum quasi odorando per devotionis desiderium, deinde ipsum tangendo per caritatis dilectionem, et post etiam ipsum gustando per unitivam adhæsionem. Correspondet his illud in Canticis, In odore unguentorum tuorum curremus, quantum ad primum ; et illud, Tenui eum, nec dimittam, quantum ad secundum ; et illud in Psalmo, Gustate et videte quoniam suavis est Dominus, pro tertio. Hæc autem gustatio et visio non potest fieri in anima nisi perfecta unione harum potentiarum animæ cum Deo in amore ferventissimo. Ad quam tu potes adspirare quidem ; sed non pertinges nisi quum ego voluero et te fortiter attraxero.

Cant. I, 3. Ibid. III, 4. Ps. XXXIII, 9.

Discipulus. — O bone Domine, quam magistralem legisti mihi lectionem ! Gratias tuæ bonitati. Da, obsecro, ut in me proficiat ad tui laudem, mihique in salutem. Scio namque, Domine, quod nihil valeo, nisi quando tu volueris, et quantum tibi placuerit ; atque ideo rogo ut non aliter fiat quam prout mihi expedierit.

ARTICULUS XXXVII.

Qualiter anima quasi in sopore unitur Deo.

Discipulus. — Quoniam sponte declinasti, Domine, ad quinque sensus animæ interiores pro mea informatione ex mera tua bonitate, rogo non displiceat etiam tradere in practica qualiter anima tibi devota his sensibus tibi jungatur mediante caritate.

Dominus. — Sicut curiosorum inquisitionem detestor, ita devotorum studio condelector. Audi aliquid de quo quæris. Homo spiritualis cui gratiam hujusmodi fecero, uniendi se scilicet mecum, fit quodammodo ad instar hominis nobili et forti vino potati : unde et in soporem resolvitur, non tamen omnimode in somnum, ita ut non ex toto dormiat, nec etiam simpli-

citer vigilet. Qui quidem ea quæ circa A ipsum fiunt, non plene scit, nec etiam totaliter nescit, sed quasi advertere non curat, neque talibus intendit : imo nec actu de se ipso tunc cogitat, quamvis se fore illic ubi est, non ex toto ignoret. Et quanto tunc in anima fuerit amor Dei ferventior intellectusque lucidior, tanto fortius animam totam in se Deus rapit, sibi eam miro modo uniendo, in tantum ut demum anima hæc oblita sui, et oblita omnium aliorum præter Deum, nihil sentiat nihilque intelligat nisi solum Deum, unus B quasi spiritus facta cum eo; sed intellige, per amorosam voluntatis suæ cum voluntate divina unionem et conformitatem.

Discipulus. — Gratias tibi, Domine, quia non sprevisti pauperis tui desiderium, sed dignanter tradidisti unionis modum per soporati exemplum. Adhuc tamen moveor ad sciendum si iste sopor sit *Philipp.* IV, 7. idem cum pace illa quæ omnem exsuperat sensum, sive cum ea pace in qua dicit se *Ps.* IV, 9. Propheta in id ipsum velle dormire et re- C quiescere.

Dominus. — Non multum erras, si sic intelligis. Nomina quidem sunt diversa, sed res eadem est. Diversis siquidem nominibus soporem hunc diversi nominant. Aliqui dicunt eum somnum, aliqui dicunt silentium, aliqui pacem : unus sic, alius aliter, ex effectuum ratione eum ita denominantes varie. Tamen rectissime potest nominari, secundum apostolum meum Paulum, pax omnem exsuperans sensum. Non enim tantum sensum excedit, imo (quod D plus est) etiam absorbet omnem cogitationem, imaginationem, rationem, memoriam et intelligentiam.

Discipulus. — Modo intelligo ex tuo dono, ut mihi videtur, Domine, illud contemplativorum dictum : Deum nemo veraciter invenit, qui se non totaliter perdit; et illud similiter ex eodem manans fonte : Nullus Deum vere seu perfecte diligit, qui non se veraciter oderit. Hinc elicio, Domine, quod si voluero contemplando tibi inhærere, oportet omnia, et me quoque inter alia, relinquere. Et si voluero in dilectione tua fieri perfectus, necesse est ut in me omnis extraneus cesset affectus, tam proprius quam alienus, etiam omnium creaturarum : ita ut totus meus affectus nemini nisi tibi soli militare præsumat. Delicatus enim (ut quidam ait) amor tuus est, socium non patitur. Solus cum solo esse vult, sicut scriptum est : Dilectus *Cant.* II, 16. meus mihi, et ego illi; item : Una est co- *Ibid.* VI, 8. lumba mea.

Dominus. — Bene sentis, recte loqueris. Hoc fac, et fiet. Fac ut dicis, et fiet quod cupis.

Discipulus. — O Domine, bonum est *Luc.* IX, 33. nos hic esse, ait magnus amator tuus, quum in transfiguratione tua radiantem faciem tuam vidisset, nesciens quid diceret præ mentis stupore. Nescio et ego, Domine, quid dicam. Benedico, laudo et honorifico te, utinam digne, quia tetigisti utcumque cor servuli tui cum suaviori affectu et lucidiori intellectu. Sed secretum *Is.* XXIV, 16. meum mihi, secretum meum mihi, ait Propheta. Age, Domine, quod agis, operare quod operaris. Sanctorum tuorum deprecationes non sunt contemptæ. Sapi- *Sap.* VII, 30. entia vicit malitiam; misericordia super- *Jacob.* II, 13. exaltavit judicium; desiderium pauperis *Ps.* X, 17, sec. Hebr. audivit Dominus. Gratiarum actio largitori; laudes intercessoribus et promotoribus. Conserva et perfice, obsecro, Domine, gratiam tuam in opere manuum tuarum, in tuam perpetuam laudem. Et ne avertas *Ps.* XXVI, 9. unquam faciem tuam a me; sed averte *Ps.* L, 11. propitius faciem tuam a peccatis meis, ne amplius divisionem inter te et me facere prævaleant quoquomodo.

Dominus. — In die bonorum ne imme- *Eccli.* XI, 27. mor sis malorum. Montes et colles habent juxta se valles. Si semper esset festum, venirent festa in contemptum. Vicissitudine sua currunt tempora.

Discipulus. — Intelligo, Domine, quid velis. Fiat voluntas tua, quæ semper est recta, justa et sancta; non mea, quia fatua, curva et indigna.

ARTICULUS XXXVIII.

De unitivo amore et variis ejus operationibus.

Discipulus. — Videtur mihi, Domine, juxta præmissa, quod unitiva tui adhæsio, qua tui amoris suavitas sentitur, præsupponat, præsertim ordine naturæ et secundum modum communiorem, devotas meditationes surgentes ex spiritualibus colloquiis aut sermonibus, vel ex lectionibus affectuosis, necnon intima desideria cor inflammantia, ac orationum ferventium sedulitatem, nunc vocalium, nunc mentalium. Ideoque libenter vellem, Domine, aliquid de his audire.

Dominus. — Noveris quod ad contemplationem, qua pervenitur ad suavitatis divinæ gustationem et cum Deo unionem, bene requiruntur ea de quibus mentionem fecisti. In theologia enim mystica, secundum contemplativos, ea quæ tetigisti idem sunt, aut se invicem præsupponunt : omnia tamen in vera et perfecta comprehenduntur oratione. Omnis quippe orationis, saltem veræ, finis et fructus est Deo adhærere, et unum cum Deo spiritum fieri, videlicet per liquefactionem purissimi amoris, et per speculationem serenissimæ cognitionis, atque per absconsionem in Dei vultu ab omnium strepitu mundanorum, per excessum quietissimæ fruitionis, ubi omnes vires et potentiæ animæ a suis dispersionibus simul collectæ,ac in unum, verum, summum et simplicissimum bonum fixæ, in quamdam divinæ conformitatis ac æternæ stabilitatis similitudinem transformantur.

Discipulus. — Ex dictis, Domine, intelligo quod homines devoti et ad orandum prompti, sint aptiores et proximiores ad contemplandum, et per consequens etiam ad Deo inhærendum per amorem unitivum magis idonei. Utinam, pie Domine, et ego fieri merear unus ex iis. Quoniam vero de contemplatione aliquid, Domine, occasione unitivi amoris tetigisti, optarem audire A de varietate illa aliquid quam contemplativi persæpe in moribus et per exteriora signa exhibent, quando ita tecum conversantur. Attendi namque in eis, quod non uniformiter, sed multum difformiter se tunc habent, aliqui quasi sint insensati, aliqui quasi ebrii, alii sic, alii aliter se exhibendo.

Dominus. — Verum dixisti de aptis ad contemplandum propter devotionem ad orandum. Audi nunc quoque de quo quæris, si forte quandoque tibi aliquid de hu- B jusmodi contigerit, ut scias unde et quomodo accidat.

Homines mihi specialiter devoti, qui abstractam diligunt vitam, ab exterioribus (quantum fieri poterit) exoccupatam, perveniunt (gratia mea ductrice) nonnunquam ex forti spe quam suis in orationibus aut meditationibus concipiunt de cœlesti gloria per ipsos consequenda, ad tantam mentis jucunditatem, ut intus cohibere eam si vellent, nequeant, sed velint nolint, per signa aliqua in apertum foras C prodit, puta per risum, lacrimas, singultus, suspiria, saltus, plausus, gesticulationes, aut cetera hujusmodi mores inconsuetos. Et quoniam jucunditatem hanc verbis exprimere nequeunt,ipsam his quasi lusibus ostendere ex abundantia cordis, velint nolint, contendunt. Hanc internam mentis jucunditatem dicunt contemplativi jubilum.Repræsentatque Ecclesia tale gaudium etiam in Missis per lætitiæ canticum Alleluia : quod quidem multis fit gaudii notis, sed sine expressione significativæ D vocis.

Nonnunquam etiam corda mihi devotorum suis in orationibus aut meditationibus tanto perfundo gaudii spiritualis meique amoris fervore, quod videntur quasi ebrii, modum in agendo nescientes, ita ut præ spirituali lætitia loquantur et operentur insolita. Et hæc spiritualis actio vocatur a contemplativis ebrietas spiritus.

Quandoque rursum corda devotorum ita amoris mei fervore et dulcedine tango, tam fortiter et abundanter, ut redundet ex

corde totum in corpus, in tantum quod A corpus suas intermittere cogatur operationes : quia nequit tunc ambulare, stare, loqui aut videre, sed factum videtur interim quasi insensibile, donec fervor iste tepescat et cesset. Et talis interna operatio etiam corpus occupans, dicitur a nonnullis raptus, vel etiam ecstasis.

Interdum quoque cor hominis devoti ardor divini amoris ita accendit, ut totum hominem concutiat, et nisi foras erumpat, homo præ caloris vehementia deficere videatur : quia cor ipsum, tanquam vas fi- B ctile metallo ferventissimo suscepto in partes multas mox rumpendum, ardorem hujusmodi sustinere non valens, continere se ultra nequit quin dirumpatur, prout et nonnunquam compertum est in nonnullis personis devotis, quæ venis et nervis cordis ruptis, spiritum realiter tradiderunt, de morte ita ad vitam veraciter et haud dubium feliciter transeuntes. Hunc modum aliqui contemplativorum vocant insolentiam spiritus.

Nonnunquam etiam anima prius in se C male dura, tactu divini amoris ad instar bullientis metalli ita liquescit in hujusmodi sua devotione, ut jam non videatur fore ipsa quæ prius, sed altera : quia ad omne Dei beneplacitum ita facta est flexibilis, quasi unus spiritus cum ipso sit, ad omnem Dei voluntatem aptissima et promptissima, in nullo ei contraria aut dissona. Modum hunc nominant aliqui contemplativorum liquefactionem spiritus.

Est et adhuc alius modus contemplativorum in suis exercitationibus, quem ipsi D dicunt spiritualem jucunditatem, vel gaudium in Spiritu Sancto. Hoc gaudio quum cor hominis divinitus repletur, fit homo quasi extra se et supra se, nesciens præ spirituali jucunditate quid faciat aut quid *Rom.* VIII, 16. dicat. Et hoc ipsum gaudium testimonium reddere quandoque consuevit conscientiæ hominis quod sit filius Dei : præsertim si venerit (prout nonnunquam consuevit) post generalem, integram et puram confessionem, aut post devotam celebrationem, aut post cordialem passionis meæ meditationem ; vel si venerit in locis ubi magnæ sunt indulgentiæ, vel ubi magnorum Sanctorum sunt reliquiæ, vel in vitæ spiritualis inchoatione, prout quandoque accidit noviciis in receptione habitus, vel in professione, vel in sacrorum ordinum collatione, vel in celebrando primitias.

ARTICULUS XXXIX.

Qua similitudine fiat animæ unio cum Deo.

Discipulus. — Gratias tibi, dulcissime Domine, quia tam salubria docuisti servum tuum de correquisitis ad inhærendum tibi amore unitivo, et de diversis modis quibus agitur cum contemplativis. Supplico, bone Domine, dignetur tua pietas, quæ utique de nostro lætatur profectu, me tuum pauperculum etiam instruere per aliquam similitudinem (quia nosti quod tardus sum ad intelligendum tardusque ad agendum) ex qua capere possim quomodo fiat in unitivo amore anima tecum unus spiritus, prout jam sæpius supra commemoratum est. Miror etenim non parum quomodo hoc possit fieri, quum (quemadmodum in scholis didici) finiti ad infinitum nulla sit proportio. Constat autem hominem esse finitum, et Deum infinitum. art. VI, XXII, XXXVII, XXXVIII.

Dominus. — Arguis satis simpliciter : quia quæ sunt supra naturam et divina, putas te humana posse ratione comprehendere. Verumtamen, quia similitudinem postulas, noveris diversas similitudines a diversis super hac re assignari : quæ tamen omnes claudicant, nec sufficienter figurare quod prætenditur valent. Nihilo minus ad condescendendum utcumque tuæ instantiæ, scias quod hæc amorosa unio animæ cum Deo, quæ etiam a plerisque transformatio nuncupatur, secundum nonnullos dicitur fieri ad instar guttæ aquæ quæ in dolium fortis vini mittitur et a vino absorbetur. Secundum alios vero dici-

tur fieri ad instar candentis ferri, quod in A ignis naturam converti videtur. Alii dicunt quod hoc fiat eo modo quo aer per solem illuminatus, solis lumen sibi incorporat; ita ut aer et lumen solis unum fore videantur. Alii vero sentiunt quod taliter fiat, qualiter ferrum per magnetem affectum, magnetis proprietatem sibi incorporat, per quam et aliud ad se ferrum trahere valeat. Alii autem volunt quod fiat eo modo quo vapor substantialiter aqua exsistens, ex aeris calore aeris levitatem recipit, atque in aeris quasi naturam transit. B Alii putant id fieri ad similitudinem unionis materiæ cum forma, aut perfectibilis ad suum perfectum. Alii sic, alii aliter sentiunt et loquuntur, non sine ratione : attamen communiter in hoc deficiunt, quod conantur discutere speculative per humanam rationem quod melius discitur practice, et non nisi per divinam operationem.

Nec est aliqua similitudo quæ huic rei satis congruat. Illa tamen quæ ultimo tacta est, veritati magis appropinquat. Constat C enim, quod materia ante susceptionem formæ imperfecta est, sine decore, sine virtute et sine actione; data vero ei forma, mox ad perfectionem venit, juxta formæ sibi unitæ proprietatem. Sic suo modo est de anima : quia priusquam uniatur ipsa Deo per vivificum amorem, manet quasi in spirituali morte, sine decore, sine virtute et sine vitali actione, quum agere nequeat opera vitæ, perpetuæ beatitudinis meritoria. Quum autem Deo conjungitur, suo fontali et totius vitæ principio, tunc D datur sibi vita quædam divina participative : non quidem per formalem animæ inhæsionem ad Deum (hoc enim divinæ repugnat perfectioni), sed per quemdam illapsum spiritualem intimum, seclusa qualibet imperfectione. Hoc autem fit mediante amore, tanquam qualitativa et harmonica dispositione, quodammodo proportionaliter : sicuti dispositio materiæ prærequiritur, quamvis non sufficiat, ad humanæ formæ susceptionem. Unde quemadmodum calor naturaliter habet congregare similia atque segregare dissimilia, sic facit et amor suo modo. Et quoniam spiritualia cum spiritualibus habent similitudinem, et cum corporalibus seu terrestribus dissimilitudinem, ideoque in hujusmodi amorosa unione animæ cum Deo, quidquid in homine invenitur spirituale et divinum, segregatur quodammodo per vivificum amoris calorem ab eo quod in homine est corporeum et terrestre. Sicque tunc etiam fit divisio spiritus et animæ, id est spiritualitatis et animalitatis seu sensualitatis, per separationem pretiosi a vili. *Jer.* XV, 19.
Et quoniam Deus est Spiritus, et quoniam *Joann.* IV, 24.
anima est spiritus; hinc quædam inter eos invenitur similitudo. Et quum similitudo causa sit amorosæ unionis, clarum fit cur spiritus humanus rationalis sic depuratus et defæcatus, Spiritui unitur divino, eique fit quodammodo similis et unum cum eo. Imo, quod plus est, ex hujusmodi unione spiritus humani cum Spiritu divino, sequitur quasi per redundantiam etiam unio carnis ad spiritum : ita quod corpus quasdam spiritus induit proprietates, conditionibus propriis interim neglectis, et a suis actionibus suspensis. Ex qua felici unione mirabili sequitur conformitas spiritus ad Deum, corporisque ad spiritum. Nam tunc anima suum habens desideratum finem, summumque suum bonum ac suum centrum, totam quoque suam perfectionem et omnium suorum desideriorum complementum, est quieta et contenta, nihil ultra appetens ab extra.

Discipulus. — O Magister bone, quam pulchram mihi indignissimo fecisti doctrinam! Quam, rogo, convalescere facere digneris in servo tuo per felicem experientiam. Et gratias tibi, quod tam dignanter exaudis pauperum tuorum vota. Nunc itaque, bone Domine, da, obsecro, ut anima mea tibi utique propter imaginem et similitudinem tuam propinqua, per vim suam concupiscibilem tendere velit et queat in Spiritus Sancti bonitatem, per vim rationalem in Filii veritatem, et per vim ira-

scibilem in Patris potentiam, gloriam et A majestatem : quatenus his viribus suo supremo appetibili anima ipsa conjuncta quietetur, illustretur et satietur, felici docta experimento quod Dominus Deus solus est summa ejus voluptas, prima ejus veritas, et suprema dignitas seu glorificatio, dicatque : Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum ; item : Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum ; itemque : Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput B meum.

Ps. LXXVI, 3, 4. *I Cor.* II, 2. *Ps.* III, 4.

ARTICULUS XL.

De practica veniendi ad unitivum amorem, non neglecto timore.

Discipulus. — Tetigit, Domine, tua clementia in superioribus pro mea eruditione multa de unitivo amore quo anima devota Deo conjungitur : unde audirem libenter adhuc a te modum facilem, et (ut ita dixe- C rim) quasi manualem, per quem orando et meditando possem practicare, tua gratia cooperante, et in usum venire hujus perfectissimi amoris.

Dominus. — Studiosus es ad investigandum : quod non arguo, si ita quoque fueris ad agendum. Si vis ad unitivum seu ecstaticum amorem proficere, hunc quem te doceo ordinem servabis. Intende cordis compunctioni, et time ; spiritus admirationi, et obstupesce ; mentis exsultationi, et confide. Si inquis, Quomodo? ecce con- D sidera divinam potentiam, quæ omnia potest, et juste judicat omnia : quam et tu sæpe offendisti, attamen longanimiter tuam exspectans pœnitentiam, non tecum sicut cum Dathan, Abiron et aliis peccatoribus egit. Hinc considera etiam divinam sapientiam, quæ novit omnia nihilque ignorat. Novit quippe præscitos ad damnationem perpetuam ; novit prædestinatos ad perpetuam gloriam. Contra hanc sapientiam tu sæpe peccasti, et ignoras an omnia tua peccata tibi sint dimissa, nec scis an amore Dei vel odio dignus sis. Similiter ignoras, qui hodie stas, an cras cades, quove fine vitam concludes, an cum rationis usu provide, vel inopinate, violenter, aut naturaliter, in gratia, vel cum desperatione. Et licet hæc omnia noscat in te Deus, facit tamen per dissimulationem in multis, quasi hæc ignoret aut non curet, quum peccas bona tibi largiendo, et quum recte ambulas te flagellando. Post hæc verte considerationis oculum ad divinam bonitatem : quæ tanta est, quod non solum non dici, sed neque æstimari satis potest; citra condignum malos puniens, et ultra condignum bonos etiam pro bono minimo remunerans; cupiens (quantum in se est) cunctis benefacere, et nullum affligere ; omnes volens salvos fieri, et neminem perire, nisi quum peccata hominum ipsam ad hoc cogunt, justitia mediante. Pensa quoties bonitatem hanc contempsisti, mala pro bonis reddidisti, peccata pro beneficiis tribuisti, iram Dei (quantum in te fuit) contra te provocasti. Attamen usque hodie ad pœnitentiam benigne exspectatus es ex abundantiori gratiæ dono.

Ps. CV, 17. *Eccle.* IX, 1. *I Tim.* II, 4.

Hæc tria etiam innuuntur in Canticis canticorum, quum dicitur de anima devota : Quæ est ista quæ ascendit ut virgula fumi? Fumus provocat lacrimas : sic et Dei potentia bene considerata, quantum ad primum. Item quum dicitur : Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens? Aurora tenebras illuminat : sic et divina sapientia quum mentem visitat, quantum ad secundum. Item quum dicitur : Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum? Inniti super dilectum, gaudium sponsæ cum sponso indicat : sic et Dei bonitas bene considerata animam lætificat.

Cant. III, 6. *Ibid.* VI, 9. *Ibid.* VIII, 5.

Ecce habes in præmissis tres principales affectus, puta, compunctionem cum tremore, admirationem cum stupore, et exsultationem cum fiducia seu delectatione : quibus correspondent Dei potentia, Dei sapientia, et Dei bonitas, etiam juxta

trium virium animæ, irascibilis, rationalis et concupiscibilis, distinctionem, de quibus immediate supra jam aliqualiter tactum est. In his etiam comprehenduntur via purgativa, illuminativa, et perfectiva seu unitiva, secundum hierarchiam triplicem. Nihil itaque invenies pene in omni Scriptura sacra quod non valeat reduci ad aliquod horum trium, directe vel indirecte.

Discipulus. — Domine, audivi libenter quæ dixisti ; sed videtur mihi quod non responderis ad quæsitum, neque ad meum propositum. Volebam namque ego modum compendiosum, et quasi manualem, perveniendi cito ad tuam amorosam unionem et inhæsionem mentis cum Deo, et tu me terres per divinæ potentiæ et æternæ sapientiæ districta judicia, justissima quidem, licet nobis occulta. Ego adspiro ad amoris dulcedinem, et tu ostendis mihi amaritudinis materiam. Unionem mentis cum Deo quæro, et elongationem ampliorem conspicio. Cur sic facis, bone Domine ?

Dominus. — Viam regiam ostendi tibi, si intelligeres, per quam venitur ad desideratum. Hac etenim via neglecta, nihil poteris proficere. Nam si vis Deo per caritatem uniri, necessarium est tibi ut stes in timore cum spe, et in spe cum timore : ad quod faciendum cooperantur multum ea quæ dixi. Vix enim ad tantum potest quis in divino amore hic proficere et in Deum sperare, quin contingat et expediat ipsum quandoque de judiciis Dei expavescere, saltem quamdiu de viatorum est numero. Hinc est quod apostolus meus Paulus, vas electionis, post raptum in tertium cœlum adhuc dicit : Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar ; (I Cor. IX, 27.) et alibi : Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. (Ibid. IV, 4.) Ut igitur per caritatem ascendere valeas ad Deum et in Deum cum Israel, vide primum cum Jacob in scala sua cujus summitas cœlos tangebat, angelos Dei non solum ascen- (Gen. XXVIII, 12.)

A dentes, sed et descendentes : imo et tu cum eis ascendere et descendere stude, per spem videlicet et timorem, nunc Dei amando pietatem, nunc Dei timendo æquitatem, donec videre merearis tandem absque omni timore Deum deorum in Sion. (Ps. LXXXIII, 8.) Quod erit, quando Deus contuebitur non amplius per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem. (I Cor. XIII, 12.) Hic igitur timor amorem Dei non exstinguit, sed nutrit ; nec impedit, sed perficit. De hoc quoque timore canit Psalmista : Beneplacitum est Domino B super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus ; (Ps. CXLVI, 11.) et rursus : Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi. (Ps. XVIII, 10.) Iste autem timor non debet esse servilis, solum timendo pœnam ; nec mercenarius, solum timendo præmii amissionem ; sed filialis et castus, timendo piissimi Patris separationem.

Discipulus. — Cum multa gratiarum actione audivi, Domine, tuam informationem. Et sentio ex præmissis, quod timor iste et amor tuus sunt quasi idem. C Unde oro, Domine, utinam digne, cum Ecclesia tua sancta : Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Christum Dominum nostrum.

ARTICULUS XLI.

Contemplatio, meditatio et cogitatio quomodo differant.

D Discipulus. — Fateor, Domine, quod ad sciendum, prout superius quandoque tetigisti, sum sollicitus, sed ad faciendum, heu ! tardus : nihilo minus tamen, quia ita dignanter respondes indigno quando interrogo, hinc spem concipio quod tibi non displiceat ut ultra continuem investigando. Peto igitur, bone Domine, informationis causa (quia supra quandoque movisti de contemplatione), an contemplatio, meditatio et cogitatio sint idem, vel quomodo differant.

Dominus. — Inconsuetum apud scholasticos habes procedendi ordinem, quærendo posterius quod investigandum erat prius, et econtra. Verumtamen, quia in theologia mystica laboras, in qua secundum quid affectus intellectum præoccupat, quia gustus hic præcedit, post sequitur visus ; condescendendum tibi est, dummodo tamen non sis nimium ad intelligendum simplex, quemadmodum ille qui ignoravit ordinem temporis inter Apostolos et Prophetas, dubitans si Apostoli præcessissent Prophetas. Igitur noveris quod multa in hac materia fuissent modo scholastico præmittenda, antequam veniendum erat ad ea quæ dicta sunt. De quibus quia tu non quæsivisti, ego quoque tangere minime curavi, quum nec multum necessaria ea tuo etiam proposito cognoscerem, ex quo scholas intrasti potius affectus quam intellectus : quia inquiris experientiam amoris ecstatici seu unitivi, qui perfectus est, magis quam ejus scientiam, et fortius ejus practicam quam speculativam.

In theologia mystica scias quod contemplatio, meditatio et cogitatio possunt dici unum esse in re, quanquam multum differant in ratione. Cogitatio quippe fit cum facilitate et absque labore, mente libera hinc inde evagando. Sed non sic meditatio : quia illa fit cum difficultate et labore ad standum fixe circa certa phantasmata quærendo. Supra has autem ambas fieri habet contemplatio, post frequentatam habituationem et post divinam illustrationem, cum facilitate circa spiritualia et divina, talibus dulciter inhærendo. Et ut plenius intelligas, dicam amplius: Cogitatio vagatur et serpit sine labore et sine fructu ; meditatio nititur et incedit cum labore et fructu ; contemplatio autem circumvolat et circumfertur sine labore et cum fructu : ita quod in cogitatione est evagatio mentis, in meditatione inquisitio mentis, sed in contemplatione est mentis admiratio. Et quoniam hæc tria satis sibi contigua sunt, ideoque cogitatio sæpe transit in meditationem, et meditatio in contemplationem, cum fructu non modico : sic et vice versa per negligentiam contemplatio relabitur in simplicem meditationem, et meditatio in vagam cogitationem, cum damno non parvo. Ex quibus potes elicere, quod boni oratores et devoti meditativi possent faciliter, si facerent diligentiam, effici boni contemplativi.

Sed adverte circa hæc diligenter, quod licet amor ecstaticus et unitivus reponatur in vi animæ affectiva, tamen contemplatio, mediante qua ad hunc nonnunquam pervenitur, residet in animæ vi intellectiva. Unde illa contemplatio quæ fit sine ecstatico et unitivo amore, proprie loquendo non meretur dici contemplatio, nisi se quoque extendat ad animæ vim affectivam. Igitur anagogico amore juncto intellectivæ, fit vera contemplatio. Vix namque inveniri potest cognitio quæ non sit formaliter aut virtualiter quædam affectio, quemadmodum clarum est quod et affectio vix aliqua possit dari quæ non quædam sit cognitio, saltem experimentalis, quum constet quod harum potentiarum neutra sine altera suum causare consueverit effectum. Sane ergo intelligere debes, quum audis contemplationem reponi in vi animæ intellectiva, et tamen amorem unitivum seu perfectum, repositum in animæ vi affectiva.

Discipulus. — Benedictus sis, bone Domine, in æternum et ultra pro tam salubri mihi indigno per te facta doctrina. Sed quoniam sæpe expertus (proh dolor !) sum hoc, Domine, quod tetigisti, videlicet de relapsu a contemplatione et meditatione in cogitationes vagas, tanquam a luce in tenebras, a deliciis in miserias, ab aula in cloacam, et a cœlo in abyssum, mea culpa, heu ! id exigente, ita ut nonnunquam in cruce perderem te Dominum meum Jesum, tuamque Matrem et Joannem, atque manerem cum solis latronibus et Judæis tuisque crucifixoribus; peto, bone Domine, ignosce mihi super hoc, et custodi me, ne simile contingat mihi amplius.

ARTICULUS XLII.

Differentia inter theologiam speculativam et mysticam, cum sex potentiis animæ.

art. præced. DOMINUS. — Sicuti jam dixi, fuisses prius instruendus de aliquibus ad propositum pertinentibus : quæ licet silentio sint pertransita, adhuc tamen aperiam nonnulla theologiam mysticam, cum qua nunc versaris, concernentia.

ibidem. Jam dixi tibi superius, quomodo contemplatio, et theologia mystica sive amor ecstaticus, se ad invicem habeant secundum intellectivam et affectivam. Ne autem dubitare incipias de theologiæ mysticæ hujusmodi qualitate, scias (quantum ad præsens attinet) quod theologia est duplex : una speculativa, altera mystica. Prima pertinet ad intellectum, secunda ad affectum. Illa traditur a magistris in litteris, ista immediate a Deo in orationibus et meditationibus sanctis. Una habet pro objecto Deum ut verum, altera ipsum intuetur ut bonum. Illa potest declinare ad vitia, ista vix unquam, nisi humilitate relicta : quia illa quandoque ex superbia inflat, ista vero in caritate ædificat. Prima meretur dici scientia, secunda vero proprie dicenda est sapientia. Illa nisi concurrat cum ista, manet inquieta ; ista autem quieta est in Deo. Primam non possunt habere nisi litterati et docti ; secundam vero habere possunt etiam laici simplices et idiotæ qui student devotioni. Et hæc mystica theologia, per quam amor Dei perfectus, ecstaticus seu unitivus dicitur, invenitur citius per pœnitentem affectum quam per investigantem intellectum, et frequentius in scholis religionis quam in litterarum studiis. Itaque, si te ad vitam contemplativam dare volueris (sicut facere deberent merito religiosi, quibus hoc magis congruit), sis advisatus ut hoc non facias ex curiositate aut vanitate, ad sciendum tantum et ad apparendum ; sed simpliciter intende Dei honorem, propriam salutem et proximorum adjuvamen, cum profunda humilitate, ut quanto te plus

A profecisse senseris, tanto despectior tibi fias tuis in oculis. Et sit semper ad aures cordis tui vox illa apostolica : Noli altum *Rom.* XI, 20.
sapere, sed time ; item illud : Beatus vir *Prov.*
qui semper est pavidus; cum ceteris simi- XXVIII, 14.
libus scripturis. Dico enim tibi verbum pene horrendum, sed verissimum : quoniam contemplatio haberi potest sine gratia gratum faciente, et fieri sine caritate, sicuti et ceteræ gratiæ gratis datæ, atque per consequens, sine merito cœlestis gloriæ.

DISCIPULUS. — Sum, Domine, tua ex in- B formatione consolatus, sed non minus de contemplativorum periculo territus. Differentiam notabilem inter theologiam speculativam et mysticam dedisti ; sed et de contemplatione, quia possit haberi a reprobis, sententiam terribilem adjecisti.

DOMINUS. — Non mireris de hoc, quia judicia Dei abyssus multa. Quando enim *Ps.* XXXV, 7. reprobis gratiam contemplationis indulgeo, tunc facio ad instar alicujus domini captivos cito morti damnandos habentis, quibus ex liberalitate mera de illis mittit C cibis unde sui sustentantur filii et fideles servi : attamen non minus postmodum eosdem cum reprobis interire facit juxta suorum exigentiam demeritorum.

DISCIPULUS. — Estne, Domine, aliquid ultra de theologia mystica et de contemplatione pro mea valens informatione ? Quod peto humiliter pauperculo tuo ut non dedigneris reserare ex gratia.

DOMINUS. — Est adhuc aliquid tibi notandum de viribus seu potentiis animæ, propter contemplationis et theologiæ my- D sticæ materiam jam motam. Noveris igitur quod anima rationalis vires habet distinctas non re, sed nomine, secundum officiorum et agibilium diversitates. Nam primo dividitur in intelligentiam simplicem ; secundo, in rationem ; tertio, in sensualitatem, seu animalitatem, vel potentiam cognitivam sensualem. Hæc intellige quantum ad vires animæ cognitivas. Quoad vires vero animæ affectivas, dividitur proportionaliter : primo, in synderesim, seu mentis apicem ; secundo, in appetitum

rationalem, seu voluntatem ; tertio, in appetitum animalem, seu sensualitatem. Ecce sic habes sex potentias animæ rationalis : quia in intellectiva tres, et tres in affectiva. Quarum naturam et differentiam si plenius intelligeres, non parum ad contemplationis et theologiæ mysticæ materiam tibi prodesset. Nam appropriate loquendo, contemplatio est in vi intelligentiæ cognitiva ; sed theologia mystica et synderesis, in vi affectiva, secundum modum superius tactum. Nota etiam, quod sicut cogitatio, meditatio et contemplatio sunt tres cognoscendi modi, ita sunt et tres oculi seu videndi modi. Primus oculus est oculus carnis seu animalis ; secundus oculus est rationis ; tertius, spiritualis, supra rationem ad æterna evolans. His tribus cognoscendi modis etiam correspondent affectionis tres maneries, videlicet, cogitationi cupido, meditationi devotio, et contemplationi dilectio, per facile et difficile atque per utile et inutile inter se differentes. Ex his poteris doctrinaliter aliquo modo intelligere quid de contemplatione et de theologia mystica debeas quantum ad differentiam et convenientiam sentire.

Discipulus. — Gratias tibi, piissime Domine, quia tam dignanter erudis me. Fac, bone Domine, me pauperculam creaturam tuam ex tua eruditione semper proficere, tam affective quam intellective, in tui laudem.

ARTICULUS XLIII.

Contemplationis sex gradus quibus ad Deum ascenditur.

Discipulus. — Loquendo, Domine, de vera contemplatione, quæ non tantum in intellectu sistit gradum, sed progreditur ultra ad affectum, imo et nonnunquam ab affectu prævenitur, et intellectus subsequitur ; audirem adhuc libenter aliqua, si qua forsitan ex his usui meo essent accommoda et opportuna. Intelligo enim, quod ad perfectum tuum amorem, ecstaticum, unitivum, seu anagogicum, juvat multum contemplatio. Da ergo, bone Domine, contemplandi modum mihi in simplicitate mea expedientem.

Dominus. — Multa in superioribus dicta (art. XL.) sunt ad hoc valentia. Ut tamen tuum profectum adjuvem, noveris quod sursumactionis et contemplationis origo seu mater, est devota et frequens oratio. Dic ergo sæpe : Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua ; lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum (Ps. LXXXV, 11.). Hac oratione tria petuntur : quorum primum fit per Dei vestigium corporale et temporale creaturarum ; secundum, per Dei imaginem in mente humana, quæ Dei imago est spiritualis et æviterna ; tertium, per contemplationem, supra creaturas, ad æternum, spiritualissimum, primum principium adspiciendo. Et hæc est via trium dierum in solitudine verorum Israelitarum (Exod. III, 18.), id est triplex illuminatio unius diei. Prima est ut vespera, secunda ut mane, tertia ut meridies. Et si sane singula intelligeres, hæc quoque comprehenderent triplicem in me substantiam, qui sum mortalibus scala in his, per corporis mei scilicet, animæ et deitatis substantiam. Secundum hæc quoque mens humana triplicem habet principaliter adspectum, utpote : ad corporalia et exteriora, et tunc vocatur animalitas seu sensualitas ; necnon ad spiritualia et intra se, et sic vocatur spiritus ; atque ad æterna et supra se, et sic proprie dici meretur mens. Itaque secundum hæc tria mens humana conari debet ad ascendendum in Deum per contemplationem, ut Deum diligat ex tota mente, ex toto corde et ex tota anima : in quibus consistit perfecta legis impletio omnisque sapientia christiana.

Discipulus. — O Domine piissime, gratias ago tibi, utinam congruas, quia quæ prius ignorabam, me docuisti de contemplatione. Continua, quæso, bone Domine, materiam hanc ultra. Quamvis enim ad contemplationem, heu ! aptus (ut timeo) non sum, audio tamen de ea libenter, quatenus ita in aliis hanc gratiam saltem collaudare queam.

Dominus. — Contemplatio perfectius discitur experimento quam eloquio. Nihilo minus tamen ad complacendum tuæ instantiæ, scias in contemplando sex fore gradus quibus anima devota potest in Deum ascendere, et ad veram pacem requiemque pervenire per ecstaticos mentis excessus, ad quos est via amor fervidus meæ passionis, ejusque crebra meditatio. Hi sex gradus sunt in Scripturis designati diversimode, scilicet : per Seraphim sex alarum, per sex dies quibus totus mundus factus est, per sex gradus quibus ascendebatur ad thronum Salomonis, per sex dies post quos Moyses vocatus fuit de medio caliginis, et per sex dies post quos ego duxi discipulos meos in montem in transfiguratione mea. Quibus sex ascensionum gradibus correspondent sex gradus potentiarum animæ, per quos a temporalibus in æterna, ab exterioribus ad intima, et ab imis ad summa ascendit. Qui sex gradus potentiarum sunt : sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia, et apex mentis seu synderesis scintilla. Itaque, si vis ad contemplationem veram pervenire, et per consequens ad amorem anagogicum seu ecstaticum, qui perfectus est, attingere ; vide ut studium tuum versetur frequenter circa meditationem passionis meæ compassivam, circa orationem devotam et conversationem sanctam.

Is. vi, 2. *Gen.* i. III *Reg.* x, 18, 19. *Exod.* xxiv, 16. *Matth.* xvii, 1, 2.

Discipulus. — Placent mihi, Domine, multum quæ dixisti ; sed, oro, da gratiam ut per ea in vera caritate ad tuum sanctum amorem proficiam. Hoc enim totum est, Domine, ut nosti, quod in his omnibus intendo : quod et tu utique per hæc a me requiris.

ARTICULUS XLIV.

Quomodo tribus modis debeat se quis exercere in meditatione dominicæ passionis.

Dominus. — Sentio quod tibi placent quæ audisti de contemplatione : addam adhuc igitur aliqua ad eam tibi necessaria, pro tui informatione ampliori. In superioribus dixi tibi de ascendendi in Deum scala per Adam fracta, sed in mea passione reparata : ideoque noris quod nihil in contemplatione proficies, nisi prius te in passionis meæ meditationibus diligenter exerceas. Ego enim sum ostium per quod te intrare oportet, si volueris ingredi et egredi contemplando, et pascua invenire quiescendo, Creatorem in creaturis cognoscendo, et creaturas in Creatorem reducendo. Igitur nisi quis passionem meam in contemplando pro fundamento sibi constituerit, quanto altius ascenderit, tanto profundius se casurum noverit.

art. præced. *Joann.* x, 9.

Discipulus. — Firmissime credo, Domine, et in nullo dubito quin ita sit ut tu dicis. Da ergo mihi pauperculo tuo compendiosum modum exercitandi me ita in tua benedicta passione, ut per hunc proficere possim in vera contemplatione, cujus finis nimirum est, amore ecstatico atque perfecto tibi uniri in vera caritate.

Dominus. — In meditando passionem meam diversi diversimode se habent. Tibi tamen possunt sufficere pro captu tuo modi hi qui sequuntur. Nam primo potes te habere compassive, cogitando quomodo is qui patitur, est Dominus Deus tuus, Deus Dei Filius, et virginis Mariæ primogenitus, Agnus immaculatus, totus innocens. Cui etiam irrationales compassæ sunt creaturæ, prout patet in terræ motu, petrarum scissura ac tenebris super universam terram tunc factis. Cui tu utique potius debes compati, quum hic tui amore pro tuaque salute patiatur. Unde justum est ut eidem compatiendo studeas gratias agere, ipsumque imitando non timeas etiam propter eum adversa patienter tolerare. Potes te etiam habere admirative, si primus modus cor tuum non tetigerit. Admirari ergo non immerito poteris ineffabilem illam dignationem qua Dominum majestatis, Deum tuum, vides pro te vili figmento, ut te videlicet a morte perpetua redimat, a peccatoribus nequissimis tam

Matth. xxvii, 51, 45.

crudelia sustinere tormenta et mortem A crucis turpissimam. Potes quoque mirari quomodo non sancti angeli, imo et omnes creaturæ, insurrexerunt contra crucifixores Creatoris sui, et quomodo non tota mundi machina fuit subversa in vindictam tanti sceleris. Sed tempus erat tunc patiendi, postea erit judicandi. Hæc cum admiratione cogitando, age gratias ei qui te tantum reputavit sicque dilexit, ut se pro te daret, quasi se propter te odio haberet. Non ergo magnum tibi videatur, si et tu amore illius aliquid patiaris. B

Adhuc etiam alio modo poteris te in meditando passionem meam habere, scilicet ecstatice seu per mentis excessum. Et hic modus est excellentior, licet sit difficilior et rarior. Juvat autem ad hunc modum tam frequens passionis meæ meditatio, ut ex continuatæ devotionis actu generetur in meditantis mente quidam habitus, per quem homo devotus pene semper et ubique in corde suo facillime portet me crucifixum, ita ut quasi ceterorum oblitus, ad me meamque passionem C semper sit intentus. Ex qua salubri frequentatione, nisi ingratitudo, acedia aut spiritualis superbia hoc impediat, sequitur tandem spiritus liquefactio, per quam homo quasi in Deum transformatur, Deoque amore anagogico seu ecstatico, qui perfectus est, feliciter unitur. Et hic est principalis finis hujus sanctæ meditationis.

Discipulus. — Laus tibi, Domine Deus meus, quia tam dignanter mihi indigno modos dedisti quibus in tua sancta me exercitare valeam passione, atque sic per- D venire ad veram contemplationem, et per contemplationem ad tuum perfectum amorem. Eia, piissime Domine Jesu Christe, inscribe, obsecro, sacrosanctam passionem tuam cordi meo tam efficaciter, ut quæ tu Deus meus, Unigenitus Dei et primogenitus virginis Mariæ, qui major et nobilior esse non potes, tanquam caput meum sustinuisti in te propter me vile figmentum tuum, qui indignior vix esse possum, ego quoque tanquam membrum tuum sentiam per cordialem compassionem in me propter te : ita ut ego tui amore teque ad imitandum, libenter sustineam quæcumque adversa, pro tui nominis gloria et in aliqualem venerandæ passionis tuæ satisfactionem, tam ferventer, ut præ nimio caritatis ardore totus a me deficiens, videar in te commutatus, sic ut per te et propter te mundus mihi crucifixus sit, et ego mundo. Largire hoc mihi, bone Domine. *Galat.* VI, 14.

ARTICULUS XLV.

Passionis Domini septem effectus ostenduntur.

Dominus. — Quia, ut asseris, placet tibi passionis meæ iter ad ascendendum in contemplationis montem, dicam tibi aliqua de ipsius passionis meæ efficacia perutili, ut tanto ad eam ferveas amplius, quanto sentis fructum ejus plenius.

Discipulus. — Eia, gratias tibi, bone Domine, quia tam misericorditer cupis meum profectum. Loquere ad cor servuli tui indigni.

Dominus. — Effectus passionis meæ est pretiosus, multus et magnus. Hoc poteris hinc perpendere, quia per passionis meæ operationem mundo septem magnalia innotuerunt, quæ suis cum conditionibus ipsum prius latuerant, videlicet : Deus admirabilis, spiritus intelligibilis, mundus sensibilis, paradisus desiderabilis, infernus horribilis, virtus laudabilis, et reatus culpabilis. Hæc septem magnalia figurata erant per septem signacula signati libri *Apoc.* v, 1.
quem Joannes, meus amicus et evangelista, vidit in sua Apocalypsi in spiritu. Quem librum aperire, ejusque signacula *Ibid.* 3, 5, 6.
solvere, nemo poterat in cœlo et in terra, nisi Agnus immaculatus, qui in cruce occisus est.

Vide ergo primum diligenter quomodo in passione mea mirabiliter divina sapientia diabolum decepit, justitia Dei pretium redemptionis quæsivit, et misericordia Dei Filium pro reis tradidit. Adverte etiam

sollicite quomodo per passionem meam A manifestata est triplicis spiritus conditio, utpote : angelorum benignitas, quia Dominum suum permiserunt crucifigi ; hominum dignitas, quia propter eos Dei Filius mori dignatus est ; et dæmonum crudelitas, quia suum et omnium Creatorem crucifigi per suggestiones ex invidia procurarunt. Considera etiam quomodo in passione mea apparuit mundi cæcitas, qui lucem veram cognoscere noluit, diligendo magis tenebras ; mundi sterilitas, quia summum bonum sibi oblatum voluit po- B tius contemnere quam acceptare ; et mundi impietas, quia innocentissimum maluit morte turpissima condemnare quam venerari. Attende quoque quomodo per meam passionem sunt apertæ paradisi portæ, quæ per originale peccatum clausæ erant. Hujus paradisi deliciis (ubi est plenitudo gloriæ, lætitiæ et opulentiæ) ut tu possis perfrui, factus sum ego propter te in passione mea sponte vilis, pauper et miserabilis. Perpende denique fideliter quomodo ex mea passione manifestatum est C quam horrendæ sunt inferni miseriæ, et quod ipse infernus plenus est egestate, vilitate et calamitate : a quibus ut te eruerem, libertati te redderem et cœlestibus civibus reconciliarem, mortem pro te subii, meosque redemi, sed ingrati et infideles ut illic perpetuo puniantur decrevi. Potes quoque ex mea passione intelligere quam laudabilis sit virtus : quia pretiosa, nam antequam ego vellem virtutem obedientiæ in me non exhibere, elegi magis mori quam vivere ; speciosa, nam virtus patien- D tiæ etsi in me ubique, maxime tamen relucebat in mea passione ; fructuosa, quia uno perfecto virtutis actu ego spoliavi infernum, aperui cœlum, et recuperavi deperditum. Intuere etiam prudenter quomodo per passionem meam claret quantæ maledictionis sit peccatum, in quo diluendo fuit tanta difficultas : quia indiguit tam magno pretio, tam grandi sacrificio et tam nobili medicamento, puta Unigeniti Dei immolatione, Filii Virginis crucifixione, et tam pretiosi sanguinis immaculati Agni unctione.

Joann. III, 19.

Discipulus. — O Agnus Dei, qui solus potuisti librum septem signaculis signatum aperire, et mysteria divina in eo latentia per tuam sacrosanctam passionem reserare, fac me indignum peccatorem tibi pro tanta tua caritate quam mihi in tua hac beatifica exhibuisti passione, ita devotum et gratum, ut ejusdem venerandæ passionis tuæ virtute illustrationem intellectus cum inflammatione affectus, in tantum quantum pro tua fuerit laude meaque salute et pro aliorum in tui nominis gloriam ædificatione, merear percipere misericorditer. Amen.

ARTICULUS XLVI.

De cautela in meditationibus habenda.

Dominus. — Sollicitus pro tuo profectu, revoco tibi ad memoriam quomodo in superioribus dixisti, te quandoque in cruce me perdidisse, atque cum latronibus et crucifixoribus permansisse. Quæro igitur a te, an hujus causam noveris, præsertim specialem : quia si eam non noveris, minus ab ea cavebis.

art. XLI.

Discipulus. — Clementissime Domine, gratias tibi, quia tam libenter meum videres profectum. Certe, Domine, nescio.

Dominus. — Audi ergo et diligenter adverte quæ dico. Inter ceteras causas quæ talem lapsum a contemplatione vel meditatione in hujusmodi inconvenientem cogitationem facere consueverunt, hæc una est non minima : quia videlicet nimis diu, nimis fortiter et nimis curiose cum tua cogitatione versaris circa passionis meæ imagines. Bonum siquidem est, si aliter te juvare non poteris, ita cum imaginibus aut devotis lectionibus incipere ; sed non est cautum in talibus perseverare, quia caput inde læditur, et principalis fructus propter quem hujusmodi cogitatio seu meditatio fieri debet, per hoc impeditur. Principalem fructum dico, ascen-

dere in montem contemplationis per unitivum, anagogicum seu ecstaticum amorem cum Deo.

Discipulus. — Domine, prohibes igitur imagines vel etiam litteras?

Dominus. — Usum imaginum et litterarum non prohibeo, sed earum abusum, moderamen suadendo. Multi enim antiquorum Patrum magni contemplativi fuerunt, qui litteras non noverunt, et imagines in usu non habuerunt, prout etiam adhuc hodie inveniuntur laicales personæ quæ subtiliores habent mentis illustrationes in suis meditationibus, quam nonnulli multum litterati, et imaginibus realibus seu mentalibus involuti.

Discipulus. — Piissime Domine, doce servulum tuum indignum, cujus salutem optas, quomodo debeam me ab imaginibus in meditando aut cogitando avertere. A litterarum namque superflua occupatione novi tuo dono me bene eruere.

Dominus. — Apostolus meus Paulus docet hunc modum, si quis advertat. Nam
II Cor. v, 16. ait : Et si cognovimus Christum secundum carnem, nunc tamen eum non novimus, scilicet tali modo secundum carnem. Ecce quomodo ipse se a corporali mea avertit
I Cor. i, 30. notitia. Sed quid denuo ait? Qui factus est nobis a Deo Patre sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio. Ecce qualiter ad spiritualia se convertit. Sic fac et tu in tuis meditationibus. Corporalibus utere pro scala ad pertingendum ad spiritualia : quibus apprehensis, corporalia obliviscere, præsertim pro illa vice. Nolo tamen ut ex toto scalam a te elonges. Erit enim quandoque tibi iterum necessaria, quando videlicet post descensum conaberis rursum ascendere, idque ad nutum nequiveris implere.

Discipulus. — Domine, quomodo possunt hæc fieri, ut sensibilium imaginibus relictis, solis simpliciter intellectualibus intendam?

Dominus. — Si bene institutus esses in scholasticis disciplinis, tunc facilius intelligeres modum per quem hæc possunt

A fieri. Verumtamen, ne impossibilia judices quæ dixi, audi similitudinem. Audivisti de aliquo in remotis partibus constituto, quomodo sit magnus Sanctus et multum virtuosus. Huic cor tuum afficitur propter ejus sanctitatem et virtutes. Quum ergo de eo cogitas, non vales scire an sit statura longus aut brevis, colore niger aut albus, an stet aut sedeat, vel si sit nudus aut vestitus, vel si sit in ecclesia, camera, aut campo. Unde licet hujusmodi imaginationes tibi sub dubio occurrant, quia tamen
B certitudinem de talibus nullam habes, de illis faciliter cogitationem tuam avertis, dicens intra te : Non est ita ille dispositus. Quomodo ergo aliter? Nescio, nec curo, sed sufficit mihi quod est amicus Dei et magnus Sanctus. Utinam et ego similis ei essem in donis et virtutibus. En lac tibi ministravi ut parvulo, donec factus vir solidum capere possis cibum. Hoc modo poteris etiam facere in meditationibus sanctis ; et sic caput tuum non fatigabis nimis, nec timere habes ita inanem vesa-
C niam, melancholicam aut phantasticam læsionem.

Discipulus. — Laus tibi, dulcissime Domine, pro tam salubri instructione ; ex qua intelligo quomodo vis ut caput habeam liberum, et meditationes traham ad cordis cubiculum, juxta Prophetæ quoque exemplum, qui ait : Meditatio cordis mei Ps. xviii, 15.
(non capitis) in conspectu tuo semper.

Dominus. — Hoc fac, et vives securius, sano capite, absque destructionis periculo.

D

ARTICULUS XLVII.

De cauta conversatione contemplativi.

Dominus. — Ex quo gratanter recepisti cautelam præmissam, audi adhuc aliam, non minus quam illam tibi necessariam. Si enim bonus fieri volueris contemplativus aut meditativus, ac per hoc ad ecstaticum meum pervenire amorem, dabo aliquas tibi regulas, juxta quas vitam tuam instituere habes. Has pro cautela in corde

tuo scribe, easque ante mentis tuæ oculos continue tene : alioqui parum cum tuis proficies meditationibus aliisque exercitiis spiritualibus.

Discipulus. — O quam libenter, Domine, te audiam ! Sed da ut te etiam bene intelligam.

Dominus. — Si volueris in Deum per anagogicos mentis excessus ferri in Deique amore perfectus fieri, necessarium tibi est ut ad Deum sæpius orando suspires, dicendo, si non ore, saltem corde, cum
Ps. xli, 2, 3. Propheta : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum : quando veniam et apparebo ante conspectum Dei ? Item illud
Cant. i, 6. in Canticis : Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Item : O Domine Deus meus, quando mihi dabis gratiam ut ex toto corde te diligam ? Quando inardescam totus amore tui ? Quare me totum non unis intime tibi ? Hujusmodi et consimiles flammigeras postquam emiseris ad Deum orationes persæpe, tunc spem concipe quod Dominus Deus tuus exaudiet te opportuno tempore, si tamen perseveraveris pulsans.

Sed valde oportet et te caute ambulare coram Deo tuo, cum proximo et ad te ipsum. Habe igitur te humiliter ad te ipsum, innocenter ad proximum, reverenter ad Deum. Ex profunda cordis humilitate in nullo præsumas de te, sed omnium novissimum te existima, non ficte, sed vere. Ex fraternæ caritatis abundantia desidera prodesse et complacere in bonum omnibus, neminem offendendo aut contemnendo corde, verbis aut operibus. Ex filiali Dei timore et amore cave diligentissime Dei offensam, et stude fidelissime in omnibus implere ejus voluntatem. Et vide ut nunquam Domini Dei tui obliviscaris, sed semper ejus cogita adsistentiam, qua videlicet secundum naturam universaliter cunctis adest per essentiam, potentiam et præsentiam, atque nonnullis specialiter per gratiam aut vindictam. Quod ergo coram hominibus non auderes, noli audere coram Deo tuo ubique te intuente, tuosque gressus, non tantum pedum, sed et desideriorum, dinumerante ; cui et patent minimi tui motus cogitationum et affectionum clarissime. *Job* xxxi, 4. Non igitur coram eo te cor tuum elevet, nec ejus imaginem in proximo tuo indignatio tua contemnat. Neminem dijudica in malum, nisi temetipsum : propriorum enim tuorum malorum tibi conscius es, et proximorum occulta bona videre non potes. Senti bene de omnibus ; nullum despicias, nisi te ipsum. Dissuesce a suspicionibus, et noli temerariis inniti judiciis : habent enim pro radice, non caritatis fraternæ copiam, sed penuriam. Reputa te nullius esse valoris, neque existimes quempiam te esse gradus inferioris. In magnis publicis peccatoribus si non poteris venerari vitam, honora tamen in eis tibi incognitam Dei prædestinationem, quæ facile, quum vult, facit de Saulo Paulum, de Zachæo divite pauperem, de teloniario Evangelistam, de peccatrice contemplatricem, de piscatore Ecclesiæ pastorem, et sic de pluribus aliis. Committe ergo divinæ providentiæ quæ tu penetrare nescis ; et noli tibi quod Dei est, usurpare, judicare scilicet alios, prout etiam te docuit apostolus meus Paulus, ubi ait : Tu *Rom.* xiv, 4.
quis es, qui judicas alienum servum ? Domino suo stat aut cadit. Stabit autem : nam Deus potens est statuere illum. Qui *I Cor.* x, 12.
autem stat, videat ne cadat.

Alia tibi etiam pro discreto regimine corporali sunt necessaria. Nam anima sine corpore non meretur, licet ipsa debeat se præbere discrete corporis dominam, corpusque subjugare ut ancillam. Sic itaque abstinendo et reficiendo, quiescendo et laborando moderationem tene, ut asinus tui corporis ex necessariorum subtractione sub onere non deficiat, neque ex pastu nimio lasciviens ad injuncta obedire contemnat. Noli præsumere quod semper spiritualibus absque interpolatione corporalium possis intendere. Igitur redde unicuique horæ quod suum est, juxta religionis tuæ

normam. Sicut suo tempore est orandum, A meditandum, etc., sic suo quoque tempore est manibus laborandum, vescendum et dormiendum. Et quamvis ad meditandum et contemplandum juvet multum sobrietas, solitudo et silentium, est tamen corpus reficiendum opportune, ac quandoque inter alios tibi jucunde conversandum, et fraterne de bonis conferendum, ne alios videaris contemnere, et ne singularitatis notam possis incurrere. Dico enim tibi pro certo, quod nonnullis contemplationi deditis noceret minus in corpore et ani- B ma, si in reficiendo quandoque excederent, quam in nimium abstinendo. Similiter talibus esset melius, si interdum cum aliquo bono Fratre solatii causa conferrent de occurrentibus, quam nimis stricte inniti silentii observationibus. Alternis enim uti est delectabile ; sed identitas mater est fastidii. Hæc tamen volo sic intelligas, non ut vitiis licentiam tribuam, sed ut discretionem, quæ auriga est virtutum, doceam. Si vero tibi cogitatio occurrat ut ex toto a corporali refectione et quiete propter C Deum abstineas, aut aliquid de consueto tuo vivendi modo tibi subtrahas vel immutes, quasi tunc sis magis ad exercitia spiritualia aptus; multum time, caute age, noli credere, donec superioris tui et aliorum prudentium Deum timentium consilia audieris : alioqui experieris cum periculo, quod subversores sunt tecum, et quod cum *Ezech.* II, 6. scorpionibus habitas, dæmoniumque meridianum vult te subvertere et in latentes tenebras demergere.

Discipulus. — Gratias tibi, dulcis Domi- D ne, Magister bone, pro tam utili mei informatione. Sed aliqualiter miror, Domine, cur hujusmodi materiam reservasti quasi in finem.

Dominus. — Scias hoc factum ea de causa, quia illa quæ post multa in fine quasi dicuntur, persæpe strictius retinentur. Et noveris quod quantumcumque alte quis contemplando cum aquila volaverit, necesse tamen est, quamdiu mortale corpus gerit, ut cum aquila etiam de corporalibus necessariis in terra provide sollicitus sit.

Discipulus. — Da ergo, bone Domine, discretionem in omnibus cum perseverantia in bonis.

ARTICULUS XLVIII.

Affectus Deum orandi ut patrem consulitur, et dominica Oratio elucidatur.

Discipulus. — Gratias ago, utinam dignas, optoque ut omnes Sancti et electi tui gratias agant tibi ex parte mei, Domine Deus meus, quia tam multa et magna de sancta caritate mihi indignissimo peccatori, tamen servulo tuo, licet nimis indigno, aperuisti. Utinam digneris, piissime Domine, complere desiderium meum adhuc in unico verbo, mihi pernecessario. Nosti enim, Domine, quomodo diversi diversis innituntur affectibus ad te suis in orationibus, meditationibus et contemplationibus, ut supra etiam aliqualiter tactum art. XXXVIII. est. Tu autem, Domine, scis quod non *Eccli.* omnia omnibus expediunt. Dic ergo, dul- XXXVII, 31. cis Domine, quis modus mihi magis congruat.

Dominus. — Quocumque agatur modo, quando mens hominis in Deum elevatur, satis est. Tibi vero bene convenit hic communis modus quem in dominica docui Oratione, quum ad discipulos meos dixi : Sic autem orabitis : Pater noster qui es in *Matth.* VI, cœlis. Magnum quippe est et mira dulce- 9-13. dine plenum, ut homo mortalis exsistens in terris, habeat Patrem in cœlis, qui est Deus. Et hunc Patrem dum bene cogitat, quomodo non toto affectu in ejus amorem cum vera caritate filiali assurgat? Securissimus ergo iste modus est, nullum secum trahens periculum. Amor enim ipse etiam erga Deum potest errare, nisi discretionis regatur freno, tum propter humanam infirmitatem, tum etiam propter invisibilis hostis ubique insidiantis cooperationem. Sub discretionis autem freno amor optime tenetur, quando dirigitur

tanquam a filio in patrem, ab adoptivo A in adoptantem, a creatura in Creatorem : quia sic reverentia moderatur affectionem, et discretio instruit devotionem, ne illa nimium præsumat, et ne ista nimis hæsitet.

Discipulus. — O Domine, adjuva me, ut affectu filiali valeam anagogice orare te, quemadmodum docuisti nos per te, quatenus ex hoc merear exardescere totus in tuo paterno amore. Illustra, quæso, intellectum, ne orando erret, et inflamma affectum, ne orando torpescat. En dico : B

Pater. O Pater patrum, verissime, optime et unice Domine Deus noster, qui solus es nobis nomine et re pater fidelissimus, amantissimus et amabilissimus ; qui ex nimia tua caritate quam habes ad nos, potius vis a nobis vocari Pater quam Dominus : quando dabis gratiam ut perfectissimo amore filiali diligamus te ? Nullus hoc prævalet facere præter te, prout nosti, Pater dulcissime. *Noster.* O noster Pater, quam late extendis paternæ tuæ dilectionis sinum ! Vis enim, quantum in te est, C omnes nos tanquam filios adoptivos salvare, ut fidelis pater. Igitur vis orari, non tantum ut meus, sed ut omnium nostrum Pater. O patrum maxime, quia es omnium Pater, fac nos omnes filiali amore diligere te, ita ut filialiter te omnibus diligentibus, nullus nostrum a tua excludatur paterna adoptione. *Qui es.* O Pater noster, sic illustra intellectum et accende affectum cunctorum tuorum filiorum, ut singuli intelligamus pariter et gustemus quomodo tu es « qui es ». Hoc enim nomen, Tu es qui D es, vel, Ego sum qui sum, tibi soli convenit. Nam tu vere solus es, et omnia alia quæ sunt, non per se, sed per te sunt, et ex tua dilectione subsistunt. O igitur tu, bone Pater, qui nihil odisti eorum quæ fecisti, confovere digneris nos adoptivos tuos filios tui paterni amoris vivifico calore, ut in tua dilectione non tepescamus, sed ardentissimis desideriis jugiter post te et ad te suspiremus, donec videre mereamur facie ad faciem quomodo tu es qui es. Sed, o Pater noster, tu qui es solus ubi es, licet ubique sis, es tamen signanter *in cœlis,* per beatificam visionem. Eia, gloriosissime Pater, cujus gloriam cœli enarrant, cœli utique rationales, fac nos omnes tibi cœlos paterni tui amoris radio illustratos, in quibus libenter habites, unde et reluceas virtutum sideribus, et maxime caritatis fulgoribus.

Exod. III, 14. *Job* XIV, 4. *Sap.* XI, 25. *Ps.* XVIII, 2.

Sanctificetur nomen tuum. Quod « nomen tuum », bone Pater? Sunt enim multa tibi nomina. Certe hoc nomen tuum superdulcissimum, Pater, quod plus nobis filiolis tuis merito sapit. Id ipsum igitur sanctissimum paternum tuum nomen, obsecramus, o Pater sanctissime, in se quidem summe sanctum, da ut etiam in singulis nobis « sanctificetur », id est, sanctum ostendatur, per sanctæ caritatis intima suspiria, per veræ dilectionis signa, et per amoris perfecti opera, ut paterni tui nominis notitia ex hoc etiam in alios ad tui laudem derivetur, ipsosque in tui amorem accendat.

Adveniat regnum tuum. Eia, Pater potentissime, qui es Rex regum, Dominus dominantium, cujus et regni non erit finis, quamvis multipliciter in tuis creaturis regnes, nos tamen cordialissime petimus ut hoc paternum « tuum » nobis « adveniat regnum » quo ab intellectu nostro omnia repellantur phantasmata, et ab affectu excludantur terrena cuncta : quatenus non solum passionibus et vitiis, sed et quibuslibet impedimentis aliis a tuo regno (quod intra nos est) expulsis, tuus paternus amor solus ubique regnet in nobis ferventissimi ac lucidissimi incendii sui virtute, ita ut digni habeamur ex paterna tua pietate computari veraciter inter tuos filios, quos facis reges et sacerdotes.

Apoc. XIX, 16. *Luc.* I, 33. *Apoc.* I, 6; V, 10.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Eia, Pater dulcissime, qui (quantum in te est) ex tua paterna caritate omnes vis salvos fieri neminemque perire ; da, obsecro, omnibus adoptionis filiis tam ferventem filialem ad te dilectionem, ut universi et singuli delectemur tuam in nobis

I *Tim.* II, 4.

et per nos semper hic « in terra » fieri et A adimpleri voluntatem paternam, quæ semper recta, justa et sancta est, « sicut » fit voluntas tua continue per omnes Sanctos tuos « in cœlo » ex perfectissima dilectione, ita ut nostra voluntas nunquam a tua paterna discordet voluntate. Nosti enim, Pater piissime, quod nihil sic unanimes facit sicut vis amoris.

Luc. XI, 3. *Panem nostrum quotidianum da nobis* *Sap.* VI, 8. *hodie.* Eia, Pater noster liberalissime, cui cura est de omnibus, qui et cuncta paterne dispensas, « da nobis » pauperculis B tuis omnibus, qui non sumus digni vocari servi tui, et tamen inter adoptionis tuæ filios numerare nos dignaris ex paterna tua dilectione : da, inquam, nobis « panem nostrum ». Et licet indigeamus multiplici pane, corporalis scilicet sustentationis in victu et amictu, spiritualisque consolationis, videlicet verbi divini et gratiarum ac donorum, quibus quotidie indigemus, ne corpore et anima pereamus ; nos tamen potius petimus, bone Pater, panem supersubstantialem illum unde tui vivunt San- C cti in cœlis : quem nobis mysterialiter venerabile Sacramentum altaris repræsentat; *Joann.* VI, 41. qui et panis vivus est de cœlo descendens, maximam vivifici amoris tui paterni habens efficaciam. O igitur paterni amoris dulcedo, da nobis tuæ adoptionis filiis hunc panem nostrum « quotidianum » : qui noster est, quia filiis utique debetur ; et quotidianus nobis esse debet, quia quotidie eo indigemus, ne a paterna tua deficiamus caritate. Da, inquam, ipsum « hodie », id est in die æternitatis tuæ, quia D tibi semper est hodie : quæ dies nobis hic incipiat petimus, et in futuro continuetur, sicque in finem sine fine perseveret.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Eia, Pater noster indulgentissime, quamvis multum præsumamus de paterna tua pietate, *Jacob.* III, 2. quia tamen in multis offendimus omnes, et scimus quoniam propter tuam munditiam detestaris omne immundum ; igitur quum nobis in mentem veniunt mala quæ fecimus, et recordamur quomodo judicia *Ps.* XXXV, 7. tua sunt abyssus multa, terrore pariter et dolore concutimur. « Dimitte » ergo, misericordissime Pater noster, « nobis debita nostra », id est, da nobis tam ferventem filialem dilectionem ad te et ad tuam paternam caritatem, ut fiduciam magnam concipere mereamur, nobis nostra debita per te misericorditer esse dimissa, quatenus sic experimento discamus quoniam perfecta caritas foras mittit timorem. Et I *Joann.* IV, 18. ne, bone Pater, sis ad dimittendum nobis difficilis, ecce placet nobis ut nobis dimittas « sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ». Libentissime enim, dulcis Pater, dimittimus amore tui fratribus nostris, tuis nobiscum adoptivis filiis, qui nos offenderunt, etiam quantumcumque magnum sit illud. Attamen parum est quod nos dimittendo sic facimus, sed multum valde est quod nobis dimitti per te petimus.

Et ne nos inducas in tentationem. O Pater noster cœlestis, quia superbia meretur illudi, ingratitudo derelinqui, et incuria prolabi, ad tuam paternam confugientes protectionem, petimus ex filiali fiducia, ne induci nos permittas a carne, diabolo vel mundo, per blanda aut aspera, in aliquam tentationem; sed tua paterna pietate nostram fragilitatem conforta, et nostram ignorantiam illustra voluntatemque guberna, ut in omnibus tentationibus strenue agentes, paterni amoris tui gratiam non perdamus, sed ampliorem consequi ex hoc et per hoc valeamus. *Sed libera nos a malo.* O Pater noster cœlestis, nos filii tui, quos caritatis tuæ calore genuisti, supplices deprecamur filialis dilectionis motivo, quoniam multa mala sunt quibus sine paterna tua providentia resistere non possumus, unum tamen verum, summum et perpetuum malum est, videlicet damnationis perpetuæ, a quo affectuosissime precamur omnino liberari et præservari, clementissime Pater : non quidem tantum ad evadendum peccatorum justam pœnam,

sed maxime ne frustremur paterni desiderantissimi vultus tui gloria, quam ex omnibus medullis cordis nostri desideramus contemplari. Separari namque a delectabilissimi vultus tui paterni visione, est malum super omne malum : cui malum aliud nullum potest comparari. A quo malo securus est qui habet caritatem. Da ergo nobis hanc, bone Domine, propter tuam paternam bonitatem. *Amen*, id est, fiat ita ut petivimus, amantissime Pater noster cœlestis, ad tui nominis gloriam, nobisque adoptionis tuæ filiolis pauperculis in salutem.

Nunc itaque, Domine, si oravi ut tu voluisti, gratias tibi ; si aliter quam debui, ignosce, obsecro, mihi.

Dominus. — Placet mihi orandi modus quem tenuisti ; et promitto tibi, si ita sæpius cum attentione tali orares, in caritate cito proficeres. Nihil enim inter orationes dominica Oratione nobilius et efficacius ; sed vix aliquid apud orantes, propter ipsius assiduitatem, ex torpore videtur vilius et inutilius.

Discipulus. — O Domine, quam verum, heu, est quod dicis ! Parce nobis, Domine, et præsta ut omnes nos possimus emendare. Et quoniam multis verbis, Domine, aures pulsavi tuæ clementiæ pro sanctæ caritatis munere, oro nunc breviter id ipsum conclusive. Eia, tu, misericordissime Domine, qui nosti quam parum, imo quam nihil possum sine dono tuæ gratiæ, inflamma, obsecro, me totum sic sanctæ caritatis igne, ut omnis ignis alienus cujuscumque concupiscentiæ fugiat ab ejus facie, ignisque ille æternus qui paratus est diabolo et angelis ejus, nullam habeat vim ardendi in me. Et quum tunica carnis quam gero exuendus sum, tunc, bone Domine, circumda me misericorditer, obsecro, sanctæ caritatis vestitu deaurato, ne nudus appaream. Tegat tunc, precor, turpitudinis meæ maculas vestis per te mihi collata nuptialis. Mortalitatis sacco exutus, sim tunc, oro, Domine, geminæ caritatis stola indutus, ut securus intrare valeam in

Matth. xxv, 41.

A amicorum tuorum convivium felicitatis æternæ, ubi caritas non initiatur, sed hic inchoata, consummatur ; non minuitur, sed augetur ; non tollitur, sed perficitur ; neque in Beatis terminatur, sed in omnibus regnat.

ARTICULUS XLIX.

Modus orandi beatissimam virginem Mariam ; et Salutatio angelica explicatur.

B Discipulus. — O Christe Jesu, misericordissime Domine, docuisti dignanter servum tuum orandi modum ad Deum ; doce, obsecro, etiam modum invocandi Matrem tuam dulcissimam pro caritate impetranda. Scio enim quod sine ipsa nihil a te obtinebo.

Dominus. — Loquere ad eam, ipsam interroga. Caritate plena est, de caritate libenter audit et loquitur, diligitque valde eos qui in caritate ambulant.

Discipulus. — Audisti, o gloriosa Domi- C na, Mater Dei dignissima, Filii tui consilium. Nunc itaque imple, quæso, servuli tui desiderium, et dic quibus verbis te debeam invocare, ut per te merear caritatis gratiam impetrare.

Maria. — Miror cur de hoc interrogas, quum dudum nosse potuisti, quod sicut Filius meus complacentiam habet magnam in oratione quam per se docuit, ita ego quoque valde delector in salutatione per quam me in suam matrem elegit.

Discipulus. — Gratias tibi, Domina mea D prædulcissima, pro tam desiderata doctrina ; sed, precor, ad trahendum salutationem illam tuam in sensum ad meum propositum, pauperculum tuum adjuva. Non autem congruum mihi videtur, ut nomen sonet timoris ubi de materia agitur amoris. Sustine igitur, o Mater Dei dignissima, ut non Dominam, sed Matrem te dicamus nostram. Eia, Mater nostra, quæ gloriose regnas in cœlis, memento filiorum tuorum degentium in terris. Ostende ad nos tuum maternum affectum, ut quandoque

ad te in gloria cœlesti pervenire mereamur, post hoc quod hic patimur exsilium. Tu es enim vera Mater nostra, magis quam prima illa nostra mater Eva : illa quippe nos fecit filios iræ, tu autem filios gratiæ; illa filios perditionis, tu filios adoptionis ; per illam fuimus a Deo elongati, per te sumus Deo reconciliati. O Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, mater totius salutis nostræ ! Scis, o Mater nostra, quid Filius tuus in cruce ad te dixerit de nobis in persona Joannis, et nobis de te vice
Joann. XIX, 26. versa. Ait enim : Mulier, ecce filius tuus. O quam bonum verbum et suave, præsertim nobis, etsi non tibi ! Multum enim dissimilis fuit commutatio tibi, cognatum recipere pro filio. Et rursum ait discipulo :
Ibid. 27. Ecce mater tua. In his verbis confidimus, non solum Joannem, sed et omnes electos Dei tibi in filios teque omnibus electis et nobis in matrem fore commendatos, singularis generationis ordine divinitus interveniente. Nosti quoque, Mater Dei virginea, sed et Mater nostra fidelissima, quomodo Filius tuus unicus post suam resurrectionem nos in persona discipulorum
Matth. XXVIII, 10. nominavit fratres suos, dicens : Ite, nuntiate fratribus meis. Itaque, si sumus Filii tui fratres, quomodo non et tu nobis es mater ?

Mater ergo nostra veraciter es, o Virgo gloriosa. Sed utinam tu in nobis tam bonos haberes filios, quam bonam nos in te habemus matrem. Sed heu ! non est ita. Parce, dulcissima Mater nostra. Dicimus nos indigni filii tui tibi, o Mater nostra, ex parte gloriosissimæ Trinitatis, una cum archangelo Gabriele, utinam ex cordium nostrorum omnium intimis, reve-
Luc. I, 28. rentissime, *Ave, Maria,* non tam salutem tibi optando, quam tuæ dignitati congratulando. Merito autem tibi dicimus, « Ave » : quia fuisti semper sine omni væ culpæ per gratiam, sicut Filius tuus per naturam. Originale namque peccatum nunquam contraxisti, quemadmodum et peccatum actuale nullum commisisti. Eripe igitur, o bona Mater, nos indignos filios

A tuos ab omni væ culpæ et pœnæ, sanctæ caritatis perfectione : quia ipsa est quæ operit peccatorum multitudinem, et per *I Petr.* IV, 8.
consequens, peccatis deletis, gehennæ non metuit damnationem. Juste etiam, o Mater nostra, nomen tuum vocatum est « Maria », quod illuminata seu illuminans interpretatur. O Maria, post nomen Filii tui non est nomen nec in cœlo nec in terra tam dulce, tam sanctum et tam efficax in omni necessitate. O anima mea, pensa bene quam delectabilis est ejus gloriosa præ-
B sentia cujus tam suavis est simplex memoria. O Maria, quia (juxta sancti nominis tui interpretationem) illuminata es, et illuminans seu illuminatrix (illuminata quippe per Deum, illuminans totum mundum), illumina et inflamma, quæsumus, corda tuorum pauperum filiorum igne sanctæ caritatis inexstinguibili, ut experientia discamus quomodo tu totaliter caritate etiam ultra Seraphim ardes : quare et alios divini amoris incendio accendere prævales. *Gratia plena.* O Mater nostra, plena es
C non tantum gratia, sed et plena gloria ac divitiis omnibus : cui nihil boni deest cujus potest esse capax pura creatura. Vas plenum si vel leviter tactum fuerit, liquorem fundit : ita et tu plenissima omni gratia, piis tacta cordium desideriis, facile de abundantia tua effundis dona virtutum et consolationis. Igitur, o Mater gratiæ, Mater misericordiæ, sed et Mater nostra, funde super nos indignos filiolos tuos aliquid de tua plenitudine, potissimum de humilitate tua, qua super choros angelo-
D rum exaltari, et de tua caritate, qua Mater Dei fieri meruisti, o redolens viola humilitatis, o rubens rosa caritatis Maria.

Dominus tecum. Dominus dominantium, summus, verus et unicus Dominus Deus, inquam, ipse est tecum, o Mater nostra, taliter qualiter nunquam cum aliqua alia fuit creatura. Deus Pater namque est tecum sicut cum sua filia unica, per suam potentiam tibi obumbrans. Deus Filius est *Luc.* I, 35.
tecum sicut cum Matre sua vera, per suam sapientiam in te manens. Deus quoque Spi-

ritus Sanctus est tecum sicut cum sua carissima amica et sponsa, igne divini sui amoris in te superveniens. Totaque gloriosissima Trinitas et indivisa Unitas est tecum, ad perficiendum in te hoc præcelsum nostræ reparationis mysterium, atque hoc sacrosanctum Incarnationis divinæ sacramentum. O Mater nostra, memento hujus ineffabilis exaltationis tuæ, et noli oblivisci eorum propter quorum salutem talis ac tanta effecta es. Eia, stilla in nos saltem unam divini amoris illius scintillam unde tu Mater Dei fieri meruisti : ut sicut Dominus fuit, est et erit superexcellenter semper tecum, sic tua materna, virginea, deificata pietas semper maneat nobiscum, augendo in nobis sanctæ caritatis ignem usque ad felicem consummationem.

Benedicta tu in mulieribus. O Mater nostra, licet benedicta sis plus quam omnes creaturæ, signanter tamen inter mulieres benedicta prædicaris, propter tuam virgineam fecunditatem fecundamque virginitatem. Et per hoc excedis omnem sexum muliebrem, sed et virilem, atque omne quod Deus non est. Sed unde tibi hoc, dulcissima Mater nostra? certe ex quo amor Spiritus Sancti in corde tuo singulariter et excellentissime ardebat : ideoque in carne tua virtus Spiritus Sancti opus singulare et excellentissimum mirabiliter faciebat ; et sicut ejus dilectio in corde tuo non admisit socium, ita ipsius operatio in carne tua non habuit exemplum. O benedictissima Mater nostra, per omnes benedictiones tuas, quæ sunt innumerabiles, in quibus tibi valde congratulamur, benedic, quæsumus, et filiis tuis, ut per te et ex tua abundantia, in nostris cordibus ignis divini amoris sic ardeat, ut omnia carnis desideria in nobis exstinguere ac cœlestibus nos incendiis valeat totaliter transformare.

Luc. I, 42. *Et benedictus fructus ventris tui.* O benedictissima Mater Dei, sed et Mater nostra superdulcissima, nos indigni tui servuli, quos tamen filios vocari tuos non dedignaris, ad singulare gaudium cordis tui dicimus tibi quod libenter audis, tanquam bona mater, quæ de filii utique lætatur gloria. Ecce, bona Mater, hoc dicimus, quia benedictus est ille pretiosus fructus tui beatissimi uteri; sic autem benedictus, quod ab ipso benedictio est omnis : unde et tu benedicta. O quale est Matri benedictæ gaudium, tam benedictum omnia benedicentem habere Filium ! Dic, rogamus, bona Mater, tam bono Filio, ut amore tui, cui ipse utique nihil negat, etiam benedicere dignetur nobis suis indignis servulis, tamen adoptionis gratia et suis fratribus tuisque filiis, præsertim ut caritatis benedictionem abundanter nobis propitius contribuat. *Jesus Christus.* O Mater Salvatoris, o Mater gratiæ, quoniam iste verus Filius tuus, etiam verus Dei Filius, dictus est vere nomine et re per mysterium « Jesus » a salvando, « Christus » ab unctionis dono ; fac materno interventu tuo, ut nos tui pauperculi, quorum etiam Mater dici non verecundaris, sicut a Christo Christiani, id est uncti, vocati sumus, ita quoque a Jesu tuo Jesuitæ, id est salvati, vocari veraciter mereamur. Ad quod caritatis gratia maxime est nobis necessaria. Impetra ergo nobis hanc, quæsumus, o Mater et Domina nostra gloriosissima, post Deum nostrum unica spes nostra ac tota beatitudo, consolatio et salus nostra. *Amen,* id est, vere ita est. Fiat ergo veraciter, o Maria, prout confidimus, desideramus et petimus.

ARTICULUS L.

De quibusdam gradibus contemplationis sublimioris qui comitari solent meditationem devotionemque.

Discipulus. — Post saluberrimam instructionem de meditatione ac oratione, prosequere nunc, bone Domine, reliquum quod restat de contemplatione, præsertim de contemplationis gradibus, de quibus desiderantissime te cupio audire. Etiamsi pro nunc, Domine, non omnia intelligo, non

ægre feras, quia potest venire hora qua ex A tuo dono capiam quod nunc meam subterfugit intelligentiam.

Dominus. — Aliqua succincte dicam tibi de gradibus contemplationis, donec ad discendum plura et majora fias aptior pro successu temporis.

Primus contemplationis gradus est, quo Creatoris potentia, sapientia et benignitas videtur in suis creaturis veluti in signo, simulacro, speculo, exemplo aut vestigio, per septiforme testimonium, secundum septiformem creaturarum conditionem, sci- B licet origine, magnitudine, multitudine, pulchritudine, plenitudine, operatione et ordine : origine quidem, secundum creationem, distinctionem et ornatum ; magnitudine, secundum molem, excellentiam et efficaciam ; multitudine, secundum generalem, specialem et individualem diversitatem ; pulchritudine, secundum luminum, figurarum et colorum varietatem ; plenitudine, in materia formis plena, in forma plena virtute, et in virtute plena effectibus ; operatione naturali, artificiali C et morali ; ordine creaturæ, ratione durationis, situationis et influentiæ ; in libro Scripturæ, ratione divinarum legum, præceptorum et judiciorum, et in corpore Ecclesiæ, ratione divinorum sacramentorum, beneficiorum et retributionum. Nunc itaque vide mentis oculis diligenter anne sufficientem habeas ex his materiam contemplandi in creaturis Creatoris potentiam, sapientiam et bonitatem.

Discipulus. — Vere ita est, Domine, ut tu dicis. Nam revera cæcus dicendus est, D qui ex tantis creaturarum illustrationibus non videt Creatorem. Sed quoniam, bone Domine, parum est intelligere ex creaturis Creatorem, nisi sequatur et amare ; igitur da, piissime Domine, cum illustratione intellectus, inflammationem quoque affectus, ut quod de divina potentia, sapientia et bonitate per creaturarum speculum intelligimus, etiam in Creatore venerantes devote amemus. Lux enim nobis ad salutem non sufficit, nisi calor lucis adsit.

Dominus. — Contemplationis secundus gradus est, quo Deus videtur in creaturis, non solum ut supra per vestigia, sed etiam per suam essentiam, potentiam et præsentiam : et hoc mediantibus quinque sensuum portis, quibus mundus major mundum intrat minorem. Sed intellige non secundum substantiam, sed secundum similitudines rerum. Quod fit sensibilium apprehensione, oblectatione et dijudicatione. Ex visibilibus enim creaturis, in- *Rom.* I, 20. visibilia Dei conspiciuntur. Nam Deus est omnis creaturæ origo, exemplar et finis.

Discipulus. — Quam clarum est, optime Domine, quod loqueris ! Da, obsecro, ut quemadmodum te ex his cognoscimus, ita te quoque in his amemus, benedicamus, laudemus et glorificemus : ne forte (quod absit) cum his qui etiam te noverunt, sed *Ibid.* 21. non ut Deum glorificaverunt, et ideo perierunt in vanitatibus suis, et nos pereamus. Dic ultra, bone Domine.

Dominus. — Contemplationis gradus tertius est, quo Deus videtur non tantum per vestigia ad extra, quemadmodum in omni relucet creatura, et prout fit in jam dictis duobus gradibus, sed quum vos mortales intraveritis ad vos ipsos, scilicet ad mentem vestram, in qua divina relucet imago, ibique intuebimini ipsum Deum tanquam per speculum et in ænigmate, scilicet ejus I *Cor.* XIII, 12. æternitatem, veritatem et bonitatem, in tribus animæ potentiis, memoria, intellectu et voluntate. Ad hanc autem speculationem noveris multum animam juvari per lumen scientiarum. Nam omnis philosophia aut est naturalis, quæ agit de causa essendi, et ducit in cognitionem potentiæ Patris ; aut rationalis, quæ agit de ratione intelligendi, et ducit in sapientiæ Filii cognitionem ; aut moralis, quæ agit de ordine vivendi, et ducit in bonitatis Spiritus Sancti cognitionem.

Discipulus. — O Domine, qui animas nostras ad divinam imaginem fecisti in tribus animæ potentiis, da nobis, quæsumus, ita Deitatis æternitatem cogitare, ejus veritatem intelligere, et ipsam boni-

tatem diligere, ut a tua gratia nunquam excidamus, sed et gloria perfrui mereamur sempiterna.

DOMINUS. — Quartus contemplationis gradus consistit in hoc, ut videat homo Deum in se ipso, hoc est in ipso homine, mente videlicet intrando ad se ipsum, sed modo alio quam immediate dictum est supra, utpote per memoriam a phantasmatibus purgatam, per intelligentiam a concupiscentiis abstractam, et per affectionem a sensibilibus suspensam. Sed ad hoc faciendum mens hominis indiget scala quadam ascendendi : quæ quidem fracta fuit
Joann. x, 9. in Adam, sed per me, qui sum ostium quo ad vitæ æternæ pascua intratur, est reparata. Qui igitur mihi appropinquaverit per theologicas virtutes, in me credendo, sperando et amando (per quæ tria anima purificatur, illuminatur et perficitur), in illo imago Dei reformatur. Nam per virtutes theologicas anima hominis reformata, disponitur ad excessus mentales, devotione, admiratione et exsultatione, ut sic fiat homo hierarchicus, id est purgatus, illuminatus atque perfectus.

DISCIPULUS. — Prædulcissime Domine, qui es sponsus Ecclesiæ tuæ sanctæ, qui es et nobis Deus et noster proximus, frater et Dominus, rex et amicus; quique es Verbum increatum pro nobis incarnatum, noster quoque formator et reformator, Alpha
Apoc. xxii, 13. et Omega, principium et finis, summusque hierarcha : purga, quæsumus, illumina et perfice sponsam tuam triplici intelligentia spirituali tuæ sacræ Scripturæ, tropologia videlicet per vitæ honestatem, allegoria per intelligentiæ claritatem, et anagogia per excessus mentales : ut in omnibus nobis laus tua jugiter perficiatur, ne opera tuæ potentiæ, sapientiæ et bonitatis in nobis depereant.

ARTICULUS LI.

De duobus aliis contemplationis gradibus.

DOMINUS. — Modo ausculta de gradu quinto contemplationis, in quo per con-
A templantem potest videri Deus, non solum extra et intra contemplantem, per vestigium videlicet et imaginem, ut jam superius tactum est, sed etiam supra ipsum contemplantem, scilicet per lumen quod Ps. iv, 7. signatum est super vos et super mentem vestram : quod lumen est lumen veritatis et claritatis æternæ. Hoc modo videtur Deus a contemplante ut primum et principale esse, necnon ut summum bonum. Ut primum esse equidem, non habens præteritum neque futurum, sed tantum præsens,
B omnis multitudinis universale principium, atque omnium causa efficiens, exemplans et determinans, quemadmodum et ipse est omnibus causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi. Nam ipse est sphæra intelligibilis cujus centrum est ubique, et circumferentia nusquam. Videtur vero Deus hoc modo ut summum bonum, quia ut bonum quo nihil melius, nihil nobilius, nihil dignius, omnipotens, omnisciens, omnimode bonum. Ideoque hoc bonum perfecte videre, est esse vere beatum et
C perpetuo felicem.

DISCIPULUS. — O Domine, fac nos, quæsumus, te semper hic taliter videre per fidem, spem et caritatem, ut tandem venire mereamur ad hujus visionis rem et veritatem.

DOMINUS. — Sextus contemplandi gradus est, quo videtur Deus trinus in personis et unus in essentia. Licet autem mens humana capere nequeat quomodo Deus est trinus in personis et unus in essentia, potest tamen hoc aliqualiter ratione persuaderi.
D Nam bonum est diffusivum sui ipsius. Summum autem bonum est summe diffusivum sui. Summa vero diffusio esse non potest nisi sit actualis et intrinseca, substantialis et hypostatica, naturalis et voluntaria, liberalis et necessaria, indeficiens et perfecta. Itaque, quoniam in Deo est dilectus et condilectus, genitus et spiratus, hoc est Pater et Filius et Spiritus Sanctus ; ideo ipse est verissime summum bonum, quum summe se diffundat, communicando alteri totam substantiam et

naturam : quod fieri nequit in creaturis. A Et hæc est res miranda, credenda et adoranda, videlicet, quia in Deo est summa communicabilitas, cum personarum tamen proprietate ; summa consubstantialitas, cum hypostasum pluralitate ; summa configuralitas, cum discreta personalitate ; summa æqualitas, cum ordine ; summa æternitas, cum emanatione, et summa cointimitas, cum emissione. Hæc autem in Deo nequaquam essent, si ipse non esset unum, verum et summum bonum. Sed adhuc amplius potes in Deo mirari, scili- B cet ipsum esse principium et novissimum, æternum et præsentissimum, simplicissimum et incircumscriptum ; totum ubique, et nusquam comprehensum ; actualissimum, et nunquam motum. Et plura alia potes in Deo in contemplatione admirando venerari, sed minime scrutando comprehendere. Hæc sic breviter de trinitate et unitate in Deo tacta, pro tuæ simplicitatis captu sufficiant. Hanc catholicæ fidei veritatem de Deitate, quanto devotius in spiritu humiliter absque curiosa discussione C diligere et honorare studueris, promitto tibi quod tanto amplius in virtutibus et spiritualibus proficies donis, et gloriosius præ ceteris qui hoc non fecerunt, in cœlestibus a me coronaberis. Valde enim mihi placet ut homo de his quæ ad fidem pertinent et ad divinum honorem, quæ non capit intellectu, humili veneretur affectu, dando Deo gloriam, qui potest plus in infinitum quam capere valet omnis creatura. Sed adhuc ultra potes in contemplando non immerito multum admirari et admi- D rando venerari in Deo, quomodo videlicet in Incarnationis mysterio, quod etiam nulla sufficit creatura scrutando penetrare, Deus et homo in persona Filii in divinis sunt uniti, ita ut Deus sit verus homo, et homo verus sit Deus. In qua unione primum principium junctum est cum postremo, æternum cum temporali, simplicissimum cum composito, actualissimum cum passo et mortuo, perfectissimum et immensum cum modico, summe unum et omnimodum cum individuo et composito. Hæc omnia potes de Deo meditari; sed non præsumas quod possis ea plene intelligere.

Discipulus. — Multum nimis valde est, piissime Domine, quod tam pretiosam materiam non refugis tam indigno peccatori aperire. Laudes tibi gratas referant ex parte mei omnes Sancti tui. Ego autem quid dicam, Domine, pro gratiarum actione, nescio, nisi tu me doceas per te. Dicam igitur orando, quod tu donaveris inspirando. Domine Deus meus, superoptime, superlaudabilissime et superamabilissime, qui trinus exsistens in personis et unus in essentia, principium es et finis omnis boni, sine quo nihil innoxium, nihil validum, nihil sanctum, da mihi indignæ portiunculæ creaturarum tuarum, ex mera tua bonitate, ut velim, sciam et valeam, ad gloriam nominis tui, in omnibus interioribus et exterioribus meis motibus semper tuam sanctam facere voluntatem, cum tuorum præceptorum ferventi adimpletione, ita ut cum omnibus motibus meis et desideriis, verbisque et factis, ad nihil aliud tendam nisi in te solum Dominum Deum meum, tanquam in finem meum principalem et ultimum omnium motuum et desideriorum meorum, ad quiescendum videlicet feliciter in te perpetuo sine fine. Tu enim es unica, vera et perpetua salus mea, Domine Deus meus, quem, licet indignus, ex toto corde atque ex omnibus viribus et potentiis corporis et animæ meæ, cum humili gratiarum actione pro universis beneficiis tuis, valde desidero laudare, benedicere et glorificare ex intima devotione, per virtutem latriæ, caritate imperante, tua gratia meam infirmitatem adjuvante. Ne ergo despicias, rogo, clementissime Domine Deus meus, hoc facturæ tuæ desiderium tua utique inspiratione conceptum. Neque projicias servitutis meæ obsequium tua virtute in me unquam peractum, aut in futurum a me, te donante, peragendum ; sed potius acceptare dignare, piissime Domine, misericorditer hoc quod tu ipse donasti clemen-

ter. Opto namque, bone Domine, ex intimis medullis cordis mei, ut ego cum omnibus meis cogitationibus, affectibus, dictis et factis, cum totaque substantia mea totus tibi fiam in sacrificium acceptissimum, ita et taliter, ut tu solus, et nullus alius præter te, quidquam juris in me habeat, tu (inquam) solus habeas totam arborem meam una cum omni fructu suo, in laudem tuam perpetuam, et in gloriæ Sanctorum tuorum augmentum, in omniumque vivorum et defunctorum (quantum tuæ majestati placuerit) consolationem. Quod præstare digneris misericorditer tu, summa potentia, æterna sapientia, infinita bonitas, gloriosissima Trinitas et indivisa Unitas, Domine Deus meus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, in æternum et ultra *Exod.* xv, 18.
vivens, regnans et imperans, super omnia benedictus in sæcula. Amen.

FINIS DIALOGI DE PERFECTIONE CARITATIS.

DE PARTICULARI JUDICIO
IN OBITU SINGULORUM
DIALOGUS

PROLOGUS

OMNES nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit, sive bonum sive malum. II Cor. v, 10.

Inter sapientes (vel potius inter fatuos) sæculi hujus, fuerunt nonnulli
putantes et asserentes Deum summum bonum non habere providentiam actuum
humanorum, nec esse hominum provisorem, imo nec inferiora atque mortalia ista
cognoscere, et per consequens, non esse judicem hominum, neque post vitam hanc
fieri ultionem culparum vitæ præsentis : quorum perfidus ac sceleratissimus error
timorem Dei prorsus excludit, et irrefrenatam præstat peccandi audaciam. Denique,
tantus error a primo illo impiissimo Cain ortum et occasionem sumpsisse videtur.
Jonathas namque, cujus translatio Chaldaica præcipuæ exstat auctoritatis apud He-
bræos, testatur ipsum Cain dixisse in agro ad fratrem suum, sanctum innocentem- *Gen.* IV, 8.
que Abel : Non est justitia neque judex, nec sæculum aliud, nec remuneratio justis,
nec punitio impiis. Quumque Abel renuisset hæc omnia, consurrexit Cain et occidit
eum. De hujus erroris nequissimi exsecrandis cultoribus fertur in Psalmo : Dixerunt, *Ps.* LXXII,
Quomodo scit Deus? et, Si est scientia in Excelso? Apud Ezechielem quoque dicunt : 11.
Non videt nos Dominus, dereliquit Dominus terram. Unde et in libro Job inquiritur : *Ezech.*
An cogitas quod Deus excelsior cœlo sit? Nec nostra considerat, et circa cardines VIII, 12. *Job* XXII, 12,
cœli perambulat. Quum itaque error iste pravissimus periculosissimusque consistat, 14.
sacra et divina Scriptura ipsum sæpissime atque clarissime reprobat et condemnat
in utriusque Testamenti codicibus, seriosissime ac frequentissime clamans, quod
Deus altissimus, universorum creator omnipotens, cuncta et singula perfectissime
intueatur, agnoscat, provideat, singulariter quoque curam ac providentiam habeat
rationalium creaturarum, quibus per temporum intervalla legem donavit multipli-
cem, primo videlicet naturalem, deinde scriptam, et tertio evangelicam. Propter
quod in libro Job recte de ipso asseritur : Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et *Ibid.* XXXVI,
nullus ei similis in legislatoribus. De quo et Isaias fatetur : Dominus judex noster, 22. *Is.* XXXIII,
Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse veniet et salvabit nos. Hic Domi- 22.
nus a sanctis Prophetis promissus, et a beatissimis Apostolis toti mundo notificatus,
est unigenitus Filius Dei, Verbum Patris æterni, virtus et sapientia Genitoris illius I *Cor.* I, 24.
a quo omnis paternitas, omnis fecunditas omnisque causalitas in toto universo ma- *Ephes.* III,
navit, nominatur ac data est; qui, ut Evangelista disseruit, omne judicium dedit 15. *Joann.* V,
Filio suo, Domino nostro Jesu Christo ; cujus metuendissimo tribunali nos omnes 22. II *Cor.* V,
præsentari et adstare oportet, ut judicemur ab ipso, sicut et Salomon loquitur : 10.
Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sit, sive *Eccle.* XII,
malum. 14.

Præterea docet nos sacra Scriptura divinitus inspirata, quod duplici judicio judicet Deus gloriosus et justus genus humanum, utputa judicio particulari in obitu singulorum, et judicio generali in fine mundi. Porro de generali illo judicio multa pandit Scriptura, et de eodem sancti Patres catholicique doctores copiose ac evidenter scripserunt, puta de loco ejus et tempore, de Judicis visibili apparitione, de signis quæ ejus præcedent adventum, et qualiter cum universis civibus regni cœlestis descendet, de multisque aliis. Verum de particulari prætacto judicio, nec Scriptura neque doctores tam diffuse et clare inveniuntur locuti, videlicet : qualiter fiat, et quo loco ac tempore, hoc est, an anima adhuc exsistente in corpore, an in ejus egressu, an post egressum, et ubi vel qualiter seu per quos Judici præsentetur ; qualiter etiam tot animæ omni pene hora judicentur particulariter ac sigillatim a Judice summo ; quid item de infidelium judicio animarum sit sentiendum. Hinc de omnibus his quidam religiosus Frater specialiter mihi carus, cupiens edoceri, parvitatem meam jam diu ac instanter precatus est ut de his pro consolatione et ædificatione ipsius aliquid scribam : cujus tam piæ et humili petitioni, quantum donaverit Dominus, satisfacere opto, præsertim quum et ipse in multis mihi assidue tam caritative ac prompte obsequiosus exsistat, imo et toti corpori fraternitatis. Sed quoniam ea quæ per modum scholasticæ inquisitionis ac responsionis conscribuntur ac ponuntur, magis consueverunt oblectare et clarius informare, propono in isto tractatulo sub dialogi forma procedere, prætacto Fratre quærente et opponente, me autem pro viribus respondente.

Postremo, ne determinata nominum nostrorum expressio quemquam offenderet, aut temerarii occasionem judicii ministraret, decreveram tam Fratrem memoratum quam me, propriis suppressis nominibus, per communia quædam designare vocabula. Verumtamen aliunde rationabiliter (ut confido) persuasus, propria me appellatione designabo. De me quidem jam satis vulgatum est quod plurima scripserim, non obstante, proh dolor ! imperitia mea, imo et conversatione nimium defectuosa. Unde etsi hic nomen meum proprium exprimatur, non ex hoc novus de me rumor gignetur. Itaque ab inquisitionibus Fratris prætacti præsens opusculum inchoetur.

DE PARTICULARI JUDICIO
IN OBITU SINGULORUM
DIALOGUS[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Quæstiones Fratris circa prologum præinductum, et responsio ad easdem.

Frater. — Hanc sponsionem tuam jam tactam, qua polliceris te inquisitionibus meis responsurum pro viribus, cum ingenti gratiarum actione accepto, o præcarissime Frater. Verumtamen præconiis quæ tetigisti de me, indignum me fateor; sed hoc tuæ est bonitatis, bene sentire de aliis. Verum, ne ex non intellectis progrediar ad ea quæ restant, ad dubitationes mihi occurrentes circa prologum introductum, deprecor mihi responderi in primis.

Dionysius. — Confidenter interroga, quia hoc ipsum studiositatis est signum. Nam,
Eccli. III, 31. ut ait Scriptura, auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam; atque, ut loquitur Origenes, ex eodem sapientiæ fonte procedit prudenter interrogare et convenienter respondere. Junioribus quoque, quamvis eruditis, potius convenit audire et interrogare, quam velle instruere. Ad quod insinuandum Sapientia Dei Patris,
Luc II, 42, 46. Christus Dominus, quum duodecim erat annorum, in medio sedit doctorum, audiens atque interrogans illos.

A Frater. — Quum juxta contenta in prologo, duplex exsistat judicium quo homines judicantur a Deo, videlicet particulare in obitu singulorum, et universale in termino sæculorum: de quo horum judiciorum intelligenda sunt verba Apostoli assumpta pro themate, Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi? II *Cor.* V, 10.

Dionysius. — Quamvis hæc verba communius exponantur de generali illo judicio in quo universi et singuli homines corporaliter ac visibiliter apparebunt ante B tribunal Christi, tunc corporaliter ac visibiliter apparituri ac judicandi; nihilominus possunt hæc verba de judicio quoque particulari intelligi, quemadmodum et id quod ad Romanos idem scribit Apostolus: Omnes (inquiens) stabimus ante tribunal Christi; *Rom.* XIV, 10. et item quod ait Hebræis: Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium. *Hebr.* IX, 27.

Frater. — Quum tribunal Christi sit ubi et in quo residet Christus omnium judex, si in particulari quoque judicio manifestabimur C et stabimus ante tribunal Christi, ergo in particulari suo judicio unusquisque credentium perducetur usque ad personalem Christi præsentiam; quumque ad dexteram Patris resideat in summo cœli *Marc.* XVI, 19.

[1] Ex editionibus Coloniæ: Joannis Soteris, 1532; Melchioris Novesiani, 1535; Bernardi Gualtheri, 1602.

empyrei loco, unusquisque credentium tempore mortis suæ deducetur ac introibit, saltem quantum ad animam suam, cœlum empyreum seu regnum illud usque ad Christi conspectum : quum tamen in Apocalypsi dicatur, quod non intrabit in illud coinquinatum. (*Apoc.* XXI, 27.) A

Dionysius. — Dominus et salvator Christus, qui in unitate personæ est verus Deus et verus homo, secundum deitatis suæ naturam vere ubique est. Porro secundum suam assumptam humanitatem nunc plene glorificatam, competit ei esse in cœlo empyreo. B Et quamvis ex parte propriæ quantitatis dicatur esse ibi dumtaxat, seu uno in loco, tamen ex vi conversionis panis et vini in corpus et sanguinem ejus, etiam realiter est in Sacramento altaris. Tamen secundum naturam suam assumptam non est ubique realiter, quamvis per potestatem et jurisdictionem sibi concessam possit dici esse ubique, quemadmodum ait : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. (*Matth.* XXVIII, 18.) Qualiter autem et ubi ac quando animæ morientium Christo judici manifestentur, C præsententur et coram stent, infra plenius inquiretur, quum istud sit principale hujus intentum opusculi. Idcirco pro nunc responsione hac esto contentus.

Frater. — Interim sic contentor ; sed quid per tribunal Christi intelligendum sit, quæso, expone.

Dionysius. — Quemadmodum in communi usu loquendi per apostolicam Sedem designatur Pontifex summus; seu pontificii ejus summa auctoritas aut potestas, ita per Christi tribunal datur intelligi Christus omnium judex, D seu judiciaria ejus potestas. Propter quod Haymo ait : Stabimus ante tribunal Christi, id est ante judicem Christum. Et dicitur hoc ipsum a simili. Tribunal enim sedes est judicum, quæ in sublimi locatur, ut judex ab omnibus videatur, et judex ipse ex loco eminenti omnes valeat intueri. Ita et Christus quasi in tribunali sedebit, qui et ab universis videbitur, omniumque conscientias cernet et causas dijudicabit.

Frater. — Quum Christus in quantum homo, sit vere corporalis corporaliterque in loco per proprias sui corporis dimensiones, possetne per Christi tribunal corporalis locus materialeve solium residentiæ suæ intelligi ?

Dionysius. — De loco Christi corporeo exponitur uno modo id quod ipse testatur in Apocalypsi : Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus, (*Apoc.* III, 21.) hoc est in regno cœlesti, in cœlo empyreo. De quo loquitur in Isaia : Cœlum mihi sedes est. (*Is.* LXVI, 1 ; *Act.* VII, 49.) Apostolus quoque : Adeamus (inquit) cum fiducia ad thronum gratiæ ejus. (*Hebr.* IV, 16.) Denique, juxta hunc sensum, tribunal Christi posset intelligi locus ille in aere, ubi sedebit in die novissimo ad judicandum omne hominum genus.

Frater. — Allegasti in prologo quod scriptum est in Evangelio : Pater omne judicium dedit Filio. (*Joann.* V, 22.) Quid ergo est quod ipsemet Filius in Evangelio protestatur, loquens Judæis, Vos secundum carnem judicatis, ego non judico quemquam ? (*Ibid.* VIII, 15.) Et rursus : Si quis (ait) audierit verba mea et non custodierit ea, ego non judico eum : (*Ibid.* XII, 47.) non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum. Quod etiam alibi ita exprimitur : Non misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. (*Ibid.* III, 17.)

Dionysius. — Harum et consimilium auctoritatum est una solutio. Quemadmodum enim est duplex Christi adventus, videlicet primus in paupertate et humilitate, et secundus in majestate et gloria ; ita est duplex judicium. Unum est judicium discretionis, quo inter bonum et malum, inter verum et falsum, inter electum et non electum discernitur ; atque aliud retributionis seu remunerationis, quo unicuique justa merces rependitur. Itaque Christus in primo suo adventu non venit ut judicaret judicio remunerationis, imo magis ut judicaretur et patientissime omnia ferret ; sed ad exercendum tale judicium veniet in die extremo. Verumtamen

in primo suo adventu venit exercere judicium discretionis : quia tunc inter electos reprobosque discrevit, quosdam misericorditer vocando et convertendo, alios juste derelinquendo, impiorum quoque vitia arguendo, et viam instruendo salutis. Propter quod apud Joannem dixit : Nunc judicium est mundi. Quod quasi exponens, adjecit : Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Ex tunc etenim misso desuper Spiritu Sancto, cœperunt in toto orbe terrarum innumerabilia millia hominum converti ad Dominum Deum, de quorum cordibus ejiciebatur diabolus.

Joann. XII, 31.

FRATER. — Si Christus Filius Dei in primo suo adventu non exercuit judicium remunerationis, quis ergo judicavit eos qui obierunt in sæculo isto tempore primi adventus Christi, omnique tempore quo inter homines in hoc mundo conversabatur ?

DIONYSIUS. — Ille utique qui ab exordio mundi usque ad primum Christi adventum judicavit morientes in mundo hoc, utputa verus Deus, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, unus universorum creator, judex ac Dominus : quia in tribus supergloriosis et superbenedictis Personis est una natura, adorandæque Trinitatis operationes ad extra sunt indivisæ ; sicque Christus ut Deus semper exstitit omnium judex per remunerationem. Porro præhabita sunt dicta de ipso secundum naturam assumptam.

FRATER. — Si universi ac singuli judicantur a Christo dum moriuntur, quid necesse est ponere aliud futurum generale judicium, quum teste Nahum propheta, non judicet Dominus bis in id ipsum ?

Nahum I, 9, j... LXX.

DIONYSIUS. — Interim singuli judicantur quantum ad animam, tunc quoad corpus et animam. Hujus tamen rei sunt aliæ rationes, quæ ab Alexandro de Hales, S. Thoma et aliis assignantur, et infra forsan tangentur. Sed jam, si placet, ab his et hujuscemodi quæstionibus cessa, quatenus principale aggrediamur propositum : quo completo, incidentalia et occurrentia proponantur.

ARTICULUS II.

De loco ac tempore particularis judicii animarum credentium.

FRATER. — De isto potissime cupio informari, ubi et quando judicentur a Christo animæ morientium singulorum. Nam verba Sanctorum multorum, visiones quoque et revelationes quamplurium videntur prætendere, quod animæ non judicantur a Judice summo nisi post egressum earum de corpore, quod et sanctus Papa Gregorius quarto Dialogorum videtur sentire ; et item, quod angeli boni ac mali animas Christo repræsentant ad judicandum, quasi animæ deferrentur in cœlum ad consistorium Dei, ut judicentur ibidem.

DIONYSIUS. — De ista materia non nisi valde caute et sobrie est loquendum, atque ab omni temeraria assertione prorsus est præcavendum. Idque in primis pro certo tenendum, quod animarum remuneratio non differtur usque ad diem generalis judicii, prout quidam hæretici, imo et multi Græcorum dicere præsumpserunt : quorum errorem doctores super quartum Sententiarum, et specialiter S. Thomas in Summa contra Græcos, evidenter et plene reprobarunt. Hoc ergo errore abjecto, scrutandum an credentium animæ judicentur a Christo dum adhuc in corpore sunt, an post egressum de corpore. Quocirca sciendum, quod Innocentius Papa III in libro suo de Miseria conditionis humanæ, videtur sentire quod animæ dum adhuc in corpore sunt, judicantur a Domino, ita quod ante egressum de suis corporibus sciunt quo pergent, hoc est, an erunt salvatæ, an condemnatæ. Ait quippe ibidem Innocentius Papa : Quatuor dolores patiuntur mali in morte. Primus est corporalis angustia tam gravis et magna, quod in hac vita non est dolor ei æqualis. Secundus dolor est, quando corpore jam plene defatigato viribusque exhausto, anima clare et subito videt omnia sua peccata præterita. Tertius est, quando anima incipit jam juste diju-

dist. XLVII.

dicari, et universa ac singula inferni tormenta suis iniquitatibus debita sibi conspicit imminere. Quartus, dum anima impii adhuc in corpore posita, videt spiritus malignos ad rapiendum se paratos. Insuper clarius loquens, ait : Quatuor leguntur adventus Christi : primus ad judicium, secundus in obitu cujuslibet fidelis, tertius in carne, quartus in mentem.

FRATER. — Quid circa hoc sentis ?

DIONYSIUS. — De tam ardua et sublimi materia nequaquam volo aliquid ex me ipso asserere, neque de corde proprio vaticinari. Quid vero de his secundum sanctorum Patrum et authenticorum doctorum traditionem, imo et secundum Scripturam canonicam, et juxta revelationes ac visiones desuper (ut pie creditur) factas tenendum sit, diligenter inferius introducam.

FRATER. — Legisti aliquos doctores præfatum dominum Innocentium in materia ista sequentes ?

DIONYSIUS. — Hucusque neminem legi, nisi quod quidam venerabilis et devotus Pater Ordinis nostri, frater Ludolphus, in secundo volumine de Vita Domini Salvatoris, capitulo quadragesimo sexto, sic scribit : Qualem Dominus in morte quemquam invenerit, talem illum in die judicii judicabit ; qui etiam in morte judicium suum cognoscit. Unusquisque enim Christianus in morte Christum videbit, et tunc cognoscet an de electis vel damnatis sit. Unde Lotharius, qui postea Innocentius III dictus est, in libro de Miseria conditionis humanæ sic ait : Videt tam bonus quam malus, antequam anima egrediatur a corpore, Christum in cruce positum. Malus videt Christum ad suam erubescentiam et confusionem, ut erubescat se non esse redemptum sanguine Christi, sua culpa exigente. Unde de malis dicitur : Videbunt in quem pupugerunt. (*Zach.* XII, 10.) Quod intelligitur de adventu Christi ad judicium, et de adventu ejus ad diem mortis. Bonus vero videt ad exsultationem. Unde et Christus de Joanne evangelista testatur : Sic eum volo manere donec veniam, scilicet ad obitum ejus. (*Joann.* XXI, 22.)

A Quatuor namque leguntur adventus Christi ad homines, duo videlicet visibiles, et duo invisibiles. Primus adventus visibilis fuit in carne, alter erit in majestate ad judicandum. Primus adventus invisibilis fit in mente justi per gratiam ; secundus adventus invisibilis est in obitu cujuslibet fidelis : unde dicitur obitus, quoniam obviam venit Christus. Hos quatuor adventus repræsentat Ecclesia in quatuor Dominicis de Adventu, non solum numero dierum, sed etiam ratione Officiorum. Hæc omnia

B sumpsit et allegat Ludolphus ex præfato Innocentii libro : aliqua tamen omittit. Nam ad probandum quod Christus in morte appareat singulis, Innocentius addit : Et hoc habemus ex verbis Apostoli, qui ait : Usque ad diem adventus Domini nostri Jesu Christi, id est usque ad diem mortis, (I *Thess.* III, 13.) quando apparet tam bonis quam malis Christus in cruce positus.

FRATER. — Videntur tibi præallegatæ auctoritates Scripturæ satis probare propositum ?

C DIONYSIUS. — Auctoritates istæ ab expositoribus catholicis atque authenticis aliter exponuntur ad litteram : idcirco prætacta earum applicatio non satis probat intentum, prout hoc infra in speciali ostendam articulo.

FRATER. — Quid sentis de hoc quod Innocentius asserit et Ludolphus allegat, Christum in cruce positum singulis credentibus apparere in morte, antequam animæ egrediantur de corpore ? An doctores alii communiter id affirmant ?

D DIONYSIUS. — Quid circa hoc videatur dicendum, infra diligenter scrutabitur. In nullo quoque doctore alio legi hoc, nisi in devoto quodam tractatulo de Arte moriendi, composito a magistro Gerardo Rondelli, doctore theologiæ, decano Leodiensis Ecclesiæ, nuper defuncto, qui ex Innocentio hoc ipsum allegat ac tenet.

FRATER. — Precor, prosequere et describe quid de proposita quæstione atque materia secundum doctores authenticos et famosos potius sit tenendum.

ARTICULUS III.

De particulari judicio animarum, ex dictis B. Thomæ.

Dionysius. — Super quartum Sententiarum, distinctione vicesima, movet S. Tho-
q. 1, a. 1. mas hanc quæstionem : Utrum in extremo seu ultimo vitæ suæ possit aliquis pœnitere. In cujus solutione inter cetera dicit :
Jacob. 1, 5. Deus, qui dat omnibus affluenter, nulli suam denegat gratiam, dummodo faciat quod in se est, se ad gratiam præparando. Præparatio autem ad gratiam fit per motum liberi arbitrii : idcirco quamdiu manet homini usus liberi arbitrii in hac vita, tamdiu potest pœnitere et veniam obtinere. Talis autem usus liberi arbitrii manet homini usque ad ultimum vitæ præsentis, quia in ea liberum arbitrium nondum est confirmatum in malo : ideo usque ad extremum vitæ potest unusquisque salubriter pœnitere. Insuper probat hoc, quia
Sap. vii, 30. sapientia et misericordia Dei vincit humanam malitiam ; sed homo potest usque ad extremum vitæ suæ peccare : ergo potest usque tunc per misericordiam Dei veniam consequi. Dicit etiam super quartum, dis-
q. 1, a. 1, qcula ii. tinctione quadragesima quinta, quod per vinculum carnis anima detinetur in via. Ideo quamdiu hoc vinculum non est solutum, manet in via et statu merendi ac demerendi. Hinc eodem libro, distinctione qua-
q. 1, a. 1, qcula i ad 1um. dragesima septima, apertius scribit : Quilibet homo et est singularis persona, et est pars quædam totius generis humani. Ideo duplex judicium ei debetur. Unum singulare, quod fiet de eo post mortem, quando recipiet juxta ea quæ in corpore gessit, quamvis non totaliter, quia non quoad corpus, sed quoad animam tantum. Aliud judicium debet esse de eo secundum quod est pars quædam totius generis humani : quemadmodum etiam aliquis judicari dicitur secundum humanam justitiam, quando judicium datur de communitate cujus ipse
Nahum 1, 9, juxta LXX. est pars. Nec tamen Deus bis judicat in id ipsum : quoniam pro eodem peccato non infert duas pœnas, quarum quælibet per
A se sufficiens sit pro illius punitione peccati ; sed pœna quæ ante finale judicium complete inflicta non fuit, in ultimo judicio complebitur, quando impii cruciabuntur quantum ad corpus et animam simul.

Amplius, idem sanctus Doctor in tertia parte Summæ suæ, quæstione quinquagesima nona, ait : Judicium de re mutabili art. 5.
perfecte (id est consummatum et certum judicium) dari non potest ante consummationem seu finem rei : sicut judicium de aliqua actione qualis sit, dari perfecte non
B potest antequam sit consummata in se et in suis effectibus, quoniam multæ actiones videntur utiles esse, quæ ex suis effectibus inveniuntur nocivæ. Similiter de homine judicium perfecte dari non potest quamdiu vita ejus non terminatur. Porro vita hominis terminatur per mortem : idcirco post mortem datur de eo singulare judicium. Hinc dicendum, quod post mortem, quantum ad ea quæ sunt ipsius animæ, homo sortitur quemdam immutabilem statum : ideo quantum ad præmium
C animæ, non oportet differri judicium ultra mortem. Rursus in eadem asserit quæstione : Quamvis pœna seu præmium corporis ibid. ad 3um.
dependet ex pœna seu præmio animæ, tamen quoniam anima non est mutabilis (quoad statum merendi et non merendi) nisi per accidens, scilicet propter corpus, ideo anima separata a corpore statim habet statum immutabilem, et accipit suum judicium.

Frater. — Quantum intelligere valeo, ex præhabitis sancti Doctoris verbis evi-
D denter consequitur et habetur, quod particulare animarum judicium fiat post earum separationem a suis corporibus. Nam usque ad mortem durat status ac tempus merendi ac demerendi, ipsaque mors est terminus status ac temporis hujus, ita quod statim post eam sequitur immutabilitas status, in qua anima amplius promereri non potest.

Dionysius. — Recte consideras. Sed audi quid adhuc idem conscribat Doctor. Nempe in Summa contra gentiles, libro

cap. 92. quarto : Animæ, inquit, statim quum a A corpore fuerint separatæ, immobiles secundum voluntatem redduntur, ut scilicet ultra voluntas hominis mutari non possit, neque de bono in malum, neque de malo in bonum. Quamdiu enim anima mutari potest de bono in malum, vel econverso, est in statu pugnæ atque militiæ : oportet namque ut sollicite malo resistat, ne ab ipso vincatur, vel ut conetur quod liberetur ab ipso. Sed statim dum anima a corpore separatur, non est in statu militiæ aut pugnæ, sed in statu recipiendi præmium B aut pœnam, pro eo quod legitime aut illegitime certaverit. Propter quod vita hæc comparatur militiæ et diebus mercenarii,
Job VII, 1. juxta illud Job : Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii dies ejus. — Itaque tota hæc vita est via ad aliam vitam, et ad meritum sive demeritum : propter quod ea finita, restat judicium.

cap. 95. Hinc in eodem libro ait : Anima est in statu mutabili quamdiu corpori unitur (hoc est, quamdiu manet in corpore), non autem postquam fuerit a corpore separata. C Dispositio namque animæ movetur seu mutatur per accidens secundum aliquem corporis motum. Quum enim corpus deserviat animæ ad ipsius animæ operationes, ad hoc naturaliter datum est animæ, ut anima in ipso exsistens perficiatur quasi ad perfectionem mota. Quando ergo erit a corpore separata, non erit in statu ut moveatur ad finem, sed ut in fine adepto quiescat. — Ex quibus verbis elicitur, quod quamdiu anima non est a corpore separata, est in statu quo possit moveri seque D convertere ad ultimum finem, qui Deus est seu beatifica ejus fruitio : idcirco quamdiu in corpore est, non competit ei judicari a Deo, sed statim post separationem.

Præterea, ejusdem libri penultimo ait capitulo : Duplex est retributio pro his quæ homo gerit in vita præsenti : una secundum animam, quam retributionem percipit homo statim quum anima fuerit a corpore separata ; alia vero retributio erit in resumptione corporum. Et prima quidem retributio sigillatim fit singulis, secundum quod divisim moriuntur; secunda autem retributio simul omnibus fiet, secundum quod omnes simul resurgent. Omnis autem retributio qua diversis diversa redduntur, secundum diversitatem meritorum requirit judicium : unum quo divisim singulis quantum ad animam redditur pœna vel præmium ; aliud autem commune, quo quantum ad animam et corpus reddetur omnibus simul quod meruerunt.

Frater. — Satis diffuse et evidenter ex dictis S. Thomæ ostendisti intentum.

Dionysius. — Adhuc unum ipsius testimonium introducam. Itaque Doctor iste super secundum Sententiarum, distinctione septima, causam obstinationis et impœnitentiæ angelorum qui corruerunt, assignans : Quemadmodum, inquit, impossibile q. 1, a. 2. est a voluntate indeclinabiliter adhærente recto fini procedere culpam, ita econtrario impossibile est a voluntate adhærente inconvertibiliter perverso fini procedere actum bonum. Peccatum autem voluntatis contingit dupliciter circa finem. Primo, ex passione abducente rationem ab actuali consideratione recti ac debiti finis; et taliter peccans pœnitet passione cessante. Secundo, ex malitia, quæ (secundum Philosophum septimo Ethicorum) corruptiva est finis. Dicitur namque ex malitia peccare, qui ex electione pravi finis est peccans, eo quod qualis est secundum habitum, talis finis videtur ei conveniens : sicut qui habitualiter luxuriosus est, finem sibi constituit in delectatione venerea. Et quum error circa finem in operabilibus sit sicut error circa prima principia in speculabilibus, circa quæ errantem non contingit retrahi ac dirigi ex aliis magis notis ; oportet quod sic peccans sit impœnitens, ut ibidem ait Philosophus. Igitur de peccato nullus potest pœnitere, nisi vel passione cessante, vel remoto habitu quo finem malum elegit. Removeri autem habitum non est possibile nisi in eo qui est in statu viæ et mutabilitatis. Unde quandocumque aliquis devenit ad terminum viæ, non pot-

est deflecti ab eo fine cui inhæsit, sive sit bonus seu malus. Finis vero viæ hominis est mors sua, et finis angeli est terminus suæ electionis qua bono adhæsit vel malo. Unde sicut homines post mortem confirmantur in bono vel malo, ita et angeli post conversionem vel aversionem. Hæc Thomas. — Ex cujus verbis sic argui potest : Deus particulari judicio non judicat animam morientis, quousque ipsa finaliter et indeclinabiliter fixerit se in bono aut in malo, hoc est in aversione a Deo vel in conversione ad ipsum. Indeclinabilitatem autem seu immutabilitatem suæ conversionis aut aversionis non consequitur nisi via completa, id est post mortem ; idcirco nec judicatur nisi post mortem.

Frater. — Quamvis hæc rationabiliter dicta videantur, attamen circa præallegata verba Thomæ dubitatio mihi occurrit. Quomodo enim affirmat peccatum voluntatis dupliciter contingere, scilicet ex passione et malitia, quum dicatur communiter quod contingat tripliciter, utputa ex ignorantia, infirmitate seu passione, et ex malitia ?

Dionysius. — Duo illa tangendo, tertium non excludit.

Frater. — Qualiter ergo stabit quod dixit, De peccato nullus potest pœnitere, nisi vel passione cessante, vel habitu malo remoto, quum is qui ex ignorantia peccat, cessare queat a culpa, ignorantia sua per eruditionem ablata ?

Dionysius. — Dici potest, quod Thomas distinguit et loquitur quantum ad propositum sufficit, vel quod tertium illud ad aliquod horum reducatur duorum.

Frater. — Ex aliis quoque doctoribus præinducta (si placet) declara.

ARTICULUS IV.

Ex dictis domini Bonaventuræ, Alexandri de Hales et aliorum doctorum de eadem materia, et præsertim de modo, forma ac duratione particularis judicii.

Dionysius. — Devotus doctor Bonaventura super quartum Sententiarum, distinctione vicesima : Credendum est, ait, quod in egressu animæ a corpore adsistunt spiritus bonus et spiritus malus, vel unus vel plures, et tunc secundum veritatem ferri sententiam : et si bona est anima, per ministerium angeli boni adduci eam in cœlum, aut in purgatorium, quousque purgata, per ejus ministerium educatur ; si vero sit mala, per ministerium angeli mali deduci ad infernum. Hoc, inquam, tanquam magis probabile, magis est concedendum, quamvis in hac parte nihil sit temere asserendum.

A (p. I, a. 1, q. v.) — B

Frater. — Ex his apparet quod anima judicetur in ejus egressu a corpore, non post egressum, quum dicat, « tunc ».

Dionysius. — Quod ait, « tunc », intelligendum videtur, id est tempore illo, utputa mox post egressum : nam ultimum instans quo anima est in corpore, pertinere censetur ad tempus quo in corpore mansit, tanquam illius temporis finis. Denique, juxta hunc sensum, idem Doctor asserit super quartum, distinctione vicesima prima : Sicut contingit regnum dupliciter obtineri, videlicet, integre et perfecte sive in toto, et alio modo secundum partem sive in anima ; sic duplex est judicium et duplex sententia. Nam sicut homo glorificatur secundum partem, ita et particulariter judicatur, et de eo sententia fertur quando anima de corpore egreditur. Judicium autem universale erit quando homo erit glorificandus secundum corpus et animam. Præterea, his concordant quæ irrefragabilis doctor Alexander de Hales scribit in Summa sua et super secundum Sententiarum, et item quæ Thomas de Erfordia de hac ipsa scripsit materia.

C (p. I, a. 3, q. II ad 3um.) — D

Frater. — Ex præallegatis Bonaventuræ verbis manifeste sequi videtur, quod animæ morientium præsentantur Judici summo non in cœlo, sed infra, in loco qui inter cœlum et infernum ac purgatorium medius perhibetur. Ait enim, quod data sentencia, si anima fuerit bona, adducitur ab angelo sancto in purgatorium vel in cœlum ; si mala, deducitur per dæmonem

ad infernum. Ad Judicem etenim pertinet A definire quo deducenda sit anima, et quantum ac qualiter punienda.

DIONYSIUS. — Bene consideras. Nihilo minus observandum quod docet Bonaventura, ut scilicet de his nil temere asseratur.

FRATER. — Qualiter anima Judici præsentatur ?

DIONYSIUS. — Quum anima sit invisibilis et incorporalis substantia, constat quod invisibiliter præsentetur, tamen vere realiter. Judex autem secundum suam deita- B tem vere ubique est.

FRATER. — Qualiter profert sententiam ?

DIONYSIUS. — Quum anima relicto corpore non utatur auditu corporeo, non profertur de ea judicialis sententia verbis vocalibus, sed intellectuali locutione, qua animæ notificatur spiritualiterque exprimitur et intus ostenditur quid promeruit, quo ducetur, quid pro mercede suscipiet.

FRATER. — Quid de duratione hujus ju- C dicii sentis ?

DIONYSIUS. — In momento peragitur et completur, præsertim quum divinæ, omnipotenti infinitæque potestati conveniat agere in instanti.

FRATER. — Quomodo possunt præsentatio, accusatio, disceptatio atque sententiæ prolatio, quæ in particularibus quoque judiciis fieri suo modo creduntur, instantanee fieri et compleri ?

DIONYSIUS. — Quid hoc miraris de particulari judicio, quum de generali quoque D judicio dicant doctores quamplures super quartum Sententiarum, quod in momento complebitur ? Ad quod allegant quod ipsemet Judex apud Lucam protestatur : Sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt fulget, ita erit Filius hominis in die sua. Quod in Matthæo ita exprimitur : Sicut fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, sic erit adventus Filii hominis. Hinc Thomas super quartum Sententiarum, distinctione quadragesima septima, loquitur : Probabilius æstimatur, quod totum illud judicium, et quoad discussionem, et quoad accusationem malorum ac commendationem bonorum, et quoad sententiam de utrisque, mentaliter perficietur, et per consequens in momento fieri possit. Hinc vicesimo de Civitate Dei loquitur B. Augustinus : Per librum vitæ de quo in Apocalypsi habetur, intelligenda est vis quædam divina, qua fiet ut unicuique opera sua bona aut mala ad memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam, atque sic simul et omnes et singuli judicentur. Porro, si vocaliter singulorum facta narrarentur, inæstimabilis magnitudo temporis ad hoc exigeretur.

(Marginal notes: dist. XLVII. — Luc. XVII, 24. — Matth. XXIV, 27. — q. 1, a. 1, q^cula II. — Apoc. III, 5; XIII, 8, etc.)

FRATER. — Video mihi esse responsum. Sed quum frequenter una hora tot millia hominum moriantur, et quasi in eodem momento, quod et in magnis solet præliis evenire, quomodo possunt tot animæ simul eodem judicari momento ?

DIONYSIUS. — Jam ad hoc data est responsio, quoniam incircumscriptibilis atque omnipotens Judex ita faciliter judicat eodem momento mille animas sicut unam. Numquid difficilius ei est multas animas eodem momento aut instanti judicare quam creare ? Ex his etiam innotescit quam mendosum et fatuum sit quod impiissimus Sarracenorum deceptor Mahometus affirmat, dicendo quod finale illud generale judicium durabit per quinquaginta millia annorum. Omnino enim irrationabile esset, injustum et indecens, Deum justum, sapientem ac omnipotentem, Sanctos et electos tam diu differre a mercede et gloria, aut occupari tam diuturne ad judicandum genus humanum, qui in principio solo imperio condidit mundum. Gen. I.

FRATER. — Ex auctoritate illa et verbis Christi quæ ex Luca et Matthæo jam allegasti, videtur necessario sequi, quod finale illud judicium instar fulguris instantaneum momentaneumve consistet.

DIONYSIUS. — Hoc plane consequeretur,

nisi verba illa possent et aliter accipi et exponi.

FRATER. — Qualiter exponuntur et aliter?

DIONYSIUS. — Hi qui putant finale judicium per tempus notabile duraturum, dicunt quod Christus præallegata protulit verba non ad insinuandum illius judicii momentaneam durationem, sed ad designandum sui adventus claram et omnibus visibilem manifestationem.

ARTICULUS V.

Confirmatio eorum quæ dicta sunt de loco et tempore particularis judicii, ex verbis sanctorum Patrum et præcipuorum doctorum.

DIONYSIUS. — Quam periculosum sit pœnitentiam usque ad finem differre, et tamen in fine posse hominem pœnitere, testatur B. Augustinus : Periculosum est, inquiens, pœnitentiam usque ad finem vitæ differre : si tamen tunc vera habeatur pœnitentia, hominem liberat, et spiritualiter mortuo vitam gratiæ impetrat ; non tamen sic, ut nullam sentiat pœnam, nisi forte tanta sit vehementia contritionis et gemitus, quæ sufficiat ad punitionem iniquitatis. Licet ergo difficile sit ut tunc vera sit pœnitentia, quando venit tam sera, dum cruciatus membra ligat et dolor opprimit sensum, ita ut homo vix valeat aliud aliquid cogitare ; melior tamen est pœnitentia sera quam nulla. Pœnitentia namque si in extremo vitæ hiatu advenerit, sanat ac liberat. Hinc Magister Sententia- D
dist. xx A. rum asserit quarto libro : Sciendum quod pœnitentiæ tempus est usque ad extremum articulum vitæ. Ideo ait et Leo Papa : Nemo est desperandus dum adhuc in corpore est constitutus, quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiori perficitur. Ex quibus satis sequi videtur, quod anima non judicatur ante-
Scal. parad. grad. VII. quam de corpore egrediatur. Denique, ad hoc probandum allegat Climacus quod ait
Ezech. VII, 3, 8. Scriptura : In quo invenero te, judicabo
A te, dicit Dominus. Hinc Damascenus libri secundi capitulo quarto contestatur : Quod angelis est ruina, hoc hominibus est mors, quia nec angelus post ruinam, nec homo post mortem est pœnitentiæ susceptivus.

Omnes autem istiusmodi auctoritates fundantur in Scriptura canonica. Nam et in Ecclesiaste scriptum est : Si ceciderit *Eccle.* XI, 3.
lignum ad austrum vel ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. In quibus verbis per lignum intelligitur homo ; per casum, mors ; per austrum, sors seu
B societas electorum, aut fervor caritatis seu splendor virtutum ; per aquilonem, frigus vitiorum, seu consortium reproborum. Itaque sensus est, quod in ea affectione et dispositione mentis qua anima recedit a corpore, permanet in æternum : ita quod ad electorum numerum pertinebit, si in caritate discesserit ; ad reprobos vero, si in igne dilectionis carnis, in torpore pigritiæ et peccato abierit. Unde et per Ezechielem Dominus, secundum antiquam translationem, asseruit : In quacumque *Ezech.*
C hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus amplius non recordabor. XVIII, 21, 22.

Præterea, dominus Antisiodorensis scribit in tertia parte Summæ suæ, et idem fatetur Alexander de Hales, quod quamvis Deus omnipotens sit, non tamen posset homini absoluta assertione prædicere quod exstet damnandus : quia sic homo teneretur desperare. Si autem anima judicaretur a Deo antequam egrederetur de corpore, desperare mox teneretur adhuc in corpore manens : quod opinari non licet.

ARTICULUS VI.

Objectiones contra præhabita, et responsio ad easdem.

FRATER. — Copiose probasti, quod homo usque ad ultimum instans vitæ præsentis inclusive, possit salubriter pœnitere. Quid ergo est quod S. Gregorius in Homiliis suis et alibi de quibusdam morientibus recitat, quod in extremis agentes viderunt teterri-

mos spiritus in speciebus Æthiopum aut draconum ad se venientes, propter quod fuerunt valde perterriti, atque inducias petierunt, in quibus utique pœnitere proposuerunt, et tamen affirmat S. Gregorius, quod totum illud illis nil profuit, nec propter eorum emendationem, sed ob nostram admonitionem talia demonstrata sunt ipsis? Ex eisdem recitationibus videtur quod illi judicati fuerunt a Deo antequam migraverunt a corpore. Nam et unus eorum adstantibus dixit : Draconi ad devorandum datus sum.

Scal.parad. grad. VII. Insuper, Climacus refert de quodam magno anachoreta nomine Stephano, qualiter ante migrationem suam a corpore in ecstasi mentis positus, apertis oculis intendebat ad dexteram lectuli ac sinistram, et quasi ad reddendam rationem a quibusdam exactus, cunctis qui aderant audientibus, dixit interdum sic : Utique verum est ; sed confessus sum, et tanto tempore jejunavi pro isto. Quandoque sic : Nequaquam, sed mentimini, istud non feci. Aliquando vero : Verum est quod hoc feci ; sed ploravi et Domino ministravi. Atque nonnunquam : Hoc feci, nec respondere possum ; sed Deus misericors est. Eratque horribile et horrendum exsecutorium invisibile illud rationis exactæ. Et hic tantus ita sub rationis reddendæ exactione positus, recessit a corpore. Ecce ex hac narratione videtur quod anima ante recessum a corpore Judici præsentetur, et rationem reddere exigatur et accusetur.

Amplius, in epistola ad Hebræos ait Apostolus, quod Esau non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrimis inquisisset eam. — Conformiter de Antiocho fertur, quod oravit scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus. Qui tamen valde pœnituisse videtur : nam et inter cetera sua promissa vovit se Judæum futurum, et totam Terram sanctam peragraturum, ac prædicaturum Dei potentiam, ac templum esse se ornaturum optimis donis. — Postremo, in Proverbiis loquitur increata Sapientia de iniquis adhuc in corpore constitutis : Quia vocavi, et renuistis, despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis ; ego quoque in interitu vestro gaudebo et subsannabo, quum vobis quod timebatis advenerit, quum irruerit repentina calamitas. Tunc invocabunt me, et non exaudiam ; mane consurgent ad me, et non invenient me.

Hebr. XII, 17.

II *Mach.* IX, 13.

Ibid. 17, 16.

Prov. I, 24-28.

At vero per Moysen Deus dixit ad Pharaonem : Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te fortitudinem meam, etc. Per quæ verba prænuntiavit ei suam reprobationem. — Adhuc autem, ipse Salvator apertissime dixit de Juda : Væ homini per quem Filius hominis tradetur ; bonum ei erat si natus non fuisset. Et hoc Judas intellexit proferri de se. Petro quoque prædixit : In hac nocte ter me negabis. Non tamen ob hoc Petrus desperavit desperareve debuit se posse evadere trinam illam negationem.

Exod. IX, 16 ; *Rom.* IX, 17.

Matth. XXVI, 24.

Ibid. 34.

Postremo, apud Joannem legitur : Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Infideles ergo jam ante obitum suum sunt judicati.

Joann. III, 18.

Iterum, multi Sanctorum suscitaverunt defunctos, etiam eos qui in mortalibus obierunt peccatis, qui non fuerunt judicati in morte.

Imo doctor ille Parisiensis cujus damnationis occasione sanctus Ordo noster sumpsit exordium, primo die post obitum suum miraculose se erigens, perhibuit esse se accusatum, secundo die dixit se judicatum, tertio condemnatum. Non ergo videtur statim post mortem suam judicatus et condemnatus fuisse.

Consimilia multa possem objicere, sed ex horum (ut reor) solutione patebit ad illa responsio.

ARTICULUS VII.

Solutio instantiarum istarum.

Dionysius. — Ex caritativa et modesta disputatione veritas clarius innotescit :

ideo tua objecta sunt diligenter solvenda. Et quoniam ea quæ ex verbis B. Gregorii objecisti, duplicem includunt impugnationem, videlicet quod multi in fine vitæ suæ nequibant veniam obtinere, et item quod tales videntur ante suum obitum judicati : idcirco ad primum respondeo, quod tanta est pietas Dei, quod nulli facienti quod in se est, veniam negat aut gratiam ; sed ipse cordium est inspector, nec humanæ astutiæ verbis ex repentino aut vehementi timore prolatis decipi potest. Porro, ut Bonaventura super quartum fatetur, tunc dicitur homo facere quod in se est, quando toto posse suo detestatur peccata in quantum peccata sunt, utputa fœda et vilia, et contra justitiam offensivaque Dei (et hoc est detestari ac vitare peccata ex zelo quodam justitiæ et quodam Dei amore), et ultra hæc invocat Dei auxilium, ac ea quæ Deus requirit ab ipso, proponit implere. Qui autem ex solo servili timore detestatur peccata et pœnitet emendationemque spondet, is (quantum in se est) adhuc amat iniquitatem, nec ad bonum honestum afficitur neque ad Deum, sed solo horrore incommodi proprii incitatur ad pœnitendum : quod non est meritorium apud infallibilem Judicem, quoniam ex amore proprio et privato procedit. Nec dubites quin tales fuerunt de quibus ex Gregorio objecisti. Ad aliud dico, quod illi non fuerunt ante suum obitum judicati, quamvis quædam signa suæ instantis dijudicationis, vel ob eorum commonitionem, vel ad nostram præmonitionem, apparuerunt eis. Is quoque qui dixit, Draconi datus sum ad devorandum, ita putavit, non tamen sic fuit. Nam et paulo post vere pœnituit.

Prov. XXIV, 12.

Ad id quod ex Climaco objecisti, arbitror respondendum, quod secreta dispensatione Omnipotentis et ex specialibus causis Altissimo notis, anachoreta ille ante obitum suum sic fuit exactus reddere rationem, et accusantibus eum dæmonibus ita respondit, ut etiam sancti viri humilient se et divinum formident judicium, et ut

A agnoscamus quam metuenda et districta sint Dei judicia in obitu singulorum. Climacus tamen non refert quod anachoreta ille accepit divinam sententiam ante animæ suæ de corpore egressionem. Et dato quod ante egressionem acceperit eam, hoc tamen prædictis non obviat : quia intelligenda sic sunt, quod de lege communi fertur judicium post animarum egressionem ; omnipotens autem et superbeatissimus Deus nulla lege arctatur. Certum est etiam, quod multis electis et Sanctis revelata fuit divinitus futura eorum salvatio, antequam exierunt de corpore : quod fuit ex gratia speciali. Nam et divino ac sancto Dionysio in carcere clauso apparuit Christus, dansque electo illi proprium corpus : Accipe (inquit) hoc, o care meus, quia merces tua apud me magna est nimis. Denique, S. Martinus adstanti dixit diabolo : Recede a me, funeste, nihil in me reperies ; Abrahæ me sinus suscipiet. Conformiter sanctus pater noster Hugo, Lincolniensis episcopus, positus in extremis, disseruit : Non erit judicii, sed refrigerii dies, quum defunctus fuero ego.

Ad illud quod de Esau objecisti, dicendum quod verba Apostoli intelliguntur ad litteram quantum ad hoc, quod Esau non invenit pœnitentiæ locum ita ut posset recuperare jus primogenituræ quam vendidit fratri suo : si tamen postea pœnituit vere de suis peccatis, veniam est adeptus. Communiter tamen tenetur, quod ad finalem pœnitentiam non pervenit. Lacrimæ quoque ipsius non fluxerunt ex vera contritione, sed magis ex impatientia et indignatione adversus Jacob, ut Haymo scribit, vel ex dolore amissionis paternæ benedictionis quantum ad temporalem prosperitatem, quam magis quam æternam felicitatem amavit. — Similiter ad instantiam illam de Antiocho factam, dicendum quod callidissimus ac sceleratissimus ille ex præsenti dolore sibi inflicto et timore majoris supplicii, atque ex desiderio recuperandæ incolumitatis, non aliquo justitiæ zelo aut virtutum amore, pœnituit. —

Idem dicendum ad verba Salomonis quæ A tetigisti.

Ad ea quæ de prænuntiatione facta Pharaoni adducta sunt, respondet Guillelmus Antisiodorensis in secunda parte Summæ suæ, quod dum Deus alicui prædicit suam culpam aut condemnationem, intelligendum est dictum hoc esse sub conditione, videlicet nisi pœnituerit aut caverit sibi. Nec Deus hoc prædicit ad certificandum aliquem de sua culpa aut condemnatione, quia sic ei præcluderet viam salutis. — Per quod patet responsio ad objecta de sa- B cratissimo Petro et nequissimo Juda.

Ad id quod tactum est, quod non credentes jam judicati sunt, respondetur verba illa sic esse intelligenda, quod sententia de eis in communi nunc data est et sub conditione, videlicet nisi convertantur ad fidem, et quoniam habent in se manifestam causam damnationis, quum sint absque fidei fundamento, nec aliquid boni meritorii habeant sibi admixtum, unde nec judicio disceptationis sunt judicandi. Verumtamen loquendo de judicio retribu- C tionis, judicantur sigillatim in morte quantum ad animam; generaliter quoque in die novissimo, quoad corpus et animam. Nam et Deus justus ac sanctus præfigit eis mensuram pœnarum juxta mensuram exigentiamque culparum : non enim omnes æque iniqui sunt. Itaque et eis ad memoriam revocantur ac desuper ostenduntur universa eorum peccata, ut sciant se juste damnari, nec rationabiliter conqueri queant.

Præterea, ad id quod objecisti de resu- D scitatis, concorditer dicunt doctores, quod in mortali culpa defuncti et resuscitati, non fuerunt a Judice summo omnia præsciente finali sententia condemnati, sed præscius futurorum Omnipotens, ob id quod scivit futurum, suspendit ac distulit eorum finale et absolutum judicium : interim tamen fuerunt adjudicati tormentis ad tempus.

Ad ultimum respondendum, quod quamvis ille defunctus vicibus interpolatis apparuit et narravit se esse accusatum, judicatum et condemnatum, tamen omnia illa potuerunt simul esse peracta. Tribus quippe apparuit vicibus, ut plures confluerent, et miraculum tanto celebrius redderetur ac fructus copiosior sequeretur. Vel Deus dispensatione speciali ac rationabili suspendit damnationis illius judicialem sententiam ob causas prætactas. Quamvis enim de lege communi fiat singulorum particulare judicium statim (ut dictum est) post art. III. animarum a corpore exitum, nihilo minus certis ex causis potest Omnipotens aliter agere de quibusdam, differendo de eis sententiam.

Frater. — Non solum ad objecta lucide ac rationabiliter respondisti, sed etiam ex jam prætactis adverto quid de infidelium generali ac particulari judicio sit tenendum. Attamen opto agnoscere an etiam angeli sancti adstent infidelium animabus dum judicantur. Et videtur quod non, quoniam animæ illæ nil boni deferunt secum, nec possunt juvari. Nam et Apostolus loquitur : Omne quod non est ex fide, peccatum est. *Rom.* XIV, 23.

Dionysius. — Apud Danielem legitur quemadmodum Gabriel angelus dixit ad Danielem : Princeps Persarum restitit mihi viginti et uno diebus. *Dan.* X, 13. Quod S. Gregorius et Thomas ac alii multi exponunt de angelo sancto qui præfuit toti genti Persarum : qui angelus fuit de tertio ordine, utputa Principatuum choro, sicut et Michael, *Ibid.* XII, 1. qui præfuit tunc Synagogæ. Quemadmodum ergo angelus ille coram Deo defendit pro posse causam plebis Persarum sibi commissæ, quamvis gens illa fuit idololatra ; sic forsan quis opinari potest quod angeli sancti custodes infidelium singulorum comitentur animas sibi commissas usque ad Dei judicium, quatenus a dæmonum accusatione eas quantum queant relevent vel excusent, et bona ex genere quæ egerunt in corpore, pro ipsis allegent. Quamvis etenim infideles nil meritorii operentur, agunt tamen aliqua bona ex genere, præsertim qui unius veri Dei

qualescumque exstant cultores, ut subveniendo pauperibus, honorando parentes, Deum laudando; et talia forsan valent eis, ex infinita misericordia Dei, ad suarum minorationem aut mitigationem pœnarum. Verumtamen quidquid agunt propter finem quem in sua perfidia præstolantur, peccatum censetur : ut si Sarracenus eleemosynam largiatur quatenus tandem in paradiso terrestri carnis voluptatibus perfruatur, prout in Alcorano promittitur. Hinc quod ait Apostolus, Omne quod non est ex fide, peccatum est, ita exponitur : B Omne quod est contrarium fidei, culpa est.

Frater. — Verbum illud ex Daniele jam allegatum, Princeps Persarum restitit mihi, putabam de angelo malo seu dæmone intelligendum. Quomodo enim inter sanctos angelos potest pugna aut resistentia
Job xxv, 2. esse, quum scriptum sit, Potestas et terror apud Deum est, qui facit concordiam in sublimibus suis?

Dionysius. — Quamvis quæstio ista non multum sit speculationis præsentis, tamen C breviter respondebo. Atque id fateor, quod et S. Hieronymus super Danielem auctoritatem illam exponit de angelo malo, opinative tamen et sobrie, non assertive. Aptius tamen videtur exponenda de angelo bono : quoniam angelus ille non potuisset tot diebus resistere Gabrieli, nisi justam causam aliquam habuisset; et si justam habuit causam, potuit resistentia illa fieri per angelum bonum. Itaque, juxta expo-
Rom. xi, 33. sitionem Gregorii, quum imperscrutabilia sint divina judicia, eorum profunditatem D non intelligunt angeli sancti, nisi in quantum eis divinitus revelatur : idcirco non semper agnoscunt quid unicuique plebi aut homini debeatur secundum dispositionem atque judicium Dei, quousque eis desuper reveletur. In diversis autem gentibus sæpe sunt diversa merita et demerita, propter quæ una debeat alteri subdi vel ab ejus dominio liberari. Quilibet vero angelus merita plebis deputatæ suæ custodiæ ad divinæ justitiæ examen ac judi- A cium refert. Sicque angelorum sanctorum mutua pugna nil aliud est nisi relationes et allegationes contrariorum meritorum plebium eis creditarum, dum unus angelus sanctus allegat pro plebe sua aliqua bona, et angelus alius pro gente sibi commissa allegat meliora quæ potest. Nihilo minus inter angelos sanctos vera concordia est, nulla dissensio : quoniam Dei sententiam unanimiter præstolantur, et quidquid judicaverit Deus, concorditer volunt et approbant.

Frater. — An sicut quilibet homo habet duos angelos, unum in custodem, alium in tentatorem, sic quælibet gens habeat angelum unum bonum pro communi custode, et alium malum pro generali impugnatore?

Dionysius. — Hoc ex verbis Hieronymi, Bedæ, Alberti, Thomæ et aliorum manifeste habetur; sed non nimium evagemur.

ARTICULUS VIII.

Responsio ad auctoritates quibus aliqui probare conati sunt, quod animæ judicentur a Christo antequam egrediantur a corpore.

Frater. — Quia hucusque probasti quod animæ judicantur finita hac vita, restat ut ad auctoritates alterius positionis respon- art. II.
deas.

Dionysius. — Ad primam illam auctoritatem, Videbunt in quem pupugerunt, dicendum quod ad litteram loquitur de Judæis qui Christi crucifixionem procuraverunt, et de Pilato ac ejus ministris qui impleverunt. Unde ad hunc sensum allegatur ista auctoritas a Joanne, qui dicit : Videbunt in quem transfixerunt. Similiter *Joann.* xix, 37.
in Apocalypsi, ubi legitur : Videbit eum *Apoc.* i, 7.
omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Sicque Augustinus, Beda, Albertus et alii eam exponunt. Loquitur quoque auctoritas ista ad litteram de finali et generali judicio. Siquidem in Apocalypsi immediate ante hæc verba præmittitur : Ecce venit *Ibidem.*

cum nubibus. Et hoc dicunt ibi expositores. Sumpta est quoque ista auctoritas ex Zacharia propheta, ubi legitur : Adspicient ad me, quem confixerunt. *Zach.* XII, 10.

I Thess. III, 13. Secunda auctoritas, utputa, Usque ad diem adventus Domini nostri Jesu Christi, habetur in prima ad Thessalonicenses, et in Glossa exponitur, Usque ad finem vitæ præsentis. Sic etiam Gorra exponit. Verumtamen confitendum est, quod Christus veniat ad quemlibet morientem : non quod ad singulos personaliter veniat et descendat, sed per effectum suæ pietatis seu B æquitatis venire asseritur, visitando atque judicium exercendo, quemadmodum in Apocalypsi comminatur quibusdam : Alio- *Apoc.* III, 3. qui veniam ad te tanquam fur; et, Veniam *Ibid.* II, 16. tibi cito. — Sic etiam potest exponi quod dixit Dominus de Joanne : Sic eum volo manere, *Joann.* XXI, 22. id est in hac vita exspectare ac perseverare, et in vita contemplativa quiescere, donec veniam tempore mortis suæ, eum ad me gratiose vocando et assumendo. Denique, quamvis Christus visibiliter apparuerit Joanni apostolo, et eum de beatitu- C dine sua assecuraverit ante obitum ejus, ex hoc non sequitur quod aliis omnibus ita appareat : quia, ut S. Augustinus exponit, quod Christus voluit Joannem ita manere donec veniret, fuit privilegium speciale. Privilegium autem dicitur quasi lex privata, ut Gratianus fatetur. Idcirco ex hoc non sequitur lex communis.

ARTICULUS IX.

Declaratio ex Revelationibus S. Brigittæ viduæ, quod animæ judicantur post egressum a suis corporibus.

Dionysius. — Libri quarti capitulo septimo cœlestium Revelationum Brigittæ sanctæ, narratur qualiter in imaginaria apparitione videbatur ipsi Brigittæ in oratione vigilanti, non dormienti, quod dæmon clamavit ad Judicem summum, de anima cujusdam peccatoris adhuc in corpore exsistente et protinus exitura : O Judex, adjudica mihi hanc animam, et audi ope- A ra ejus : modicum enim restat de vita ipsius in corpore. Permitte etiam mihi punire corpus cum anima, donec ab invicem separentur. Ad quod angelus bonus, animæ custos, respondit : Misericordia Dei quamlibet animam sequitur usque ad mortem et usque ad ultimum punctum vitæ, et postea fit judicium. In isto autem adhuc conjuncta sunt corpus et anima, et manet discretio. Deinde in visione illa describitur qualiter anima illa, precibus Virginis gloriosæ et amicorum Dei, accepit a B Deo gratiam veræ contritionis ante suam a corpore egressionem. Propter quod angelus sanctus dixit ad Brigittam : Tu prius audisti, quod propter preces amicorum Dei illa obtinuit veram contritionem ex caritate modicum ante mortem : quæ contritio separavit eam ab inferno. Ideo post mortem judicavit justitia quod ardere debeat in purgatorio. Multa alia in visione hac describuntur, sed ex his patet propositum.

Præterea, in alia visione in eodem legi- C tur libro quemadmodum de anima coram cap. 51. Deo gravissime accusata angelus ejus dixit : Audi, o Judex qui omnia nosti, audi ultimam cogitationem et affectionem quam anima ista habebat in corpore. Ipsa quippe in ultimo puncto sic cogitavit : O si Deus vellet mihi dare spatium vitæ, vellem utique libenter emendare mea peccata, omnique tempore vitæ meæ Deo servire, nec eum unquam offendere. Memento etiam, Domine judex, quod persona ista non vixit tam diu quod obtineret plene D intelligibilem conscientiam. Ideo juventutem ejus attende, et facito misericordiam. Tunc responsum est de libro justitiæ : Talibus cogitationibus in fine non debetur infernus. Et ait tunc Judex : Propter passionem meam aperietur huic animæ cœlum, quum fuerit sufficienter purgata.

Insuper, septimo libro Revelationum cap. 13. beatæ viduæ Brigittæ recitatur diffuse qualiter beatissima Virgo animam Caroli militis, filii S. Brigittæ, de corpore exeuntem defendit, atque ad obtinendum æternam

felicitatem adjuvit. In qua visione misericordissima Virgo inter cetera ait : Statim dum egressa fuit a corpore anima, accepi eam in meam custodiam. Deinde dixit ad Brigittam : Qualiter post mortem ipsius Caroli filii tui factum est judicium animæ ejus, ostendetur tibi quum mihi placuerit. Porro diabolus adversus sacratissimam Virginem exclamavit : Ego, o Judex, coram te conqueror quod mulier ista, quæ est Mater tua, fecit mihi injustitiam de anima ista. Nam ego secundum justitiam, postquam egressa fuit de corpore, debui mihi eam assumere et ante tuum judicium præsentare.

Amplius, sexto Revelationum illarum
cap. 39. libro describitur qualiter dæmon animam cujusdam defuncti coram Deo acerrime accusavit, quia putavit eam in mortali peccato emigrasse de corpore suo. Virgo autem dulcissima gratiose accedens atque subveniens, dixit iniquo : Præcipio tibi, diabole, ut mihi respondeas, quoniam Domina tua sum. Dic mihi, scis tu universas hominis cogitationes ? Et respondente illo quod non, benignissima Virgo ostendit quod anima illa in fine vitæ suæ vehementer pœnituit ; quod item nullus est tam immundus peccator, aut tam aversus a Deo, quod non possit pœnitere et veniam consequi quamdiu vivit in mundo.

Ex quibus omnibus multisque aliis visionibus, verbis ac revelationibus in præallegato libro descriptis, monstratur quod animæ post recessum a corpore judicantur, et quod judicia talia fiunt invisibiliter in momento, quamvis per corporalia prolixe ac similitudinarie exprimantur ac revelentur, quoniam aliter ab hominibus in carne degentibus nequeunt comprehendi.

ARTICULUS X.

Confirmatio prædictorum ex his quæ in libro de Obitu S. Hieronymi recitantur.

Dionysius. — Refert (ut creditur) S. Cyrillus Hierosolymitanus episcopus, quemadmodum defuncto glorioso Hieronymo,
A quædam inter Græcos orta sit hæresis, negans purgatorium esse, et asserens animas Sanctorum ac electorum ante futuram generalem resurrectionem non posse ad beatificam Deitatis pertingere visionem, nec animas impiorum interim sensibilem pati pœnam. Ad cujus impiissimæ hæresis exstinctionem S. Hieronymus tunc defunctus, procuravit a Christo tres mortuos suscitari : qui resuscitati, retulerunt universis qui aderant, supplicia purgatorii ac inferni atque sanctarum gaudia anima-
B rum. Quumque B. Cyrillus ad unum trium illorum acerbissime et inconsolabiliter lacrimantem venisset, interrogavit eumdem obnixe ut sibi referret quid circa se gestum exstitit hora mortis. At ille : Adveniente, inquit, exitus mei hora, tanta immundorum spirituum adfuit multitudo in loco quo jacui, ut præ multitudine dinumerari non possent : quorum forma erat talis, quod ea nil pœnalius, nil formidabilius potest excogitari. Potius namque quilibet hominum flammis ardentibus expo-
C neret se arsurum, quam ictu oculi potiretur visione formæ eorum. Tandem apparente glorioso Hieronymo aufugerunt, et jubente eodem anima mea recessit a corpore tam graviter et acerbe, quod certe quantæ fuerunt illæ angustiæ et pressuræ non caperet humana mens, nisi ut ego per experientiam didicisset. Itaque anima mea cum tam ineffabilibus pœnis atque doloribus separata, subito in ictu oculi fuit ante Dei judicantis præsentiam ineffabiliter deportata ; sed qualiter, non agnosco. Nec
D inde mireris : quia nunc carnis aggravor mole, tunc autem anima fuit sine carne. Universa et singula peccata nostra Judici clarissime patuerunt, imo et cunctis adstantibus. Dæmonum quoque adstitit multitudo accusans, locum, modum, tempus numerumque mearum declarans culparum, et contradicere non valebam. Heu ! quid dicam ? qualem præstolabor sententiam ? Quum igitur nil restaret nisi damnationis sententiam promulgari, gloriosus Hieronymus impetravit a Judice nostram

differri sententiam. Deinde me et duos A mecum resuscitatos assumens, ostendit nobis locum et beatitudinem animarum sanctarum ; deinde ad infernum et purgatorium nos deducens, non solum quæ ibi gerebantur ostendit, sed etiam voluit ut ea experiremur. Quibus peractis, jussit ut rediremus ad corpora, et ea quæ vidimus ac sustinuimus, aliis denuntiaremus : sicque animæ nostræ nostris corporibus subito sunt conjunctæ.

Insuper, inter miracula S. Hieronymi legitur, quod quidam Andreas nomine car- B dinalis, quum esset defunctus et Judici præsentatus, fuerat æternis suppliciis deputandus ob suam in vestimentis et cibis ac potibus superfluitatem, nisi gloriosus Hieronymus subvenisset, qui meritis suis ac precibus impetravit a Judice animam illius restitui corpori : sicque anima illa fuit in ictu oculi corpori restituta.

Præterea, in vita sancti narratur Martini, qualiter ipse magnus S. Martinus quemdam qui se ipsum suspenderat laqueo, suscitavit a mortuis, et alium quemdam C catechumenum qui nondum consecutus fuerat Baptismum. Qui resuscitatus, sæpius retulit qualiter anima sua a corpore separata, fuit a Judice locis tenebrosis adjudicata. Quo quum a malignis duceretur spiritibus, duo angeli Judici suggesserunt hunc esse pro quo sanctus oraret Martinus : quo audito, precibus tanti pontificis reddita est anima illa ad corpus.

Amplius, in vita Christinæ Mirabilis, Thom. Cantimpratensis. quam descripsit venerabilis vir qui et librum Apum composuit, ipsamet admira- D bilis virgo Christina narrat qualiter anima sua exuta a corpore ac Judici præsentata, fuit ab eo benigne recepta. Quumque et pœnas inferni purgatoriique vidisset, data est optio ei manere cum Christo, vel redire ad corpus et diversa pati supplicia pro liberatione animarum in purgatorio detentarum. Quæ quum ex ardentissima caritate et pietate petisset ad corpus reverti, repente revixit.

Et breviter, hujusmodi quasi innumerabilia leguntur miracula, in quibus resuscitati testati sunt se post recessum a corpore fuisse Judici præsentatos ac judicatos. Nec recolo me de aliquo resuscitato legisse quod dixerit se judicatum, anima sua adhuc in corpore exsistente.

Frater. — Sufficienter, ut reor, istud per exempla monstratum est. Precor autem ut exprimas quid æstimes sentiendum de hoc quod (ut prætactum est) Innocentius scribit in libro de Miseria conditionis art. II. humanæ, Christum in cruce positum unicuique fidelium apparere ante exitum animæ suæ de corpore, bonis ad consolationem, malis ad confusionem.

ARTICULUS XI.

An Christus quasi in cruce positus appareat singulis ante mortem.

Dionysius. — Quid necesse est incaute et temere definire quod absque periculo ignoratur ? Tamen, quoniam provide sciscitaris quid æstimem, non quid affirmem super hoc sentiendum, seu potius opinandum, tangam breviter quod occurrit. Porro quæ fidei sunt et naturalem rationem prorsus transcendunt, probari possunt vel per miracula, aut per Scripturas, seu per determinationem Ecclesiæ, deinde etiam per doctores authenticos, præsertim si communiter atque concorditer dicunt quid tale. Auctoritates vero ad hujus dicti probationem inductæ, satis sunt solutæ supra, articulo octavo, quo patuit quod auctoritates illæ a doctoribus ad litteram aliter exponuntur communiter. Dictum est quo- art. II. que, quod doctores et sancti Patres non videntur concurrere in hujus rei assertione seu opinione. Insuper, quum multi valde sint resuscitati a morte, qui et exposuerunt viventibus quæ eis in morte et ante et postea contigerunt, non tamen recolo me legisse aut audivisse de aliquo tali resuscitato, quod dixerit se habuisse talem Christi apparitionem tempore mortis. Sed non est ambigendum quin multi Sancti utriusque sexus, tam martyres quam

confessores, ex speciali beneficio pietatis divinæ et propter merita sua, Christum ante suum obitum conspexerunt : de quibus tamen non legitur quod apparuerit eis tanquam in cruce distentus. Denique, a sequentibus illam Innocentii positionem esset quærendum quali visione videant omnes Christum ante obitum suum, an scilicet visione corporali et exteriori, an visione imaginaria, an solum intellectuali. Et circa hoc multa occurrerent inquirenda, an etiam Christus in propria persona illis appareat, et qualiter species illa crucifixi exsistat in ipso, an ministerio angeli formetur in vi imaginativa hujusmodi forma Christi taliter repræsentativa. Verum de ista materia tutius arbitror pertransire, quam pro incertis certa inserere.

Frater. — Quia jam satis locutus es de particulari singulorum judicio, et ubi ac qualiter fiat, jam cupio ut respondere non abnuas ad dubitationes et quæstiones quæ mihi circa prætactam occurrunt materiam.

Dionysius. — Quantum Domino concedente potero, respondebo.

ARTICULUS XII.

Quod judicium tam particulare quàm generale sit valde formidandum.

Frater. — Utrum horum judiciorum duorum videatur magis horribile ac timendum, particularene an generale?

Dionysius. — De utroque verificatur
Hebr. x, 31. quod scribit Apostolus : Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Porro particulare judicium, quantum ad aliqua, potest horribilius reputari : tum quia propinquius imminet (unde et Jacobus ait
Jacob. v, 9. apostolus : Ecce Judex ante januam adsistit); tum quia pericula singularia ac propria solent amplius formidari quam generalia atque communia ; tum quoniam qui in particulari suo judicio sententiam damnationis evaserit, in judicio illo generali erit securus. Verumtamen absolute loquendo, videtur generale illud judicium formidabilius esse, ob multa quæ quisque A faciliter potest perpendere : quoniam coram universis rationalibus ac intellectualibus creaturis agetur, singulorumque vitia singulis innotescent, et tam Judex quam angeli tunc visibiliter apparebunt, stabitque mundus in igne conflagrationis, et reprobi, qui nunc quantum ad animam inferno adjudicantur, tunc quoad corpus et animam damnabuntur, tartareum quoque chaos patebit. Hinc sancti Patres de terribilitate illius judicii copiosius sunt locuti. Utrumque tamen ineffabiliter est terribile B ac pavendum. Primo, ex parte Judicis summi, cujus omnipotentiæ nullus potest resistere, cujus sapientiam nil valet latere, cujus justitia tunc flecti nequibit, qui et reprobis iratus ac terribilissimus apparebit. Secundo, ex parte judicandorum, qui comparatione Judicis tanti nullius exstant momenti, neque tunc poterunt appellare, nec ullo se modo poterunt excusare, imo et accusabuntur acerrime. Tertio, ex parte sententiæ, quæ impiis acutissima et pœnosissima erit. Quarto, ex C parte retributionis, quæ in generali judicio erit vel infernalis damnatio aut sempiterna salvatio. Quinto, ex parte circumadstantium ipsum judicium : quoniam particulare judicium in præsentia fit multorum, generale autem in conspectu universorum, elementis ardentibus, circumstantibus angelis, imo et omnibus Sanctis. Si metuendum est judicium creaturæ mortalis, quam expavendum est judicium Dei omnipotentis? Si sententia temporalis mortis est formidanda, quam formidolosa est D æternæ damnationis sententia? Si confusibile est et pœnale, coram paucis hominibus increpari et secretorum vitiorum denudationem audire : quam confusibilissimum pœnalissimumque consistet, coram universis et singulis angelis sanctis civibusque supernis atque dæmonibus ac cunctis hominibus manifestari de omni peccato, quantumlibet parvo et magno, fœdo et turpi, enormi ac erubescendo?

Frater. — Mirum quod ista non magis veremur.

DIONYSIUS. — Si ea debite et circumstantionaliter ac frequenter consideraremus, ea utique penetrativo horrore metueremus. Affectiones namque, ut timor, amor, spes, desiderium, ex prævia aliqua apprehensione cognitiva nascuntur, quum objectum appetitus sit bonum cognitum.

FRATER. — De terribilitate utriusque judicii plenius aliquid tange, si placet.

DIONYSIUS. — De terribilitate finalis judicii alibi satis multa legisti ac plurima aliunde audisti. Porro de horribilitate particularis judicii, de quo in isto opusculo principalis ac specialis est mentio, aliqua tangam.

FRATER. — Nihilo minus aliquid, precor, tange et de generalis terrore judicii, ut ea tanto tenacius commendem memoriæ, quanto specialius propter me aut mei occasione commemorantur.

DIONYSIUS. — Præter et ultra prætacta quæ illud judicium tam metuendissimum reddunt, id quoque nos debet inducere ad intensissimum ejus timorem, quod viri eximiæ sanctitatis, ut divinissimus Dionysius, gloriosus Hieronymus, illuminatus Gregorius, aliique innumerabiles viri virtutum, illud tam formidolose atque assidue expaverunt. Ait quippe Hieronymus : Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco. Sive etenim comedo, sive bibo, sive aliud aliquid facio, semper videtur mihi tuba illa terribilis insonare auribus meis : Surgite, mortui, venite ad judicium. Judicaturo equidem Domino, lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora feriet. Hinc quoque Gregorius : Præsentis (inquit) temporis ita est agenda lætitia, ut nunquam amaritudo sequentis judicii recedat a memoria. Sic
Job XXXI, 4. namque omnipotens Deus vias nostras considerat et cunctos gressus nostros dinumerat, ut nec minimæ cogitationes, nec minutissima verba quæ apud nos viluerunt, in ejus judicio indiscussa permaneant. Tunc plane, ut devotus et subtilis ille Anselmus ait, a dextris erunt peccata accusantia, a sinistris infinita dæmonum turba ; subtus horrendum chaos inferni, superius Judex iratus ; foris mundus ardens, intus conscientia urens. Ibi vix justus salvabitur. Heu ! miser peccator sic deprehensus quo fugiet ? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. I *Petr.* IV, 18.

Insuper, sanctus Dei propheta Daniel, quum angelum in forma quadam visibili conspexisset, ut ipsemet scribit, dixit : Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium, sed et halitus meus intercluditur, et emarcui. Si tantum perterritus, consternatus, dejectus fuit vir justus ex unius intuitu angeli apparentis in forma terribili, qualiter in die novissimo terrebuntur et affligentur reprobi et iniqui, tam innumerabilia angelorum millia intuendo, quæ eis in forma præmetuenda tunc apparebunt ? Tunc etenim non solum orbis terrarum, sed et politia tota cœlorum pugnabit pro suo Creatore contra insensatos ac reprobos. *Dan.* X, 16, 17, 8. *Sap.* V, 21.

FRATER. — Non inutiliter postulavi hæc tangi, quorum aliqua nondum consideravi. Nempe, si tam metuendus et afflictivus erit iniquis angelorum adspectus, quam intolerabile ipsis erit, Judicem ipsum, cui tam ingrati fuerunt, conspicere ? Sed et dæmonum, qui tunc, ut credo, visibiliter apparebunt, adspectus erit impiis inæstimabiliter gravis. Sed quum Joannes dicat apostolus, Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem : quomodo verum est quod viri in caritate tam eminenter perfecti, eatenus illud timuerunt judicium ? I *Joann.* IV, 18.

DIONYSIUS. — Quemadmodum perfecta caritas foras mittit et expellit timorem servilem, sic parit timorem filialem.

FRATER. — Timor filialis directe respicit malum culpæ, quemadmodum timor servilis malum pœnæ. Timor autem judicii est timor mali pœnalis, non mali culpabilis : filiali ergo timore non timuerunt illud judicium.

DIONYSIUS. — Sicut timor servilis directe et immediate concernit malum pœnale, id est supplicium, atque ex consequenti

et secundario malum culpæ, hoc est peccatum, in quantum pro peccato infligitur pœna : sic timor filialis directe et immediate concernit malum culpæ, quam fugit et abominatur ex divino amore, ne separetur a Deo ; ex consequenti autem et secundario potest respicere malum pœnæ, secundum quod pœna culpam concomitatur, nec simul cum plena Dilecti fruitiva et amorosa præsentia stare potest. Et quid miraris si viri perfecti in isto exsilio illud formident judicium, quum et tunc cœ-
Marc. XIII, 25. lorum Virtutes atque angelicæ Potestates movendæ sint, motu utique reverentialis timoris et admirationis cujusdam ingentis ? Merito igitur unus sanctorum locutus est Patrum : Si possibile esset animas exire de corpore præ timore, in Dei adventu omnis mundus moreretur præ formidine et horrore. Quale enim est cœlos scissos videre et Deum revelatum cum ira et indignatione, atque innumerabiles angelorum militias et totum simul genus humanum intendere ? Propter quod vivere sic debemus, tanquam de singulis motibus nostris rationem daturi.

Frater. — Copiose de isto disseruisti : tamen, si non gravat, expone qualiter cœli tunc scissi erunt.

Dionysius. — Non necesse est opinari quod cœli, qui eminent elementis, substantialiter tunc scindentur, sed secundum apparentiam quamdam, ita quod hiatus quidam et velut apertiones apparebunt in eis ex fulgureis quibusdam luminibus seu coruscationibus quæ erunt in cœlo aerio, quemadmodum et tempore fulgurationis aliqualiter cernimus. Nam et in Evangelio
Matth. III, 16. cœli leguntur Domino baptizato aperti.

Frater. — Jam juxta promissum, de terribilitate particularis judicii placeat loqui.

ARTICULUS XIII.

Quam metuendum sit particulare judicium.

art. præced. Dionysius. — Sicut jam tactum est, particulare uniuscujusque judicium ex multis
A causis redditur metuendum, sicut et universale judicium, et præsertim quoniam si in particulari judicio fuerimus deprehensi in peccato mortali, non solum tunc quantum ad animam adjudicabimur pœnis æternis, sed in finali quoque judicio quoad corpus et animam condemnabimur in æternum. Hinc sancti Patres ex consideratione sui particularis judicii proxime imminentis valde pertimuerunt. Unde et sanctus abbas Elias : Ego, inquit, tres res timeo : unam, quando egressura est anima
B mea de corpore ; secundam, quando occursurus sum Deo ; tertiam, quando de me proferetur sententia. Alius quoque senex locutus est Fratri : Vade et cogita sicut cogitant rei incarcerati. Ipsi enim interrogant homines : Ubi est judex ? quando veniet ? Et suarum exspectatione pœnarum lugent. Sic monachus debet semper sollicitus esse et animam suam objurgare, dicendo : Væ mihi, quomodo habeo stare ante tribunal Christi et actuum meorum reddere rationem ? Et alter : In omni (in-
C quit) re increpet homo animam suam, dicendo ad eam : Memor esto quia oportet te occurrere Deo. Sed et alius senex dixit : Flere semper debemus. Quum enim senex quidam obisset, atque post longam horam redisset ad se, interrogavimus eum : Quid vidisti ibi, Pater ? Respondit cum lacrimis : Audivi ibi lugubrem vocem incessanter dicentem : Væ mihi, væ mihi. Sic et nos dicere semper debemus. Præterea, Climacus refert de quodam sancto anachoreta, quod ex intenta atque assidua mortis Scal. parad. grad. VI.
D meditatione frequenter patiebatur mentis excessum, viribusque deficiens insensibilisque exsistens, fere absque flatu reportabatur a Fratribus qui eum inveniebant.

Frater. — Quum dicat Apostolus, Cupio *Philipp.* I, 23.
dissolvi et esse cum Christo ; itemque, Infelix ego homo, quis me liberabit de *Rom.* VII, 24.
corpore mortis hujus ? Psalmographus quoque, Sitivit anima mea ad Deum fortem, *Ps.* XLI, 3.
vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei ? et denuo, Heu mihi, quia *Ps.* CXIX, 5.
incolatus meus prolongatus est ; et, Educ, *Ps.* CXLI, 8.

Domine, de carcere animam meam ad con- A fitendum nomini tuo : constat quod perfectorum sit mortem potius desiderare quam formidare. Quomodo igitur sancti viri mortem taliter timuerunt?

Dionysius. — Naturale est homini mortem timere, quemadmodum naturale est vitam diligere ; sed vigor gratiæ caritatisque fervor ac futuræ prælibatio felicitatis, sic possunt augeri ac prædominari in homine, ut mortem tanquam hujus miseræ defectuosæque vitæ terminum atque futuræ beatitudinis januam optet. Verum, ut B

I *Cor.* VII, 7. loquitur Paulus apostolus, unusquisque suum donum habet ex Domino ; et unus electorum magis in hac, alter magis in illa abundat virtute et gratia. Propter quod de

Eccli. XLIV, 20. unoquoque Sancto cantatur : Non est inventus similis illi. Quidam ergo electi qui elegerunt coram Deo jugiter esse solliciti, timorati, custoditi, mortem quamplurimum timuerunt, non propter ipsam corporalem mortem principaliter aut dumtaxat, sed maxime propter particulare Dei judicium morti statim annexum, et propter pœnalia C

Eccle. IX, 1. quæ concomitantur, et quoniam certi non erant an amore digni invenirentur, et an cursum suum feliciter terminarent, et quia circa mortis articulum contingere solent tentationes gravissimæ. Nempe etsi, teste Philosopho, omnium terribilium terribilissimum est mors, loquendo de malis pœnalibus vitæ præsentis, nihilo minus prætacta horribilia morti annexa et eam concomitantia, omni morte corporali sunt ineffabiliter terribiliora. Unde et multi ex eo quod talia vel viderunt in spiritu et excessu, D aut sustinuerunt ad tempus, reversi ad se seu ad pristinam vitam, pœnitentiam egerunt mirabilem, et rigorosissime ac timoratissime deinceps vixerunt.

Frater. — De hoc aliqua refer exempla, quia exemplaris narratio magis solet ædificare, compungere atque accendere.

Scal. parad. grad. VI. Dionysius. — Recitat Climacus de solitario quodam eremita, qui juxta montem Sinai longo tempore negligentissime vixit : qui quodam tempore infirmatus extreme, migravit perfecte a corpore quasi per integram horam ; deinde reversus ad se, rogavit omnes qui adstabant recedere. Quo facto, januam cellulæ suæ obstruens, mansit intus per annos duodecim, cum nullo penitus colloquium habens, nec aliud quam panem gustans et aquam. Sedit autem stupens ad ea quæ vidit in ecstasi, morem suum de cetero nunquam mutans, et calidas lacrimas jugiter fundens. A quo, quum migraturus erat, adstantes hoc solum audierunt : Indulgete mihi, Fratres, nemo habens mortis memoriam poterit peccare. Ecce quam horribilia vidit in spiritu, qui repente tam extreme mutatus est! Insuper legitur de quodam Ordinis Cisterciensis converso, in quodam magno peccato defuncto, et precibus gloriosissimæ Virginis ad corpus reducto : qui resuscitatus, narravit se graviter coram Judice accusatum, et orante pro eo dulcissima Virgine, Judicem cum aliquibus contulisse secrete, quasi tractando quid de ipso esset agendum, seque interim tam vehementissime timuisse, quod si anima sua fuisset mons æreus, defluxisset et liquefactus fuisset præ immensitate sui terroris. Postremo, de beatissimis patribus Arsenio et Agathone in Vitaspatrum describitur, quod in extremis positi valde extimuerunt occulta et justa Dei judicia. Dixitque unus : Non confido in conspectu Dei, quoniam alia sunt judicia Dei et alia judicia hominum. Arsenius quoque a discipulis inquisitus, In veritate et tu, o Pater, formidas ? respondit : Timor qui nunc in me est, semper fuit in me ab ea hora qua monachus factus sum, et timeo valde.

Frater. — Si tales ac tanti sic timuerunt, quid restat nobis agendum ? Sed precor ut de suppliciis animarum post vitam hanc paulisper loquaris.

Dionysius. — De pœnis purgatorii et inferni tot alibi sæpe legisti, ut opus non sit hinc in isto tractare dialogo.

Frater. — Ex speciali causa istud desidero. Intendo equidem adhuc interrogare qualiter intelligenda sunt quædam quæ in

diversis visionibus, revelationibus et libellis, imo et libris, de hujusmodi pœnis leguntur : ad quorum ordinatam et fructuosam inquisitionem ex tuis responsionibus et doctrinis cupio pervenire.

ARTICULUS XIV.

De pœnis purgatorii.

Dionysius. — Ad tractandum utcumque de suppliciis purgatorii, primo commemoro quod Magister Sententiarum libro B quarto (dist. xx A.) ex verbis allegat Augustini dicentis : Prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis etsi æternus non sit, tamen miro modo est gravis : excellit enim omnem pœnam quam unquam passus sit aliquis in hac vita. Nunquam in carne inventa est tanta pœna, licet mirabilia passi sint tormenta martyres sancti, et multi nequiter iniqui magna nimis sustinuerint supplicia. Præterea, de purgatorii pœnis scribit Thomas C super quartum (dist. xxi, q. i, a. 1, q^cula^ iii.) : In purgatorio, inquiens, erit duplex pœna : videlicet damni, in quantum retardantur a visione divina ; alia sensus, in quantum ab igne corporali puniuntur. Et quantum ad utrumque minima pœna purgatorii excedit maximam vitæ præsentis pœnam. Quanto enim aliquid plus desideratur, tanto ejus absentia exstat molestior : et quia affectus quo desideratur summum bonum, post hanc vitam in animabus sanctis est intensior, quoniam corporis mole non retardatur, et etiam D quoniam tempus seu terminus fruendi summo bono jam advenisset nisi aliquid impediret ; ideo de tardatione maxime dolent. Similiter, quum dolor non sit læsio, sed læsionis sensus sive perceptio, tanto plus aliquis dolet de aliquo læsivo, quanto est magis læsivum seu sensitivum : propter quod læsiones quæ fiunt in locis maxime sensibilibus, maximum causant dolorem. Et quoniam corporis totus sensus fluit ab anima, ideo si in ipsam agat ani- A mam aliquid læsive, oportet de necessitate quod maxime affligatur. Hinc utraque pœna purgatorii omnem excedit pœnam vitæ præsentis.

Frater. — Circa hæc oritur mihi timor et quæstio multiplex.

Dionysius. — Timor iste est utilis ; sed quæstiones curiosæ compunctionem non fovent : ideo idiotæ et simplices ex suo salubri timore frequenter magis proficiunt quam qui circa singula quæstionibus implicantur. Sed quoniam quæstiones tuæ B non ex curiositate, sed ex caritate nascuntur, dubia tua, si placet, propone.

Frater. — Scientiam ad caritatem esse ordinandam novi ex eo quod in evangelio Joannis ait Salvator, loquens ad Patrem : Notum feci eis nomen tuum, ut dilectio tua in eis sit. (*Joann.* xvii, 26.) Fateor tamen quod circa quæstiones superflue occupari, devotionis sit impeditivum. Curiositas vero humana quæstionibus immoderate involvitur, sicut et Salomon contestatur : Deus fecit hominem ab initio rectum, et ipse se immiscuit (*Eccle.* vii, 30.) C quæstionibus infinitis. Quod si huic superfluitati vacavero, tuum erit me caritative dirigere.

Dionysius. — Audenter quidquid te movet propone.

Frater. — Primo oritur quæstio circa id quod asserit conscius secretorum Dei, unctissimus Augustinus, pœnam purgatorii omnem vitæ præsentis pœnam excedere. Quum enim sint multa peccata quibus in hac vita debetur minor pœna quam sunt quædam pœnæ vitæ præsentis, cur in pur- D gatorio debetur eis pœna tam grandis, omni pœna sæculi hujus intensior ? Hoc namque videtur divinæ contrariari justitiæ, quum in Deuteronomio scriptum sit : Secundum mensuram peccati erit et modus plagarum. (*Deut.* xxv, 2.) — Præterea, capere nequeo qualiter desiderium illud fruendi summo bono, propter dilationem et retardationem fruitionis illius pariat dolorem omni pœna seu dolore præsentis vitæ majorem. Quum enim in anima in purgatorio detenta maneat virtus patientiæ, potest de necessitate

facere virtutem, et dilationem illam æquanimiter ferre, nec tantum affligere semetipsam, desiderando quod ante tempus statutum adipisci non valet.

Deinde apparet quod immaterialis incorporalisque spiritus, scilicet anima a corpore separata, tam dire pati et affligi non possit ab igne illo corporeo, a quo (ni fallor) nec calefieri potest nec corporaliter transmutari, quum (juxta philosophorum et theologorum doctrinam) quidquid in aliquo recipitur, in eo recipiatur secundum modum ipsius recipientis : ideo quidquid talis spiritus ab igne recipit, immaterialiter ac spiritualiter videtur recipere. Insuper, in anima separata non est nec remanet tactus, nec aliquis sensus corporeus, quæ est potentia organica. Quomodo ergo a corporalibus rebus poterit lædi, affligi, sentire aut læsionem percipere ? Non videtur quod aliter quam spiritualiter et immaterialiter : quod non esset dolorosius omni doloroso sæculi hujus aut vitæ præsentis. Amplius, si anima separata ideo magis affligitur ab igne quam aliquis in hoc mundo, ob hoc quod ignis ille agit in animam ipsam, a qua profluunt omnes corporis sensus, consequens erit quod animæ in purgatorio exsistentes gravius affliguntur ab illo quam animæ in inferno post resurrectionem futuram : quia tunc animæ condemnatæ erunt corporibus reunitæ, sicque ignis ille non aget in animam immediate. Amplius, non videtur quod minima pœna purgatorii, loquendo de pœna sensus, major sit omni pœna vitæ præsentis, quum multæ sint minutissimæ culpæ, quibus non videtur tam intensa pœna deberi ; et item, quia secundum hoc, majores purgatorii pœnæ, quæ pro gravissimis sceleribus contritis, sed per satisfactionem non deletis, infliguntur, essent inæstimabiliter duræ et afflictivæ; et etiam quoniam pœnæ purgatorii paulatim (ut creditur) remittuntur ac minuuntur.

Dionysius. — Objectiones istæ, carissime Frater, difficiles sunt, et partim a doctoribus super quartum Sententiarum A moventur. Ideo in sequenti articulo ad eas pro viribus respondebo.

ARTICULUS XV.

Solutio objectionum præcedentis articuli.

Dionysius. — Ad id quod allegasti, quod secundum mensuram delicti erit et plagarum modus, dicendum quod verum est in eodem statu et ceteris paribus. Status autem animarum in purgatorio et inferno, B est alius a statu vitæ præsentis. Ideo peccata ibi gravius puniuntur quam hic : præsertim quoniam in punitione culparum Deus magis adspicit voluntatem patientis quam pœnam in se ; qui autem in hac vita pro suis peccatis pœnas assumunt ac sustinent, sponte et libere eas assumunt et sufferunt ; non sic in purgatorio. Hinc super quartum Sententiarum, distinctione vicesima, ait Bonaventura (et concordat dominus Alexander de Hales in Summma) : Duplex est pœna, videlicet as- (p. I, a. 1, q. II.) C sumpta et inflicta. In pœna assumpta non solum complacet Deo ordinatio pœnæ ad culpam, sed etiam ordo et rectitudo voluntatis pœnam assumentis. In pœna vero inflicta placet Deo ordo pœnæ ad culpam. Quoniam ergo pœna pœnitentium in præsenti est pœna assumpta, pœna autem exsistentium in purgatorio est pœna inflicta, quia in eis est tempus recipiendi, non promerendi ; ideo modica pœna in præsenti plus satisfacit, et de ea magis contenta est divina justitia quam de ma- D gna in futuro. Hinc quasi improportionaliter majorem exigit pœnam Deus in purgatorio quam in sæculo isto, ut suæ satisfiat justitiæ. Cujus exemplum accipi potest in materialibus debitis. Creditor namque magis acceptat unam marcam auri quam decem marcas argenti. Pœna autem hic sponte assumpta plus pretiosior est pœna purgatorii quam aurum argento.

Frater. — Placet responsio, et veritas ejus delectat ; sed dubitatio oriens auget et incitat ad quærendum. Videtur quippe

ex ista responsione, quod pœna purgatorii non sit voluntaria, sed coacta, et per consequens Deo non placita, nec satisfactoria. Quæritur ergo an sit voluntaria. Et videtur quod imo : quoniam exsistentes in purgatorio sine hujusmodi pœna nequeunt beatitudinem adipisci ; et rursus, quia in caritate consistunt et justi, nec Deo rebelles : idcirco quod Deus eis juste inflixit, voluntarie, non involuntarie patiuntur. Porro quod involuntaria sit, hinc apparet, quoniam cupiunt et precantur liberari ab ea.

Dionysius. — Ex præhabita responsione magis accendi debemus ad faciendum pœnitentiam in hac vita condignam et plene satisfactoriam, quam ad quærendum non necessaria ad salutem. Verumtamen quæstio tua est utilis. Ad quam breviter dico, quod pœna purgatorii dicitur voluntaria, non absolute, sed conditionate, quoniam aliter salvari non valent : quemadmodum æger vult incidi aut uri. Unde, secundum Alexandrum, et idem tangit Bonaventura
p.i,a.1,q.iii. super quartum, pœna dicitur voluntaria tribus modis. Primo, quia a voluntate imperante assumitur : et talis est pœna pœnitentialis. Secundo, quia a voluntate acceptante æquanimiter toleratur : ut est martyrum pœna, quæ in tantum placuit eis, quod ab ea erui noluerunt. Tertio, quia a voluntate tolerante suffertur : sicut dum cupiens sanitatem infirmatur, sustinet quidem infirmitatem tanquam pœnam divinitus inflictam, et tamen ab ea liberari procurat. Et talis est purgatorii pœna ; talisque pœna minus habet de ratione voluntarii quam prædictæ.

Frater. — Bona solutio. Responde ad alia.

Dionysius. — Ad id quod dicis comprehendere te non posse, qualiter desiderium seu dilatio beatificæ fruitionis gignat majorem pœnam in animabus purgatorio deputatis quam sit aliqua pœna sæculi hujus, respondeo tibi per verba Bonaventuræ, dicentis quod quum Magister in littera et multi Sancti affirment pœnam purgato- (Sent. IV, dist. xx A.)
A rii esse omni pœna hujus vitæ majorem, oportet nos ita tenere, etiam si non appareat nobis ratio ad hoc. In hujusmodi enim magis est adhærendum auctoritati quam rationi, quoniam totum illud est potius supra naturam et rationem quam secundum naturam et rationem. Verumtamen præallegatis verbis Thomæ, dicentis quod (art. præced.) desiderium illud propter dilationem atque carentiam beatificæ fruitionis inducat tam gravem dolorem et pœnam, doctores aliqui contradicunt, quemadmodum et ipse domi-
B nus Bonaventura, qui super quartum, distinctione vicesima, scribit : Aliqui volue- (p.i,a.1,q.ii.) runt assignare rationem partim naturalem et partim supernaturalem de acerbitate pœnæ purgatorii. Dixerunt namque quod animæ exutæ habent potentias suas expeditas, habentque naturale desiderium pertingendi ad summum bonum, ad quod creatæ sunt ; et ultra hoc gratia est in eis, quæ istud desiderium magis inclinat : idcirco, quum sitiant hoc ultimum bonum, et retrahantur ab eo quasi in carcere positæ, mo-
C dica pœna sensibilis cum ista tristitia est maxima eis ; et pro tanto dicunt purgatorii pœnam maximam esse. Nam sicut delectationes spirituales sunt multum intensæ et corporales excedunt, sic tristitia de absentia summi boni excedit omnem corporalem dolorem. His verbis addit Bonaventura : Sed certe nec ista ratio bene manuducit, si quis bene adspiciat. Primo, quoniam desiderium summi boni necessario habet adjunctam fruitionem quamdam et aliquam boni illius possessionem :
D ideo parit gaudium. Unde qui magis desiderat summum bonum, magis delectatur in eo : quia in hoc differt desiderium corporalium ac temporalium a desiderio spiritualium rerum, ut Augustinus ostendit in libro LXXXIII Quæstionum. Et hoc veritatem maxime habet, quum Deus per caritatem inhabitat animam. Imo secundum istam rationem pœna limbi maxima fuisset in patribus sanctis, in quo tamen creditur fuisse requies sancta, non pœnalis.

Frater. — Quid tibi circa ista probabilius esse videtur?

Dionysius. — Inter tantos judicare doctores non est meæ jam parvitatis : tamen quia interrogas quid mihi probabilius videatur, sine incauta assertione respondeo, quod positio Thomæ prætacta rationabilior esse apparet, quoniam et sacra Scriptura

Prov. XIII, 12.

in Proverbiis protestatur : Spes quæ differtur, affligit animam ; lignum vitæ desiderium veniens. Et experientia docet dilationem boni optati et ejus carentiam tanto esse pœnaliorem quanto bonum illud magis amatur. Inter ceteros quoque caritatis effectus sunt, vulnerare et languidum facere diligentem. Concedendum est etiam, quod in purgatorio exsistentes aliquo modo habeant summum bonum, utputa in spe. Unde et aliquam habent consolationem, in quantum certam spem obtinendi habent bonum tam infinitum. An tamen fruantur aliquo modo hoc bono per spem, fruendoque gaudeant actualiter in eodem, certum non reor. Forsitan enim magnitudo supplicii ita absorbet in eis rationem et voluntatem, quod a tali aliquantula fruitione et gaudio impediuntur, nisi fortassis aliquando habeant aliqua lucida intervalla.

Frater. — Si summi boni carentia et dilatio beatificæ fruitionis tanto plus affligit quanto bonum illud magis diligitur, sequi videbitur quod animæ in purgatorio exsistentes habeant pœnam damni tanto dolorosiorem quanto sunt magis perfectæ in caritate : sicque animæ meliores ibi plus affliguntur.

Dionysius. — Quantum est ex parte dilationis atque carentiæ et ex caritatis radice, posset sic esse ; sed aliunde creditur fieri recompensatio dolorisque hujus mitigatio in animabus in caritate perfectioribus, puta ex majori fiducia cito obtinendæ felicitatis, imo et felicitatis majoris, et forsan interdum ex qualicumque fruitione boni summe amati aliquantique gaudii consequentis.

Frater. — Quid dicis de animabus pa-

A trum sanctorum in limbo? An carentia beatificæ fruitionis fuit in eis pœnosa?

Dionysius. — Communiter dicunt doctores, quod in limbo patrum ante Christi descensum ad illum, non erat pœna sensus, sed pœna dumtaxat damni ex dilatione atque carentia gloriæ. Unde in tertia parte Summæ suæ, quæstione quinquagesima secunda, loquitur Thomas : Christus ad limbum patrum descendendo contulit eis quantum ad gloriæ adeptionem, et per

art. 5 ad 1um.

consequens solvit eorum dolorem quem

B patiebantur ex dilatione gloriæ, ex cujus tamen spe gaudium magnum habebant. Denique, Bonaventura super quartum, distinctione quadragesima quinta : Sancti patres, inquit, quia in superiori parte inferni erant et Dei visionem exspectabant, non solum in limbo, sed etiam in sinu Abrahæ dicuntur fuisse. Ille igitur locus patrum dicebatur infernus, et quia inferior et quia aliquo modo fuit locus miseriæ. Dicebatur etiam limbus, quoniam erat ibi pœna carentiæ ; sed sinus Abrahæ

a. 1, q. 1.

C vocabatur, quoniam ibi erat exspectatio gloriæ. His concordant scripta Petri de Tarantasia, Richardi de Mediavilla et Thomæ de Erfordia.

Frater. — Prædictis obviare videtur, quod in Zacharia fertur de Christo : Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Quod de eductione patrum ex limbo tu ipse super Zachariam exposuisti : ubi et per aquam refrigerium designatur. Non ergo erat ibi gaudium aliquod.

Zach. IX, 11.

D Dionysius. — Glossa ibidem aliquid plus inducit : Tu, inquiens, liberasti eos qui tenebantur vincti carceribus, ubi nulla misericordia eos refrigerabat. Verum ad hæc et similia est una, secundum S. Thomam, solutio : quia intelliguntur quantum ad refrigerium perfectæ liberationis, quam ante descensum Christi ad eos consequi non valebant. Porro per vectes seu carceres quibus sancti patres detinebantur inclusi, intelliguntur impedimenta quibus prohibebantur exire reatu originalis peccati.

Summ. th. 3a part. q. LII, a. 6 ad 2um.

Frater. — Cupio edoceri an pœna damni erat animabus patrum sanctorum in limbo tam pœnalis ut exsistentibus in purgatorio, in quibus, secundum B. Thomam, excedit omnem præsentis vitæ dolorem. Et videtur quod sic : imo apparet quod exstitit major in patribus sanctis, tum quoniam magis dispositi erant ad gloriam quam in purgatorio exsistentes, tum quoniam clarius consideraverunt quantum bonum esset beatifica illa fruitio, et quantum damnum ex ejus dilatione incurrebant.

Dionysius. — Non puto quod dilatio gloriæ fuit eis ita pœnosa ut exsistentibus in purgatorio pœna damni : quia non sustinebant dilationem gloriæ pro personali et propria culpa, sed reatu originalis peccati. Porro ad argumenta tua reor dicendum, sicut tactum est paulo ante, quod quamvis illa dilatio potuerit sanctis patribus esse valde pœnosa, quantum fuit ex parte carentiæ ac dilationis atque ex radice caritatis, tamen aliunde relevatio et recompensatio fuit ex consolatione et gaudio spei certissimæ liberationis, et quoniam Deum per fidem formatam et per donum sapientiæ aliquo modo contemplabantur, imo et per caritatem aliqualiter fruebantur. Omnipotens quoque, justus et pius Deus pœnam damni in diversis diversimode moderabatur, secundum quod diversimode erant dispositi per merita sive demerita. Etenim aliter erat et est pœna damni in condemnatis, aliter in parvulis in solo originali peccato defunctis, aliter in purgatorio, et tunc aliter in patrum sanctorum limbo.

Frater. — Istud optarem mihi clarius explanari, sed vereor te nimium fatigari. Nempe quum exsistentes in inferno nullatenus diligant Deum, sed maxime odiant, non video quod carentia visionis divinæ sit eis molesta : quia non cupiunt Deo uniri, nec eo frui, sed rebus caducis, in quarum affectione migraverunt a corpore.

Dionysius. — Subtiliter tangis ; sed breviter dico, quod quamvis non cupiant glo- A riam electorum per respectum ad Dei honorem ejusque laudem, attamen in quantum gloria illa esset eis accommoda atque a tantis miseriis ereptiva, sic gloriæ hujus carentia est eis pœnosa. Et ita non cupiunt Deo frui, sed uti : quemadmodum et hi qui diligunt Deum solum propter beneficia sua ; qui utique plus amant se ipsos quam Deum, cupiuntque se ipsis et rebus transitoriis frui, et per consequens Deo uti, quod est mere præposterum ac summa perversitas.

B Frater. — Placet responsio. Idcirco, si placet, ad residua responde objecta.

Dionysius. — Sequentium objectorum solutio præcipue stat in hoc, ut ostendatur qualiter animæ a corporibus separatæ et etiam dæmones pati valeant et affligi ab igne corporali. Et quia de hoc est præcipua difficultas, quæ paucis verbis expediri non potest, idcirco objectorum residuorum solutio in sequenti ponetur articulo.

C

ARTICULUS XVI.

Qualiter animæ separatæ ac dæmones possint affligi et torqueri ab igne corporeo.

Dionysius. — De hac difficultate scribit Magister Sententiarum libro quarto, distinctione quadragesima quarta. Et eadem distinctione super hac re multa scripserunt doctores, et longum est omnia recitare.

Porro Thomas recitat ibi diversas aliorum opiniones. Quidam namque dixerunt, (q. III, a. 3, q^cula III.) D quod hoc sit animæ separatæ affligi ab igne, quod videt ignem. Quod reprobatur : quoniam visio illa animæ separatæ est intellectualis ; quæ ut talis, non est ita afflictiva. Ideo alii posuerunt, quod anima talis patitur atque affligitur ab igne corporeo, in quantum apprehendit illum ut sibi nocivum. Sicque ex tali apprehensione afficitur timore et dolore, ut impleatur in animabus damnatis seu in purgatorio constitutis quod scriptum est : Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor. Istud (Ps. XIII, 5; LII, 6.)

rursus improbat Thomas : quoniam sic A non pateretur anima separata ab igne, sed a similitudine ignis quam concipit. Nec probabile est quod animæ ac dæmones ingenii subtilitate pollentes, putarent ignem illum esse eis nocivum, nisi sic esset in veritate, et nisi veraciter gravarentur ab eo. Hinc alii dicunt, quod ignis ille agit in spiritus incorporales, videlicet in animas atque dæmonia, non ut res naturæ, sed ut instrumentum divinæ justitiæ. Istud quoque asserit Thomas non esse sufficienter probatum : quoniam agens instrumentale B non agit in aliquid, nisi in quo habet etiam aliquam naturalem et propriam actionem, quemadmodum serra secando lignum introducit formam artificialem. Idcirco assignare oportet igni aliquam naturalem actionem in anima ad hoc quod agat in eam tanquam instrumentum divinæ justitiæ.

Consequenter ponit hic doctor modum sibi placentem, dicendo : Corpus in spiritum naturaliter agere non potest, nec ei aliquo modo obesse vel ipsum gravare, C nisi secundum quod corpori aliquo modo unitur. Spiritus autem corpori unitur dupliciter. Primo, ut forma materiæ, ut ex eis fiat unum simpliciter. Et hoc modo anima et dæmon non uniuntur corporeo igni. Secundo, sicut movens mobili, vel sicut locatum loco, eo modo quo incorporalia sunt in loco : incorporei enim spiritus sunt in loco definitive, quoniam ita sunt in loco uno, quod non in alio. Quamvis autem res corporea ex sua natura habeat quod spiritum incorporeum loco defi- D niat, non tamen habet ex sua natura quod spiritum incorporeum loco definitum detineat, ut ita illi loco alligetur, quod ad alia divertere nequeat, quum spiritus non sit naturaliter ita in loco, ut loco subdatur. Sed hoc superadditur igni corporeo, in quantum est instrumentum divinæ justitiæ, quod sic detinet spiritum, et ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab exsecutione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult et secundum quod vult. — Hæc Thomas : qui etiam in Summa contra gentiles, libro quarto, ponit cap. 90. hunc modum.

Sed contra hunc modum multa objici possunt. Primo, quoniam juxta istam positionem nequaquam videtur quod pœna sensus animarum separatarum in purgatorio vel inferno exsistentium excedat omnem pœnam vitæ præsentis. Nam spiritum detineri ab igne et ei esse alligatum, multo minor est pœna quam vere corporaliter cremari in medio ignis. Nam et ignis ratione sui caloris verissime perhibetur esse maxime activus et afflictivus. Denique, quamvis regis filio esset valde grave detineri in carcere, non tamen detentio illa esset ei ita pœnosa ut alteri cuicumque cremari et comburi in medio æstuantissimi ignis mundani. Amplius, crimina dæmonum, saltem pejorum, non sunt minora criminibus hominum : idcirco supplicia dæmonum etiam post diem judicii non erunt minora suppliciis hominum reproborum, qui tunc in corpore et anima punientur ab igne. Sed si tunc dæmones solum punientur ab igne tartareo per alligationem et detentionem præfatam, multo minor esset tunc pœna eorum quam hominum, qui tunc infernali incendio per caloris impressionem ineffabiliter torquebuntur. Præterea, secundum istam opinionem, spiritus incorporei multo gravius punirentur, si alligarentur et detinerentur infimo elemento, utputa terræ, et præsertim terræ lutosæ, fœtenti ac sordidæ : quoniam talis res corporalis et hujuscemodi locus esset eorum naturæ ac dignitati specificæ multo magis contrarius. Unde, ut refert Guillelmus Parisiensis in libro de Universo, quidam dixerunt dæmones quosdam nunc detineri cloacis et hujuscemodi impurissimis locis. Insuper ista positio non videtur consonare diversis ac plurimis visionibus ac revelationibus hominum devotorum atque sanctorum, qui dixerunt atque scripserunt se vidisse pœnas purgatorii ac inferni, et animas ibi vere realiter immutari, pati, affligi vehementissimo

ignis calore : imo multi a morte resuscitati, testati sunt se ita esse expertos, et quidam in spiritu multa talia se vidisse passosque esse asseruerunt. Infra quoque probabitur, quod ista positio non satis concordare videtur cum positione SS. Augustini et Gregorii, ac plurium aliorum. Adhuc autem, si non affligerentur animæ separatæ ac dæmones ab igne nisi per præfatam detentionem, possent ex assuefactione et diuturnitate pœnam hujusmodi maxime mitigare, faciendo de necessitate voluntatem quamdam patientiamque coactam : quemadmodum incarcerati scientes se non posse evadere, assumunt sibi patientiam quamdam.

Postremo, quod Thomas affirmat, agens instrumentale non agere aliquid virtute superioris agentis, nisi habeat aliquam naturalem et propriam actionem in illud, quamvis in naturalibus communiter ita sit, non tamen oportet sic esse in effectibus qui sunt super naturam, quales sunt punitiones spirituum ab igne materiali. Imo Deus altissimus, qui est super omnem legem naturæ, et super omnem ordinem universi, interdum ad ostendendam superliberrimam et illimitatissimam omnipotentiam suam, agit aliqua per ea quæ minime per naturam possunt cooperari ad illa, imo per ea quæ ex sua natura habent operari contrarium. Unde super illud Isaiæ, Jussit Isaias ut tollerent massam de ficis et cataplasmarent super vulnus Ezechiæ et sanaretur, dicunt communiter expositores, quod applicatio illa ficorum naturaliter erat contraria curationi vulneris Ezechiæ : ideo Deus per Isaiam jussit apponi tale emplastrum, quatenus curatio Ezechiæ miraculosior monstraretur. Nempe, ut ait Hieronymus, per vulnus Ezechiæ, Theodotion, Symmachus et Aquila intellexerunt regium morbum, alii apostema, quorum utrique contrariatur applicatio dulcium. Unde, secundum Hieronymum, ut sanatio Ezechiæ ostenderetur divinior, per res noxias atque adversas fertur collata. Itaque ad indagandum qualiter spiritus illi patiantur ab igne corporeo, non expedit nimis inniti naturali investigationi, quemadmodum nec in aliis multis quæ credimus.

Is. xxxviii, 21.

Frater. — Ut mihi apparet, ad devotionis et compunctionis profectum plus confert in his simpliciter credere, quam ea quæ fidei sunt, per rationem discutere : tamen quia materiam istam ingressi sumus, opto audire quid alii quoque doctores de hac ipsa scribant materia.

ARTICULUS XVII.

De alia quorumdam doctorum positione, circa modum quo incorporei spiritus affliguntur ab igne materiali.

Dionysius. — De hac re super quartum, distinctione quadragesima quarta, scribit Bonaventura : Aliqui sumere voluerunt modum actionis istius ex parte naturæ ipsius animæ. Et sumpserunt istud ex verbis Augustini duodecimo super Genesim, ubi ostendit quod anima pati potest, corpore non patiente, etiam acerbissimas passiones, quemadmodum probat ibi per exempla in somnis, et in ægritudine quadam vexationibusque quibusdam. Si ergo anima secum trahit affectiones et imagines corporales, et in illis atque per illas potuit pati in corpore, corpore non patiente, etiam ad ignis absentiam ; multo plus, quum separata fuerit a corpore, poterit pati per illas et in illis, igne purgatorii seu inferni præsente : quoniam, quamvis non sit ibi passio corporalis, est tamen passio ibi animalis seu spiritualis, quæ vera est passio et vera afflictio.

p. ii, a. 3, q. ii.

His verbis addit Bonaventura : Sed istud non videtur animæ fideli sufficere, quoniam credimus etiam dæmones, qui carent hujusmodi imaginationibus et affectionibus a corpore tractis, pati ab illo igne. Credimus etiam, quod pœna illa infernalis et etiam purgatorii sit per veram ignis actionem, non per phantasticam imaginationem. Amplius, si substantia spiritualis separata certa est quod ab igne lædi non

potest, ergo imaginatio illa ignis non generat A in ea terrorem, nisi aliud occurrat quam ipsius animæ natura aut dispositio ex corpore contracta. — Et ideo, quum non possit sufficiens ratio sumi ex parte divinæ justitiæ, quæ rationem nostram quietet, nec ex parte solius animæ, quæ fidei per omnia concordet; ideo ratio sumi potest adspiciendo ad utrumque.

Inter plures autem modos persuadendi iste videtur probabilior esse. Nam, secundum Augustinum quartodecimo de Civitate, dolor sive tristitia est dissensus ab B his rebus quæ nobis nolentibus accidunt. Ad hoc igitur quod dolor generetur in anima ab aliquo, duo concurrunt ex parte animæ patientis, videlicet perceptio ex parte cognitionis, et detestatio ex parte affectionis. Similiter duo requiruntur ex parte agentis : unum est, quod immutet animæ perceptionem ; aliud, quod violenter et inseparabiliter adhæreat contra repugnantiam voluntatis. Ex his quatuor duo sunt secundum ordinem naturæ, et duo secundum ordinem divinæ justitiæ. C Quod enim ignis immutet cognitionem animæ, et anima percipiat actionem et calorem ignis, hoc est de naturali potentia utriusque. Quod patet sic. Dum enim ignis agit in compositum ex anima et corpore, duplex ibi est passio : una naturalis, quæ est calefactio corporis; alia animalis, et hæc est immutatio sensus. Et prima est vera naturalisque passio, quoniam est ab igne tanquam a naturali agente ; secunda passio est ab anima se ipsam movente, et ab igne occasionem præbente, ut dicit Augustinus D sexto Musicæ. Quemadmodum ergo postquam separata est anima a corpore suo, corpus potest pati ab igne passione naturali, quoniam potest calefieri et inflammari, et hoc per naturalem potentiam utriusque ; sic spiritus separatus potest pati ab igne passione animali, et ab igne præsenti immutari naturali potentia ignis et animæ. Duo ergo sunt ibi per ordinem naturæ. Alia duo, per ordinem divinæ justitiæ. Quod enim ignis animæ indissolubiliter alligetur, et anima in eo recludatur tanquam in carcere, hoc est divinæ justitiæ, ad quam spectat malefactorem includere carceri. Quod item anima refugiat ignis calorem, qui ei per naturam nocere non potest, et trepidet timore ubi non *Ps.* XIII, 5. est timor, hoc est divinæ justitiæ, quæ facit trepidare peccatores, immittendo timorem et horrorem hujus rei qua secundum naturam sunt superiores. Et quamvis istud sit opus divinæ justitiæ, non tamen est contra ordinem naturæ, vel spiritum trepidare quod trepidandum non est, vel spiritum corpori alligari. — Hæc Bonaventura.

Cujus positio partim concordat cum præinducta Thomæ positione, et partim ab ea discordare videtur. Nempe cum Thoma dicit spiritus illos igni alligari et detineri in igne velut in carcere. Quod vero subjungit, eos trepidare ubi trepidandum non est, recedit a Thoma. Multaque alia in ista opinione tanguntur quæ impugnationibus patent. Nam quod ait animam movere se ipsam ad sentiendum, et ignem præbere occasionem, sic videtur sonare, quasi sensatio fieret non recipiendo, sed extra mittendo, et quasi sensus sit activa non passiva potentia : quod Platonicum est. Item quod dicit animam separatam pati ab igne passione animali, qua sensus immutatur a suo subjecto : non enim manent in anima separata vires organicæ aut sensus exteriores. Conformiter quod ait spiritus illos trepidare ubi non est timor, non apparet : nisi Deus intellectum illorum spirituum taliter hebetet et obscuret, ut naturam, proprietatem et vim ignis ignorent, qui multa valde altiora et subtiliora intelligunt. Denique, juxta istam opinionem non videtur posse defendi quod etiam post resurrectionem communem dæmones punirentur tam graviter ut homines reprobi, ut præcedenti tangebatur articulo : nam et ibi objecta, contra hanc quoque positionem militare videntur. Tantis tamen Doctoribus non est irreverenter aut temere contradicendum.

FRATER. — Quid de ista materia verius putas?

DIONYSIUS. — Ad hoc sine aliorum præjudicio in sequenti respondebo articulo.

ARTICULUS XVIII.

Quid verius videatur de modo quo animæ separatæ ac dæmones affliguntur ab igne materiali.

DIONYSIUS. — Ego firmissime atque simpliciter credo, teneo et affirmo, quod ignis ille purgatorii et inferni vere, realiter ac pœnalissime influat, agat et imprimat in animas separatas ac dæmones, immutando et affligendo eosdem suo calore ineffabiliter acrius ac pœnalius quam aliquis in hoc mundo affligi et immutari queat ab ignis calore. Verumtamen modum et qualitatem immutationis illius arbitror comprehendi non posse ab homine viatore, quoniam ignis ille non agit ut agens naturale, sed ut instrumentum divinæ Omnipotentis justitiæ. Et sicut omnipotens Deus supernaturaliter contulit materialibus ac sensibilibus rebus, utputa sacramentis, ut aquæ seu tinctioni in aqua, et unctioni ac sacramentalibus verbis, virtutem agendi salubriter in incorporeas animas adhuc in corpore exsistentes; sic supernaturaliter cruciat, affligit, immutat et urit animas separatas ac dæmones. Rursus, quemadmodum Creator benedictus et gloriosus dedit invisibilibus creaturis, ut angelis sanctis, imo et dæmonibus, virtutem naturaliter influendi ac imprimendi creaturis corporeis, et movendi, transmutandi, puniendi easdem; sic corporalibus ac sensibilibus rebus supernaturaliter dedit virtutem hanc immutandi affligendique animas separatas : quod et justo ac decentissimo egit judicio. Ex quo enim animæ pravæ ac dæmones peccando fecerunt se ipsos sensibilibus, corporalibus inanimatisque entibus viliores per culpam, justum est ut rebus hujusmodi subjiciantur per pœnam, detentionem et immutationem maxime afflictivam. Nam et hujusmodi afflictionibus ac passionibus vult Judex omnipotens spiritus pravos subdi et affici, quamvis ineffabili modo aliter sint in eis quam in rebus hujus mundi corporeis.

FRATER. — Hæc omnia, ut mihi videtur, catholice sonant; sed auctoritatibus Sanctorum et exemplis ea corrobora.

DIONYSIUS. — Quoniam diversi diversimode, imo et truncate ac incomplete verba allegant S. Gregorii, volo verba ejus integre commemorare, ut clarius pateat mens ipsius. Itaque quarto Dialogorum libro disseruit : Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem etiam igne teneatur corporeo? Ad quod Petrus (cum quo disputavit, sicut et ego tecum) respondit : In vivente quolibet idcirco incorporeus spiritus tenetur in corpore, quia vivificat corpus. Ad quod Gregorius : Si incorporeus spiritus in hoc teneri potest quod vivificat, cur non et ibi pœnaliter teneatur ubi mortificatur? Teneri autem spiritum per ignem dicimus, ut in tormento ignis sit videndo ac sentiendo : ignem namque eo ipso patitur quo videt, et quia concremari se adspicit, concrematur. Sicque fit ut res corporea incorpoream rem exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur: quamvis colligere ex dictis evangelicis valeamus, quod incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur. Veritatis etenim voce dives mortuus dicitur in inferno sepultus. Qui deprecatus est Abraham, dicens : Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Denique, Veritas in fine reprobis dicet : Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Si ergo diabolus ejusque angeli, quum sint incorporei, corporeo igne sunt cruciandi, quid mirum si et animæ antequam recipiant corpora, corporea tor-

Luc. XVI, 22. *Ibid.* 24. *Matth.* XXV, 41.

menta sentire cogantur? Ad hæc Petrus A ille respondit : Placet ratio, nec debet animus de hac quæstione ulterius dubitare.

Frater. — Quomodo ignis ille corporeus dicitur, quum aliqui Sancti videantur ambigere an corporeus incorporeusve exsistat, quemadmodum te legisse ac melius scire non dubito?

Dionysius. — Fateor doctorem egregium, beatissimum Augustinum, de his interdum inquisitive et quasi dubitative locutum. Nam et super Genesim ait : Spi- B ritualem arbitror ignem illum. Et iterum dicit : Cujusmodi sit ignis ille æternus arbitror scire neminem posse, nisi cui Spiritus divinus ostendit. In libris quoque de Civitate Dei, et super verba illa Apostoli,
I *Cor.* III, 12. Alii ædificant lignum, fœnum et stipulam, loquitur de his dubitative. Et rursus duodecimo super Genesim : Spiritualem, inquit, arbitror esse locum in quem anima defertur post mortem. Insuper Damascenus quarto libro : In fine, inquit, tradetur diabolus et dæmones, et homo ejus, vide- C licet Antichristus, et impii in ignem æternum, non materialem, qualis est qui apud nos est, sed qualem novit eum Deus. Verum, ut Bonaventura fatetur, ipse B. Au-
Sent. IV, dist. XLIV, p. II, a. 2, q. I. gustinus in suis sermonibus manifeste testatur ignem illum esse corporeum. Damascenus quoque non negat ignem illum esse materialem, sed dicit quod non sit taliter materialis ut ignis qui apud nos est; vel dicit eum esse immaterialem quantum ad suas proprietates. Verum, ut rursus scribit Bonaventura, talem dubitationem D de igne purgatorii ac inferni abstulerunt nobis posteriores sancti Doctores, ut Gregorius, cui Spiritus Sanctus multa revelavit, atque Isidorus in libro de Ordine creaturarum, ac alii Sancti, qui evidenter testati sunt ignem illum esse corporeum.

Frater. — Quum dives in inferno sepultus, non habuerit ibi linguam corpoream, nec Lazarus in limbo patrum digitum corporalem, videtur quod totum illud de flamma intinctioneque digiti et refrigeratione linguæ, sit spiritualiter intelligendum.

Dionysius. — Verum est verba illa de lingua et ejus refrigeratione intinctioneque extremitatis digiti in aquam, esse spiritualiter accipienda, prout super Lucam poteris invenire. Flamma tamen corporalis ibidem est : quæ qualiter agit in spiritum, jam audisti.

Frater. — Proposui quærere quid spiritualiter per divitis condemnati (seu potius suæ animæ) linguam, et quid per digitum extremitatemque digiti animæ Lazari, quid etiam per intinctionem ejus in aquam, sit intelligendum. Sed quia ad expositores super Lucam me remisisti, nunc ista interrogare non audeo : nam et super Lucam te ista exposuisse non ambigo. Sed precor ut ex aliorum quoque sanctorum Patrum doctrinis elucides qualiter incorporei spiritus affligantur ab igne corporeo.

ARTICULUS XIX.

Prosecutio declarationis qualiter animæ ac dæmones possint tam dire affligi a corporeo igne.

Dionysius. — Ad hujus rei veritatem declarandam, primo affirmo quod sanctus asserit Augustinus in quodam sermone : Ignis (inquiens) ille purgatorii durior est quam quidquid pœnarum in sæculo isto videre, sentire aut cogitare quis poterit; deinde quod quarto Sententiarum Magister dist. XLIV G. ex verbis sapientissimi Augustini allegat, dicentis : Quisque profiteri renuit animam posse habere similitudinem corporis corporaliumque membrorum, potest negare animam esse quæ videt in somnis se ambulare, sedere, vel huc illucque ferri volatu aut gressu : quod sine quadam corporis similitudine non fit. Proinde si hanc similitudinem et apud inferos gerit, non corporalem, sed corpori similem, potest et ibi sic pati. Insuper ad idem probandum

inducit Magister verba Juliani episcopi, qui verba Gregorii præcedenti articulo introducta, allegat in forma, et sequitur ea. Addit quoque Magister : In Cassiani etiam voluminibus legitur, quod animæ separatæ non sint otiosæ, neque nihil non sentiant, quum dives ille in inferno flamma cruciari se clamet. Unde probatur animas defunctorum non solum suis sensibus non privari, sed nec istis affectibus, scilicet spe, gaudio, tristitia, metu, carere. Hæc Magister.

Collation. Patr. collat. I, c. 14.

Frater. — Ex his non satis intelligo qualiter animæ separatæ ac dæmones affligantur ab igne corporeo, nisi forte ex quadam phantastica ignis apprehensione, et imaginatione rei læsivæ, a qua tamen nequeunt immutari, et magis a similitudine ignis quam ab igne.

Dionysius. — Ea quæ fidei sunt, rationem et comprehensionem transcendunt : nihilo minus per ea quæ naturaliter fiunt, aliqualiter declarantur. Si ergo anima adhuc exsistens in corpore, potest absque corporis passione tam horribiliter affligi in somno ex sola imaginatione et similitudine corporalium rerum : quanto magis per omnipotentiam Dei possunt animæ separatæ ac dæmones nunquam dormientes affligi et immutari ineffabiliterque puniri igne corporeo, ex ignis illius apprehensione, præsentia, impressione, per similitudines, species ac imaginationes ipsius, ita quod sicut spiritus illi vitiose ac turpiter in rebus caducis sunt delectati, sic juste et innaturaliter, violenter et supernaturaliter compellantur rerum corporearum ac vilium impressionibus atque punitionibus subjacere et affici ? Insuper, non obstante omni animæ rationalis simplicitate et incorporeitate, anima naturaliter efficitur intrinseca corporis forma, substantificans, essentians atque vivificans illud, et ex consequenti, passionibus afflictionibusque corporalibus communicans, subjacens et formata. Nonne ergo omnipotens Judex potest tam animas separatas quam dæmones taliter alligare et unire corporeo igni, ut vere subjaceant, afficiantur et torqueantur impressionibus ejus ?

Frater. — Quum nec in dæmonibus nec in animabus separatis consistant sensus interiores, qui sunt vires organicæ, inter quas sunt vis imaginativa ac memorativa : quomodo poterit in illis spiritibus esse imaginativa apprehensio seu imaginaria cognitio ignis et corporalium rerum ?

Dionysius. — Nonne supersimplicissimus et immaterialissimus Deus cognoscit universa hæc corporalia, deinde et angeli sancti, in quibus nequaquam est sensus interior aut imaginativa potentia ? Nonne etiam anima divitis condemnati posita in tormentis, recordabatur fratrum suorum ? *Luc.* XVI, 28.
Porro an et qualiter potentiæ sensitivæ exteriores et interiores maneant et consistant in anima separata, et qualiter non, specialis est difficultas, quæ a doctoribus super quartum Sententiarum determinatur. dist. XLIV.
Et circa hoc aliter senserunt Platonici, quos in hac parte Augustinus et alii quidam Catholici sequi videntur ; aliterque Peripatetici, quos doctores nostri communiter sunt secuti. Certum est autem quod potentiæ sensitivæ ad minus radicaliter et originaliter manent in anima separata. Verumtamen Augustinus in libro de Spiritu et anima dicit : Recedit anima a corpore, secum trahens sensum, imaginationem, rationem, intellectum, concupiscibilitatem et irascibilitatem. Et rursus : Anima, inquit, recedens a corpore, ex his (puta ex imaginatione, concupiscibilitate, irascibilitate) secundum merita aut demerita afficitur ad delectationem vel ad dolorem. Imo duodecimo super Genesim ait : Neque enim video cur habeat anima similitudinem corporis sui, dum jacente sine sensu corpore, non tamen penitus mortuo, videt talia qualia multi ex tali subductione ad se reversi aliis narraverunt, et non habeat similitudinem hanc, dum perfecta morte penitus de corpore exierit.

Frater. — Quum ista sint satis difficilia mihi, cupio de ista materia plenius per exempla certificari.

ARTICULUS XX.

Demonstratio per exempla quam acerbissime patiantur animæ defunctorum ab igne purgatorii et inferni.

Dionysius. — De hac re recitat multa exempla Gregorius Papa quarto Dialogorum, quæ te puto legisse, videlicet qualiter vir nomine Reparatus, eductus de corpore vidit rogum ingentem paratum, cui superimpositus fuit Tiburtius, presbyter lubricus, et igne supposito est crematus ; eademque hora obiit ille Tiburtius, cujus anima fuit incendio deputata. Alium quoque vidit rogum parari, cujus cacumen videbatur a terra usque ad cœlum extendi. Vidit autem rogos parari, non quod in inferno ignis construatur ex lignis, sed per ea ex quibus apud nos ignis nutritur ostensa sunt ei supplicia impiorum, ut ea viventibus per solita aptius recitaret.

Insuper, refert de quodam curiali repente defuncto, eo quod puellam quam de fonte levavit Baptismatis, violavit : de cujus sepulcro, cunctis cernentibus, diu flamma erupit, quousque omnia ejus ossa combussit, imo et totum ejus sepulcrum consumpsit. Quod, ut ait Gregorius, ideo fecit omnipotens Deus, ut ostenderet quid anima ejus pertulit in occulto, cujus corpus sic combustum est in sepulcro, atque ut hinc pensemus quid anima vivens ac sentiens pro suo patiatur excessu, cujus insensibilia ossa tanto sunt concremata supplicio.

Amplius, scribit de eremita monacho nomine Petro, qui antequam eremiticam vitam assumpsit, defunctus fuit, sed corpori protinus restitutus, testabatur se vidisse inferni supplicia, atque innumera loca pœnarum, quosdam quoque sæculi hujus potentes in eisdem flammis suspensos ; quumque et ipse jam demergendus esset in ignem, angelus mox apparens eripuit eum, et dixit : Egredere, et qualiter tibi deinceps vivendum sit, attende cautissime. Qui resuscitatus tantis deinde A vigiliis se jejuniisque constrinxit, ut eum inferni tormenta vidisse ac timuisse conversatio loqueretur, etiam si id lingua non fateretur.

Præterea recitat de milite nomine Stephano, qui defunctus jacuit inhumatus usque ad diem sequentem, et tunc resuscitatus, perhibuit se vidisse inferni supplicia, quæ non credidit prius audita. Refert quoque de alio milite educto de corpore, qui reductus ad corpus retulit se pontem vidisse, sub quo ponte decurrebat niger B caliginosusque fluvius, nebulam intolerabilis fœtoris exhalans. Transacto ponte, erant amœna atque virentia prata, odoriferis herbarum floribus decorata, in quibus dealbatorum hominum conventicula videbantur ; et tantus erat ibi odor suavitatis, quod universos illic habitantes ambulantesque satiavit. Ibi mansiones diversorum singulæ magnitudine lucis fuerunt plenæ. Ibi quoque ædificabatur domus miræ potentiæ, quæ aureis videbatur laterculis construi ; sed cujus esset, nequi- C vit agnosci. Erant etiam super ripam prædicti fluminis nonnulla habitacula, quorum aliqua ab exsurgente fœtoris nebula tangebantur, alia vero exsurgens fœtor non tangebat. Porro hæc erat in ponte illo probatio, ut quisque injustorum vellet per eum procedere, in tenebrosum et fœtidum flumen delaberetur ; justi vero quibus culpa non obstitit, securo per eum ac libero gressu ad prata amœna pertingerent. Ibi quoque vidisse se dixit Petrum quemdam ecclesiasticæ familiæ majorem, ante qua- D tuor annos defunctum, deorsum in locis illis teterrimis positum, magno pondere ferri religatum atque depressum, quoniam reos magis ex crudelitate quam ex obedientia et æquitate punivit. Asseruit item se vidisse in ponte illo Stephanum quemdam, quo volente transire per pontem, lapsus est pes ipsius, atque ex media corporis parte fuit extra pontem dejectus, et a quibusdam viris teterrimis ex flumine surgentibus, per coxas deorsum, et a quibusdam albatis ac speciosissimis viris cœ-

pit trahi per brachia sursum : per quod dabatur intelligi, quod in Stephano illo erant eleemosynarum largitio et carnis lascivia.

Frater. — Diu te de his recitantem libenter audivi, et quamvis circa narrata multæ mihi dubitationes et quæstiones occurrerent, has tamen proponere distuli, quia perpendi ex tua relatione mihi dari occasionem diligentissime inquirendi quod diu ac sæpe inquirere concupivi, utputa quid æstimes sentiendum de visionibus revelationibusque nonnullis, quibus quidam modicam adhibent fidem, quæ tamen ex præinducta Magni Gregorii relatione roborari videntur atque credibiles fieri.

Dionysius. — Quænam sunt visiones revelationesque illæ ?

Frater. — Visio Tondali, visio cujusdam monachi quæ Anglicana vocatur, visio facta de purgatorio Patritii, et visio Christinæ Mirabilis.

Dionysius. — Quid tibi in visionibus illis videtur amplius inquirendum, et mirum seu magis ambiguum ?

ARTICULUS XXI.

Quid sentiendum videatur de visione Tondali militis, et an visio illa facta sit anima Tondali exsistente in corpore, an eo veraciter mortuo.

Frater. — De visione Tondali prolixum est cuncta referre, et longa narratione molestare te vereor, quum in omnibus studeas brevitati. Verum aliqua compendiosius quo potero, enarrabo. Itaque, sicut is qui visionem illam descripsit, testatur, Tondalus miles Hiberniæ, post visionem suam reductus ad corpus, dixit : Quum anima mea corpus exueret, et illud mortuum esse cognosceret, conscia sibi de malo, cœpit timere, voluitque ad corpus redire, nec poterat illud intrare, sicque miserrima confidebat in sola Dei misericordia. Tandem vidit venire ad se tantam A multitudinem immundorum spirituum, ut non solum domum, sed et omnes vias ac plateas viderentur implere ; qui dentibus suis stridebant in eam, et unguibus propriis præ nimio furore laniabant genas teterrimas. Post hæc misit Deus angelum in occursum ipsius : quem videns anima mea a longe venientem, indesinenter eum adspexit. Qui dixit : Esto secura, quia non deerit tibi misericordia Dei, quia patieris pauca de pluribus quæ pati promeruisti ; sequere me, et quæcumque monstravero B tibi, memoriter retine, quia debes iterum ad corpus redire.

Quumque longius pergerent simul, tandem venerunt ad vallem valde terribilem, tenebrosam, profundam, ardentibus carbonibus plenam, habentem operculum ferreum sex cubitorum, quod nimium ardens, calore superabat carbones ; cujus fœtor animam præ omnibus quas sustinuit hucusque pœnis afflixit. Descendebat autem super ferream laminam illam multitudo miserrimarum animarum, et illic crema- C bantur donec omnino liquescerent, instar cremii in sartagine concremati ; et quod gravius est, per illam laminam colabantur, sicut colari solet cera per pannum, sicque in carbonibus ignis ardentibus renovabantur ad pœnas.

Deinde anima cum angelo venit ad quamdam incredibilis magnitudinis bestiam, cujus os videbatur posse capere novem millia hominum armatorum ; intra quam erant multa millia virorum ac mulierum, dira tormenta luentium. Tunc ange- D lo disparente, dæmones traxerunt animam in bestiæ ventrem, ubi ineffabilia toleravit tormenta : ferocitatem canum, ursorum, leonum, serpentium, et innumerabilium aliorum animalium monstruosorum ; dæmonum ictus, ardorem ignis, asperitatem frigoris, fœtorem sulfuris, caliginem oculorum, fluxum lacrimarum dentiumque stridorem, ita quod proprias genas præ dolore potuit lacerare.

Post hæc miro quo nescio modo eruta de bestia, quum longius debilis jaceret,

aperiens oculos, vidit angelum prope se A stantem, qui eam confortans, duxit ad stagnum amplum et tempestuosum, in quo erant terribiles bestiæ mugientes, nec aliud postulantes nisi animas devorare. Porro per lacum ejus erat pons longitudinis duorum milliarium, et latitudinis palmæ unius, cui inserta erat tabula clavis ferreis acutissimis plena, omnesque bestiæ conveniebant ad pontem sumere escas, utputa animas pertransire non valentes. Dixitque angelus animæ : Oportet te pontem istum transire, nec vacua ibis, sed vaccam indo- B mitam quam dum in corpore eras cum patre tuo furata fuisti, oportet te conducere, et illæsam mihi ultra pontem exhibere. Tunc anima ait : Quomodo ego miserrima potero transducere vaccam in tali periculo, ubi stare non possum omnino? Videns autem anima quod oporteret eam sic facere, cœpit reluctantem trahere vaccam, et cum ea ire per pontem. Et quum staret anima, cadebat vacca ; quum staret vacca, corruebat anima : sicque vice versa modo stabant, modo cadebant, quousque C venerunt ad medium pontis, ubi obviavit eis quidam furatos manipulos super se portans. Sicque animæ istæ rogabant se invicem ne una alteram a suo impediret itinere, et plantarum suarum sanguine pontem cruentabant. Tandem, nescientes qualiter, senserunt quod una aliam pertransisset. Quumque anima pontem transisset, vidit angelum suum, ostenditque ei pedes suos cruentatos.

Post hæc angelus duxit eam ad domum ignibus plenam, de qua exibat flamma per D mille passus comburens omnes animas quas invenit. Vidit autem anima ante domus portam stantes carnifices cum securibus, cultris, sarmentis falcibusque acutis, cum dolabris, terebris, vangis fossoriis, cum quibus poterant animas excoriare, decollare, scindere, detruncare ; et sub manibus illorum carnificum viderunt animas innumerabiles hæc omnia sustinentes. Tunc angelo permittente, dæmones animam rapuerunt, et præfatis instrumentis dissipaverunt, et dissipatam ac fractam tradiderunt incendio. Doloribus verendorum maxime torquebantur luxuriosi. Consequenter duxit angelus animam ad loca atque tormenta prædictis horribiliora, monstravitque ei infernum, et principem tenebrarum in horribilissima forma.

Tandem, quum anima vidisset et experta esset hujuscemodi pœnas, processit cum angelo, et vidit murum excelsum, intra quem erat plurima multitudo virorum ac mulierum, ventum ac pluviam, famem ac sitim sustinentium, et erant valde tristes. Et interrogante anima qui essent, angelus dixit : Isti sunt mali, sed non valde mali, qui in mundo se habuerunt honeste, sed bona temporalia non communicaverunt pauperibus quemadmodum debuerunt : ideo patiuntur has pœnas per aliquot annos, et tunc deducuntur ad requiem bonam.

Post hæc angelus et anima venerunt ad portam, quam ingressi, viderunt campum pulcherrimum, odoriferum, floribus consitum, lucidum et amœnum, in quo erat multitudo innumerabilis animarum virorum ac mulierum ; et nox ibi non erat, nec sol occumbebat ; et erat ibi fons aquæ vivæ. Interroganteque anima, Quarum animarum est requies ista ? angelus ait : Hic habitant boni, non valde boni, qui de suppliciis liberati, nondum merentur Sanctis conjungi. Et inde procedens anima, vidit laicos sibi notos.

Quumque angelus et anima processissent, viderunt murum nimis sublimem et præclarum ; et ingressis eis ibidem, vidit anima choros angelorum Deum laudantium, viros ac mulieres lætantes, pulcherrime vestitos ; et suavissimus odor exstitit ibi. Dixitque angelus : Ista sunt præmia conjugalium qui fidem conjugalem servantes, et suam familiam bene regentes, temporalia sua communicaverunt pauperibus et peregrinis atque Ecclesiis.

Quum ergo angelus et anima sic plurimos pertransissent, apparuit eis murus tam altus ut primus, de auro purissimo :

quo pertransito, apparuerunt sedilia de A
auro et gemmis constructa, pretiosissimis sericis cooperta, in quibus sedebant seniores viri et feminæ vestiti sericis et stolis albis et tiaris et universis ornatibus ; et splenduit facies uniuscujusque sicut sol in meridie, cecineruntque Deo dulcissime : Alleluia. Et angelus dixit : Isti sunt continentes, qui per aliquod tempus carnis debitum persolventes, reliquum vitæ in servitio Dei duxerunt, vel martyrium pa-
Galat. v, 24. tientes pro Christo, vel se ipsos cum vitiis et concupiscentiis crucifigentes. Verum B
dum anima curiosius conspiceret, vidit castra et papiliones ex purpura, bysso, argento, auro et serico mira varietate constructos, in quibus audivit quamplurimos omni musicorum genere suavissime concinentes, quorum beatitudo et gloria omnium præcedentium gloriam transcendebant. Dixitque angelus : Isti sunt monachi et moniales qui vere regulariter sub obedientia sancta vixerunt.

Post hæc viderunt murum altitudine, pulchritudine et splendore dissimilem aliis, C
ex omni lapide pretioso constructum, qui pro cæmento habuit aurum ; erantque in muro omnes lapides pretiosi. Conscenso itaque muro, viderunt novem ordines an-
II *Cor.* xii, 4. gelorum, et audierunt inenarrabilia verba, quæ nec potuerunt nec licet hominibus loqui. Ab illo igitur loco (mirabile dictu !) viderunt omnem gloriam ante visam et totum mundum quasi sub uno radio solis : stantes enim nec se gyrantes, cunctos ex eodem loco, et ante et retro positos cernebant. Non solum autem vi- D
sus, sed et scientia accessit insolita animæ illi, ut jam non egeret interrogatione, sed omnia nosceret integre. Qua exsultante et ibi manere sperante, angelus blande locutus est ei : Vidisti hæc omnia ? Ideo quæ vidisti memoriter retine, quoniam te ad
Tit. ii, 12 corpus redire oportet. Juste et sobrie amo-
II *Tim.* iv, 2. do vive ; argue, obsecra, increpa perversos et lascive viventes. Hoc audito, ingemuit anima, et corpus reinduere horruit : attamen eodem momento quo in cœlo loquebatur cum angelo, sensit se in terris induere corpus suum, et debiles aperiens oculos, circumstantes adspexit, et cuncta quæ vidit, narravit. Ista prout brevius potui ex visione præfata perstrinxi.

Dionysius. — Satis succinctim hæc, multis omissis, narrasti. Nunc, si placet, propone dubia quæ tibi circa hæc oriuntur.

ARTICULUS XXII.

Introductio dubiorum quæ circa hæc oriuntur.

Frater. — Primo me movet, an anima Tondali ista videndo fuerit realiter in corpore illud vivificando, an separata a corpore et substantialiter extra illud, ita quod corpus vere mortuum fuerit. Et quidem visionis hujus descriptor manifeste testatur et asserit, quod Tondalus per triduum quo anima ejus conspexit hæc, erat defunctus. Sed oppositum hujus videtur ex multis. Nam animæ separatæ non competit videre dæmones in forma corporali sensibili, neque localiter ambulare, nec pedes corporales qui sanguine cruententur habere. Nec realiter in inferno aut purgatorio sunt bestiæ ; nec animabus separatis competere potest excoriari, decollari, scindi, liquefieri aut secari. Nec in illis tormentis sunt canes, ursi, leones, serpentes, et similes feræ. Nec rursus anima separata potuit sic ducere realiter indomitam vaccam per pontem. Nec videtur quod ista possint animæ separatæ per formas imaginarias aut per similitudines corporales ostendi, quum in ea non maneant nisi potentiæ intellectuales : propter quod omnia jam prætacta aptius ostenderentur ei per intelligibiles species.

Præterea, secundum sanctorum Patrum doctrinam, omnes animæ sanctæ separatæ a corpore et sufficienter purgatæ in purgatorii igne, mox evolant in regnum cœleste ; et quamvis in inferno diversa genera sint pœnarum, in purgatorio tamen non est nisi supplicium ignis, loquendo de

pœna sensus. Dicunt item doctores, quod animæ in purgatorio non puniuntur per dæmones. Quomodo ergo quidam defuncti non sustinebant nisi ventum et pluvias, quod non videtur omnem hujus vitæ excedere pœnam? Et quomodo anima ista vidit defunctos puniri per dæmones, antequam ad inferni loca pervenit?

Insuper, secundum fidei veritatem, omnes Beati sunt in uno paradiso cœlesti, non in pratis virentibus; nec in regno cœlesti aut mansionibus Beatorum sunt muri aurei sive argentei, nec castra aut papiliones : ergo nullum horum ostensum est animæ huic secundum veritatem seu exsistentiam rei, sed solum per imaginariam repræsentationem; et ita videtur in tota hac visione fuisse in corpore, et rapta fuisse in spiritu, ac alienata prorsus ab omni actu atque officio exteriorum sensuum ac membrorum.

Postremo, quamvis angelici spiritus sint altioris naturæ et dignioris speciei quam animæ separatæ aut homines, nihilo minus ex electis et sanctis animabus ac angelis gloriosis constat una triumphans Ecclesia, ita quod ad singulos ordines angelorum aliquæ animæ sanctæ perveniunt, quemadmodum et ex singulis angelorum ordinibus aliqui corruisse creduntur. Quomodo ergo hæc anima vidit in loco altissimo, infra aureum murum novem choros angelorum, quasi ibi sint universi angeli gloriosi, et ipsi dumtaxat?

Porro, si anima ista videndo hæc omnia fuit realiter separata a corpore, atque localiter ducebatur, et universa prætacta veraciter vidit : precor ut mihi exponas quo et quali visu ac qualiter vidit hæc, et qualiter a dæmonibus trahebatur in bestiæ ventrem, et qualiter ivit per pontem; an etiam in re fuerunt aut sunt talia prata, castra, papiliones, muri ac musica instrumenta, et si non sunt, qualiter ostensa sunt animæ separatæ.

Dionysius. — Multa ardua et profunda compendiose sententioseque tetigisti; sed quia hæc eadem circa alias quoque visio-

A nes de quibus dixisti te velle inquirere, possunt moveri et objici, idcirco (si placet) de aliis etiam visionibus tange quæ movent te, ut ad omnia simul respondeatur.

ARTICULUS XXIII.

De quibusdam in visione monachi Anglicani contentis.

Frater. — Visio et revelatio illa Angli-
B cana de multiplici pœna purgatorii et inferni, videtur mihi per omnia visioni Tondali consonare. Nam et in visione hac Anglicana inter cetera continetur quemadmodum Frater devotissimus cui revelatio illa est facta, dixit sibi apparuisse sanctum et venerabilem senem, videlicet beatissimum Nicolaum, qui apprehensa dextera Fratris ait : Sequere me. Statimque Frater fuit in ecstasi mentis, in qua a nocte Cœnæ Domini usque ad Vesperas sabbati Paschæ permansit, omnium exte-
C riorum sensuum ac membrorum orbatus officio. Et reversus ad se in die Paschæ post prandium, ad importunam, affectuosam, humillimam Fratrum instantiam dixit :

Ibamus senex ille et ego simul, quousque pervenimus in regionem spatiosam, horrendam, in qua vidimus multitudinem infinitam, variis et inenarrabilibus immanitatibus suppliciorum expositam : et tamen omnes in spe futuræ liberationis aliqualiter respirabant, quia non erant damnati. Gemebant, flebant, et pœnis ur-
D gentibus ejulabant. Quorum quidam repente exsilire conantes mox ab emergente flamma involvebantur, ac dire conflagrati occurrentibus et resistentibus tortoribus cum flagris atque tridentibus ac vario suppliciorum apparatu relabebantur in pœnas. Nihilo minus sic exusti, cæsi, discerpti, sic frigore glaciali contracti, paulatim ad tolerabiliora pergebant tormenta. Infinitæ erant ibi species tormentorum : hi ad ignem torrebantur, hi in sartagine frigebantur; hos ignei ungues usque ad ossa et

solutionem compagum radendo sulcabant; alios balnea confecta ex pice et sulfure, ære et plumbo resolutis calore, cum fœtore excoquebant horrendo ; alios vermes monstruosi cum dentibus venenosis rodebant. Multos mihi olim in sæculo agnitos et familiares ibi adspexi. Porro clericos et monachos, laicos et feminas tam sæculares quam sanctimoniales, eo minoribus cruciatibus vidi addictos, quo in vita sua minoribus fuerunt honorum seu officiorum privilegiis fulti. In veritate dico, quod speciali acerbitate supplicii universos affligi adspexi in linguis suis quos aliorum judices aut prælatos fuisse cognovi temporibus nostris. Nulla tamen hominis lingua sufficienter valet exprimere levissima regionis illius supplicia, nec æstimatio potest concipere varietatem ac multiplicitatem qua vicissim alternantibus pœnis subduntur, nec aliquis posset eas dinumerare. Testis mihi est Deus, quia si viderem aliquem hominem qui me et omnes caros meos afflixisset omnibus pœnis atque injuriis quæ possunt homini in vita hac irrogari, aut etiam occidisset, deputari suppliciis quæ vidi ibidem, millesies (si fieri posset) pro ejus ereptione mortem appeterem, in tantum cuncta quæ vidi ibi excedunt mensuram et modum doloris et angustiæ, amaritudinis atque miseriæ.

Post hæc venimus ad locum alium tormentorum, videlicet ad tenebrosissimam ac profundissimam vallem, in qua erat teterrimus fluvius nebulam ineffabilis fœtoris exhalans, rogus quoque usque ad cœlum succensus, tanta etiam immanitas frigoris, sævientibus procellis nivis et grandinis, ut putarem me nil pœnalius illo conspexisse algore. Tanta fuit ibi multitudo animarum ut solent alvearia apum multitudine abundare. Animabus illis fuit hoc generale supplicium, quod nunc in amnem fœtidum, nunc inde erumpentes ignibus immergebantur. Tormenta hujus loci erant graviora suppliciis loci prædicti.

Tandem venimus ad tertium purgatorii A locum, ad campum horribili chao opertum, ubi erat sulfureus fumus fœtoris immensi. Planities campi ita scatebat multitudine vermium ut solet pavimentum domus juncis cooperiri, et hi vermes ultra omnem æstimationem horridi, monstruosi, deformes, terribiles et rictu igne spirantes, inexplebili voracitate miseros lacerabant, quos et dæmones frustatim per membra singula igneis ferramentis truncabant. Deum testor, parum est, imo tanquam nihil, quidquid dicere nitimur de pœnis loci B illius. In brevissimo enim temporis spatio intuebar eos centum vel amplius pœnarum diversitatibus annullari, moxque restaurari, et rursus quasi in nihilum redigi, et harum vicissitudinum nullus erat finis. Tam edax fuit incendium ignis illius, ut quasi tepere crederes quidquid in mundo fervere aut exurere solet. Vermes dirupti et mortui ac per frusta comminuti sub infelicibus congerebantur, qui fœtore exsecrandæ putredinis adeo universa replebant, ut fæculentia illa omnem prædicta- C rum pœnarum excederet cruciatum.

Denique, visis tot cruciamentis, cœpit procedentibus nobis lumen gratissimum apparere : hinc fragrantia odoris dulcissimi, atque amœnitas campi multimoda florum jucunditate vernantis, incredibilem nobis præstitit voluptatem. In hoc campo invenimus infinita millia hominum, seu potius animarum, felici quiete post expleta tormenta gaudentium. Quos in prima illius campi parte invenimus, utebantur vestibus albis, sed non satis nitentibus : D nil tamen nigredinis aut maculæ erat in eis, minori tamen gratia candoris pollebant. Vidi ibi quamdam venerabilem Abbatissam, quæ magnæ fuit virtutis in vita hac, et nuper de tormentis evaserat ; quæ in campo hoc vestibus immaculatis, sed non satis candentibus, utebatur. Hæc marcida specie et tali habitudine videbatur, quasi longa ægritudine confecta et ex balneis nuper fuisset egressa. Vidi ibi et quemdam Priorem beata quiete cum spiritibus justorum felicem, certa exspecta-

tione visionis divinæ qua erat A remunerandus, incomparabiliter lætiorem.

Post hæc ad interiora hujus campi progressi, vidimus in medio spirituum beatorum, quorum ibi infinita millia circumstabant, crucis mysterium adorari. Videbatur Salvator quasi in stipite crucis suspensus. Ad quod vitale spectaculum cum ineffabili alacritate undique concurrebatur : mira intuentium devotio, magna pro tantis beneficiis gratiarum actio. Quis non admiretur tantam in Salvatore nostro clementiam, ut quod semel pro nobis in carne B passibili pertulit in hoc mundo, hoc, impassibilis nunc exsistens, ob nimium humanarum animarum amorem, ad earum gaudium et devotionem ampliandam, imaginaliter repræsentare dignetur in paradiso ? Deinde post horam non modicam visio ipsa disparuit, et singuli ad proprias sedes cum gaudio redierunt.

Post hæc vidi eminus quasi murum crystallinum, cujus nec altitudo nec longitudo poterat pervideri. Per cujus lucidissimam portam intravimus : ibi C deliciosissimus splendor. Porro ad altiora prospiciens, vidi Dominum Salvatorem in throno gloriæ residentem. Verumtamen locus iste non fuit ubi videtur Deus facie ad faciem ; sed inde, jam remota omni difficultate et omni dilatione, ascenditur ad cœlum illud æternæ Deitatis visione beatum. His visis et auditis, S. Nicolaus ductor meus me breviter salubriterque admonuit, dicens : Jam tibi ad tuos est redeundum. — Hæc pauca ex visione jam perstrinxi. D

Dionysius. — Magistraliter perstrinxisti : ideo dubia quæ tibi circa hæc occurrunt propone.

Frater. — Pene omnia quæ præcedenti articulo tetigi, hic quoque poterunt tangi, quæ nunc repetenda non sunt. Specialiter vero me movet qualiter verum sit quod animæ in purgatorio emundatæ, dicuntur in hac visione venire ad paradisum terrestrem antequam ad cœlestem perveniunt paradisum, præsertim quoniam inter receptacula animarum post vitam hanc non computatur paradisus terrestris, sicut tu melius nosti. — Denique, quum animæ post hanc vitam non sint amplius in statu merendi, cur eis in paradiso fieret talis repræsentatio dominicæ passionis?

Dionysius. — Sapienter interrogas, et rationabiliter dubitas. Verumtamen antequam ad solutionem omnium horum procedam, adhuc tange de aliis visionibus aliqua quæ majorem tibi pariunt dubitationem.

ARTICULUS XXIV.

De purgatorio S. Patritii.

Frater. — Qualiter S. Patritius impetraverit sibi a Domino demonstrari quemdam purgatorii locum sub terra, vulgatum est satis. Qualiter etiam inter multos qui locum hujusmodi intraverunt, quidam miles introierit atque exierit, et quæ ibi conspexit de suppliciis peccatorum gaudiisque justorum reversus retulit, communiter legitur in libello qui de Purgatorio S. Patritii intitulatur. Retulit quippe quod fossam profundam ingressus, primo devenit in campum et aulam, in qua venerunt ad eum quadringenti et quindecim viri sancti, admonentes eum de futuris periculis et de constantia observanda.

Post quorum disparitionem apparuerunt ei visibiliter dæmones multi in formis horrendis cum strepitu magno : quorum dum verba contemneret, ab eisdem projectus est in magni rogum incendii, de quo Christum invocando repente ereptus est. Quo facto, dæmones eum traxerunt ad campum quemdam longissimum, plenum hominibus nudis utriusque sexus, qui ventre humo hærebant, et clavis ferreis atque candentibus terræ affixi extendebantur.

Deinde traxerunt eum ad alium campum majoribus plenum miseriis, in quo homines diversæ ætatis et sexus resupini jacebant fixi in terram, super quos jacebant dracones igniti, quasi comedentes ac

lacerantes subjectos. Aliorum capita vel brachia aut totum corpus circumcinxerunt serpentes, et capita sua pectoribus miserorum imprimentes, ignitum ac venenosum oris sui aculeum illorum cordibus infigebant. Bufones quoque miræ magnitudinis et quasi ignei super quorumdam pectora consedebant, quibus sua rostra deformia infigentes, ipsorum corda quasi extrahere nitebantur; super quos etiam dæmones discurrebant, flagris cruciantes eosdem.

Inde traxerunt eum in tertium campum miseris plenum hominibus, qui a summitate capitis usque ad digitos pedum ita erant clavis transfixi,quod in eorum membris locus vacuus non videbatur; insuper vento frigido ac urente flagrisque dæmonum cruciabantur.

Deinceps traxerunt eum in quartum campum multis ignibus et omni tormentorum genere plenum : in quo catenis igneis suspendebantur alii per pedes, alii per manus, alii per membra, capitibus eorum ad ima versis atque sulfureæ flammæ immersis; alii in fornacibus sulfureis cremabantur, alii super sartagines urebantur. Omnia genera tormentorum quæ excogitari possunt, erant ibidem. Ibi vidit hic miles aliquos sibi notos. Ejulatus et clamores universorum quos ibi audivit, nec lingua exprimere nec sensus mortalium sufficit excogitare.

Post hæc traxerunt eum in domum permaximam incendiis plenam, rotundis et profundissimis fossis repletam, quæ erant plenæ liquefactis metallis ferventibus, in quibus plurimi torquebantur. Deinde traxerunt eum ad flumen magnum ac fœtidum, totaliter coopertum sulfurei flamma incendii : super quod flumen a ripa in ripam pons lubricissimus ac strictissimus tendebatur, qui in tantam altitudinem paulatim fuit extensus, quod horribile erat videre; per quem hunc militem oportuit ire. Qui fiducialiter transeundo invenit pontem continue latiorem.

Quibus peractis, dæmones militem reli-

A querunt. Ipse vero vidit ante se murum magnum et altum, pulchritudinis admirandæ incomparabilisque structuræ : in quo exstitit porta ex gemmis et pretiosis metallis resplendens; ex qua venit ei obviam processio maxima cum crucibus et vexillis, cum cereis et aurearum ramis palmarum, quæ militem cum ingenti veneratione et concentu dulcissimo introduxit per portam. Dixeruntque archiepiscopi duo ad militem : Regio ista est paradisus terrestris, de qua ob suam culpam ejectus

B est Adam. Omnes nos per loca pœnarum ad requiem istam transivimus, ad quam etiam venient omnes quos in purgatorii pœnis vidisti, quum fuerint expurgati. Nullus nostrum novit quamdiu hic erit; et licet ab omni hic liberi sumus culpa, ad supernam tamen Sanctorum lætitiam nondum digni sumus ascendere. Quotidie societas nostra crescit et decrescit, dum singulis diebus et a pœnis ad nos et a nobis ad cœlestem ascenditur paradisum. Deinde duxerunt militem in montem subli-

C mem, ostenderuntque ei portam paradisi cœlestis. Quibus auditis et visis, reversus est miles.

Dionysius. — Convenienter hoc recitasti. Sed quid tibi circa ista apparet?

Frater. — Specialia dubia mihi ex his nascuntur, quæ tibi movebo.

ARTICULUS XXV.

Dubiorum circa hæc orientium propositio.

D Frater. — Hic apertissime dictum est, quod a purgatorio non ascenditur ad paradisum cœlestem nisi per paradisum terrestrem. Cujus oppositum (sicut et tu certius nosti) dicunt doctores communiter, qui et multipliciter probant, quod satisfactione in purgatorio persoluta, animæ mox volent in cœlum empyreum : quod et rationabile esse videtur, quum nulla sit causa dilationis a gloria quam culpæ reatus. Denique, sicut præhabitum est, sola dilatio gloriæ, quæ et pœna damni vocatur, art. xiv, xv.

excedit in animabus separatis non condemnatis omnem pœnam vitæ præsentis. Si ergo animæ in paradiso terrestri nondum Deo beatifice perfruuntur, ergo sunt ibi in pœna gravissima. — Insuper, qualiter potuit miles ille intra diem naturalem pertingere usque ad paradisum, atque reverti ad portam per quam fuit primam fossam ingressus? Iterum dubitatur qualiter tot animæ in purgatorio exsistentes apparuerunt militi huic visibiliter in humanis corporibus, quomodo etiam animæ in paradiso terrestri (ut dicitur) constitutæ, apparuerunt et occurrerunt militi in humana effigie. Et quidquid de visionibus præmemoratis dicatur, visio ista dici non potest imaginaria exstitisse, sed exterior et in plena vigilia : sicque taliter visa realiter ita se habuerunt ut videbantur; et juxta hæc dici non poterit quod soli Elias et Enoch sunt in paradiso terrestri, quum ibi sint et innumerabiles alii. [*Gen.* v, 24; IV *Reg.* II, 11; *Eccli.* XLIV, 16; *Hebr.* XI, 5.]

Dionysius. — Fortia sunt quæ moves, et difficilia ad solvendum ; mallemque super his instrui quam docere : unde nec de ista materia volo quid dicere cum assertione incauta. Porro, si et aliquot alias vis tangere visiones, et ex eis proponere quæstiones, hoc facito antequam ad horum solutionem progrediar.

Frater. — Possem et alia quædam referre ac sciscitari, præsertim ex Revelationibus Brigittæ sanctæ, cujus revelationes prædictis satis consonare videntur. Verum, ut arbitror, ex horum solutione, illorum quoque satis elucescet solutio, imo et infra opportune poterunt tangi : idcirco, si placet, ad præinducta discutienda, declaranda ac solvenda te modo accinge.

ARTICULUS XXVI.

De triplici visione.

Dionysius. — Triplex, secundum Augustinum, est visio. Prima est exterior, qua ad oculum exteriorem aliquid sensibiliter cernitur aut apparet : quemadmodum bea- A tissima Virgo vidit angelum Gabrielem, [*Luc.* I, 26 et seq.] qui ei multa prædixit futura. Sic quoque Zachariæ patri sacratissimi Joannis Baptistæ idem apparuit atque locutus est angelus. [*Ibid.* 11 et seq.] In veteri etiam Testamento patri Samsonis ac Gedeoni, imo omnibus filiis Israel angeli ita apparuerunt, sicut in libro Judicum scribitur. [*Judic.* XIII, 3 et seq.; VI, 11 et seq.; II, 1-4.] Sic etiam assidue visus ac locutus est angelus Moysi. [*Exod.* XIV, 19, 20; XXIII, 20-23.] Et hæc visio non fit nisi in vigilia.

Secunda est visio imaginaria, qua per similitudines in interiori sensu, puta vi B imaginativa, formatas, aliquid conspicitur. Et tales fuerunt communiter visiones Prophetarum : quemadmodum Jeremias vidit virgam vigilantem et ollam succensam, [*Jer.* I, 11, 13.] atque Ezechiel ædificium templi ac civitatis in monte. [*Ezech.* XL et seq.] Porro hujusmodi visio aliquando fit in somno. Unde et in Evangelio legitur angelus apparuisse et locutus esse S. Joseph in somnis. [*Matth.* I, 20.] In Numeris quoque Dominus protestatur : Si fuerit inter vos Propheta, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum. [*Num.* XII, 6.] Et in libro Job : C Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines et dormiunt in lectulo, tunc aperit Deus aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina. [*Job* XXXIII, 15, 16.] Aliquando vero imaginaria visio fit in vigilia, exterioribus tamen sensibus alienatis et abstractis ab omni actu et exercitio a suis objectis. Sicque Isaias vidit Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum. [*Is.* VI, 1.] Tales fuerunt visiones S. Joannis evangelistæ quæ in Apocalypsi conscriptæ sunt. Unde fatetur : Fui in spiritu in do- D minica die, et audivi post me vocem magnam. [*Apoc.* I, 10.] Et rursus : Vox (inquit) prima quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens : Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri cito. Et statim fui in spiritu. [*Ibid.* IV, 1, 2.]

Tertia est visio intellectualis et anagogica seu sursumductiva, qua per species intelligibiles et mentalem illuminationem purique luminis infusionem aliquid homini demonstratur. Et tales fuerunt visiones et revelationes David prophetæ, secundum

II *Reg.* XXIII, 2, 4. quod ipsemet innuit in libris Regum : Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam, sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat, et sicut pluviis germinat herba de terra.

Præterea scire oportet, quod visio dicitur imaginaria dupliciter. Primo, quoniam solum est imaginaria, et non intellectualis, quando videlicet alicui aliquid demonstratur per imaginarias species, nec tamen agnoscit quid per hujusmodi species seu similitudines designetur. Sic visio Nabu- B
Dan. II, 31-35. *Ibid.* IV, 7-14. *Gen.* XLI, 1-7, 17-24. chodonosor qua vidit statuam magnam, et illa qua vidit arborem pulchram in somno, visio quoque qua Pharao vidit in somno septem boves et septem spicas, fuerunt imaginariæ. Et tales visiones non merentur dici propheticæ, quia (ut apud Da-
Dan. X, 1. nielem legitur) intelligentia est opus in visione. Hinc præfati reges non fuerunt
Ibid. II, 36-45; IV, 17-23; *Gen.* XLI, 25-32. prophetæ, sed Daniel et Joseph, qui visiones illas exposuerunt. Secundo dicitur visio imaginaria, quoniam partim est imaginaria et partim intellectualis, quando vide- C
licet is qui habet imaginariam visionem, intelligit quid designetur per eam. Similiter visio dicitur intellectualis dupliciter. Primo, quoniam est pure et solum intellectualis, quando per solas intelligibiles formas repræsentatur, et per spiritualem illustrationem intelligitur. Secundo, quoniam pro parte est imaginaria atque pro parte intellectiva : propter quod interdum imaginaria et aliquando intellectiva vocatur. Talisque visio intellectualis non differt a visione imaginaria secundo modo D
sic dicta. Denique per hanc distinctionem possent faciliter solvi ac concordari verba doctorum qui de hac materia diversimode loqui videntur.

Præterea, sicut ex doctrina divini et
De Cœlest. hier. c. IV, IX. magni Dionysii in libris de Angelica et Ecclesiastica hierarchiis manifeste habetur, propheticæ visiones ministerio angelorum sanctorum administrantur et fiunt
q. CLXXII, a. 2. Prophetis : quod etiam Thomas in secunda secundæ, Alexander de Hales super se- A
cundum Sententiarum, Albertus quoque dist. VIII. ibidem ac alii concorditer tenent; et ex Scriptura probatur canonica, Isaia testante : Volavit ad me unus de Seraphim. Un- *Is.* VI, 6.
de et Zacharias frequenter : Dixi (inquit) *Zach.* I, 19; IV, 4; etc.
ad angelum qui loquebatur in me. Et rursus idem asserit Zacharias : Ecce angelus *Ibid.* II, 3, 4.
qui loquebatur in me, egrediebatur, et alius angelus egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum : Curre et loquere ad puerum istum. Hoc ipsum insinuatur in Apocalypsi, ubi ait Joannes apostolus et propheta : Vidi similem Filio hominis, ve- *Apoc.* I, 13.
stitum podere. Non ait, Vidi Filium hominis, sed, Similem Filio hominis, id est angelum in persona Christi apparentem atque loquentem, ut Haymo, Beda, Albertus exponunt. Propter quod in Apocalypsi Filius hominis contestatur : Ego Jesus misi *Ibid.* XXII, 16.
angelum meum testificari hæc vobis in Ecclesiis.

Frater. — Placet per omnia ista visionum distinctio; sed instrui cupio qualiter discernatur quod visio sit vera nec fallax.

ARTICULUS XXVII.

Ex quibus queat cognosci aut persuaderi quod visiones et revelationes, illuminationes et consolationes sint vere a Deo.

Dionysius. — Merito istud inquiris, quia in visionibus potest de facili evenire periculum maximum, quum dicat Apostolus : Ipse Satanas se transfigurat in angelum II *Cor.* XI, 14.
lucis. Hinc quidam diabolicis visionibus decepti miserabiliter corruerunt, sicut et Cassianus describit. Verum multa sunt ex Collation. Patr. collat. II, c. 5, 7, 8.
quibus perpenditur quod visiones sint vere a Deo. Primum est, si Scripturis sanctis concordent; secundum, si a sanctorum Patrum doctrina non dissonent; tertium, si communi documento doctorum catholicorum consentaneæ sint; quartum, si ad spiritualem profectum et sanctam devotionem inveniantur accommodæ; quintum, si quod in eis prædicitur vere impletur; sextum, si personæ in quibus fiunt, sunt

vere catholicæ, virtuosæ ac stabilitæ in A bonis : quanquam etiam malis hominibus interdum fiunt revelationes, ut constat de *Num.* XXII, XXIII. Balaam, quoniam prophetia et visio sunt dona gratiæ gratis datæ, quæ bonis et malis, electis et reprobis exstant communia. Præterea, ex hoc communiter potest adverti an illuminatio, visitatio seu consolatio aut revelatio sit a Deo, dum homo ex hujusmodi influentia inclinatur ac trahitur ad sui ipsius cordialem contemptum, ad humiliationem profundam, ad omnium vanitatum ac vitiorum detestationem, ad B fervidum boni communis amorem, ad generalem caritatis ac gratiæ sibi concessæ communicationem ad omnes, ad ardentem spiritualis profectus affectum, ad boni propositi sincerissimam integritatem, ad purum Deitatis amorem, ad fidei illuminationem, et ad eorum quæ sunt fidei intelligentiam clariorem, ad patientiam firmam et obedientiam sanctam. Nempe quemadmodum ex solis præsentia oriuntur in aere splendor et calor, ita summo sapientiæ atque justitiæ Sole apparente, ra- C diante ac operante in anima, mox nascuntur in ea veræ sapientiæ fulgor caritatisque ardor ; et quamvis practicante diabolo possit in homine gigni sensibilis quædam devotio, et consolatio quædam seu dulcedo suo modo interna, præfati tamen effectus esse non valent a dæmone, nec diabolus potest agere immediate in apicem affectivæ aut verticem intellectivæ, nec ita perstringere mentem, ut velit nolit rapiatur sincere ad Deum, atque in lucis demergatur abyssum, ita quod ex hujuscemodi præ- D ventione, influxu aut visitatione oriantur in mente saluberrimi effectus præfati.

Frater. — Videntur mihi hæc omnia sonare valde catholice, nec his (ut reor) poterit contradici. Verum (ut suspicor) hæc introduxisti ut per ea respondeas ad quæsita superius : idcirco, si placet, ostende ex his quid æstimes sentiendum de visionibus et revelationibus præmemoratis, quæstiones etiam circa eas supra inductas solve.

ARTICULUS XXVIII.

Quod visiones Tondali et monachi Anglicani, et quæ de purgatorio S. Patritii factæ sunt, videantur veræ et fide dignæ.

Dionysius. — Si attendamus visiones et revelationes Prophetarum veteris Testamenti et S. Joannis apostoli, non video quod præfatæ visiones ac revelationes sint reprobandæ : primo, quoniam similes leguntur in scripturis utriusque Testamenti canonicis, ubi inveniuntur horribiles ac mysticæ apparitiones Prophetis ostensæ. Et sancti Prophetæ referunt se translatos fuisse in spiritu ad loca remota, in quibus ostensa sunt eis invisa ante et inaudita, et quæ secundum quod sonat littera intelligi nequeunt : sicut dum sanctus Ezechiel asserit se vidisse quatuor animalia, cum *Ezech.* I, 5 et seq. dispositionibus, formis ac motibus ibi expressis. Et rursus alibi describit se transpositum a Chaldæa in Jerusalem in visionibus Dei, spiritu utique, non corpore ; quod subtilissime innuit, dicens : Emissa *Ibid.* VIII, 3. similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, et elevavit me spiritus inter cœlum et terram, et adduxit me in Jerusalem in visione Dei ; et reliqua quæ ibi habentur. Et juxta expositores, tota visio illa fuit imaginaria, ipso Ezechiele in Chaldæa in suo loco realiter ac immobiliter permanente, atque in interiori suo sensu, vi scilicet imaginativa, formatis per angelum similitudinibus repræsentantibus universa quæ ibi describit, seque vidisse et fecisse testatur. Similiter et alias : Facta est (inquit) super me manus Domini, *Ibid.* XL, 1 et seq. et adduxit me in visionibus Dei in terram Israel, et dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium civitatis. Et ibi per aliquot capitula scribit se in illa visione multa vidisse, audisse, egisse, quum tamen totum hoc ageretur et esset in sola imaginaria visione, non tamen inani, sed magna quædam repræsentante. Juxta hunc modum ait etiam

[Apoc. xxi, 9, 10, 12, 18, 19.] in Apocalypsi Joannes : Venit ad me unus de septem angelis, et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem ; et habebat murum magnum et altum, habentem portas duodecim, et erat structura muri ejus ex lapide jaspide, ipsa vero civitas aurum mundum, fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Alias multas visiones imaginarias, admirabiles et horrendas scribit in Apocalypsi Joannes, [Ibid. xvii, 3.] dicendo : Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem et cornua decem. [Ibid. xix, 11, 14, 20.] Itemque : Vidi (inquit) cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum vocabatur Fidelis et Verax, et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis. Et apprehensa est bestia, et cum illa pseudopropheta, et vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulfure. Multa hujusmodi habentur in Apocalypsi. Ex quibus probatur quod visiones Tondali et monachi Anglicani, et quæ de purgatorio S. Patritii sunt ostensæ, non discordant a Scriptura canonica nec a fidei veritate.

Porro, quod nec a doctrina sanctorum dissonent Patrum, monstratur ex his quæ [art. xx.] supra ex dictis S. Gregorii quarto Dialogorum sunt allegata. Siquidem S. Gregorius refert ibidem atque in homiliis, ad morientes frequenter venisse angelos bonos et malos, et angelos malos in forma apparuisse Æthiopum aut draconum, ac morientium membra ligasse, eorumque animas ad loca amœna aut pœnalia deduxisse; D animas quoque defunctorum redisse ad corpora sua, atque viventibus retulisse se maxima conspexisse aut etiam tolerasse tormenta, et deinde justorum gaudia gaudiosaque loca vidisse. Et in recitationibus suis quasi per omnia nominibus corporalium rerum similitudinibusque earum sunt usæ, videlicet flamma, ignibus, pontibus, pratis florentibus, domibus atque navigiis. Insuper, personæ quæ ista viderunt, post horum visionem et experientiam tam abs- A tinenter, rigorose, compuncte et sancte vixerunt, quod tanta eorum conversio aut profectus attestabatur verbis eorum. His quoque quæ de purgatorio S. Patritii leguntur, attestatur Legenda ipsius et Passionale Sanctorum.

Postremo, præfatæ visiones valde sunt inductivæ et inflammativæ ad Dei timorem, ad internam compunctionem, ad sanctam devotionem, ad pœnitentiam salutarem, ad mundi contemptum, ad cordis custodiam, atque ad emendationem in om- B nibus.

Frater. — Libentissime hanc tuam audivi censuram seu positionem, confidens quod et alii multi his auditis, cum majori credulitate copiosiorique fructu præfatas et consimiles lecturi sint visiones. Nunc superest ut quæstiones circa visionem Tondali motas dissolvas.

ARTICULUS XXIX.

C *Solutio dubiorum quæ circa visionem Tondali mota sunt supra, articulo vicesimo secundo.*

Dionysius. — Circa visionem Tondali primo quæsisti, an anima ejus fuit realiter separata a corpore in tota illius visione, an potius realiter mansit in corpore, ita quod vidit omnia illa sola imaginaria visione, et in ea per similitudines quasdam sustinuerit tot et tanta de quibus scribit tormenta.

Ad quod (ut tetigisti) videtur haberi responsio ex recitatione historiæ de Tondalo illo, in qua fertur quod pro tunc mortuus fuerit. Unde et ipse reductus ad corpus seu corporis usum ac sensum, dixit : Quum anima mea corpus exueret et illud mortuum esse cognosceret, voluit ad corpus suum redire, nec poterat illud intrare.

Verumtamen hujus oppositum posset probari ex eo quod in eodem narratur libello, quod Tondalo subito corruente, apparuerunt in eo omnia signa mortis, dempto quod calor modicus in sinistro ejus

latere sentiebatur ab his qui corpus ejus A diligenter palpabant : propter quod et corpus insepultum super terram servabant usque ad tertium diem, quo reviviscere videbatur. Ideo posset quis probabiliter dicere, quod anima ejus mansit toto tempore visionis illius realiter in corpore suo, atque quod sola imaginativa visione conspexit ac supplicia pertulit per omnipotentiam Dei, dispensatione occulta et modo quodammodo incomprehensibili nobis, quemadmodum de animabus separatis ac art. XVIII-XX. dæmonibus dictum est, quod vere et inef- B fabiliter atque gravissime affliguntur ab igne corporeo. Hinc Augustinus in libro de Cognitione veræ vitæ ait ad quæstionem interrogatus : Nonne legitur quod sæpe multæ animæ de corpore eductæ viderint multa loca pœnalia, loca quoque amœna ac florida, et multas animas in utrisque, atque ad corpus reversæ retulerint se multa audisse ab illis ? Ad hoc Augustinus respondet : Sciendum quod hæ animæ non penitus reliquerant corpus, sed sensus tantum corporeos suis desti- C tuerant officiis, corpus autem non ex toto vitali carebat spiritu : unde ea quæ audierant, non res corporeæ, sed similitudines corporearum rerum erant, quas reversæ constitutis in corpore narraverunt. Sicque ulterius diceretur, quod propter vehementem illam alienationem et abstractionem animæ Tondali a corpore suo et omni sensu, motu et actu corporeo, et propter intensissimam occupationem ejus circa ea quæ sunt alterius sæculi, videbatur ei quod esset separata a corpore. Nec hoc D incredibile reputetur de anima Tondali, II *Cor.* XII, 2, 3. quum divus dicat Apostolus se nescire an in corpore vel extra corpus fuerit raptus. Aliqui quoque interdum tanta replentur suavitate cœlesti, ut eis videatur quod animæ eorum de corporibus suis exsiliant, aut extra corpus consistant. Fronto quoque episcopus dixit se interfuisse sepulturæ B. Marthæ, similiter S. Ambrosius perhibuit se sepulturæ sancti interfuisse Martini : et tamen Richardus de Mediavilla super secundum Sententiarum, distinctione septimadecima, et alii multi, dicunt sanctos illos antistites non fuisse in sepulturis illis personaliter, nec animas eorumdem. Sic quippe ait ibi Richardus : Dici potest quod in veritate nec corpus nec anima Ambrosii interfuit sepulturæ S. Martini, sed forte angelus in specie Ambrosii apparens : quod dum fieret, videbatur Ambrosio soporato quod interesset illi sepulturæ. Nec est putandum quod phantasticum hominis realiter exeat de homine dormiente ; sed quandoque contingit quod homo somniat se esse præsentem alieno conspectui, et quando hoc somniat, tunc spiritus in specie illius hominis apparet illi, in cujus conspectu ille dormiens somniat se esse præsentem. Hæc Richardus. De hac autem materia diffusius scribit B. Augustinus octavodecimo de Civitate Dei, ubi satis miranda refert de transformationibus apparitionibusque quibusdam. Præterea, ad intelligendum qualiter anima in corpore manens possit per imaginariam visionem talia cernere, sicque moveri, pati, terreri, valet quod duodecimo super Genesim loquitur Augustinus de jacentibus absque sensuum usu, quod gerunt quamdam similitudinem corporis sui, per quam possunt ad loca corporalia ferri, et talia qualia vident similitudinibus sensuum experiri.

Nihilo minus potest quis etiam probabiliter dicere, quod in omni præfata visione fuerit anima Tondali vere separata a corpore, et interiori intellectualique visu conspexerit ea quæ se vidisse narravit. Intellectus namque, ut docet Boetius, quo- De Consolat. lib. V, pros. 4. dammodo in se includit ac comprehendit omnes exteriores interioresque sensus, et actus illorum exercet simpliciori altiorique modo quam illi. Unde quemadmodum Deus æternus et gloriosus per ideales, simplicissimas et immaterialissimas formas videt et noscit universa et singula quantumcumque corporalia et terrena distinctissime atque plenissime, ac deinde angeli sancti ac dæmones, quamvis imma-

teriales, tamen per suas intelligibiles species distincte cognoscunt corporea et sensibilia quæque ; ita et anima separata potest per intelligibiles species, secundum quod sibi tunc insunt, sensibilia et corporea intueri distincte ac talium reminisci.

Verumtamen ad istud facilius responderetur secundum B. Augustini investigationem, qui super Genesim duodecimo ait libro : Non video an habeat anima similitudinem corporis sui, dum jacente corpore sine sensu, non tamen penitus mortuo, videt talia qualia multi ex illa subductione seu alienatione vivis redditi narraverunt, et non habeat similitudinem illam, dum perfecta morte penitus de corpore suo exierit. Hujusmodi autem similitudines dicitur anima separata habere secundum quod inspicit eas. De hac re multa scribit Cassianus in libro de Anima separata, quod scilicet anima separata a corpore adhuc videt, audit, imaginatur et recordatur. Unde, ut supra est allegatum, Augustinus in libro de Spiritu et anima fertur dixisse, quod anima recedens a corpore, secum trahit sensum, imaginationem, rationem, intellectum et intelligentiam, concupiscibilitatem et irascibilitatem. In libro quoque de Ecclesiasticis dogmatibus loquitur Augustinus : Homines solum credimus habere animam substantivam, quæ exuta corpore vivit, et sensus suos atque ingenia vivaciter tenet. Verumtamen prætacta Augustini et Cassiani ac aliorum quorumdam verba secundum quod sonant, magis consonant et concordant Platonicorum quam Peripateticorum doctrinis. Sed in his quæ fidei sunt, præsertim in omni ista materia, magis arbitror insistendum auctoritati quam philosophicæ rationi : quia secundum supernaturalem omnipotentis Dei operationem nobis in vita hac imperscrutabilem multa contingunt in his.

art. XIX.

Frater. — Prolixe disseruisti qualiter utrumque prædictorum probabiliter queat teneri, quod scilicet in corpore vel extra corpus realiter fuerit anima Tondali in visione præscripta. Restat ut solvas argumenta ad hoc introducta, quod tunc extra corpus realiter esse nequivit.

A

Dionysius. — Hoc noveris, tantam esse infirmitatem intellectus humani quamdiu in corpore est, quod etiam animæ a corpore realiter separatæ, dum ad corpus fuerunt reductæ, non potuerunt perfecte intelligere nec aliis plenarie recitare ea quæ ipsis extra corpus contigerunt, et quæ de immaterialibus rebus viderunt; sed ea per corporalia quædam, prout aptius poterant, expresserunt. Hinc, ut refert Cyrillus, unus trium meritis S. Hieronymi resuscitatorum, interrogatus a Cyrillo de his quæ sibi post dissolutionem a corpore contigerunt, respondit : Quod me interrogas, non est bene possibile plene fari, quoniam spiritualia nostris sensibus minime comprehenduntur. Nam scis Deum et angelos esse, et tamen quid sint, perfecte intelligere nequis. Quum enim sint multa notissima in natura quæ nostræ intelligentiæ parvitate comprehendere non valemus, supercœlestia et spiritualia omnino aliena a nostra cognitione quomodo intelligeremus ? Itaque, si anima Tondali in illa visione fuit realiter separata a corpore, sic ea quæ vidit separata, retulit prout potuit corpori restituta, præsertim quia et Tondalus miles non videtur naturali philosophia multum fuisse instructus aut assuetus, ita ut de spiritualibus per appropriationem dissereret.

B

C

Itaque respondendum, quod nec situs, nec ambulatio, nec esse in loco, proprie competant incorporeis rebus. Unde quod Tondalus retulit animam suam supra corpus stetisse et undique circumspexisse, dæmonesque vidisse per loca, et ambulasse, ac consimilia, sunt spiritualiter intelligenda. Quemadmodum enim convenit animæ separatæ esse in loco definitive, non circumscriptive, sic competit ei moveri, ambulare et ferri de loco ad locum. Qualiter autem poterat corporalia intueri ac pati, modo discussum est.

D

Porro animarum tormenta eo modo os-

(A) tensa sunt animæ Tondali ac animæ monachi Anglicani atque Christinæ Mirabilis et aliorum quorumdam, quo utique modo debuerunt ac potuerunt ea aptius, intelligibilius ac fructuosius recitare hominibus post earum reditionem ad sua corpora. Sicque separatarum et invisibilium animarum ac dæmonum supplicia ac personæ demonstrata sunt animabus præfatis sub similitudinibus corporalium rerum, et bestiarum materialiumque pœnarum : non quod anima Tondali habuerit corporeos pedes, aut quod animæ in purgatorio (B) excoriabantur, scindebantur, decollabantur, liquefiebant aut urebantur in verubus, ollis, patellis, aut quod redigebantur quasi in nihilum aut in unam massam conglobabantur, sed quod omnes istiusmodi pœnæ vere et ineffabili modo sint in animabus in purgatorio constitutis, aliter tamen, imo et supernaturaliter et incomprehensibilius ac prorsus pœnalius quam esse possint in aliquo homine aut in quibuscumque hominibus in hoc mundo. Et juxta hunc modum sunt intelligenda (C) quæ de stagnis, ponte, lamina ferrea ardenti et consimilibus asseruntur. Dæmones quoque in formis diversarum apparuerunt ferarum, bufonum, draconum, serpentium, ad insinuandum diversas eorum crudelitates, atque multiplices atrocissimasque pœnas quas minantur aut inferunt animabus. Nam et frequenter in talibus formis apparuerunt sanctissimis viris Antonio, Hilarioni ac consimilibus, quos suis tentamentis ac terroribus cupiebant dejicere.

(D) Præterea, utrum animæ de purgatorio evolent immediate in regnum cœleste, an mediate, ita quod primo terrestrem introeant paradisum, infra in speciali discutietur articulo ; similiter et id, an minima purgatorii pœna, loquendo de pœna sensus, major sit omni præsentis vitæ tormento. Cetera etiam supra, articulo vicesimo secundo, circa visionem Tondali objecta et tacta, infra clarius exponentur.

Postremo, doctores super quartum Sententiarum (dist. xx, xxi.) communiter dicunt, quod animæ in purgatorio non puniuntur per dæmones, quoniam eos vicerunt, neque per angelos sanctos, qui suos concives futuros non punirent tam dire, sed quod solo igne torquentur per divinam justitiam. Hujus tamen contrarium, non in prænarratis visionibus tantum, sed et in aliis revelationibus multis insinuari videtur. De isto tamen non est aliquid ab Ecclesia determinatum : unde nec periculosum aut illicitum reputatur circa hoc diversimode opinari. Nec ratio ista multum cogit, quod ideo a dæmonibus non torquentur, quoniam eos vicerunt. Quamvis enim vicerunt finaliter, frequenter tamen victæ fuerunt ab illis, nec pro hoc satisfecerunt in sæculo isto. Sicque posset quis dicere, quod meruerunt adhuc puniri ab ipsis dæmonibus, ut subdantur eis in pœnis, quibus se sponte subdiderunt in culpis, et per quos peccaverunt, per hos et puniantur, quemadmodum et quarto Sententiarum ait Magister (dist. xlvii E.) : Hos habebunt in tormentis tortores, quos habuerunt in vitiis incentores. Verum de hac re nihil definio, quemadmodum nec de isto, an sola pœna ignis animæ in purgatorio affligantur, loquendo de pœna sensus. Circa quod Thomas (Sent. IV, dist. L, q. II, a 3, q^cula 1 ad 2um.) et alii multi tenent quod imo, quoniam pœna purgatorii ordinatur ad purgationem, quæ maxime competit igni. Ex multis tamen revelationibus aliter esse videtur ; nec apparet negandum quin ad minus dæmonum adspectus sit etiam his qui in purgatorio sunt valde pœnalis.

ARTICULUS XXX.

An animæ in purgatorio satis punitæ et igne purgatorio satis purgatæ, mox evolent in paradisum cœlestem.

Frater. — De isto nunc cupio diligenter tractari, an animæ ex purgatorio liberatæ perducantur ad paradisum terrestrem, et ibi demorentur ad tempus, antequam ad cœlestem patriam deducantur atque ingrediantur.

Dionysius. — Ad hæc videretur protinus respondendum, quod in purgatorio sufficienter punitæ et expurgatæ, immediate introeant regnum cœlorum, nisi prætactæ et etiam quædam aliæ visiones viderentur oppositum affirmare. Sed forsan me aliqui irridebunt, quod in tanta materia non respondeo indilate, absolute et assertive, juxta generalem et concordem doctorum traditionem, propter revelationes quasdam phantasticas et incertas. Verumtamen nec doctoribus contradico propter visiones prætactas, nec propter doctorum traditionem audeo tot sanctorum hominum visiones et revelationes appellare phantasticas aut mendosas, quamdiu Ecclesia super hoc nihil determinat. Nam et qui eas descripserunt et approbaverunt, fuerunt religiosissimi atque doctissimi viri, et quidam eorum fuerunt doctores in theologia.

Frater. — Si placet, breviter tange quid ad hujus quæstionis utramque partem posset induci et allegari.

Dionysius. — Ad probandum quod animæ de purgatorio immediate pertingant ad gloriam paradisi cœlestis, multa satis authentica et robusta possunt argumenta adduci. Primo, quoniam super quartum Sententiarum, distinctione quadragesima quinta, ubi Magister ex verbis Augustini tractat de abditis receptaculis animarum, scribunt doctores concorditer, quod ante passionem Christi receptacula illa fuerunt limbus patrum, quantum ad justos et sufficienter purgatos; et limbus parvulorum, quantum ad animas in solo originali a corpore separatas; et infernus, quantum ad reprobos; ac purgatorium, quantum ad animas sine mortali, tamen cum obligatione ad pœnam, exeuntes de corpore. Porro post Christi passionem et ascensionem limbus patrum cessavit, et pro eo cœlum empyreum factum est receptaculum animarum sanctarum, atque in purgatorio plenarie purgatarum. Istud est doctrina Alexandri de Hales, S. Thomæ, Alberti Magni, Bonaventuræ et aliorum; nec quisquam sanctorum Patrum aut scholasticorum doctorum videtur paradisum terrestrem inter receptacula ponere animarum. Imo super quartum asserit Thomas: Quemadmodum levia per levitatem statim feruntur sursum, nisi aliunde impediantur; sic animæ, soluto vinculo carnis, mox præmium seu beatitudinem consequuntur, nisi aliquid impediat, scilicet veniale peccatum, quod purgari oportet. Et quoniam locus deputatur animabus secundum congruentiam præmii aut pœnæ, statim ut anima a corpore absolvitur, in infernum demergitur, aut ad cœlum evolat, nisi impediatur aliquo reatu quo oporteat evolationem differri, ut anima prius purgetur. Et huic veritati auctoritates Scripturæ canonicæ manifeste attestantur et documenta sanctorum Patrum: unde contrarium pro hæresi est habendum, ut patet quarto Dialogorum et in libro de Ecclesiasticis dogmatibus. Hæc Thomas, qui etiam in Summa contra Græcos istud multipliciter probat.

(dist. XLV, q. I, a. 1, q^cula II.)

Frater. — Si hujus contrarium exstat hæreticum, ergo non licet aliter opinari.

Dionysius. — Hæreticum est dicere animas ante futuram generalem resurrectionem non præmiari, et hoc Gregorius quarto Dialogorum ex Scriptura ostendit canonica. Quid vero ad ea quæ Thomas et alii introducunt valeat responderi, infra habebitur.

Frater. — Disputationem tuam prosequere.

Dionysius. — Ad hujus partis probationem Thomas de Erfordia breviter multa introducit motiva in suo compendio non parvi pendenda: Animæ, inquiens, quum fuerint sufficienter purgatæ in igne, evolant statim ad gloriam. Quod patet multiplici ratione. Primo, quoniam post purgationem non manet in anima aliqua dissimilitudo ad gloriam: ideo merito debet gloriæ jungi. Secundo, quoniam janua cœli aperta est ei quæ nullum habet introeundi obstaculum. Tertio, quia necesse est illos spiritus in quibus est caritas sur-

sum elevans et nihil retardans, ad gloriam A elevari. Quarto, quum Deus pronior sit ad miserendum et beatificandum quam ad puniendum, merito debet purgatos conjungere gloriæ, quos purgandos subjecit pœnæ. Quinto, quia non punit Deus bis in id ipsum (*Nahum* I, 9, juxta LXX.) : idcirco dum quis satisfecit in pœnis ignium, non debet amplius puniri in dilatione præmiorum. Sexto, quia post purgationem non debet talis amplius esse in purgatorio, quum jam sit purgatus, non purgandus; nec debet esse in limbo, quum non sit de numero parvulorum ; neque in B inferno, quia non habet mortale : ergo oportet quod sit in cœlo, quum non sint alia post mortem receptacula animarum. Septimo, quia efficacior est caritas quam iniquitas ; sed iniquitas statim ducit ad supplicium : ergo caritas statim ducet ad præmium. Octavam quoque rationem subjungit, quæ jam ex verbis Thomæ est introducta.

Frater. — Augustinus in Enchiridio scribit, quod usque ad diem judicii animæ separatæ sunt in abditis receptaculis : ergo C nec in inferno, nec in cœlo, quum hæc duo sint omnibus nota. Gregorius quoque quarto Dialogorum refert quasdam animas electorum alibi quam in purgatorio esse punitas : quod et in aliis multis fatetur historiis. Aliquas etiam narrat in paradiso fuisse et inde redisse.

Dionysius. — Ad ista et consimilia claret responsio ex verbis Bonaventuræ, super quartum Sententiarum, distinctione quadragesima quinta (a. 1, q. II.), scribentis : Triplex est status animarum. Primus est retributio- D nis ; secundus, quietæ exspectationis ; tertius, purgationis. Nam anima exuta duplici causa potest impediri a retributione beata : primo, propter hoc quod janua clausa est ; secundo, quoniam anima non est plene purgata. Itaque statui retributionis correspondet proprius locus receptaculumque determinatum in se et quoad nos, videlicet cœlum empyreum quoad justos, et infernus quantum ad impios. Statui autem quietæ exspectationis correspondet locus determinatus in se, sed non quoad nos, quoniam ex Scripturis non constat ubi sit limbus. Statui vero purgationis correspondet locus indeterminatus et quoad nos et quoad se, quia non omnes in eodem loco purgantur, licet in aliquo uno loco purgentur multi. Et quantum ad hæc loca, in quibus diversi ex divina dispensatione diversimode purgantur, loquitur in Enchiridio Augustinus. Denique limbus debetur peccato originali, infernus mortali, purgatorium veniali. Estque probabile, quod hæc tria loca gradatim se habeant, et circa eamdem terræ partem exsistant. Insuper receptacula aliquibus dantur secundum (a. 1, q. III.) consilium Dei, quod incommutabile est, et secundum causas superiores ; aliquibus vero secundum sententiam Dei, quæ aliquando revocatur, et secundum causas inferiores. Et de animabus hoc secundo modo deputatis alicui receptaculo, intelligenda sunt verba Gregorii in suo Dialogo. Hæc Bonaventura. Porro, secundum Thomam, (Sent. IV, dist. XLV, q. I, a. 1, q^cula II ad 2um.) etiam cœlum et infernus inter abdita receptacula computantur, quia invisa sunt nobis, et sola fide noscuntur. Communiter quoque asseritur, quod de lege communi est unus generalis purgatorii locus, sed ex speciali dispositione Judicis summi diversa sunt loca, in quibus animæ quædam purgantur.

Frater. — Modo, si placet, tange motiva ex quibus apparet quod animæ in paradiso terrestri recipiantur ac demorentur, antequam cœlestem introeant paradisum.

ARTICULUS XXXI.

Persuasiones ex quibus apparet quod animæ in purgatorio satis purgatæ, primo ingrediantur paradisum terrestrem, deinde cœlestem.

Dionysius. — Ad hoc primo inducitur quod (ut supra, articulo vicesimo, commemoratum est) Gregorius narrat quarto Dialogorum de quodam post visa tormenta reorum ac gaudia electorum ad corpus re-

ducto : qui dixit, quod ponte periculoso A transacto, erant amœna atque virentia prata, in quibus dealbatorum hominum conventicula videbantur, et tantus erat ibi odor suavitatis, quod universos illic habitantes ambulantesque satiavit; ubi et mansiones diversorum singulæ magnitudine lucis erant plenæ : quod de paradiso terrestri intelligendum videtur. Quibus concordat quod in visione legitur Tondali, quod scilicet angelus et anima Tondali venerunt ad portam : quam ingressi, viderunt campum pulcherrimum, odoriferum, floribus B consitum, lucidum et amœnum, in quo fuit multitudo innumerabilis animarum, et cetera quæ supra, vicesimo primo articulo, sunt conscripta. Porro in visione Anglicana et in historia de purgatorio S. Patritii clarissime dicitur, quod animæ purgatorium exeuntes, primo introeunt paradisum terrestrem, et manent ibidem ad tempus, quousque aptæ reddantur ingredi regnum cœlorum.

In Revelationibus demum sanctæ virginis Mechtildis narratur, quod animam ejus C Dominus assumpsit ac duxit in amœnissimum hortum, in quo erat multitudo animarum ad mensam sedentium, quibus Christus pro ferculo apposuit officia atque suffragia quæ a vivis fiebant pro illis. Dixitque Mechtildis : Mi Domine, quid prosunt hæc illis, quum sint in gaudio magno? Tunc aperientibus se cordibus animarum, vidit in corde cujuslibet quasi vermem cor ipsius torquentem, eo quod non meruerit sine impedimento et dilatione post mortem ad Dominum evolare. Et D dictum est ei : Hic vermis non moritur nec ab eo anima liberatur donec intret in gaudium Domini. Sicque videtur quod animæ a purgatorio liberatæ, sint in loco amœno et pulchro, puta terrestri paradiso, in quo quamvis multum lætentur quod purgatorii sensibilia supplicia evaserunt, et de æterna beatitudine cito adipiscenda exstent securæ, doleant tamen de gloriæ dilatione, et quod non satis sinceriter in hoc mundo vixerunt.

Amplius, his concordare videtur quod in quarto libro Revelationum S. Brigittæ, capitulo septimo, angelus ad S. Brigittam in spiritu raptam legitur protulisse : Supra infernum est locus quidam, in quo est maxima purgatorii pœna quam animæ possunt sustinere. Et ultra locum hunc est alius locus, in quo minor est pœna, quæ non est alia nisi defectus virium in fortitudine et pulchritudine : sicut per simile tibi dico, quasi si aliquis esset infirmus, et infirmitate cessante ac pœna, nihil haberet de viribus, donec eas paulatim recuperaret. Tertius vero locus superior est, in quo alia nulla est pœna nisi desiderium perveniendi ad Deum. Et ut melius in conscientia tua intelligas, dico tibi per similitudinem, quasi si æs misceretur cum auro, et in igne ardentissimo aurum tamdiu esset purgandum donec æs totum consumeretur et aurum fieret purum. Quanto autem æs fortius esset ac spissius, tanto ardentiori igne egeret, quousque aurum esset quasi aqua currens et totum fulgens. Deinde magister ejus profert aurum in alium locum, in quo obtineat veram sui formam in visu et tactu. Postea mittit aurum in tertium locum, ubi custodiatur et possessori suo repræsentetur. Sic spiritualiter est de locis prædictis. In primo loco est maxima purgatorii pœna. Ibi est dæmonum tactus, et ibi per similitudinem apparent venenosi vermes et similitudo animalium valde ferocium ; ibi calor et frigus, tenebræ atque confusio. Deinde magister, id est divina justitia, profert aurum, id est animas, in alium locum, in quo non est nisi defectus virium, ubi animæ morabuntur tamdiu quousque habeant refrigerium per suffragia amicorum suorum aut de continuis sanctæ Ecclesiæ operibus. Nam anima quo majus habebit auxilium, eo citius convalescet ac liberabitur. Post hæc anima fertur in tertium locum, ubi non est pœna nisi desiderium perveniendi ad Dei præsentiam et ejus visionem beatam. In hoc loco morantur multi et nimis diu, præter illos qui dum in mundo vixe-

runt, non perfectum habuerunt desiderium A perveniendi ad Dei beatificam visionem. — Alibi quoque quædam his consonantia asserit Brigitta sancta.

Possent etiam ad hæc aliæ quædam persuasiones adduci. Nam quum divinus Dionysius protestetur quod a distanti non itur in distans nisi per medium, et tanta sit in purgatorio pœna tam damni quam sensus, apparentiam habere videtur quod a purgatorio non perveniatur ad paradisum cœlestem nisi (ut dictum est) per terrestrem, aut a loco in quo non est nisi pœna damni. B Ambrosius etiam super Lucam : Illuc, inquit, redeundum est nobis, unde ejectus est Adam. Et Gregorius : Quoniam primus homo per vetiti esum ligni perdidit paradisum, illuc reduci non possumus nisi per abstinentiam salutarem.

Cf. de Cœlest. hier. c. IV, VIII, XIII.

Denique, in Legenda S. Dorotheæ habetur quemadmodum ipsa de paradiso Sponsi sui misit Theophilo in mense Januarii tria mala et tres rosas : sicque videtur terrestris paradisi spem habuisse ac docuisse. C In Legenda demum beatissimi Thomæ apostoli narratur quemadmodum frater regis Indiæ resuscitatus a morte, perhibuit se ab angelis ductum in paradisum, et ibi vidisse formosum palatium ex auro, argento et gemmis constructum, et regem suo demerito perdidisse id ipsum. Unde videtur in paradiso terrestri esse quædam remuneratio hominum, quum in cœlesti paradiso non sint palatia talia.

Frater. — Quid tibi de horum veritate videtur?

Dionysius. — Horum determinationem D aliis magis committo, et si concordari hæc queant, peritis relinquo : quia nec tantis doctoribus neque tot revelationibus contradicere audeo. Determinationi autem Ecclesiæ hæc tutius committuntur.

Frater. — Convertamur ergo ad alia. Et quia interdum jam tactum est quod in purgatorio exsistentes transferuntur paulatim ad leviora tormenta, non videtur quod minima purgatorii pœna sit major omni vitæ præsentis supplicio.

art. XIV, XXI.

ARTICULUS XXXII.

An minima purgatorii pœna sit major quacumque pœna vitæ præsentis.

Dionysius. — Sicut præhabitum est, S. Thomas et alii multi doctores affirmant, quod minima pœna purgatorii, tam pœna damni quam pœna sensus, sit acrior qualibet hujus sæculi pœna : quod etiam multi a morte resuscitati se esse expertos sunt testati, imo multa horribiliora et quasi incredibilia inde locuti sunt. Sed obviare videtur quod circa hoc scribit Bonaventura super quartum Sententiarum, distinctione vicesima : Sane, inquiens, intelligendum est hoc, ut generaliter pœna illa sit major ista, secundum regulam illam Philosophi : Si optimum in uno genere est melius optimo alterius generis, et hoc simpliciter illo melius est. Similiter intelligendum est hic, quod illa pœna sit major, non quia minima in illo genere sit major maxima in genere isto, sed quia maxima pœna in genere illo major est maxima pœna generis hujus, seu status ac vitæ præsentis. Nam, ut ait B. Gregorius, quibusdam est revelatum quasdam animas esse punitas in umbra. Hæc Bonaventura.

art. XIV. p I, a. 1, q. II.

Frater. — Quid circa hæc verius putas?

Dionysius. — De incertis mihi nihil definio. Sed quod Thomas fatetur, juxta illorum positionem videtur procedere qui opinantur pœnam in purgatorio pro aliquo peccato inflictam, a principio sui usque ad finem æque intense durare, quousque satisfactum fuerit pro peccato. Porro positio Bonaventuræ videtur secundum illos procedere qui dicunt pœnam purgatorii tanto plus minui, quanto satisfactio magis propinquat ad sufficientiam, seu quanto purgatio pro majori parte fuerit consummata. Cui positioni revelationes prætactæ magis concordant. Sicque exponi posset ostensio illa odoriferorum virentiumque pratorum, quod in eis adhuc restabat aliquid persolvendum de pœna damni, et quod prata hujusmodi significabant amœ-

nitatem paradisi cœlestis. Sancti autem A qui insinuare videntur quod ad terrestrem paradisum redeundum sit nobis, utuntur figura pro re figurata : quia sub nomine paradisi terrestris cœlestem intelligunt paradisum, in quo est finalis et plena remuneratio electorum. Esset quoque hæreticum affirmare quod animæ non pertingant ad regnum illud cœleste, completa omni pœna pro culpis inflicta, loquendo tam de pœna damni quam de pœna sensus. Nec aliquo modo negandum est homines in hoc mundo tantæ posse perfectionis con- B sistere, ut sine omni dilatione pertingant eorum animæ ad regnum cœleste post recessum a corpore ; nec in visionibus præallegatis alicubi hoc negatur, sed magis asseritur.

Insuper, ad dubia quæ articulo vicesimo quinto movisti circa ea quæ de purgatorio leguntur S. Patritii, potest fortassis se aliquis breviter expedire, dicendo cum Augustino, quod in his quæ sunt super naturam, tota causa seu ratio facti aut operis est omnipotentia ac dispositio Dei agen- C tis : cujus virtute poterant animæ defunctorum illi militi apparere, sicut et dæmones in quibusdam assumptis corporibus aut in quibusdam præstigiis, magis tamen videtur quod in corporibus ad horam assumptis. Conformiter poterat miles iste in spatio tam brevi per tam longa itinera ferri, moveri, trahi, redire : nam per aliqua loca a dæmonibus, quorum velox agilitas est, tractus describitur ; et divina virtute atque angelica ope sic rediit. Verumtamen non arbitror expedire talia im- D moderate aut curiose scrutari, sed divinam vereri justitiam, et nunc taliter conversari, quod tanta evadamus supplicia.

Frater. — Quantum in tam abdita arduaque materia fieri posse videtur, satis diffuse et clare jam respondisti, atque quam diro et ineffabili modo incorporei spiritus tam in purgatorio quam inferno affligantur, elucidasti, ita ut merito debeam contentari.

Dionysius. — Adhuc ad hoc persuadendum duarum sanctarum testimonia feminarum inducam.

ARTICULUS XXXIII.

De acerbitate pœnarum purgatorii et inferni.

Dionysius. — Quarto libro cœlestium Revelationum S. Brigittæ recitatur qualiter in visione imaginaria vidit hæc Brigitta animam cujusdam defuncti stantem juxta æstuantissimum clibanum, et ignem incendii ascendere usque ad animæ caput, in tantum quod pori stabant sicut venæ currentes cum igne ardenti ; aures vero videbantur quasi sufflatoria fusorum, quæ totum cerebrum cum flatu continuo commovebant ; oculi autem eversi videbantur et immersi, et apparebant ad occiput intus esse affixi ; os quoque erat apertum, et lingua extracta per narium aperturas, dependebat ad labia ; dentes etiam erant quasi clavi ferrei per palatum affixi ; brachia vero erant tam longa, quod tendebant ad pedes ; sed et manus ambæ videbantur habere atque comprimere quamdam pinguedinem cum pice ardenti. At vero cutis quæ super animam apparebat, erat quasi lintea vestis spermate circumfusa ; et erat tam frigida, quod omnis qui eam videbat, contremuit : de qua etiam tam gravis et intolerabilis prodiit fœtor, quod nullus fœtor in mundo hoc ei possit assimilari. — Ecce incorporea anima illa in tam miserabili et pœnosa corporali effigie est ostensa, ad designandum quod ipsa in se invisibiliter sustinebat talem angustiam et pressuram, tale incendium et tormentum. (cap. 7.)

Hinc rursus de alia anima separata et rea ac purgatorio deputata loquitur Brigitta sancta : Videbatur mihi quasi quod (cap. 51.) vinculum quoddam esset alligatum in capite animæ instar coronæ, et stringebatur tam fortiter, quod frons et occiput pariter jungebantur ; oculi vero deciderunt a sedibus suis, dependentes per radices suas

ad genas ; crines quoque quasi ab igne combusti aruerunt ; cerebrum autem rumpebatur, defluens per nares et per aures ; lingua extendebatur, dentesque comprimebantur ; ossa etiam in brachiis confringebantur et contorquebantur ut funes. Porro manus decoriatæ ligabantur ad collum ; pectus vero et venter tam fortiter dorso conjungebantur, quod costis confractis cor cum omnibus interioribus eversum crepuit ; femora vero pendebant ad latera, ossaque confracta extrahebantur eo modo quo filum tenue solet in globum conglomerari. — Ecce per omnia ista imaginarie visa significabatur, quod qualem pœnam haberet homo, si per possibile sic violentaretur ac torqueretur in corpore, quod universa membra ejus ac intestina taliter dissiparentur, talem, imo inenarrabiliter graviorem in purgatorio pœnam sustinet anima.

Præterea, Mirabilis illa Christina, cujus Legendam conscripsit doctus vir, suffraganeus episcopus, qui et librum Apum composuit, illa, inquam, virtuosa mirabilisque Christina, post primam suam a morte resuscitationem reducta ad corpus, interrogantibus quid sibi post egressum de corpore contigerit, dixit : Statim ut defuncta sum, susceperunt animam meam angeli lucis, et deduxerunt eam in locum tenebrosum ac horridum, animabusque hominum plenum. Tormenta quæ ibi vidi, tanta tamque crudelia erant, quod nulla id lingua valet exprimere ; et cogitante me quod esset infernus, angeli responderunt purgatorium esse. Inde duxerunt me ad pœnas inferni, et inde in paradisum coram Domino majestatis : qui quum me hilariter accepisset, super omnem modum gavisa sum, putans me ibi æternaliter cum Domino permansuram. Qui ait ad me : Revera, dilectissima mea, hic mecum eris ; sed duorum optionem nunc tibi propono, videlicet mecum manere, vel reverti ad corpus, et in eo pati pœnas satisfactorias pro ereptione animarum quas in purgatorii pœnis vidisti. Me autem sine hæsitatione mox eligente reditionem ad corpus, jubente Domino statim revixi.

Thom. Cantimpratensis.

Præterea, quam verissima fuerit ista mirandæ Christinæ relatio, probant immanissima tormenta quæ post resuscitationem sponte sustinuit, imo sibi ipsi inflixit. Intravit enim frequenter ardentissimos clibanos pro panum decoctione paratos, in quibus tam vehementissime cruciabatur, ut præ angustia clamitaret : nec tamen in ea egrediente ulla apparuit læsio. Sæpe quoque in ignium incendia se projecit, et in cacabos plenos bullientes intravit usque renes vel ubera, ac reliquis membris aquam bullientem propriis manibus superfudit, et præ dolore clamavit velut parturiens : exiens tamen non habuit læsionem. Interdum etiam, imo multoties, in aquas congelatas se præcipitavit, et sub glacie sex diebus aut amplius morabatur. Quandoque inter suspensos ad patibulum se suspendit, et biduo mansit suspensa ; deinde illæsa descendit, et mortuorum intravit sepulcra, deflens ibi hominum vitia. Tempore quoque hiemali consuevit sub rotis molendinorum stare erecta, ita quod aqua corruebat super caput ejus et membra, ceciditque interdum super rotarum circuitum : et tamen rediens fuit illæsa.

Frater. — Numquid et tu qui naturalis rationis viges acumine, atque in philosophicis es eruditus scientiis, credis hæc vera esse ?

Dionysius. — Male et nimis male naturali viget acumine atque scientia acquisita, qui ex hoc ea quæ fidei sunt seu fide digna narratione inveniuntur, suo præsumit ingenio mensurare, dijudicare et coarctare. Denique, quæ præfatus auctor Legendæ Christinæ Mirabilis de ea conscribit, et jam partim commemorata sunt, probat idem descriptor testimonio reverendi patris Jacobi Aconensis episcopi, postea cardinalis, qui se eam et ejus mirabilia vidisse testatur. Imo et alia multa prætactis mirabiliora narrant de ea. Ego quoque in loco quo fuit sepulta, fui frequenter ; et dum in pueritia in oppido

S.Trudonis scholam frequentavi, scholares ex relatu suorum parentum sæpe loquebantur de ea.

Frater. — Quia jam de particulari judicio singulorum et pœnis purgatorii ac inferni ac punctis hæc concernentibus tam diligenter et plene locutus es, precor ut in fine hujus dialogi aliqua scribas qualiter debeamus nos quotidie ad mortem et ad mite judicium Dei disponere, ne incidamus rigorem divinæ justitiæ, de tentationibus quoque quæ solent agonizantibus magis esse molestæ, et de remediis contra eas, et qualiter muniendus sit agon et exitus morientis.

Dionysius. — Pia, fructuosa ac sapientialis petitio : ad cujus impletionem utinam essem idoneus. Attamen te orante pro me, tentabo pro viribus adimplere quod postulas.

ARTICULUS XXXIV.

De præparatione quotidiana ad mortem et ad mite judicium.

Dionysius. — Quemadmodum tota vita sacerdotis timorati cupientis celebrare devote, debet esse continua præparatio incessabilisque dispositio ad celebrandum condigne, ita ut diligentissime vitet quidquid impedimentum est celebrationis devotæ ac fervidæ, et quidquid ad eam disponit ac confert viriliter apprehendat et exsequatur, ita tamen ut hora celebrationis instante, per specialia et peculiaria quædam exercitia devotionalia orationum, meditationum, psalmodiarum, contritionis, confessionis et satisfactionis ad instantem celebrationem se præparet ; sic tota conversatio cujuslibet Christiani Deum timentis ac mori salubriter cupientis, debet esse una jugis præparatio ad mortem et ad particulare judicium Dei, ita nihilo minus ut gravi seu letali ægritudine incumbens ipse infirmus, per exercitia apta ac specialia, per suæ conscientiæ diligentissimam discussionem, per plenam contritionem et integram confessionem, per profundissimam sui cordis coram Deo prostrationem, per orationes ardentes, per meditationes de passione dominica, de imminente sibi divino judicio, de suppliciis impiorum et gaudiis electorum, per grande et integrale totius emendationis propositum, per Eucharistiæ affectuosam susceptionem atque per sacram Unctionem præparet se ad mortem et ad occurrendum Judici metuendo.

Itaque optima et vere tutissima ad mortem dispositio est, tempore sanitatis et juventutis taliter Deo servire et ita se coram ipso in cunctis habere, ut in extrema, summa et periculosissima illa necessitate mereatur homo non derelinqui, sed adjuvari, conservari ac salvari a Domino, quemadmodum et Psalmista oravit : Quum deficiet virtus mea, ne derelinquas me. *Ps.* LXX, 9. Porro, si quis ita non egit, non tamen in extremis desperet, imo tunc saltem per confessionem et alia jam prætacta ad salubrem exitum se disponat. Sed inæstimabiliter periculosum est tam diu differre, quemadmodum quarto libro Magister Sententiarum ex verbis comprobat Augustini, dicentis : Si quis positus in ultima necessitate voluerit accipere pœnitentiam et accipit, sicque decedit ; fateor vobis, non illi negamus quod petit (puta viaticum aut pœnitentiam), sed non præsumimus quod bene hinc exeat. Numquid dico, Damnabitur ? Sed nec dico, Liberabitur. Si ergo vis a dubio atque periculo liberari, age pœnitentiam dum sanus es. Si sic agis, dico tibi quod securus es : quia pœnitentiam tunc egisti quando peccare potuisti. Si vis pœnitentiam agere quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Nullus ergo exspectet quousque peccare non potest. Arbitrii enim Dominus quærit libertatem, ut delere possit commissa, non necessitatem ; caritatem, non tantum timorem, quia non in solo timore vivit homo. Quem igitur sero pœnitet, oportet non solum timere Judicem, sed etiam diligere, quoniam sine

dist. XX A.

caritate nemo potest salvus esse. Non itaque tantum timeat pœnam qui pœnitet, sed anxietur pro caritate et gratia. Sed quoniam vix vel raro est in fine tam justa conversio, timendum est de pœnitente sero. Attamen, quoniam Deus semper potens et pius est, semper etiam in morte potest juvare ; sed quoniam multa sunt quæ tunc impediunt et languentem retrahunt, periculosissimum est interituique vicinum, usque ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium.

Hinc iterum loquitur Augustinus : Plane aut non aut vix invenio te mortis tempore aliquam posse pœnitentiam facere. Tunc namque omnes potentiæ et virtutes sunt occupatæ vehementia mortis, et destituta sunt omnia libertate. Hinc quoque Hieronymus : Qui dum sanus et juvenis est, Deum offendere non veretur, in morte indulgentiam non meretur. O carissimi filii, qualis est pœnitentia illa quam tunc et idcirco quis accipit, quando et quia se diutius non posse vivere cernit ? Hinc etiam ait Bonaventura, quod anima in extremis ita intenta est dolori mortis et ægritudinis, quod vix potest redire ad se. In Horologio quoque æternæ sapientiæ in persona improvise ac indisposite morientis sic dicitur : Quomodo possum me modo convertere ? et qualiter nunc valeo veraciter pœnitere ? Nonne vides angustias mortis me prementes? Ecce timore et horrore tam vehementer perterritus sum, sic alligatus sum vinculis mortis et anxietatibus nimiis premor, ut quid agendum sit non videam.

Frater. — De horum veritate non ambigo. At, ut cerno, non tantum sæcularibus prave viventibus, sed religiosis quoque se negligenter habentibus grande instat periculum : quoniam sicut homo se habet circa Deum dum sanus et fortis est, sic Deus se habet circa illum dum letali ægritudine contabescit. Sed quum naturale sit homini libenter gaudere, recreationem amare, faciliterque resolvi in risum et tristia fugere, per quæ omnia solet saluberrima et A intenta mortis consideratio tolli a corde et mentis compunctio dissipari, imo et præfata ad mortem præparatio impediri ; precor te, ostende mihi talem de morte ac moriente imaginationem, ut per eam possim abjicere omnem cordis dissolutionem, inanem lætitiam, vanitates, jocos ac risus.

ARTICULUS XXXV.

Qualem debeat homo imaginationem de morte ac moriente suo cordi imprimere B *atque assidue diligenter revolvere.*

Dionysius. — Sicut is qui vult de passione et morte Domini nostri Jesu Christi fructuose et optime cogitare, ita debet imaginari ac si jam ipso cernente Christus comprehendatur, conspuatur, et omnia illa sustineat quæ eum evangelica historia pertulisse testatur, hoc est, quasi propriis corporalibus oculis videat innocentissimum ac mansuetissimum Filium Dei nudari, alligari columnæ et atrocissime flagellari, C spinis coronari, cruci affigi, diris clavis per sacratissimos pedes et manus tenerrimas transforari atque violentissime in cruce distendi, et in tam vehementissimo dolore ibi pendere ; ita qui cupit compunctam et saluberrimam mortis considerationem assumere, imprimat cordi qualiter qui infirmatur usque ad mortis extremum perducatur articulum, et quasi præsentialiter videat aliquem morientem.

Imaginare ergo et corde recollecto diligentissime cogita qualiter homo dum morti D propinquat, jacet in lecto miserabilis, viribus destitutus, relicturus omnia quæ in hoc mundo habuit et male amavit, et aliud sæculum ingressurus, moxque metuendissimo Judici præsentandus, et se ipsum amplius juvare non valens, qui paulo ante tam fortis et agilis, tam jucundus, liber ac imperterritus videbatur. Perpende qualiter tunc frons obduretur, corpus rigescat et cadant capilli, labiaque pallescant et oculi errent ac evertantur, manus nigrescant, vultus pallescat, pulsus

caprizet habitusque deficiat, et amarissimæ mortis puncturæ interiora circumdent et ipsum cor premant ac penetrent, mox quoque adsit sudor mortis, naturam esse victam demonstrans ac membra pertransiens. Tunc certe commoventur custodes domus et nutant viri fortissimi, et otiosæ exsistunt molentes et tenebrescunt videntes per foramina. Tunc rumpitur funis argenteus et recurrit aurea vitta, atque conteritur hydria super fontem ac rota confringitur super cisternam : quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, reverteturque pulvis in terram, et redibit spiritus ad Deum qui dedit illum. Quumque naturalia ista sint ita pœnosa, tamen aliunde instant graviora et magis horrenda, videlicet teterrimi et larvales dæmonum vultus, acerbissimæ etiam impugnationes eorum et metuendissimum Dei judicium. Intuere quibus et qualibus angustiis, doloribus atque terroribus misera anima concutiatur, dum exterioribus sensibus a suo actu cessantibus ad se ipsam revertitur, et universa sua peccata subito ac clarissime intuetur, imminentes sibi malignissimos ac procacissimos spiritus cernit, et super omnia pavendum præstolatur judicium. Insuper ipsa mors ineffabiliter est amara, in tantum quod quidam precibus S. Hieronymi resuscitatus a mortuis dixit Cyrillo : Anima mea corpus reliquit tam graviter et amare, quod certe quantæ fuerunt illæ angustiæ et pressuræ non caperet mens humana, nisi ut ego experientia didicisset. Si enim omnis hominum intelligentia universas quas vellet angustias et dolores excogitaret, omnia reputarentur pro nihilo respectu dissolutionis animæ a corpore.

Eccle. XII, 3, 5-7.

Si hanc morientis effigiem cum universis circumstantiis nunc prætactis nostræ memoriæ imprimeremus firmissime, et recogitaremus assidue ac profunde, puto quod nec ridere nec jocari nec levitatibus aut vanitatibus locum tribuere delectaret.

Frater. — Vere salubris doctrina suavissimumque consilium ; atque (ut puto) istud est scire mori et vera ars moriendi.

Dionysius. — Scire mori, est adimplere id quod in Evangelio ait Salvator : Vigilate, omni tempore orantes, quia nescitis diem neque horam. Hoc est digne Deo conversari juxta exigentiam propriæ vocationis aut professionis, et cum metu, timore ac tremore propriam operari salutem, sicque paratum esse ad mortem : quod est omni die ita se coram Deo habere, ac si in eo tollendi essemus de vita præsenti.

Luc. XXI, 36; *Matth.* XXV, 13. *Ephes.* IV, 1. *Philipp.* II, 12.

Frater. — Ut video, hucusque nimis negligens fui ac dissolutus.

Dionysius. — Bonum est se ipsum humiliter accusare, superest ut nos pariter et efficaciter emendemus.

Frater. — Restat ut de tentationibus quæ morituris et agonizantibus solent contingere et de remediis contra eas loquaris.

ARTICULUS XXXVI.

De tentationibus quæ agentibus in extremis accidere solent, et de remediis contra eas.

Dionysius. — In Apocalypsi legitur, quod ascenderit diabolus de abysso habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet : quod ad litteram a multis exponitur de principe tenebrarum et ejus impugnationibus quibus instante tempore generalis judicii et termino mundi, invasurus et tentaturus est genus humanum tanto invidiosius, acrius ac multiplicius, quanto brevius tempus tentandi sibi sciet esse residuum. Quemadmodum ergo tunc tam rabidissime adversus genus consurget humanum, ita (ut creditur) dæmones tanto gravius tentant eos qui letali infirmitate laborant, quanto certius vident sibi modicum temporis superesse, quo suis tentationibus poterunt illos ad aversionem a Deo et ad damnationis barathrum trahere.

Apoc. XII, 12.

Verumtamen tunc quoque locum habet quod ait Apostolus : Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari super id quod potestis. (I Cor. x, 13.) Denique angeli sancti in hora tam extremæ et summæ necessitatis non minus solliciti sunt ad subveniendum, quam angeli tenebrarum ad seducendum.

Præterea, sicut sanctus docet Ambrosius, callidissimi ac impiissimi dæmones tempore mortis specialiter enituntur hominem a fidei veritate avertere, et alicui periculoso errori doctrinæ Ecclesiæ contrario implicare, quoniam fides est totius spiritualis ædificii fundamentum et radix merendi ac oculus mentis. Prima ergo morientium impugnatio solet esse de fide, qui tunc sacramentum accipiunt Eucharistiæ, in quo sola fides præcipue habet locum. Huic maledictæ tentationi non potest homo nec in vita neque in morte melius salubriusque resistere, quam eam tanquam diabolicum quoddam susurrium penitus contemnendo et irridendo, imo nec advertendo, atque simpliciter intra se cogitando : Ego firmissime credo sicut sancti Apostoli, innumerabiles martyres, infiniti et gloriosissimi confessores ac virgines sanctæ et universalis Ecclesiæ Dei Sancti crediderunt et docuerunt : quorum fidem et doctrinam Deus omnipotens, neminem fallens, per innumerabilia miracula sibi soli possibilia confirmavit, et de quorum sanctissima vita nullus potest ambigere ; qui omnes per fidem hanc Deo placuerunt, quos et Deus fidelis ac verus mirificavit tam in vita eorum quam in morte atque post mortem.

Secunda tentatio qua impiissimi spiritus solent in extremis aliquos impugnare, est de impietate blasphemiæ, et ut turpe ac indecens cogitent aliquid de Deo aut Sanctis ejus : qua tentatione vehementissime invaserunt S. Eusebium, Hieronymi gloriosi discipulum. A qua tentatione debet se homo omnino avertere, et intra se dicere : Ego sum certus quod Deus est summe et infinite bonus, perfectus et superlaudabilis, et omnes Sancti ejus omni virtute repleti sunt. Tu autem, diabole, omni malitia, falsitate, invidia et vituperabilitate es plenus : ideo ex hoc ipso quod tu suggeris mihi ista, scio quod falsa et prava ac pessima sint. Absit a me in æternum ut de Deo et Sanctis ejus indignum quid sentiam.

Tertia tentatio est de desperatione. Nempe, ut sanctus vir Climacus scribit, (Scal. parad. grad. vi.) dum homo est sanus, persuadet ei diabolus quod Deus vere et infinite misericors sit, et pœnitentiam hominis etiam in fine vitæ acceptet, idcirco interim non esse tam grande ut fertur periculum. Sed hora mortis jam imminente, suggerit homini Deum inflexibilem ac prorsus justissimum esse, nullumque peccatum manere inultum, et pœnitentiam ex timore prodeuntem esse inutilem. Tunc quoque reducit infirmo ad memoriam universa peccata quæ fecit, et quanta bona omisit, et ea vehementer exaggerat, et præsertim quæ homo confessus non est ; sicque multos ad desperationis pertrahit lacum, quos ante ad præsumptionem, securitatem negligentiamque induxit. Hæc tentatio multos in hora illa tam graviter vexat, sicut et quidam a morte resuscitati testati sunt, quod absque speciali et gratioso Dei auxilio nequeat superari. Contra quam optimum exstat remedium, ut homo intra se dicat : Certus sum quod desperatio maxime displiceat Deo, et quod infinitam Dei bonitatem, pietatem ac veritatem gravius non possim inhonorare atque offendere quam desperando de ea. Absit ut putem majorem esse meam pravitatem quam Dei bonitatem, aut meam impietatem quam Altissimi pietatem. Ipse quoque, qui mentiri non potest nec fallere, omni vere pœnitenti et in se speranti ipsumque invocanti, misericordiam indulgentiamque spopondit. Incomprehensibilis, omnipotens et immensa est bonitas ejus ac pietas, quæ omnem meam iniquitatem infinite excedit. Non igitur desperabo de Deo creatore ac salvatore meo, sed in ipso, etiamsi occiderit me, sperabo. (Job xiii, 15.) In Deo salutare meum et gloria mea ; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. (Ps. lxi, 8.)

Quarta est de nimia securitate, seu gloria vana, aut sui ipsius complacentia periculosa ac stulta : quia, ut instruit Cassianus, dum impius ille tentator hominem ad desperationem, pusillanimitatem aut diffidentiam superfluumve timorem non potest allicere, conatur eum ad periculosam securitatem, complacentiam fatuam aut gloriam inanem perducere, persuadendo eidem : Euge, euge, quam bene prævaluisti! quam bene te habuisti! quam prudenter te præparasti ad mortem! quantum habes Deo regratiari! quam secure hinc exies! quanta tibi jam restat felicitas! Contra tentationem istam pestiferam remedium est sapientiale et prorsus salubre, ut homo intra se dicat : *Eccle.* IX, 1. Nescit homo an amore sit dignus, an odio; *I Cor.* IV, 7. et, Quid habes quod non accepisti? et *Ibid.* I, 31. item, Qui gloriatur, in Domino glorietur; et quia alia sunt judicia Dei, et alia hominum; *Luc.* XVIII, 11, 12, 14. et quod Pharisæus qui justificavit et magnum reputavit se ipsum, fuit desuper reprobatus. Verumtamen aliqui virtuosi ex inspiratione et consolatione specialique gratia Spiritus Sancti solent in extremis gaudere in Domino, et mortem tanquam amicam imperterrito animo præstolari atque hilariter acceptare. Porro securius est inter timorem et spem mori, hinc ex divina misericordia confidendo, hinc ex propria culpa et insufficientia metuendo.

Quinta tentatio est de impatientia, quæ solet accidere eis qui longa et gravi ægritudine consumuntur. Contra quam verum exstat remedium, ut intra se pensent ac recognoscant hujusmodi ægritudinem esse signum divinæ dilectionis et visitationem Dei paternam, atque culparum purgationem, redemptionem quoque et evasionem majorum suppliciorum quæ hanc vitam sequuntur, et occasionem, imo et præparationem ad gratiam ampliorem et ad protectionem divinam. Consideratio quoque dominicæ passionis intenta valet ad reprimendum impatientiam istam.

Sexta tentatio est stulta spes evadendi infirmitatem ac vivendi diutius : ex qua sequitur dilatio confessionis et impræparatio mortis. Contra quam remedium est partem eligere tutiorem, nec vanis spebus præbere auditum, neque periculo se ipsum committere, nec consolatores carnales advertere.

Septima est immoderata occupatio circa rem familiarem et sobolem ac propinquos, et circa terrena, quæ relinquere mox oportet. De quibus debet se homo expedire, et rebus rite dispositis atque præsentibus salubriter admonitis et instructis, se totum ad Deum convertere, et quæ suam concernunt salutem pensare.

Frater. — Placent hæc dicta, et bonum est præcognoscere ea : quia, ut fertur, jacula prævisa minus percutiunt; quemadmodum etiam ait Scriptura, frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. *Prov.* I, 17. Idcirco peropto ut plenius exsequaris de ista materia, qualiter imminente jam morte adsistendum sit migraturo, et qualiter ipse habere se debeat.

ARTICULUS XXXVII.

Qualiter adsistendum sit mox morituris, et quomodo ipsi debeant se habere.

Dionysius. — Hora tantæ necessitatis ac periculositatis instante, debet unusquisque fidelis caritatem suam ad proximum migraturum tanto ferventius abundantiusque monstrare, quanto tunc major est indigentia, et præsertim omnis prælatus seu ejus vicarius ad sibi commissos, ne ex negligentia sua ovis sibi credita, ab infernalibus illis lupis crudelissimisque prædonibus et procacissimis ac fallacissimis hostibus devoretur, decipiatur, ac omnium Creatori Salvatorique animarum æternaliter auferatur. Pastor ergo et custos ac medicus animarum tunc præcipue curet adesse migraturo, pro quo et ipse coram Deo rationem reddere obligatur. *Hebr.* XIII, 17. Quod si personaliter adesse convenienter nequiverit, cum diligentia summa disponat ut devotæ, religiosæ et prudentes personæ

adsistant illi quousque exhalaverit spiritum. Providendum est quoque ut sancta crux tunc ante morientis oculos collocetur, et aqua benedicta super ipsum et undique circa lectulum ejus sæpius adspergatur. Insuper aliqua persona ad hoc magis idonea sedeat assidue juxta ægrum mox decessurum, et eum diligenter et opportune, ferventer et devote exhortetur de necessariis ac pertinentibus ad salutem, quamdiu capax esse videtur ; specialiter vero admoneatur ut nulli diabolicæ suggestioni, nulli mortiferæ tentationi præstet consensum, imo omnibus illis viriliter reluctetur, in infinita Dei misericordia confidendo, ac viscera pietatis divinæ humiliter invocando. Et si assidens deprehendere poterit qua tentatione moriens impugnetur, debet eum specialiter contra illam tentationem armare, commemorando ei congrua contra illam remedia. Universi demum qui adsunt, debent pro ejus defensione, conductione et salute indesinenter cum omni compunctione et fervore orare, excluso omni carnali et inordinato amore omnique impertinenti occupatione. Admonendus est etiam æger ut Christi passionem attendat, et Christum pro se passum mentaliter amplectatur, atque pro universis beneficiis suis ei pro posse regratietur. Providendum est item ut aliquis passionem Christi tunc legat, et Symbolum fidei alta voce legatur ac sæpius repetatur, præsertim obitu ægri jam de proximo imminente; sed et septem psalmi pœnitentiales cum litaniis cum ingenti devotione legendi sunt.

At vero de interrogationibus quæ proponendæ sunt ægris spiritualibus sæcularibusve personis, Anselmus et Cancellarius Parisiensis aliique satis conscribunt ; et ut videtur, sufficit ut breviter a migraturo quæratur : Tu credis quidquid sacra Scriptura et sancta mater Ecclesia docent esse credendum? Quo respondente quod imo, quæratur : Tu doles quod Dominum Deum tuum unquam offendisti, et velles quod magis inde doleres ex vera caritate et zelo

A justitiæ, non ex solo servili timore? Quo respondente quod imo, quæratur : Tu petis tibi de omnibus tuis peccatis ab infinita Dei misericordia misericordissime indulgeri? Quo respondente quod imo, quæratur : Tu habes propositum integrum nunquam peccandi de cetero, et serviendi Deo perpetue, si contigerit te sanari ? Quo respondente quod imo, addatur : Tu in hac hora commendas animam tuam tuo benignissimo ac fidelissimo Creatori, et nunquam vis separari ab eo, et merito

B passionis Domini nostri Jesu Christi optas salvari, atque a gloriosissima virgine Maria et a sancto angelo tuo et ab omnibus Sanctis Dei postulas in hoc tempore et in omni hac tua necessitate juvari, et in omnium horum de quibus te interrogavi affectione, ac fide cupis separari a corpore ac summo Judici præsentari? Quo respondente quod imo, persona interrogans dicat : Et ego et omnes qui adsumus, commendamus te infinitæ misericordiæ Dei tui, ut ipse te defendere et salvare dignetur, et

C meritis Domini nostri Jesu Christi, ut tibi succurrant et tuum suppleant imperfectum, ac precibus beatissimæ Genitricis Dei, virginis Mariæ, omniumque Sanctorum et sancti angeli tui, ut te circumdent et incessanter finaliterque conservent.

Præterea, ipse æger satis tempestive est admonendus, præsertim a suo superiore, quatenus dum adhuc bene compos est mentis, plene et integre confiteatur, et omni vana spe convalescentiæ spreta omnia sua disponat, cunctis indulgeat, sibi ab

D omnibus indulgeri precetur, ablata et cuncta bona injuste adepta seu habita reddat, et debita sua persolvat, et pro sua subventione largiatur Ecclesiæ et egenis pro posse. Instruendus est quoque, quod confessio ex solo timore servili facta non proficiat ad salutem, ideoque de universis peccatis suis studeat pœnitere ac confiteri ex caritate et zelo justitiæ, in quantum fuerunt displicentia Deo et offensiva ac inhonorativa sanctitatis ac majestatis divinæ. Quibus peractis, cum omni posse suo mentem

suam convertat ad Dominum, ejus misericordiam invocando, ejus pietati et gratiæ se recommendando; divinæ liberalitati ac beneficentiæ grates præcordiales agendo, divinæ voluntati suam voluntatem humiliter conformando atque subdendo; divinæ quoque æquitatis rigorem sapienter timendo, in sola Dei pietate et gratia confidendo, et omne bonum ac meritum Deo plene ac integre adscribendo; insuper recolendo acerbissimam passionem Domini nostri Jesu Christi, et cetera beneficia ejus, et omnem caritatem ipsius ad homines; invocando quoque ex corde Virginem gloriosam et Sanctos, eos præsertim ad quos majorem habet devotionem, et sanctum angelum suum; omni item pravæ suggestioni prorsus dissentiendo, et patientiam conservando in omnibus, ac summe curando ut in pura ac ferventi affectione ad Deum seu in sincera conversione ad ipsum recedat a corpore, certus quod in tali conversione seu aversione æternaliter permanebit in qua a corpore suo recesserit.

Frater. — Quia hæc omnia catholice ac saluberrime descripsisti, restat ut aliquas orationes ferventes, a migraturo, si poterit, alias a præsentibus proferendas, conscribere nunc digneris : quo facto, te ad alia festinantem, de hac materia amplius fatigare non volo.

ARTICULUS XXXVIII.

Orationes a migraturo dicendæ, vel ab his qui adfuerint ei.

Dionysius. — Diversis hominibus diversæ orationes conveniunt. Porro inter omnes orationes sententiosissima, excellentissima et communissima est Oratio illa dominica, quam Dominus et Salvator
Matth. VI, 9. proprio ore edocuit, dicens : Sic orabitis, Pater noster qui es in cœlis. Hanc ergo orationem sanctissimam tam infirmus quam qui ei adsistunt possunt frequentius Deo offerre ac iterare. Unde de S. Hugone
A Gratianopolitano episcopo legitur, quod in extremis laborans, una nocte trecentis vicibus Orationem istam dominicam devotissime iteravit.

Aliquibus autem infirmis magis sapiunt psalmi, et eos libentius legunt et faciunt coram se legi quousque spiritum tradunt. Unde et S. Augustinus agens in extremis, septem psalmos pœnitentiales fecit in pariete scribi et oculis suis opponi : quos legens ac intuens, flevit uberrime. Aliqui vero in quibusdam psalmorum versiculis
B amplius delectantur, ut in illis : Domine, *Ps.* XXV, 8.
dilexi decorem domus tuæ, etc. ; Quam *Ps.* LXXXIII, 2.
dilecta tabernacula tua, Domine virtutum !
etc. ; Quemadmodum desiderat cervus ad *Ps.* XLI, 2.
fontes aquarum, etc., et in quibusdam sequentibus psalmi illius versiculis. Et isti atque consimiles versus magis deserviunt hominibus in caritate ferventibus ac perfectis. Sunt autem et alii versus, imperfectis et pœnitentibus magis deservientes,
videlicet : Domine, ne in furore tuo argu- *Ps.* VI, 2.
as me, etc. ; Domine, ne memineris ini- *Ps.* LXXVIII, 8.
C quitatum nostrarum antiquarum, etc., cum
versu et semiversu sequentibus ; Mirifica *Ps.* XVI, 7.
misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te ; Miserere mei, Deus, cum *Ps.* L, 3.
multis versibus psalmi illius; et multi consimiles versus. Sunt insuper alii devotissimi versus, tam perfectis quam imperfectis morientibus convenientes, ut isti et
consimiles versus : Illumina oculos meos, *Ps.* XII, 4, 5.
ne unquam obdormiam in mortem, nequando dicat, etc. ; Ne derelinquas me, *Ps.* XXXVII, 22, 23.
Domine Deus meus, ne discesseris a me ;
D intende in adjutorium meum, Domine,
Deus salutis meæ ; A resistentibus dexteræ *Ps.* XVI, 8.
tuæ custodi me ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me, etc. ; Cor *Ps.* L, 12, 13.
mundum crea in me, Deus, etc. ; ne projicias me a facie tua, etc. ; Dirupisti vin- *Ps.* CXV, 16, 17.
cula mea, tibi sacrificabo, etc. ; Illustra *Ps.* XXX, 17.
faciem tuam super servum tuum, salvum
me fac in misericordia tua, etc. ; Clamavi *Ps.* CXLI, 6, 8.
ad te, Domine, dixi, Tu es spes mea, portio mea, etc. ; educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo, etc. Præ-

terea versus iste dignissimus a Christo in *Ps.* xxx, 6; *Luc.* xxiii, 46. cruce prolatus, In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, est agonizanti ac morienti, etiam quamvis advertere nequeat, sæpissime ingerendus ac insonandus, quoniam grandem et specialem vim habet.

Præfati itaque et consimiles versus a morituro sunt proferendi, vel si eos proferre non valet, ab aliquo ei præsenti sunt ipso audiente pronuntiandi, et qui morientis dispositioni magis conveniunt, sunt ei specialiter proponendi ; laicis quoque in Teutonico possunt proponi. Potest etiam dici hic hymnus : Maria, Mater gratiæ, Mater misericordiæ, etc.

ARTICULUS XXXIX.

De specialibus orationibus tempore mortis.

Dionysius. — Præter orationes prætactas possunt et aliæ orationes devotæ ac fervidæ pro moriente offerri, imo et ab ipso (si valet) proferri, modica mutatione facta in verbis.

Itaque ad Deum Patrem potest ista effundi oratio : O Pater omnipotens et æterne, *II Cor.* i, 3. Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, tuam deprecamur bonitatem superpiissimam et immensam, per *Joann.* iii, 16. ineffabilem illam caritatem qua dilexisti genus humanum, quando unigenitum atque carissimum Filium tuum misisti in hunc mundum pro nostra redemptione, et ipsum ex sacratissima ac mundissima virgine *Baruch* iii, 38. Maria voluisti incarnari, et inter homines conversari, ac tandem acerbissimam *Sap.* ii, 20. et ignominiosissimam mortem subire, ostende, o Domine, in hac hora pietatis tuæ abyssum et caritatis tuæ dulcedinem in hac tua rationali creatura nunc mortaliter infirmante, et ad te Patrem spirituum redeunte ; ostende ei, o clementissime ac supergloriosissime Deus Pater, lucem miserationum tuarum. O Deus sancte, fortis et immortalis, conforta mentem ejus in te, intellectum ejus illumina, voluntatem ejus accende et conserva in te A omnium ultimato ac beatifico fine, summo et incommutabili, infinito et incomparabili bono ; protege eam, o præstantissime Pater, ab omni adversaria potestate, ab omni occursu contrario, a tentationibus universis ; non secundum peccata sua *Ps.* cii, 10. facias ei, sed secundum tuæ benignissimæ bonitatis immensitatem, secundum tuam caritatem affluentissimam et paternam, secundum multitudinem miserationum tuarum, ei nunc, o superdulcissime Deus Pater, misereri et indulgere, parcere ac B adesse digneris, et suscipe spiritum ejus in brachiis tuæ dilectionis, per Unigenitum tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, per universa mysteria et beneficia ejus, per omnia quæ ipse pro nostra salute assumpsit, fecit ac passus est, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alia oratio ad Deum Patrem.

Domine Deus, Rex omnipotens, in cu- *Esther* xiii, 9. C jus dispositione atque imperio universa sunt posita ; cujus voluntati nullus potest resistere, qui juxta tuam omnipotentem, sanctam, supersapientissimam atque liberrimam voluntatem facis tam in Virtutibus cœli quam in habitatoribus terræ ; cui nullus dicere potest, Quare sic fa- *Eccle.* viii, 4. cis ? qui quibus vis misereris, et quos vis *Exod.* xxxiii, 19 ; *Rom.* ix, 18. induras : aperi oculos tuæ misericordissimæ pietatis super hanc tuam miserabilem creaturam viribus destitutam, in extrema necessitate ac summo periculo constitu- D tam, hostibus suæ salutis ac adversariis tui honoris horribiliter ac malitiose undique circumvallatam. O Pater altissime, ne memineris iniquitatum quas ex humana fragilitate aut ignorantia, aut alia quavis causa seu occasione incidit aut commisit. Attende, o benignissime ac suavissime Pater, quam prona sit humana natura ad la- *Gen.* viii, 21. psum, quanta sit ejus infectio, quam proclivis sit ex se ipsa humana conditio ad peccandum. Quid, o superexcellentissime Pater, est genus corruptibile, luteum vas,

carnale ac mortale figmentum, ut ita amariceris de eo, et viscera misericordiæ tuæ super illud contineas, et permittas illud perire? Memento, o Domine, quod propter miseros peccatores misericors appelleris. Idcirco, o fons totius pietatis et gratiæ, ob tuam infinitam potentiam conforta in te hanc tuam deficientem ac debilem creaturam, propter immensam sapientiam tuam animam ejus illustra, propter tuam abyssalem et interminabilem pietatem universis culpis ejus ignosce, propter omnem beatitudinem tuam prorsus illimitatam libera eam ab infernali miseria, et ab omni calamitate eam circumdante ac opprimente. Da ei, sanctissime Pater, cum tanta contritione a corpore emigrare, ut benignissime suscipiatur a te, per Unigenitum tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, per preces et merita clementissimæ Virginis, tibi, o Pater æterne, comparentalis, per intercessiones ac merita totius triumphantis Ecclesiæ et omnium viatorum tibi placentium, qui cum Unigenito tuo et adorando paracleto Spiritu unus es verus, solus ac summus Deus. Amen.

Tertia ad Deum Patrem oratio.

Ephes. III, 14, 15. O Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, a quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur, cui proprium est mi-
Is. XXVIII, 21. sereri ac parcere, a quo alienum et peregrinum est irasci, punire ac vindicare: obsecramus te, o superpiissime et superdulcissime Pater, per communicationem illam ad intra qua totam deitatis tuæ plenitudinem communicas unigenito Filio tuo per generationem æternam, atque Spiritui Sancto per diffusionem æternam et immanentem, effunde super hanc tuam creaturam pauperem et infirmam, omni solatio destitutam, liberalissima dona gratiæ tuæ; præveni et converte eam piissime, applica eam tibi, o gratiosissime Domine; fac eam, o gloriosissime ac sere-
Ps. LXXXVIII, 23. nissime Deus Pater, esse vas misericordiæ tuæ immensæ; nihil proficiant in ea ad-

A versarii humanæ salutis; protege eam sub *Ps.* XVI, 8.
umbra tuæ omnipotentis virtutis. In tanta tentationum et afflictionum caligine animam ejus irradia gratiarum tuarum suavissima luce, et consolationum tuarum interna tranquillitate. Periculum ejus in manibus *Esther* XIV, 4.
ejus est, et nunc in unius horæ momento, aut æternæ damnationis sententiam merebitur obtinere, aut in tua caritate et gratia decedendo judicium salvationis perpetuæ consequetur. Ecce, o Pater adorande et benedicte, qui a nobis pauperculis
B atque fragilibus creaturis, ad omne malum pronissimis, pater appellari dignaris, ecce quam infinitum periculum! Misericordissime ergo succurre, o clementissime ac fidelissime Pater, nec in hac periculosissima hora auferas misericordiam tuam salvificam a creatura hac agonizante, sed eam benignissime intuere, corrobora, salva, posside per Unigenitum tuum in caritate et pietate Spiritus Sancti, intervenientibus omnibus Sanctis tuis pro ea, ad laudem et gloriam nominis tui.

C

Oratio ad Filium Dei prima.

Obsecramus te, Domine Jesu Christe, per caritatis tuæ ardorem quo te ipsum pro nostra redemptione tradidisti in mor- *Is.* LIII, 12.
tem, mortem autem crucis acerbissimam atque turpissimam, et per tui pretiosissimi pro nobis liberalissime fusi sanguinis pretium, per tuæ quoque amarissimæ passionis indeficientissimum ac copiosissimum meritum, atque per tuam
D dilectissimam Matrem, et suæ maternæ compassionis acerbitatem adsistentiamque fidelissimam qua adstitit tibi usque ad tuam in cruce exspirationem, mirifica pietatis tuæ abyssum in hoc tuo famulo (aut famula) a luce vitæ præsentis ad te omnium judicem metuendissimum pergente. Præpara animam ejus, o Domine, ad occurrendum tibi salubriter; nequaquam sine vera contritione ac filiali ad te conversione permittas eam separari a corpore. Visita et illustra mentem ejus visitatione

tua secreta, piissima et paterna, qua in A ictu oculi, in instanti convertis atque justificas impium, et de immundo efficis mundum. Mitte ei, o Domine et Salvator, auxilium gratiæ tuæ a throno gloriæ tuæ; et ea pietate qua latroni sero pœnitenti indulgentissime promisisti, Hodie mecum eris in paradiso, etiam in isto ostende viscera tuæ caritatis ac pietatis, et præcipe eum ad tuam misericordiam pervenire, Salvator mundi, Rex gloriæ, Princeps virtutum, Judex altissime, qui cum Patre tuo æterno et suavissimo Spiritu Sancto vivis B et regnas Deus per omnia sæcula æternaliter benedictus. Amen.

Job xiv, 4. *Luc.* xxiii, 43.

Oratio secunda ad Filium.

Propter caritatem illam superardentissimam et immensam qua tu, o unigenite Fili Dei, Patrem tuum æternum æternaliter diligis, atque ab eo infinito amore diligeris, animam hujus morientis tua caritate informa. Propter omnem suavitatem, amabilitatem ac munificentiam Spi- C ritus Sancti, charismata gratiæ tuæ in eo confirma, o sancte, juste et innocens Agne Dei, qui propter nos ab hominibus dijudicari dignatus es, et quæ non rapuisti, exsolvere voluisti, esto huic in exitu suo potius propitius advocatus quam judex severus. In tuis sanctis ac profundis vulneribus absconde eum, dulcissime Domine Jesu Christe, a cunctis hostium tentationibus atque insidiis. Tu, Domine, qui es via, veritas et vita, sine cujus ductu et gratia nemo venit ad Patrem, per viam D salutis duc eum in splendore summæ veritatis, ad vitam gloriæ æternalis. Ea pietate immensa qua respexisti Petrum, dum te ter negavit, et fecisti eum ex vera contritione flere amare, respice cor istius, et omnem obicem culpæ tolle ab eo: quatenus in sancta contritione decedens a carne mortali, mereatur a te stola immortalitatis vestiri, et te Regem gloriæ in tuo decore beatifice contemplari, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas per sæcula universa in cœlesti illa splendidissima ac amœnissima patria. Amen.

Ps. lxviii, 5. *Joann.* xiv, 6. *Luc.* xxii, 61, 62.

Oratio tertia ad Filium.

Domine Jesu Christe, Unigenite Patris summi, ob tuam te obsecramus dignissimam incarnationem, sanctissimam in hoc mundo conversationem, atque plenissimam caritatem quam omnibus nobis in cœna novissima demonstrasti, corpus tuum purissimum ac pretiosissimum sanguinem tribuendo discipulis in escam et potum, et per vehementem illam anxietatem qua contremuisti, quando post ternam tuam orationem factus est sudor ex tenerrimo corpore tuo erumpens sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, atque per omnem mansuetudinem, humilitatem et patientiam quas tempore passionis habuisti, dum a sceleratissimis transgressoribus captus, ligatus, consputus, irrisus, blasphematus et alapis cæsus fuisti; per omnem quoque dolorem quem sustinuisti, quando tam inhumaniter es flagellatus, spinis coronatus, propriis humeris crucem bajulans ductus, diris clavis perfossus, et in crucis patibulo violentissime es distentus et ipsam mortem perpessus; per omnem etiam compassionem qua tibi tunc condoluerunt discipuli et amici tui adstantes, specialiter S. Joannes et devotæ feminæ te secutæ, specialissime tua dilectissima Genitrix virgo Maria: esto in hora hac piissimus miserator hujus animæ a suæ carnis ergastulo recedentis, ad cujus devorationem concurrerunt et adstant tot lupi et dracones ac belluæ infernales, a quorum rabie, importunitate atque ferocia eam eruere modo digneris; circumda et imple eam lumine tuæ clementiæ, virtute constantiæ, caritatis ardore, et omni pietate ac gratia ei necessaria ad salutem. O Domine et Salvator, Rex, Judex ac Legifer noster, propter caritatem illam perfectam et ineffabilem pietatem qua in cruce pendens pro tuis crucifixoribus exorasti, indulge piissime huic mox migraturo, et

Matth. xxvi, 26, 27. *Luc.* xxii, 44. *Is.* xxxiii, 22. *Luc.* xxiii, 34.

nos pauperes servulos tuos exaudi nunc, A misericordissime Domine, deprecantes pro illo, ut angelica ope protectus, tuo metuendo tribunali præsentetur salvandus ac clementer tractandus, qui cum Patre et Spiritu Sancto unus es Deus æternaliter vivens et omnium dominans. Amen.

Oratio prima ad Spiritum Sanctum.

Adorande paraclete Spiritus Sancte, qui ex Patre et Filio æternaliter manas, cui bonitas, communio, pietas, pax, dulcedo, B caritas atque connexio appropriantur, obsecramus tuam liberalitatem piissimam et immensam, per tuam æternam ex Patre et Filio processionem, infunde nunc radium tuæ propitiationis in animam istam undique angustiatam; omnem malignorum spirituum falsitatem et obscurationem expelle ab ea ; diffunde in eam divitias gratiæ tuæ, eamque conforta et erige contra universam aciem vitiorum ac dæmonum ; fac eam plene contritam ad suum Creatorem fervide adspirare, et ad fontem totius pu- C ritatis ac sanctitatis purificatam venire.
Act. II, 1-4. Ea largitate ac dignatione qua in die Pentecostes in igneis linguis super Christi discipulos descendisti, et mentes eorum copiosissime adimplesti, splendidissime illustrasti et calidissime inflammasti, etiam nunc mentem animæ hujus hinc abeuntis benignissime imple, illumina et accende, et ad te totius salutis ac gratiæ fontalem originem digneris salvam perducere, qui cum Patre et Filio æternaliter vivis et regnas Deus verus, omnipotens. D Amen.

Oratio secunda ad Spiritum Sanctum.

Obsecramus bonitatem tuam munificentissimam atque dulcissimam, o Spiritus Sancte, qui es laborantium sublevator, periclitantium liberator errantiumque reductor, propter mutuum illum ardentissimum et immensum amorem quo tu verus Deus Patrem æternum et unigenitum ejus Filium æternaliter invariabiliterque amas et ab eis amaris, ostende nunc caritatem tuam in anima agonizantis istius. In hoc laboriosissimo ejus conflictu gratiosissime subleva eam, in tanto constitutam periculo misericordissime adjuva ; si in aliquo deviat, ne differas eam reducere ; septiformem gratiam tuam effunde in eam ; esto ei ductor et finis, beatificator et custos. Propter superliberalissimam illam donationem qua tibi a Patre et Filio data est deitatis plenitudo per æternam spirationem, inenarrabilem magnitudinem tuæ liberalissimæ benignitatis declara in anima ista hoc sæculum relinquente, quatenus educta de carcere hujus exsilii, inveniat hodie receptaculum gratiosum consolatoriumque hospitium, o superdignissime consolator Spiritus Sancte, qui cum Patre et Filio universorum es conditor, judex ac Dominus. Amen.

Oratio tertia ad Spiritum Sanctum.

O clementissime atque dulcissime Spiritus Sancte, quo Pater et Filius se invicem æternaliter diligunt, qui es amor amborum, pax serenissima, tranquillitas infinita, communio plena, sempiterna atque communis lætitia ; cujus dono et cooperatione celebrata sunt universa nostræ redemptionis mysteria ; de quo illibatissima ac divinissima virgo Maria Verbum Patris æterni, verum Deum, concepit ; tu qui ab exordio mundi gratiarum tuarum charismata hominibus multipliciter infudisti, et multorum indurata corda gratiose prævenisti, emollisti et convertisti : converte nunc hanc animam hinc pergentem ad te conversione completa ; quidquid duritiæ, quidquid obstaculi gratiæ tuæ, quidquid impedimenti salutis in ea exstiterit, dignanter et superpiissime tolle ab ea, et gratiam consummatam ei largire, per quam consequi mereatur æternam felicitatem, et inter vasa tuæ misericordiæ computetur, ad laudem et gloriam pietatis tuæ penitus infinitæ.

Oratio ad superbeatissimam Trinitatem.

O Trinitas adoranda, Unitas summa et Deitas simplicissima, ob tuam inseparabilem unionem conjunge tibi per caritatem perpetuam gratiamque finalem spiritum hujus nunc morientis, ut per gloriæ unionem plenariam unus tecum sit spiritus per ferventissimæ dilectionis intimissimam transformationem. (I Cor. vi, 17.) O Trinitas consubstantialis, coæqualis et coæterna, ob tuam substantialem identitatem essentialemque unitatem, animam istam Christo incorpora, et mystico ejus corpori insere eam, ut tanquam oliva fructifera plantetur in paradiso cœlesti et choris inseratur angelicis. O supergloriosissima Trinitas, propter communicationem et emanationem tuam ad intra, effunde super istum agonizantem dona gratiæ tuæ, et abundantiam pietatis ac largitatis tuæ in hac hora in ipso demonstra, ne abducatur aut separetur a te. O Pater æterne, o Unigenite Dei superpulcherrime, o suavissime paraclete Spiritus Sancte, Deus unus et trinus, ob tuam mutuam intuitionem plene comprehensivam et infinite jucundam, fac animam istam te nunc per fidem sinceriter intueri ; ob tuam mutuam dilectionem superardentissimam ac intensive immensam, accende eam tuo sancto amore ; ob tuam mutuam fruitionem beatissimam et æternam, perduc eam ad tui beatificam fruitionem ; propter omnem caritatem, misericordiam et gratiam tuam super genus humanum, educ eam de corpore omni virtute ornatam, per universa mysteria, merita ac beneficia Jesu Christi, per preces et merita Virginis gloriosæ omniumque Sanctorum et electorum tuorum.

Oratio ad Virginem gloriosam et ad omnes Sanctos.

Beatissima virgo Maria, totius humani generis fidelissima advocata, o Regina A misericordiæ, cui regnum misericordiæ a Deo omnipotente commissum est, o affectuosissima hominum miseratrix et ardentissima eorum amatrix, ob incarnationem, nativitatem et educationem unigeniti Filii Dei ex te, ob omnem tui et ejus mutuam in hac vita conversationem mutuamque dilectionem, propter omnem caritatem, perfectionem, virtutem et excellentiam, gratiam et gloriam tibi a superbeatissima Trinitate exhibitam ; o universa triumphans Ecclesia, o omnes angelici chori et B cuncti cives cœlestes, sancti Patriarchæ, illuminati Prophetæ, gloriosi Apostoli, martyres victoriosi, confessores fideles, virgines sacræ, o S. Michael princeps Ecclesiæ, et tu, angele sancte, custos hujus infirmi : clementer succurrite huic animæ hinc migranti, eam consolari ac adjuvare dignemini, quousque ad vestræ beatissimæ societatis admittatur ingressum.

Commendatio animæ emigrantis.

C O dilecta nobis in Christo anima, adorandæ Trinitatis imagine ac similitudine insignita, sanguine Filii Dei redempta, ad æternam beatitudinem condita, et nunc ecclesiasticis sacramentis munita, egredere confidenter de corpore mortis hujus, et ad tuum perge Creatorem ac Judicem, qui te misericorditer dignetur suscipere ac mititer judicare. Occurrant atque subveniant tibi omnes Sancti et cives cœlestis Jerusalem, nec tibi auxiliari desistant, D quousque ad locum habitationis gloriæ eorum, ad paradisum cœlestem, ad regnum felicitatis æternæ introducaris ad laudem et gloriam Omnipotentis.

Frater. — Petitioni meæ per omnia supereroganter video satisfactum : ideo præcordiales tibi grates ex totis præcordiis offero.

Dionysius. — Adhuc in fine opusculi breviter commemorabo quam pium sit defunctis in purgatorio detentis fideliter subvenire.

ARTICULUS XL.

Quam caritativum sit et benignum subvenire defunctis.

Dionysius. — Frequenter præhabitum est, quod tam pœna damni quam pœna sensus in purgatorio exstans, omne vitæ præsentis excedat supplicium : nonne ergo ferrea pectora habent, qui exsistentibus in tantis tormentis non compatiuntur, neque pro posse auxiliari conantur? Denique, dum proximos nostros tanquam nos ipsos jubemur diligere, dumque præcipimur facere eis sicut nobis ab ipsis fieri affectamus, per proximos intelliguntur omnes rationales intellectualesque creaturæ quæ beatitudinis sunt capaces, ergo et animæ in purgatorio exsistentes. Illis itaque facere ac subvenire tenemur quemadmodum nobis fieri in simili casu vellemus. Præterea, si quis videret quemquam mortalium, quamvis ignotum et alienum, imo et inimicum, in medio æstuantissimæ fornacis jacere, et posset ei ad evadendum succurrere, nec tamen succurreret : nonne ab omnibus durus, immisericors ac crudelissimus reputaretur? Quanta est ergo eorum negligentia, immisericordia atque perversitas, qui detentis in purgatorio animabus non condolent neque auxiliantur, præsertim parentibus, propinquis, notis, benefactoribus et amicis, imo vix semel in die recordantur illorum? Amplius, ut communiter dicitur, exsistentibus in purgatorio in tantum prosunt vivorum suffragia facta pro illis, quantum ipsi in vita hac meruerunt ut talia possent eis prodesse. Idcirco qui tardi et negligentes ac duri sunt ad succurrendum defunctis, sciant quoniam qua mensura metiuntur, eis quoque remetietur, et taliter eis subvenietur quemadmodum meruerunt et subvenerunt.

art. XIV, XV, XIX, XXXII. — *Matth.* XXII, 39. — *Ibid.* VII, 12. — *Matth.* VII, 2.

Insuper, tales non videntur attendere, quod pro defunctis orando, eleemosynas tribuendo, disciplinas accipiendo, peregrinando et sancta loca visitando, celebrando Missamve audiendo, psalmos et A Officia defunctorum legendo, non solum defunctis subveniunt, sed etiam sibi ipsis promerentur gratiam in præsenti et gloriam in futuro, dum prædicta agunt ex caritate : nam quidquid ex caritate efficitur, meritorium est gratiæ ac salutis. Exsistentibus autem in purgatorio non potest quis amplius gratiam promereri nec gloriam, sed gloriæ accelerationem, per hoc quod satisfaciendo pro illis, impetrat pœnas ipsorum abbreviari. Etenim idem opus bonum est meritorium et satisfactorium : B meritorium, in quantum ex caritate procedit; et satisfactorium, prout defunctis applicatur et communicatur, id est propter annexum laborem ac alias causas. Hinc in quadam visione ostensa B. Brigittæ viduæ, legitur angelus sanctus dixisse : Benedictus sit ille qui in mundo juvat animas orationibus et bonis operibus atque labore corporis sui. Deinde de purgatorio audiebantur multæ voces, dicentes : O Domine Jesu Christe, juste judex, mitte caritatem tuam his qui spiri- C tualiter potestatem habent in mundo, quia tunc magis quam nunc adjuvari poterimus de eorum cantu, lectione, oblatione ac precibus. At vero supra spatium de quo clamor vocum illarum audiebatur, apparebat quasi domus, in qua multæ voces audiebantur, dicentes : Merces sit illis qui mittunt nobis auxilium in nostris defectibus. In ipsa quoque domo videbatur quasi aurora consurgere, et subtus auroram apparuit nubes quæ nihil habebat de luce auroræ, de qua processit vox D maxima, dicens : O Domine Deus, da de tua incomprehensibili potestate unicuique centesimam remunerationem in mundo, his qui suis suffragiis nos juvant ac elevant in lucem tuæ deitatis et in visionem divini vultus.

lib. IV, c. 7.

Frater. — Hucusque non perpendi tam clare, quam pium ac justum, imo et debitum sit subvenire defunctis : unde propono deinceps circa hoc sollicitior atque instantior esse.

Dionysius. — Bene agis. Et certum est

quod hi qui de vivorum aut defunctorum eleemosynis vivunt, videlicet prælati, sacerdotes, canonici, religiosi ac ceteri, specialissime obligentur per orationes, celebrationes seu actus consimiles succurrere illis quorum sustentantur stipendiis. A

Frater. — Grave est ergo de talibus sustentari, nisi legitima fiat subventio.

Dionysius. — Plane sic est : imo, juxta sanctorum Patrum doctrinam, furtum, rapina ac sacrilegium perhibetur. Restat ergo ut unusquisque secundum exigentiam sui status, gradus aut ordinis, vocationis aut professionis studeat condecenter ac debite conversari. Ad laudem, gloriam et honorem Altissimi, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS DIALOGI DE PARTICULARI JUDICIO IN OBITU SINGULORUM.

DE QUATUOR HOMINIS NOVISSIMIS

PRÆSTANTISSIMO VIRO M. MARTINO GREVE, BUSCODUCENSIS OPPIDI GRAPHIARIO, PIETATE AC ERUDITIONE EXCELLENTER ORNATO, F. PETRUS BLOMEVENNA LEYDENSIS, CARTUSIÆ COLONIENSIS PRIOR, S. D. P.

SOLENT nonnulli qui epistolas scribunt nuncupatorias, adeo quos volunt laudibus efferre, idque interdum non parum temere, ut nescias utrum magis, librum videlicet an libri patronum, quærant evulgare. Nos Dionysium quidem nostrum producimus, doctorem sanctitate non minus quam eruditione conspicuum, multisque jam annis quum a doctis, tum a piis desideratum; verum patronos ei dedimus non tam nostris laudibus quam suis virtutibus claros. Inter quos tu licet nobis esses non infimo loco habendus, tamen modestiæ tuæ id esse multo nobis compertissimum est, ut nemini, quantumlibet præstantior, velis præferri, adeo ut non parum quoque tuæ et virtuti et voluntati morem gessisse videamur, quod in prioribus Dionysii operibus nuper editis, tanto interim tempore quasi tui immemores te præterivimus. At scis nihilo minus ipse, quam non semper possimus silere, quamque dedeceat vel ingratos vel immemores diutius nos esse erga te, qui multis annis vel inter præcipuos amicos nobis es unus. Itaque nuncupationem aliquam haud neglеximus, sed distulimus, fateor, quoad librorum quispiam Dionysii, cujusmodi hic præsens est, in manus veniret excudendus, qui tibi non minus gratus quam fructuosus haberetur. Arbitramur autem hunc quem de Quatuor novissimis inscripsit Dionysius librum tibi acceptum fore : idque non propterea quod in ejus lectione offendas unde juxta Sapientis consilium territus aliquando desinas peccare, quin potius ideo quod Christo adeo jam vita tua sit dedicata, adeo cor tuum (licet inter sæculi cogaris negotia et judiciorum strepitus assiduus versari) a mundo perstet alienum, ut sive foris sive domi agas, nihil in oculis, nil in mente tibi magis quam ipsa novissima tua esse credatur. Nam inter adversitates quas pertulisti multas, unde, quæso, animo tuo fortitudo tanta, unde tranquillitas tanta adfuit? Quid enim persecutiones jam olim tibi factas enumerem? Nonne tanta semper constantia, tanta securitas, tanta denique mansuetudo inter has tam magnifice te comitata est, ut ne verbo quidem in te potuisset deprehendi, quo aut ultionem expeteres, aut minus æquo faveres inimicis? Et hoc unde, nisi quia et Deum ubique præsto et novissima semper tua meditaris? Hinc enim usu tibi venit, ut tam injurias quam honores ceteraque simul omnia quæ mundus aut miratur aut metuit, futilia eaque flocci pendenda ducas. Attamen propterea haudquaquam es minor, tametsi gloriam nullam quæras. Sensisti hoc jampridem, ni fallor, licet citra arrogantiam, dum nodum in scirpo quærentes Zoili tui famæ tuæ derogare moliebantur, quomodo hanc potius reddiderint illustriorem, tantum abfuit ut offuscare quivissent. Ad quod sane non parum suffragata est patientia tua, quæ multo te reddidit clariorem, quam si mordacitatis, licet ab aliis vitiis liber, notari potuisses. Deficeret me tempus, si misericordiæ in te opera, si integritatis simul ac justitiæ vellem commemorare libertatem. Nam quis munera sic execratur? Quis in judicio pauperes ab oppressione sic liberat? Gratis pro eis operam tuam navas, si tamen gratis impensum dici quidquam possit quod nullius

commodi sed Christi tantum contemplatione, ab eodem centuplo reddendum, in pauperes locatur. Taceo multa, ne omnia me dicturum quis putet : quandoquidem hæc satis, quod novissimorum memor, quod quasi semper moriturus vivas, commonstrant. Thesaurizent alii in terra, coacervent quæ diligunt : tu, ut Christo adhæreas, ut Christum possideas, pro ejus amore nihil non contemnis. Siquidem quod superest, in ipsum, hoc est in pauperes ac pios omnes, effundis. Eam ob rem, quum et uxorem et familiam habeas impendio religiosam, et domus tua concordia et morum venustate cœnobio haud inferior sit, pii omnes quam libenter ad te confluant, quam hilariter recipiantur, quam denique foveantur benigne, non potest explicari verbis. Est sane in oppido patriaque Buscoducensi tanta piorum utriusque sexus hominum multitudo, tanta Deum colentium devotio, quantam nusquam alibi facile inveniri contingat. Horum nonnullos non mediocri sanctitate conspicuos, quos nominare me eorum non sinit modestia, tuo patrocinio, veneratione ac beneficentia fovere non desinis. Quare et pii omnes te velut communem patronum et advocatum pauperum requirunt. Inter hos tamen non recenseo Ordinis nostri (præsertim domus nostræ ac Cantavii) alumnos, quos tam impense amas tamque germane, ut vel tuis horum anteferas utilitates. Pro qua re, fateor, Ordo tibi noster debet universus. Interim tamen tuus hic juxta ac noster Dionysius tuis non excidat manibus, te erudiat, te pascat : qui si in hæc tempora vixisset, nec tuas modo ædes respuere nec tua evadere posset beneficia. Fuit enim, quod scis, vir contemplationi maxime deditus, quem secretorum suorum revelatione sæpenumero Deus dignabatur. Huic loco miraculi tribuendum est, si legendi, scribendi orandique exercitia singulatim in eo pensentur, tantum cuivis horum vacasse, ut impossibile videatur operam dare potuisse reliquis : imo stupendum valde sit, quomodo tempus illum non defecerit ut vel uni horum tantum se potuerit accommodare, qui in tribus, hoc est in quolibet horum, ut dixi, supra modum fuit copiosus. Postremo ne gravate feras, rogo, quod de virtutibus tuis, licet infra merita, non nihil prædicaverim, qui latere omnino malles, quamvis et ipsa virtus te latere non sinat, sed prodat vel renitentem. Vides enim quam nihil quod mundi est, licet plerique virtutibus illa pluris æstiment, in te laudaverim. Siquidem divitias, honores, ætatem, fortunas denique et amicos, ad extremum potentium curiæ, atque adeo ipsius Imperatoris favorem, aliaque id genus multa quæ in te hodie emicant (quæ et tu quoque Dei esse dona, sed eidem posthabenda non ignoras) transivi, et virtutem tantummodo commendans te, roboravi : quam, etiam si te nollem laudare, non possem non magnifacere. Vale, et (quod soles) me meosque in Christo filios omnes ama. Salvere te jubet frater Gerardus Procurator meus, tuus olim alumnus, et frater Theodoricus meus Vicarius, excitator promotorque præcipuus impressuræ operum D. Dionysii nostri, omnisque hæc nostra pariter ac Cantaviensis cum suo Priore familia. Conjugem tuam Deo et operibus misericordiæ deditissimam, reliquosque omnes tuos juxta ac nostros amicos, potissime autem reverendum patrem D. Joannem Baerl, ex Prædicatorum familia, sacræ theologiæ doctorem eruditissimum, et oppidi vestri concionatorem integerrimum, nostris verbis saluta. Iterum vale. Ex Cartusia Coloniensi, ipso die Epiphaniæ, anno a Christo nato MDXXXV.

PROŒMIUM

GENS *absque consilio est et sine prudentia. Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent.* Deut. XXXII, 28, 29.

Hæc verba locutus est Sanctus Spiritus per Moysen de universis iniquis hominibus, in quibus non est consilium, id est debita inquisitio de agendis, nec vera prudentia, quæ est virtus. Agenda namque et implenda sunt Dei præcepta, quæ totam hominum vitam dirigunt et gubernant. Qualiter autem adimplenda sint Dei præcepta, impii non inquirunt; et si eis dicatur qualiter sint implenda, non curant, sed (ut Salomon loquitur) absque ullo timore perpetrant mala, imo lætantur *Eccle.* VIII,
quum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis. Talium errori atque periculis 11. *Prov.* II,
quasi compatiens Deus, ait : « Utinam saperent », id est, cum gustu mentis agno- 14.
scerent quam summe et incomparabiliter amandus, metuendus ac honorandus sit Deus omnipotens, qui potest salvare et damnare. Unde in Evangelio Christus hortatur : Eum timete qui habet potestatem corpus et animam perdere in gehennam. *Matth.* X,
« Et intelligerent », hoc est, adverterent et pensarent in quam periculoso sint sta- 28 ; *Luc.*
tu, quam viles, ingrati, insipientes damnabilesque consistant coram Altissimo. De XII, 5.
his etenim Salomon dixit : Stultorum infinitus est numerus. Nonne stulti sunt om- *Eccle.* I, 15.
nes qui voluntati optimi ac fidelissimi Creatoris ac Dei sui obedire renuunt, et voluntati crudelissimi hostis sui diaboli obtemperare non cessant; qui animas suas quotidie letalibus vulneribus lædere et occidere non verentur, infernalesque pœnas sibi augent gravissimas atque excæcatis oculis cordis currunt ad inferos? De quibus per Jeremiam prophetam locutus est Deus : Quid iniquitatis invenerunt in me, quia *Jer.* II, 5.
elongaverunt a me, et abierunt post vanitatem et vani facti sunt? Miseri isti, quemadmodum Isaias propheta testatur, percusserunt fœdus cum morte, et cum in- *Is.* XXVIII,
ferno pactum inierunt. De quibus Dominus subdit, « Ac novissima providerent ». 15.
Quæ si providerent, inquirerent utique quid Deus ab ipsis exigat, quid eis præcipiat, et qualiter possent ei placere per observantiam præceptorum, per diligentem quoque et indesinentem cordis sui custodiam : sicque sollicite et timorate ambularent in præsentia et adspectu summi ac metuendissimi Judicis sui.

Quum ergo providentia novissimorum ad hujuscemodi vitam excitet et inducat, de his novissimis in hoc tractatu, auxiliante Domino, loqui intendo. De quibus tamen alius quidam venerabilis religiosus compendiosum edidit librum : nihilo minus de tam fructuosa materia conscribi queunt et alia multa quæ ille non scripsit.

Insuper, sicut sancti Patres concorditer docuerunt, novissima ista sunt quatuor. Primum est mors corporalis, quæ est ultimum ac terminus præsentis vitæ. Secundum est judicium Dei, quod est ultima sententia de hominibus danda. Quæ duo novissima sunt omnibus (scilicet electis ac reprobis) communia. Tertium est pœna inferni, quæ est iniquorum merces finalis. Quartum est beatitudo æterna, quæ est electorum præmium ultimatum, plenum et consummatum.

DE QUATUOR HOMINIS NOVISSIMIS[1]

ARTICULUS PRIMUS.

De connexione et ordine horum quatuor novissimorum.

I*N omnibus operibus tuis memento novissimorum.* Eccli. VII, 40 ; XXVIII, 6.

In Ecclesiastico scripta sunt verba hæc. In quibus admonemur ut novissima ista jugiter ac indelebiliter nostræ imprimamus memoriæ, et in cunctis quæ agimus, ea pensemus, ne Deum in aliquo offendamus. Porro inter ista novissima primum est mors ; secundum est judicium ; tertium, damnatio infernalis, quantum ad injustos ac reprobos ; sed quoad electos et justos, tertium est beatitudo cœlestis : ad quam quidam pertingunt absque intermediis purgatorii pœnis, videlicet infantuli baptizati ante usum rationis morientes, ac martyres sancti et animæ perfectorum qui pro suis culpis in vita hac satisfecerunt plenarie ; aliqui vero ad felicitatem illam perveniunt per purgatorias pœnas.

Præterea, quamvis mors corporalis sit in se ipsa valde pœnalis ac metuenda, in tantum ut dicat Philosophus, Omnium terribilium terribilissimum est mors ; non tamen esset tam metuenda, nisi eam mox concomitarentur duo alia novissima morte horribiliora, videlicet particulare judi-
A cium, quod fit in obitu singulorum, et pœna inferni quantum ad reprobos, seu pœna purgatorii quoad quosdam electos. Similiter, quamvis tam particulare quam generale judicium Dei sit ineffabiliter metuendum et rigorosum, in tantum ut dicat Apostolus, Horrendum est incidere in manus Dei viventis ; et sanctus Job, Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me et abscondas me, Domine, donec pertranseat furor tuus ? attamen judicium Dei non esset tam metuendum, nisi tam grave et (*Hebr.* x, 31. *Job* xiv, 13.)
B æternale supplicium concomitaretur illud in reprobis, pœna scilicet infernalis. Pœna quoque purgatorii formidanda est valde : quia, ut asserit Augustinus, pœna illa excedit omnia mundi hujus tormenta, quamvis martyres sancti acerbissimas sustinuerunt pœnas, et crudelissimas ac immanissimas mortes. Itaque, dum judicium Dei dicitur unum quatuor novissimorum, per judicium Dei intelligi potest tam particulare judicium, quod (ut tactum est) fit in morte quorumlibet hominum, quam
C universale judicium in fine mundi futurum. Postremo, infernale supplicium non esset tam metuendum, nisi ei esset annexa pœna damni, id est perpetua irrecuperabilisque privatio perfectæ ac sempiternæ salutis : qua carere magis est metuendum quam sensibiles pœnas inferni sustinere.

[1] Ex editionibus Coloniæ : Joannis Dorstii, 1532 ; Melchioris Novesiani, 1535 ; Bernardi Gualtheri, 1602. — NOTA. Nos non latet præsentem libellum, ob revelationes quasdam circa statum animarum in Purgatorio degentium, criminationibus variis impetitum fuisse : quæ quam sint inanes, infra, Deo dante, demonstrare proponimus.

ARTICULUS II.

Quam metuenda et amara sit mors corporalis in se ipsa et ex naturalibus causis.

SICUT homo naturaliter appetit esse et vivere atque gaudere, sic naturale est ei amarissimam mortem ac pœnas eam præcedentes metuere. Verumtamen homines virtuosi, perfecti et sancti solent mortem optare, in quantum est terminus miseriarum et culparum vitæ præsentis ac janua futuræ felicitatis. Merito etenim cupiunt mortem, qui nihil in hoc mundo illicite amant, universasque sæculi vanitates, voluptates, opes, honores ac prosperitates vilipendunt et aspernantur ; ardentissimo quoque affectu ad beatificam visionem Dei sui (quem super omnia toto diligunt corde) adspirant, atque cœlestium deliciarum ac æternalium divitiarum desiderio inardescunt, cum Propheta dicentes : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus ; sitivit anima mea ad Deum fontem vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei ? Ex tali affectu dixit Paulus apostolus : Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus, id est de corpore isto mortali et ærumnoso ? Itemque : Cupio dissolvi et esse cum Christo. Nihilo minus mors in se considerata, ut est amarissima pœna et amissio vitæ animalis humanæ, est naturaliter formidabilis et horrenda, in tantum quod Dominus noster Jesus Christus morti propinquans, ex naturali mortis horrore sponte assumpto cœpit pavere et tædere ac contristari.

Ps. XLI, 2, 3. — *Rom.* VII, 24. — *Philipp.* I, 23. — *Marc.* XIV, 33 ; *Matth.* XXVI, 37.

Denique talis timor mortis moderatus, est utilis, quoniam retrahit hominem a delectatione carnali et vanitatibus mundi. Qui enim prudenter perpendit quam pœnosus finis, quam acerba mors, quam molestissima ægritudo sibi quotidie appropinquent, et forsan de proximo instent, a dissolutione et vana securitate, a jocis, lu-

A dis et risibus se refrenat, dicens cum Salomone : Risum reputavi errorem ; et gaudio dixi : Quid frustra deciperis ? Sicque ex corde sentit verum esse quod rursus sapientissimus Salomon testatur : Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii : in illa enim (videlicet in domo luctus) finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit, et quid ei eveniet. Hinc, ut ait Scriptura, beatus homo qui semper est pavidus. Hinc quoque gloriosi doctores Hiero-

Eccle. II, 2. — *Ibid.* VII, 3. — *Prov.* XXVIII, 14.

B nymus et Augustinus describunt, quod Plato nobilis et sublimis philosophus, relicta deliciosa et pulchra Atheniensium civitate, cum quibusdam suis discipulis commorari elegit in villa quadam antiqua et ruinosa, frequenti terræ motu et tempestatibus pene eversa, quatenus timore periculorum ac mortis mortificarent in se vitia carnis, et a concupiscentiis ceterisque peccatis se refrenarent. Si gentiles magistri egerunt hoc, quanto magis Christiani deberent se ipsos a delectationibus

C timore mortis reprimere ?

Præterea, ut ex præmeditatione mortis oriatur in nobis talis timor salubris, consideranda est dispositio morientis. Intuere ergo quemadmodum imminente terribili hora separationis animæ a corpore suo, ad quod naturalem habet inclinationem et amorem, totus homo pallescat, pedes refrigescant, infirmæ manus nigrescant, vultus discoloretur, oculi tenebrescant ac profundentur, et præ intolerabili pœnarum angustia evertantur. Vide quomodo

D pili labantur, frons obduretur, membra cuncta rigescant, mentum ruat, labia infrigidentur, os etiam contrahatur, pulsus caprizet, halitus quoque ex profundo se ipsum recolligens deficiat. Et ecce mox adsunt puncturæ mortis et pressuræ mortiferæ, aculeum suum usque in cor (quod est primum vivens et ultimum moriens) imprimentes. Tunc demum supervenit et erumpit sudor mortis, naturam jam victam esse demonstrans ; sicque prævalentibus pœnis cor rumpitur præ dolore, et anima

de habitaculo suo ejicitur. Si hanc morientium dispositionem pensemus, et nobis in brevi taliter eventurum diligenter quotidie perpendamus, non dubium quin salubrem concipiemus formidinem mortis.

ARTICULUS III.

Quod mors sit vehementer ac jugiter metuenda propter periculosissimas atque gravissimas tentationes quas habere solent agonizantes mox morituri.

D*ESCENDIT ad vos diabolus habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.* Apoc. XII, 12.

Callidissimi atque nequissimi hostes animarum nostrarum dæmones, agnoscentes mortem esse terminum merendi ac demerendi, et animas in ea affectione in qua per mortem recedunt a corporibus, immutabiliter permanere, in ipsa hora mortis acerrime tentant agonizantes. Quosdam enim conantur ad desperationem inducere, eos præsertim quorum vita fuit negligens et iniqua. Alios vero nituntur ad complacentiam sui immoderatam atque ad nimiam securitatem et præsumptionem suorum trahere meritorum; et sic solent quosdam religiosos ac bonos sæculares tentare. Nonnullos tentant de impatientia propter infirmitatum suarum acerbitatem. Aliquos autem tentant de fide, conantes eos ad aliquid veræ fidei contrarium vel ad blasphemiam excitare. Ceteros, potissime sæculares, tentant de nimia occupatione circa temporalia quæ relinquunt, et circa propinquos, et circa dispositionem rerum suarum. Insuper eumdem agonizantem frequenter tentant pluribus modis jam tactis, vel etiam aliis. Quem enim ad desperationem, infidelitatem aut impatientiam pertrahere nequeunt, ad spiritualem superbiam, gloriam vanam, complacentiam sui ipsius insipientem aut præsumptionem inducere moliuntur. Et quamvis jam dictum sit quod iniquos et negligentes soleant specialiter de desperatione ten-
A tare, justos autem de complacentia vana et præsumptione; attamen interdum contingit quod etiam viros valde virtuosos et perfectos hora mortis tentent de desperatione, infidelitate, aut de blasphemia, sicut leguntur S. Eusebium, B. Hieronymi carissimum discipulum, diu atque acerrime impugnasse. Aliquando quoque quosdam negligentes religiosos pravosque sæculares periculosissime tentant in extremis de nimia securitate, ita quod parum aut nihil verentur Dei judicium, nec sua de-
B plorant peccata, suggerentibus eis dæmonibus misericordiam Dei esse immensam, et peccatorem consequi veniam quacumque hora pro suis gemuerit culpis.

Itaque contra omnia hæc tentamenta oportet agonizantem esse munitum; et nisi ante suam infirmitatem fuerit contra hæc armatus virtutibus, et arte ac usu pugnandi contra invisibiles hostes instructus et exercitatus, aut vix aut non prævalebit tempore mortis, nisi forsan ex valde speciali et gratioso auxilio Dei, et angeli
C sui sancti, seu Virginis gloriosæ, seu matris ejus beatissimæ Annæ, aut aliorum Sanctorum. Etenim Deus piissimus et angeli ejus ac Sancti in hora tantæ necessitatis non desunt electis, sed prout ante aliquo modo promeruerunt agonizantes, sic eis subveniunt.

Debent ergo agonizantes esse firmi in fide, atque in fide totius universalis Ecclesiæ securissime mori, nec contra dæmones de fide tentantes disputare, sed ipsos potius deridere, et ad implorandum pietatem
D et gratiam Dei corda sua convertere. Præterea, contra tentationem desperationis debent esse armati spe pietatis divinæ, et certi esse quod misericordia Omnipotentis major sit in infinitum quam universa pravitas nostra, imo quod in hora illa non possint gravius Deum offendere quam desperando de pietate et gratia ejus, et quod Judas traditor magis peccavit desperando quam Christum Dei Filium tradendo, ut sanctus testatur Hieronymus. Porro contra tentationem de impatientia debent se per

patientiam veram armare, et ex contritio- A ne et consideratione culparum suarum, ex recordatione quoque amarissimæ passionis Domini nostri Jesu Christi, omnem suam infirmitatem et afflictionem æquanimiter tolerare. Contra tentationem vero de complacentia sui et præsumptione meritorum suorum ac nimia securitate, debent esse muniti consideratione occultorum judiciorum Altissimi, et quia ignorant an sint digni amore vel odio, et item quod in multis valde culpabiles sint de quibus ipsimet sibi conscii non sunt, at- B que ex hoc quod multi sancti viri etiam in extremis judicium Dei valde extimuerunt, sicut in Vitaspatrum narratur de sancto abbate Arsenio, quod quum in extremis videretur magnum habere timorem, dixerunt ei discipuli sui : Pater, in veritate et tu times mortem ? Respondit : Timor qui nunc in me est, semper fuit in me. Conformiter sanctus vir abbas Agathon in hora mortis valde formidans : Alia, inquit, sunt judicia Dei, alia hominum. Imo vir sanctissimæ vitæ, abbas Sisois, quum sibi C Salvator Dominus Jesus Christus tempore mortis visibiliter appareret, rogavit ut Dominus permitteret se adhuc modicum pœnitere.

Eccle. IX, 1.

Verumtamen, si quis in agone tentetur de diffidentia, pusillanimitate aut desperatione, potest sua merita ad memoriam revocare, et ex eorum consideratione spem et magnanimitatem assumere : sic tamen ut ea Deo et gratiæ ejus, non viribus suis attribuat. Spes namque est certa exspectatio futuræ felicitatis, ex gratia Dei et D meritis sperantis procedens. Hinc vicesimo secundo Moralium scribit Gregorius : Sicut dum vivimus debemus bona nostra a memoria repellere ne extollant, ita appropinquante exitu ea plerumque juste ad memoriam revocamus, ut fiduciam præbeant et desperatum timorem premant. Nempe, ut Climacus docet, diabolus homini sano persuadet Deum esse infinite piissimum et pronum ad indulgendum, quatenus homo parvi pendat peccata atque audentius peccet. Agonizanti autem persuadet interdum Deum esse rigorosissimum, et peccata sua esse multa et prorsus gravissima : imo peccata non confessa, oblita, occulta, ad memoriam tunc reducit, ut homo diffidat. Idcirco tunc expedit priora merita reminisci.

Scal. parad. grad. V, VII, XV.

Amplius, præter tentationes prætactas tentant iniquissimi dæmones multos agonizantes seu graviter infirmantes de spe convalescendi, ita ut confiteri non curent, nec debite præparent se ad mortem, sed subito mortis amaritudine obruantur ac pereant. Unde octavo Moralium ait Gregorius : Reproborum mens tanto amore circa præsentem vitam constringitur, ut quamvis corpus molestiis quatiatur, et vicina mors virtutem vitalis spiritus intercidat, adhuc tamen mortem longe abesse existiment, nec ea quæ mundi sunt curare desistant ; nec in eis vivendi spes frangitur, etiam dum vita terminatur : dura etenim mente abesse mors longe creditur, etiam dum sentitur. His igitur consulendum ut hujuscemodi spem incertam, periculosam, vanam abjiciant, atque ad mortem toto conatu se præparent, quoniam dato quod sint sanandi, talis tamen præparatio non oberit, sed proderit eis, nec ex ea sunt morti viciniores.

Postremo, et id mortem reddit vehementer terribilem, quod unicuique morienti malignus spiritus in sua turpissima specie creditur apparere : cujus adspectus quam sit pœnalis exprimi nequit. Nam et sacratissima virgo Maria legitur suum Filium, quum adhuc esset cum ipso in terra, orasse ne moriens quemquam spirituum cerneret immundorum. Aliqui quoque defuncti et resuscitati, post suam resuscitationem retulerunt viventibus quam copiose ac terribiliter dæmones eis apparuerunt ante egressum de corpore et post egressum.

Ex his itaque innotescit quam metuenda ac jugiter præcogitanda sit mors, et quam indesinenter debeamus nos ad eam disponere, atque ad vincendum tentationes præ-

tactas tunc occurrentes quotidie nos armare juventutis sanitatisque tempore.

ARTICULUS IV.

Quam metuenda et præmeditanda sit mors, eo quod post eam non est reditus ad statum promerendi, pœnitendi et recuperandi neglectam gratiam et salutem.

SALOMON ait : *Si ceciderit lignum ad austrum, sive ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Eccle. XI, 3.

Per lignum intelligitur homo, per casum mors, per austrum fervor caritatis et gratia Spiritus Sancti, per aquilonem iniquitas. Est igitur horum sensus verborum, quod in quocumque affectu obierit homo, in illo æternaliter permanebit : ita quod si obierit in caritate et gratia Spiritus Sancti, nunquam a divino avertetur amore, etiam quamvis in purgatorio gravissime puniatur; si autem obierit in aversione a Deo et in quacumque vitiosa affectione, manebit inconvertibiliter atque perpetuo in illa aversione et prava affectione. Idcirco damnati nunquam veraciter pœnitent, et quamvis doleant de suis peccatis secundum quod per ea meruerunt et inciderunt tantam calamitatem, non tamen dolent de eis in quantum sunt peccata et Dei offensiva : imo diligunt vitia, et cupiunt pristinis vitiosis delectationibus frui ; Deum vero intensissime et ineffabiliter odiunt, blasphemant ac maledicunt. Hinc asserit Damascenus : Quod angelis fuit casus, hoc hominibus est mors. Angeli namque apostatæ in sua aversione propter quam ceciderunt atque damnati sunt, perenniter perseverant, quemadmodum de vitiosis hominibus morientibus dictum est.

Itaque, quia post mortem amplius promereri, pœnitere, resurgere non valemus, debemus mortem, seu potius mortem imparatam, maxime formidare, et mortem nobis incessanter appropinquantem assi-
A due præcogitare, ne (quod absit) contingat nos ad eam imparatos venire, sicque irrecuperabilia damna et irremediabilia mala, quæ sunt maxime metuenda ac fugienda, incidere, utputa damnationem æternam et summæ felicitatis carentiam, omniumque divinorum amissionem charismatum, videlicet damna gratiæ ac virtutum, per quas ad felicitatem pertingitur. Hinc debemus nos per sanctam conversationem indesinenter ad mortem disponere, et conversionem pœnitentiamque nequaquam dif-
B ferre, imo jugiter esse parati ad mortem. Et hoc est scire mori, ac salutaris scientia moriendi : quam discere, est se ipsum quotidie spiritualiter mortificare, hoc est, prava desideria exstirpare, propriam frangere voluntatem, abnegare et vincere semetipsum, nihil nisi in Deo et secundum Deum ac propter Deum appetere, atque pœnitentiæ actibus sollicite immorari.

Hinc hortatur Scriptura : Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de *Eccli.* v, 8, 9.
C die in diem : subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te, nisi sic egeris. Et rursus : Non adjicias peccatum super peccatum ; et ne dicas, Miseratio Domini magna est : quia in peccatores respicit ira Dei. *Ibid.* 5-7. Ideo Climacus loquitur : Non suscipias canem illum (puta diabolum) suggerentem tibi Deum esse benignum ; sed tunc benignitatis Dei memento, quum in profundam desperationem te videris trahi. Scal. parad. grad. VI. Intentio namque canis illius est luctum pœnitentiæ et timorem mortis
D repellere a te per talem suggestionem benignitatis divinæ.

Audiamus et impleamus quod Salomon exhortatur : Quodcumque bonum potest facere manus (id est virtus) tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. *Eccle.* IX, 10. Hinc vas electionis Paulus monet apostolus : Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. I *Cor.* XV, 58.

ARTICULUS V.

Salubris imaginatio de dispositione hominis morientis.

OMNES morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram quæ non revertuntur. II Reg. XIV, 14.

Sanctus rex David lugens filium suum Absalonem, quem scivit in multis et magnis obiisse peccatis, dixit : Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalon fili mi, fili mi Absalon ? (II *Reg.* XVIII, 33.) Itaque ad provocandum in se compunctionem atque salubrem mortis timorem, ad expellendum negligentiam et omnem acediam, ad aggrediendum viriliter et absque dilatione opera pœnitentiæ virtuosamque vitam, plurimum confert diligenter imaginari ac intueri dispositionem hominis agonizantis qui improvise letalem ægritudinem incidit.

Vide itaque hominem in media periodo vitæ humanæ subito incidisse languorem mortiferum, qui fuit donis naturæ ornatus, bonis fortunæ abundans, atque in desideriis suis usque ad infirmitatem hujusmodi conversatus. Adspice quam desolatus in lecto decumbat, quantis prematur angustiis et tormentis cordis et corporis, quam maximis periculis sit vallatus, qualiter invisibiles hostes ad eum impugnandum accelerent, quam horrendum judicium ei immineat, quam intolerabilia ei propinquent supplicia. Adverte ejus suspiria, singultus, querelas et lacrimas, pœnitentiam seram atque (ut formidandum est) infructuosam. Audi eum dolorose dicentem :

Heu, quam crudelis afflictio me inopinate invasit ! quam dira ægritudo me præhabita sanitate privavit ! Ah, in quos fluctus tristitiæ corrui, qui paulo ante in tanta jucunditate prosperitateque vixi ! Quid mihi jam prosunt deliciæ fœdæ quibus æternam infernalis incendii pœnam promerui ? Quid me juvant modo corporales divitiæ quibus hactenus abundavi, ex

A quibus intumui, et quibus tam impudenter abusus sum, quod calamitatem, sitim, exustionem illam perpetuam pati jam merui in qua gutta aquæ pro refrigerio mihi negabitur ? (*Luc.* XVI, 24-26.) O quam libenter cunctas meas divitias pro recuperanda sanitate exponerem ! Quid mihi nunc conferunt dignitas et potestas, prosperitas, honor et gloria quibus hucusque in sæculo florui, et propriam defectuositatem, fragilitatem et mortalitatem pensare neglexi, atque stultissime superbivi, quasi omnia illa habuerim a me B ipso, et tanquam ea relicturus non fuerim, nec rationem daturus de eis essem Judici summo ? Et nunc recordatio omnium horum parit mihi mœrorem, auget tristitiam, quod tam repente et improvise universa illa relinquere cogor. Ubi jam vana et male jucunda societas? ubi corporis decor, fortitudo, agilitas ? Adsunt consanguinei et carnales amici, periculose me consolantes, et prophetantes mihi quod ex ægritudine ista moriturus non sim, quum sentiam mihi vires incessanter deficere, puncturasque C mortis ad cordis transforationem et suffocationem appropinquare. Heu, heu, quam male et negligenter, quam carnaliter et insipienter, quam non solum infructuose, sed et vitiose tempus mihi concessum consumpsi in vanitate et præsumptione, in gula et incontinentia, in ludis, jocis ac risibus, in confabulatione et otio ! Ecce considero Judicem metuendum cujus tribunali mox præsentabor, quem toties tamque enormiter inhonoravi, offendi, reliqui : ideo timor et tremor me penetrant, quia D cognosco immensitatem justitiæ ejus, et quam occulta ac rigorosa sint judicia ejus.

Heu ! quo me vertam ? Pœnitere volo, sed ex servili timore, ut sentio. Cur enim contristor quod præfata omnia quæ male amavi, relinquere nunc compellor, nisi quia adhuc diligo ea ? Nec cum tali dilectione caritas Dei habetur. Quid ergo facturus sum ? Desperare prohibeor, et sine meritis sperare videtur inane. Et quamvis non ignorem adhuc aliquod superesse remedium, ut scilicet Dominum invocem,

quatenus veræ contritionis gratiam mihi A dignetur ex sua pietate immensa infundere ; nunc tamen ratio mea sic obscurata est et impedita a libero usu ac recto judicio, ex magnitudine afflictionum mearum, ex vehementia angustiarum, ex multitudine et confusione phantasiarum ex debilitate capitis ac dyscrasia naturæ emergentium, ex timore et tremore, ex desolatione et mœrore, ex invisibilium hostium suggestione et impugnatione, ut ad Deum sincere adspirare vix queam, nec vitiorum meorum enormitatem recte perpendam, B sed solo horrore ex eorum consideratione concutiar. Doleo tamen quod de eis non plenius doleo, nec desperationem admitto. Verum quis novit an hoc modo veniam impetrabo? O quam periculosum, perversum, incertum et fatuum est, sicut nunc experientia docet me, conversionem pœnitentiamque differre, tempus vane expendere, gratamque juventutem non Deo per vitam virtuosam offerre, sed ad Creatoris injuriam, per conversationem impiam, scandalosam, carnalem, immolare eam dia- C bolo! Nunc ergo, o universi adstantes, me miserrimum tanquam speculum intueamini, ex meo periculo et dolore cauti efficiamini : felix enim quem faciunt aliena damna peritum. Tutam eligite viam, tempestive convertatur mens vestra ad Dominum, quatenus mortis tempore ex memoria vitæ præteritæ virtuose transactæ consolationem sortiatur cor vestrum.

Denique, inclytus ille princeps nomine Mago, frater Hannibalis regis ac imperatoris Carthaginiensis, diro vulnere propin- D quans ad mortem, ait : Heu, qui finis fortunæ! Quam stultum est gaudere loco sublimi atque præcipiti? Status potentium subjacet procellis innumeris, cujus finis est ruere. Heu, tremulum magnorum culmen honorum, spes hominum fallax, atque inanis gloria illita fictis blanditiis! O vita incerta labori perpetuo dedita! Quid mihi nunc prodest domos et fortalitia incendisse, urbes vastasse, homines perturbasse? Quid me, o carissime frater, jam juvat alta et aurea, marmorea, eburnea erexisse palatia, qui sub dio nunc morior? Quanta animo paras, ignarus finis acerbi? En ego decedo, te cito secuturum agnosce.

ARTICULUS VI.

De diversis effectibus qui oriuntur ex consideratione atque timore mortis.

NESCIT homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo et aves laqueo, sic homines tempore malo, quum eis extemplo supervenerit. Eccle. IX, 12.

Quemadmodum sanctus vir Climacus ait, sicut panis necessarius est homini præ ceteris alimentis, ita intenta meditatio mortis necessaria est homini præ aliis operibus et exercitiis bonis. Aliqui autem in tantum quærunt in deliciis sine tristitia vivere, quod nec audire volunt nec cogitare nec loqui de morte : qui de exsilio sibi faciunt patriam, de valle lacrimarum ac fletuum paradisum. Quibus Salvator ait : Væ vobis qui habetis consolationem vestram ; væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis et flebitis. Aliqui vero ita indurati sunt corde, quod nec ex inspectione morientium, nec ex memoria mortis, nec ex intuitu sepulcrorum et ossium mortuorum compunguntur, verentur et emendantur : imo ossa illa conspiciunt velut saxa, sepulcra ut fossas sive monticulos; nec plus emolliuntur ex inspectu morientium hominum quam brutorum, et tanquam ipsi non essent mortales, sic adspiciunt morientes. Verumtamen, si frequenter et attente cogitent mortem et quæ eam sequuntur, dispositionemque morientis et ejus tentamenta, pressuras atque pericula, cito emollientur ad pœnitendum, ad metuendum, ad emendandum vitam suam in omnibus.

(Scal. parad. grad. VI. — Luc. VI, 24, 25.)

Primus ergo effectus ex consideratione mortis proveniens, est ipsam mortem timere, juxta illud in Psalmo : Formido mortis cecidit super me, timor et tremor venerunt super me. Ps. LIV, 5, 6.

Porro timor sollicitudinem ac diligentiam parit. Timor namque reddit hominem sollicitum ac diligentem ad cavendum mala quæ metuit, seu propter quæ aliquid timet. Idcirco secundus effectus ex meditatione mortis consurgens, est sollicite ac diligenter mortem, hoc est mortem imparatam, cavere : quod nihil aliud est nisi de culpis præteritis pœnitere et a futuris vitiis abstinere. Ideo consideratio mortis inducit hominem ad pœnitentiam salutarem : cujus partes sunt vera contritio, plena confessio satisfactioque condigna ; B quæ omnia ex timore mortis nascuntur. *Prov.* XIV, 16. Hinc Salomon loquitur : Sapiens timet, et declinat a malo.

Tertius effectus ex meditatione mortis emanans, est consideratio et humiliatio propriæ fragilitatis et mortalitatis. Ideo *Eccli.* X, 9. ait Scriptura : Quid superbit terra et cinis ? id est, cur homo ex terra factus et in cinerem ac pulverem resolvendus, extollit se, non pensans propriæ conditionis defectuositatem ?

Quartus effectus ex meditatione mortis C scaturiens, est depositio terrenarum curarum, turbationum et inquietudinum sæculi hujus. Qui enim mortem digne perpendit, non curat nisi qualiter ad securam et felicem perveniat mortem : ideo sollicitudines, turbationes, inquietudines carnales ac sæculares repellit a corde suo.

Quintus effectus ex meditatione mortis conscendens, est totius inordinatæ affectionis ad creaturas abjectio, et fervens integerque conatus placendi Deo. Sicque meditatio mortis intenta facit hominem D omnem terrenam et carnalem consolationem despicere, et tota mente esse suspensum ad obtinendum veram salutem.

Sextus effectus ex meditatione mortis prosiliens, est consolatio et gaudium in Spiritu Sancto. Qui effectus convenit sanctis hominibus, qui mortem tanquam terminum miseriarum et culparum vitæ præsentis et tanquam januam vitæ beatæ sequentis ex corde desiderant, ut dictum art. II. est. Quemadmodum enim consideratio di- A vini judicii timorem parit imperfectis, consolationem vero perfectis (quibus in Evangelio ait Christus : His autem, videli- *Luc.* XXI, 28. cet signis et præambulis judicii, fieri incipientibus, levate capita vestra, id est, corda lætificate, quia appropinquat redemptio vestra) ; ita consideratio mortis imperfectis gignit formidinem, perfectis lætitiam. Verumtamen, sicut præhabitum est, interdum art. III. quoque homines perfecti et sancti mortem judiciumque formidant, secundum quod Spiritus Sanctus in diversis electis et Sanctis diversimode operatur.

Consequenter ergo de prætactis effectibus ex meditatione mortis prodeuntibus aliquid plenius est dicendum.

ARTICULUS VII.

De primo effectu meditationis mortis, videlicet de pavore quem sustinent morientes.

QUAMVIS de isto morientium timore, et cur ac qualiter metuenda sit mors, dicta sint multa ; aliqua tamen jam ex art. II et s. verbis Gregorii sunt addenda. Ait ergo Sanctus ille vicesimo quarto Moralium : Electi quique sollicite considerantes æternus Judex quam districtus veniat, terminum suum quotidie prospiciunt, et ante severitatem tantæ justitiæ quas rationes vitæ suæ sint posituri attendunt ; et si cuncta prava opera quæ potuerunt intelligere devitarunt, venturi tamen coram districto Judice, illas culpas amplius pertimescunt quas per momenta temporum ipsis instabilibus et incertis cogitationum motibus perpetraverunt, nec tamen eas intelligunt. Facile est enim opera perversa vitare, sed nimis difficile est ab omni illicita cogitatione cor præservare. Quumque de omnibus his semper districta Dei judicia pertimescant, tunc tamen hæc vehementius metuunt, quum ad solvendum humanæ conditionis debitum venientes, districto Judici propinquare se cernunt ; et timor ille tanto fit acrior, quanto et

retributio æterna propinquior. Crescit pavor urgente carnis solutione. Tunc ante oculos cordis inane nil transvolat de phantasmate cogitationis : quoniam omnibus vanis e medio subductis, ipsi morientes se et illum tantum considerant cui propinquant ; et si ea bona quæ sciunt nunquam se prætermisisse meminerunt, formidant tamen illa quæ nesciunt, quia se ipsos plene dijudicare atque cognoscere nequeunt. Ideo urgente exitu, subtiliori et secretiori metu terrentur. Nec enim immerito cujuslibet anima tunc terretur, quando post pusillum inveniet quod in æternum vitare non possit, præsertim quia et bonis ejus actibus multa mala fuerunt permixta. Hæc Gregorius. Denique ex hac consideratione sanctus Job dixit : Deus solus est, et cogitationem ejus nemo avertere potest, et quæcumque voluit fecit; idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum timore sollicitor. Itemque : Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres, Domine, delinquenti.

Job XXIII, 13, 15. — *Ibid.* IX, 28.

O homo indurate, cur brutis insensatior es ? Ecce fugit ovis lupo appropinquante, abscondit se tremens columba viso accipitre, de antro suo egredi esuriens mus non audet muricipe ambiente: et tu videns mortem horrendam atque judicium rigorosum tibi instare, non metuis ?

ARTICULUS VIII.

De secundo effectu qui ex intenta mortis meditatione consurgit.

CUSTODI temetipsum et animam tuam sollicite. Deut. IV, 9.

Negotiatores per rura et periculosa itinera gradientes, tanto diligentius custodiunt semetipsos et tanto formidolosius proficiscuntur, quanto viam suam putant pluribus, fortioribus ac crudelioribus inimicis vallatam, quo etiam pretiosiores secum deferunt merces. Nos igitur qui in sæculo isto exsules sumus et peregrini, quorum to-

A ta conversatio in hoc mundo est cursus ad aliam vitam, cum sollicitudine tanto majori, cum timore tanto plus acriori, cum circumspectione atque custodia tanto incessabiliori per iter vitæ præsentis debemus incedere, quanto certius scimus quod innumerabilibus, ferocissimis, callidissimis, fortissimis, invisibilibus hostibus sumus circumdati, quorum totus conatus est nos secum æternæ damnationi involvere; quanto etiam nobiliora gratiarum charismata intra nos ferimus, atque quo majus bonum B nobis moliuntur auferre, utputa Deum bonitatis immensæ et beatificam ejus fruitionem. Hinc, juxta Scripturam, homo sapiens in omnibus metuit, et beatus homo qui semper est pavidus, atque cum metu, timore et tremore nostram operari salutem jubemur.

Eccli. XVIII, 27. — *Prov.* XXVIII, 14. — *Philipp.* II, 12.

Ad hanc demum sollicitudinem spiritualem custodiamque internam ac circumspectionem pervigilem, incitat et perducit nos timor mortis, ne ad imparatam mortem perveniamus : sicque timor iste salu- C bris facit nos præterita vitia deplorare, castigare, et satisfacere pro eisdem, atque ab omni labe peccati cavere, quemadmodum scriptum est, Quasi a facie colubri fuge peccata : quia per hoc ad desiderabilem ac salubrem pertingitur mortem.

Eccli. XXI, 2.

Hinc tertiodecimo Moralium ait Gregorius : Electorum mentes quo amplius æterno judicio propinquare se sentiunt, eo ad discutiendum se ipsas terribilius excitantur ac properant ; et si quas in se carnales et iniquas cogitationes unquam conspi- D ciunt, pœnitentiæ has ardore consumunt, quia propinquum sibi judicium jugiter suspicantur. Porro reproborum mentes multa nequiter agunt, quia se hic diu vivere arbitrantur. Justi vero dum brevitatem vitæ suæ considerant, elationis et immunditiæ culpas declinant. Qui enim considerat qualis erit in morte, semper fit timidus in operatione, nihil transitorium appetit, cunctis carnalibus vitæ præsentis desideriis contradicit.

Hinc, ut libro tertio Regum narratur,

Achab rex Israel audita comminatione mortis sibi facta ore Eliæ, scidit vestem suam, et operuit corpus suum cilicio, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. Conformiter legitur apud Jonam, quod rex Ninive audita prædicatione Jonæ, quod scilicet civitas Ninive post quadraginta dies mox everteretur, surrexit de solio suo regali, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere; atque præcepit ut homines et jumenta non gustent quidquam nec bibant, et operiantur saccis, et clament ad Deum in fortitudine, et convertatur unusquisque a via sua mala.

III Reg. XXI, 27.

Jonæ III, 6-8.

Denique consuetum est cunctis fidelibus confiteri et pœnitentiam agere, quando putant aut sciunt se protinus morituros. Quum ergo ad unumquemque fidelem pertineat quemlibet diem velut ultimum computare, eumque taliter ordinare, occupare, expendere tanquam in ipso sit moriturus; debemus ex consideratione mortis nos statim per contritionem, confessionem, emendationem et satisfactionem ad mortem disponere : imo, quum tota vitæ nostræ duratio in hoc mundo sit tanquam momentum comparatione durationis perpetuæ vitæ futuræ, debet unusquisque totum spatium vitæ hujus tanquam unam horulam reputare, atque cum omni diligentia et fervore se absque dilatione ad mortem felicem parare, sicque rebus transitoriis uti, non frui, tanquam eas celerrime relicturus. Ad quod hortatur sanctus Apostolus : Tempus (inquiens) breve est; reliquum est ut qui utuntur hoc mundo, sint tanquam non utentes : præterit enim figura hujus mundi. Ex qua utique consideratione beatus Job exoravit : Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei; et rursus : Paucitas dierum meorum finietur brevi, dimitte ergo me ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam. In qua, ut asserit Veritas, fletus et stridor dentium ac tenebræ erunt.

I Cor. VII, 29, 31.

Job VII, 16.

Ibid. X, 20, 21.

Matth. VIII, 12.

Verum, ut loquitur Augustinus, ideo vita hæc interdum longa videtur, quia adhuc durat, urget et agitur; sed quum fuerit terminata et finis ejus institerit, apparebit quam brevis exstiterit. Quod sanctus David in se ipso experiens, quum septuaginta annis vixisset, locutus est Deo : Peregrini sumus coram te et advenæ; dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. Unde et Jacob patriarcha interrogatus a Pharaone rege Ægypti : Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? respondit : Dies peregrinationis vitæ meæ super terram centum triginta annorum sunt, parvi et mali. Imo, si quis mille annis et (quod amplius est) ab exordio mundi usque ad hanc horam vixisset, et nunc esset moriturus, totum tempus præteritum videretur sibi quasi momentum, præsertim dum aciem mentis dirigeret ad imminentem sibi futuræ vitæ æternitatem.

I Par. XXIX, 15.

Gen. XLVII, 8. 9.

Ideo horum consideratione debemus viriliter opera pœnitentiæ aggredi sine dilatione, præsertim quum nihil stolidius sit quam tempus in quo omni hora valemus tot bona peragere, in caritate et omni virtute proficere, æternæ felicitatis gloriam et augmentum mereri, non solum otiose, sed et vitiose consumere. O quam negligentem ac fatuum reputaremus negotiatorem qui omni hora posset centum florenos lucrari, et tamen hoc ipsum negligeret otioque vacaret, aut certe ultra hoc suam dissiparet substantiam! Nonne ineffabiliter insipientior esse convincitur, qui quum omni hora possit in pretiosissimis Spiritus Sancti charismatibus crescere ac ditari, atque in cœlis æternæ felicitatis incomparabilem augere thesaurum, non solum tot et tanta negligit bona, sed insuper nudat, depauperat, lædit, perimit et condemnat nobilem animam suam?

Itaque quidquid ad moriendum salubriter reddit nos imparatos, tanquam infernale abhorreamus ac devitemus venenum; cuncta quoque quæ ad securum finem disponunt, et ad emigrandum de corpore confidenter efficiunt nos dispositos, amplectamur et exsequamur.

ARTICULUS IX.

De tertio effectu ex meditatione mortis nascente.

AN non cognoscitis vosmetipsos? nisi forte reprobi estis. II Cor. XIII, 5.

Tertius effectus ex intenta mortis præmeditatione procedens, est consideratio et humiliatio propriæ fragilitatis, mortalitatis et defectuositatis. Quidam enim considerationi suæ nobilitatis, pulchritudinis, juventutis, opulentiæ, potentiæ, famæ, ho- B noris, scientiæ vel prosperitatis ita intenti sunt, quod se ipsos vere cognoscere negligunt, et prætacta dona fortunæ aut naturæ plus appretiantur atque magnificant quam veritas patitur. Idcirco intra se stolide intumescunt, et aliis se præponunt, proximosque despiciunt, etiam illos qui in spiritualibus et supernaturalibus donis et gratiis, meritis ac virtutibus multo præstantiores ac meliores sunt ipsis. Hi igitur excæcati vanique homines discant mortem sibi incessabiliter velocissimo cur- C su approximantem præmeditari, et frequenter ac profunde pensare quales erunt in morte, qualiter tunc omnis eorum decor marcescet, et pulchritudo in deformitatem vertetur, potestas in infirmitatem, honor in dejectionem, gloria in confusionem, quando nec propinquorum prosapia, nec opulentia, neque nobilitas neque familia poterunt eos juvare. (*Ps.* XLVIII, 18.) Homo enim quum interierit, non assumet secum hæc omnia, nec descendet cum eo gloria ejus, sicut et sanctus Job protestatur (*Job.* XXVII, 19, 20.): Dives quum dor- D mierit, nihil secum auferet, apprehendet eum quasi aqua inopia. Ex horum itaque consideratione perpendant se ceteris similes in natura, tantoque viliores ex culpa, quanto ex donis Dei sibi concessis magis elati, ingrati ac suo Creatori rebelles fuerunt : et ita humilient semetipsos, certi quod nisi sic fecerint, multo acerbiorem, periculosiorem et damnabiliorem habituri ac passuri sint mortem quam ceteri.

A Quemadmodum ergo vexatio præsens et inflicta dat intellectum (*Is.* XXVIII, 19.) atque ad humiliationem inducit (ut in Antiocho superbissimo patuit rege, qui plagatus rediit ad cor, dicens : Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire) (II *Mach.* IX, 12.), sic vexatio præmeditata et infligenda illuminat humiliatque mortales. Nempe Alexander rex potentissimus, jaculo læsus : Homines, inquit, dicunt me esse filium Jovis, sed sagitta hæc probat me esse mortalem. Xerxes vero rex præpotens, copiosissimum B suum ex alto loco exercitum intuens, ex futura ipsius defectione et morte lacrimas fudit, eo quod infra centum annos universi succumberent morti.

Præterea, ex consideratione mortis divites, nobiles ac potentes, et cuncti qui præsunt, tanto vehementius habent timere seque humiliare, quanto ut communiter citius moriuntur, districtius judicantur ac gravius puniuntur, atque quo pauciores ex eis salvantur. Hinc etenim ait Scriptura : Omnis potentatus brevis vita; sic et rex (*Eccli.* X, 11, 12.) C hodie est, et cras morietur. Primo quoque libro Machabæorum venerabilis Mathathias ait de rege superbo : A verbis peccatoris (I *Mach.* II, 62, 63.) ne timueritis, quoniam gloria ejus stercus et vermis est; hodie extollitur, et cras non invenietur, quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit. Sed et in libro Sapientiæ ait sermo divinus : Audite, reges, et intelligite; discite, judices (*Sap.* VI, 2, 4-7.) terræ : quoniam data est vobis potestas a Domino Deo, qui interrogabit opera vestra et cogitationes vestras scrutabitur. Quo- D niam quum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis, horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his qui præsunt fiet : exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Certe, si præsidentes, potentes, nobiles et divites ista perpenderent, humiliarent utique semetipsos, et timorati consisterent.

Præterea, cognitio ista propriæ defectu-

ositatis in naturalibus et accidentalibus, A in corpore et anima, in conversatione et duratione, utilissima est ad humiliandum se ipsum, ad despiciendum mundana, ad obtinendum Spiritus Sancti charismata. Idcirco divina Scriptura de imperfectione, instabilitate, ærumna atque periculis hominum multa commemorat, comparans hominem variis rebus fragilibus, vilibus et maxime instabilibus, ut sic discat humiliare se ipsum.

Attende ergo, o homo qui te aliquid esse putas et in altum erigis caput tuum, qui B sic vivis et tanta securitate, præsumptione ac vanitate te elevas, quasi moriturus atque in manus Dei viventis casurus non esses ; audi quid de excellentia tua, imo de miseria tua, Spiritus Sanctus per os antiqui Patriarchæ ac Prophetæ locutus sit :
Job XIV, 1, 2. Homo (inquit) natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis ; qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem
Ibid. VII, 6. statu permanet. Itemque : Dies mei velocius transierunt quam a texente tela suc- C ciditur, et consumpti sunt absque ulla spe. Hoc est quod pius rex Ezechias fate-
Is XXXVIII, 12. tur : Præcisa est velut a texente vita mea ; dum adhuc ordirer, succidit me ; de mane usque ad vesperam finies me. Hinc quoque flos Prophetarum Isaias, tanquam magnum aut profundum aliquid prolatu-
Ibid. XL, 6-8. rus, ita exorsus est : Vox dicentis : Clama. Et dixi : Quid clamabo ? Moxque subjungit quid sit clamandum, quid jugiter recolendum, quid solenniter prædicandum : Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus qua- D si flos agri. Vere fœnum est populus. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos.

His consonat quod frater Domini, sanctus apostolus Jacobus, in sua ait Canonica, quod tamen de divitibus specialiter
Jacob. I, 10, 11. exprimit : Dives (inquiens) sicut flos fœni transibit : exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit ; ita et dives in itineribus suis marcescet. Idem demum Apostolus contra præsumentes de longa vita invehitur, loquens eis : Quæ est vita *Jacob.* IV, 15.
vestra ? Vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur. Et quoniam divites ad elationem et præsumptionem sunt proniores, ipsos volens humiliare, adjecit : Agite nunc, divites, plorate ululantes *Ibid.* v, 1, 2, 5.
in miseriis quæ advenient vobis ; divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt ; epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra.

His demum comparationibus alludens Psalmista, disseruit : Noli æmulari in ma- *Ps.* XXXVI, 1, 2, 35, 36.
lignantibus, quoniam tanquam fœnum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident. Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani ; et transivi, et ecce non erat ; et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. Generaliter quoque loquens de homine idem Propheta dixit : Recordatus est *Ps.* CII, 14-16.
Dominus quoniam pulvis sumus. Homo sicut fœnum dies ejus, et tanquam flos agri, sic efflorebit : quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet, et non cognoscet amplius locum suum.

Insuper, vani et impii amatores sæculi hujus, qui dum in vita hac prosperarentur, et in divitiis suis confiderent, atque in carne turpiter delectarentur, longam et felicem reputabant hanc vitam, quoniam mentem habebant vitiis excæcatam, audiamus quid dicant in suppliciis constituti et propria vexatione edocti. Nonne sero pœnitentes et præ angustia spiritus *Sap.* v, 3, 6-9, 11.
gementes, exclamant : Erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et Sol intelligentiæ non est ortus nobis ; lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus ? Quid nobis profuit superbia ? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis ? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius præcurrens, aut avis quæ transvolat in aere.

Ex his innotescit fragilitas, instabilitas, defectuositas nostræ conditionis. Idcirco

ex horum consideratione debet se homo A profunde ac jugiter humiliare, transitoria, carnalia et terrena despicere, atque ad mortem salubrem se ipsum incessabiliter præparare. Et quia nobilior pars hominis, utputa anima rationalis, est immortalis, Creatoris sui ac sempiternæ beatitudinis capax, debet se homo dare ad Creatoris sui sanctum ac divinum amorem, ad spiritualium gratiarum æternaliumque deliciarum puram affectionem, et ad quotidianum ac indesinentem profectum virtutum.

ARTICULUS X.

De quarto effectu ex mortis meditatione ortum habente.

EXSPECTATIO *sollicitorum peribit.* Prov. XI, 7.

Ex diversis considerationibus diversæ procedunt affectiones et curæ. Ideo qui in hac vita se diu opinantur victuros, nec futuri sæculi perpetuitatem digne advertunt, solliciti sunt terrena colligere, in temporalibus abundare, et sibi pro vita hac copiosius providere. Hæc est sollicitudo carnalis, mundana, inquieta et stulta, ex sæculari procedens prudentia, de qua
Rom. VIII, 6. ait apostolus Paulus : Prudentia carnis
Jacob. III, 15. mors est. Jacobus quoque apostolus : Non est (inquit) sapientia ista desursum descendens, sed terrena, animalis et diabolica. Quam sollicitudinem prohibuit Chri-
Matth. VI, 34. stus, dicendo : Nolite solliciti esse in crastinum. Porro qui prudenter advertunt quam brevissima, fallax, incerta, periculosa sit vita hæc, quodque post eam in alio sæculo perpetuo sint victuri aut in maxima et extrema miseria, aut in beatitudine prorsus perfecta, vilipendunt carnalia et caduca, atque solliciti sunt providere sibi de spiritualibus opibus, quibus post vitæ hujus curriculum æternaliter ac
I Tim. VI, 18. beatifice reficiantur : ideo satagunt divites
Matth. VI, 20. fieri in operibus bonis, et thesaurizant sibi in cœlis. Quorum summa et tota sollicitudo est Deo placere, beatitudinem illam plenissimam obtinere, sicque transire per temporalia bona, ne eorum intuitu, occupatione et amore amittant sempiterna supernæ gloriæ bona. Hæc est sollicitudo bona, sapientialis, salvifica, de qua dixit Michæas propheta : Indicabo tibi, homo, *Mich.* VI, 8.
quid sit bonum, aut quid Dominus requirat a te : utique sollicitum ambulare coram Deo tuo. Moyses quoque : Custodi temet- *Deut.* IV, 9.
ipsum et animam tuam sollicite. Absque sollicitudine hac nemo valet salvari.

Hinc, ut tactum est articulo sexto, quar- B tus effectus ex intenta mortis præmeditatione emanans, est depositio terrenarum curarum, abjectio turbationum pravarum, atque inquietudinum sæculi hujus repulsio. Nempe qui assidue ac profunde perpendit quod celerrime propinquet ad mortem, quod mortis suæ ignoret diem, quod cito emigrabit de corpore isto et universa mundana ac transitoria deseret, nunquam ea rehabiturus in sæculo isto, tanto plus sollicitatur pro obtinenda felicitate vitæ futuræ, pro evadenda calamitate Acheron- C tis subterjacentis, pro opulentia et decore animæ suæ, quanto vita illa ventura longior est præsenti, quo beatitudo perpetua ac cœlestis melior desiderabiliorque consistit prosperitate vitæ istius, quo anima suo corpore est præstantior. Quumque nulla sit comparatio temporalis durationis ad æternitatem, terrenæ prosperitatis ad angelicam et cœlestem felicitatem, vilissimæ carnis ad rationalem animam et superbenedictæ ac adorandæ Trinitatis imaginem ; constat quod assidua et profunda D mortis consideratio omnem consumat atque repellat curam terrenam immoderatam, nec propter adversa sinat hominem conturbari : imo inter injurias, persecutiones, irrisiones, afflictiones et ægritudines, inter blanda ac prospera efficit hominem stabilem et tranquillum, vel potius in omni adversitate gaudentem, tantoque amplius cupientem adversa quam prospera, quanto ad mortem salubrem ac finem beatum adversitates magis quam prosperitates expediunt, quum dicat Scriptura :

Act. XIV, 21. Per multas tribulationes oportet nos intra- A
II Tim. III, 12. re in regnum cœlorum ; et denuo : Omnes
qui volunt pie vivere in Christo, persecu-
tionem patientur.

Sap. III, 6. Etenim verissime scriptum est : Tan-
quam aurum in fornace probavit electos
Dominus, et quasi holocausti hostiam ac-
cepit illos. Holocaustum autem dicebatur
oblatio quæ ad divinæ majestatis honorem
totaliter comburebatur, ad figurandum quod
homo debet se totum Creatoris sui obse-
quio mancipare, et quidquid habet, potest
et est, ad ipsius honorem et cultum ordi- B
nare, a quo accepit quidquid est, potest et
habet. Sic igitur Deus suos electos in vita
hac igne tribulationis urit et purgat, quem-
Zach. XIII, 9. admodum protestatur : Ducam eos per
ignem, et uram eos sicut uritur argentum,
et probabo eos sicut probatur aurum ; et
ego exaudiam eos, et dicam : Populus
meus es ; et ipsi dicent : Dominus Deus
Ps. VII, 12. meus. O vere beatus, quem Deus, judex
justus, fortis et patiens, sic exercet et
mundat in sæculo isto, sicut per Isaiam
Is. I, 25. prophetam fatetur, Convertam manum me- C
am ad te, et excoquam ad purum scoriam
tuam ! Hinc Israelitico populo Moyses di-
Deut. VIII, 2. xit : Recordaberis cuncti itineris per quod
adduxit te Dominus Deus tuus, ut affli-
geret te atque tentaret, et nota fierent quæ
versabantur in corde tuo, utrum custo-
dires mandata illius, an non.

Ecce ex his constat quam vere sancti
Patres locuti sint, nil periculosius esse
quam in hoc mundo, in isto exsilio, in
valle hac lacrimarum, in loco pœnitentiæ
et peregrinationis istius prosperari, deli- D
ciari, nec castigari a Deo, quemadmodum
Job XXI, 7, 9. sanctus Job ait de impiis : Sublevati sunt
confortatique divitiis, et non est virga Dei
super eos. Sed ad quem finem perducat
hujusmodi vita, idem vir sanctus pandit,
Ibid. 13. subdendo : Ducunt in bonis dies suos (id
est, in deliciis dies suos consumunt), et in
puncto ad inferna descendunt. Talem vi-
tam facit consideratio mortis contemni,
vanitates, choreas, ludos, jocos, cachin-
nationes, loquacitates abhorret et vitat.

Verum ad hæc dicere poterunt sæcu-
lares personæ bonæ, cupientes Deo pla-
cere, præsertim nobiles et potentes, præ-
lati et principes : Si meditatio mortis
sollicitudoque spiritualis faciunt terrena
omnia despici, curas mundi et inquietu-
dines evitari, quid agendum est nobis ?
et quis nostrum valebit salvari ? Quibus ex
verbis Gregorii sancti est respondendum,
qui ait : Qui rebus temporalibus occupan-
tur, tunc bene exteriora disponunt, dum
sollicite ad interiora refugiunt, quum ne-
quaquam foras perturbationum strepitus
diligunt, sed certis horis, quantum eis pos-
sibile est, ad spiritualem exercitationem
et quotidianam conscientiæ suæ examina-
tionem se conferunt. Qui autem ita non
agunt, sed ad exteriora cor suum omne
effundunt, cito obliviscuntur suæ salutis,
atque quotidie gravius excæcantur, et ad
multa ac magna peccata labuntur, prout
sanctus ait Bernardus : Cor quod futuram
felicitatem non cogitat, amore terrestrium
implicatur, sicque vanitas mentem recipit,
curiositas ducit, voluptas inficit, cupiditas
afficit, luxuria inquinat, invidia torquet,
tristitia cruciat, suspicio inquietat, ira per-
turbat. Hinc Salomon vere locutus est :
Homini bono dedit Deus sapientiam et læ- *Eccle.* II, 26.
titiam ; peccatori autem afflictionem et
curam superfluam. Unde probatur, quod
vita hominis virtuosi sit multo jucun-
dior atque quietior quam vita hominis vi-
tiosi.

ARTICULUS XI.

De quinto effectu ex meditatione mortis nascente.

OMNIA *arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Philipp. III, 8. Verba sunt sancti Apostoli.

Quintus effectus ex consideratione mor-
tis proveniens, est totius inordinatæ affe-
ctionis ad creaturas abjectio, et fervens
integerque conatus placendi Deo. Qui enim
attente ac frequenter recordatur et intue-

tur quam cito recedet a sæculo isto, et quam diu et æternaliter vivet in sæculo mox futuro, non reputat vitam præsentem nisi cursum et peregrinationem ad vitam sequentem, nec utitur divitiis ac ceteris rebus mundi nisi ut mediis necessariis pertingendi ad mortem salubrem ac finem beatum : non ergo inordinate ad eas afficitur, sed in Deo atque secundum Deum, secundum quod sibi utiles ac necessariæ sunt pro sustentaculo vitæ ad bene vivendum. Et talis amor rerum creatarum non retardat nec minuit, sed fovet et auget divinum amorem. Idcirco, quod ait Chrysostomus, Pro quanta parte cor tuum fuerit ad aliquam rem creatam, pro tanta minus est ad Deum, intelligendum est de inordinata et immoderata cordis affectione ad creaturas : sicut in his qui in cibo et potu, in vestibus, in habitaculis ac ceteris exterioribus rebus, quærunt non tantum necessitatem naturæ ac usum decentem secundum evangelicæ legis doctrinam, sed carnalem delectationem, vanitatem, pompam complacentiamque humanam, proprium quoque, non Dei honorem, et famam laudemque propriam. Hæc omnia sapientialis consideratio mortis contemnit et abjicit. Propterea Climacus contestatur : Istud est verum argumentum commemorationis Dei ac mortis in sensu cordis, spontanea impassibilitas affectionis ad omnem creaturam, atque perfecta derelictio propriæ voluntatis. (Scal. parad. grad. VI.)

Præterea, consideratio ista facit hanc vitam contemni, eo quod tot peccatis, defectibus ac miseriis sit subjecta, permixta et inquinata. Unde sanctus pater Bernardus disseruit : Cur vitam istam tanto affectu desideramus, in qua quanto plus vivimus, tanto plus peccamus ? Quanto vita est longior, tanto et culpabilior. Quotidie crescunt mala, et Deus omnipotens magis ac magis offenditur ; et quanto diutius hic manemus, tanto de pluribus reddere rationem Deo debemus.

Itaque meditatio mortis avaritiam fugat, et necessariis est contenta. O quam sapienter consideravit hæc omnia sanctus Propheta qui ait, Locutus sum in lingua mea, Notum fac mihi, Domine, finem meum (hoc est, da mihi gratiam illustrantem per quam efficaciter pensem quam celeriter mihi propinquet terminus vitæ meæ), sic etiam notum fac mihi numerum dierum meorum, ut sciam quid desit mihi, id est, quatenus ex consideratione paucitatis ac brevitatis dierum vitæ meæ advertam conversationis meæ defectuositatem, et tanto festinantius atque ferventius me emendem, quanto brevius ac incertius est tempus residuum vitæ meæ ! Hinc ex contemplatione instabilitatis ac brevitatis vitæ hominum in hoc mundo subjunxit : Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens ; verumtamen in imagine pertransit homo. Quod quum ita sit, stultum et vanum est pro temporalibus immoderanter sollicitari. Ad quod insinuandum adjecit : Sed et frustra conturbatur ; thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea. (*Ps.* XXXVIII, 5. — *Ibid.*, 6, 7.)

Assidue ergo intueamur quod cito de hoc sæculo recedemus, quatenus ad nullam creaturam inordinate et culpabiliter afficiamur, sed in vera mentis puritate crescamus ac solidemur quotidie. Beati etenim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. (*Matth.* V, 8.) Talis fuit sanctus et nobilis doctor, B. Thomas de Aquino, qui cum studentibus atque confratribus S. Dionysio Parisios rediens, et interrogatus ab illis : Ecce, magister, quam pulchra est civitas Parisii, vellesne esse dominus ejus ? respondit : Mallem habere opus imperfectum Joannis Chrysostomi super Matthæum perfectum, quam esse dominus civitatis Parisiensis. Hinc idem vir sanctus tres res specialiter exoravit obtinere a Deo. Prima fuit ut in suo humili statu permaneret, nec ad aliquam ecclesiasticam dignitatem aut prælaturam promoveretur. Secunda, ut nullius rei creatæ affectio mentem suam coinquinaret. Tertia, ut status animæ fratris sui defuncti sibi revelaretur. In quibus tribus exauditus fuit a Domino pro sua reverentia.

ARTICULUS XII.

De sexto effectu ex meditatione mortis manante.

V*ENI in hortum meum, soror mea, sponsa.* Cant. v, 1.

Hæc sunt verba omnipotentis et gloriosissimi Creatoris ad unamquamque animam viatricem ac sanctam. Cujus Creatoris adorandi tanta est dilectio atque dignatio ad animas virtuosas, quod eas appellat amicas, sorores, sponsas ac filias. Sicque animam sanctam hominis agonizantis ad superni delicias paradisi invitans : Veni (inquit) in hortum meum (in hortum utique cœlestis deliciosissimi paradisi), soror mea, sponsa, mihi per fidem, caritatem ac fidelitatem stabilem desponsata, ut de cetero desponsata sis mihi in patria Beatorum per beatificam fruitionem, per lumen gloriæ, et inseparabilem, gaudiosissimum incessabilemque amplexum. Sic animæ perfectorum in extremis consolantur et invitantur a Christo per inspirationem internam et allocutionem secretam: quibus testimonium perhibet Spiritus Sanctus per certificationem occultam, quod placeant Deo, et quod benigne recipientur ab eo. Et hic est sextus effectus ex meditatione mortis procedens in his qui cum dulci spe præstolantur atque cum gaudio spirituali suscipiunt mortem advenientem, tanquam æternæ beatitudinis januam et ingressum, prout sanctus ait Bernardus : Veniet mors, sed somnus erit dilectis Dei, janua vitæ, initium refrigerii, scala ascen-
Sap. IV, 7. sionis in cœlum. Etenim, si justus præoccupatus fuerit morte, in refrigerio erit.

Nec his obstat quod etiam justi naturaliter pavent mortem, et eam naturaliter horrent, quum et beatissimo principi Apo-
Joann. XXI, 18, 19. stolorum prædixerit Christus : Quum autem senueris, alius te cinget et ducet quo tu non vis. Quod utique, ut Evangelista fatetur, dixit Salvator, significans qua morte summus ille Apostolus Deum erat clarificaturus. Unde et Climacus loquitur :

A Pavor mortis proprietas est naturæ, ex *Scal.parad. grad.* VI.
prævaricatione inobedientis veniens (id est ex originali peccato hominis protoplasti) ; tremor vero mortis est signum non peractæ pœnitentiæ de peccatis. Pavit Chri- *Marc.* XIV, 33.
stus mortem, non tremuit, ut duarum naturarum proprietates in se declararet. Et iterum protestatur : Sicut manifeste discernitur stannum ab argento, quamvis in adspectu similitudinem habeant ; ita apud discretos manifeste patet distinctio inter naturalem mortis pavorem et innaturalem
B mortis timorem ex remorsu conscientiæ provenientem.

Denique qualiter ista stent simul, utputa mortem appetere et pavere, illuminatus Papa Gregorius tricesimo primo Moralium docet, dicendo : Sicut vir fortis dum vicino certamine armis accingitur, palpitat et festinat, tremit et sævit, quasi pavere per pallorem videtur, sed per iram vehementer urgetur : ita vir sanctus dum passioni seu morti se propinquare conspicit, ex naturæ suæ infirmitate concutitur, et ex
C spei suæ constantia solidatur ; de vicina morte trepidat, et tamen, quia post mortem verius ac felicius vivet, exsultat. Ad regnum namque non potest nisi interposita morte transire. Ideo gaudens metuit, et metuens gaudet : quoniam scit quod ad supernæ quietis bravium non pertinget, nisi id quod interjacet cum labore transcendat.

Talis fuit magnus ille Sanctus, beatus præsul Martinus, qui viso maligno spiritu lectulo suo adstante, cum certa humilique
D fiducia dixit : Quid hic stas, cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies; Abrahæ me sinus recipiet. Sanctus quoque Hugo Lincolniensis episcopus, Cartusiensis, qui hora agonis ex divino dixit instinctu : Non judicii, sed refrigerii dies erit quando defungar. O quam grande est relevamen agonizantium, conscientia pura, qua noscunt se virtuose conversatos ac salubriter morituros! Verumtamen imperterritis ad moriendum pensandum est quod Climacus ait :
Sunt (inquiens) qui propria reputatione et *Scal.parad. grad.* VI.

elatione a passionibus purgatos se arbitrantur, et ideo mortem non verentur. Discutiat ergo se homo plenarie, nec præsumat, neque securus sit inconsulte. Sanctus est qui mortem quotidie ex humilitate, sinceritate et caritatis ardore desiderat: qualis præcipue fuit gloriosus Andreas apostolus, qui visa eminus cruce sibi parata, nequaquam extimuit neque expalluit, sed cum ingenti eam gaudio salutavit.

Postremo, etiam magnus et nobilis ille philosophus Plato aliquid dixit concordans prædictis. In Phædone etenim ait : Vir in philosophia ducens vitam, confidit quum mori debeat, maximis fruitum ire bonis ; et iterum : Si quem videris graviter ferre quum debeat mori, nullo modo erat philosophus ; itemque : Ridiculum est virum omni vita se præparantem ad mortem, adveniente ea, moleste ferre.

ARTICULUS XIII.

Exhortatio ad mortem salubrem, ex consideratione sublimium personarum quæ mortis legibus subjacuerunt.

U*BI sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias* terræ, *qui in avibus cœli ludunt, qui argentum thesaurizant et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum ? Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt.* Baruch III, 16-19.

Multum accendit nos ad mundi contemptum, ad præsentis vitæ aspernationem, ad mortis præparationem, dum prudenter attendimus eos celeriter ab hoc mundo subtractos quibus multo inferiores consistimus. Quumque pensamus quod eorum excellentiæ eis non profuerunt ad mortis evasionem, ad veram salutem, imo quod potius per eas decepti sunt ac damnati, valde ædificamur ac excitamur ad talium excellentiarum despectum.

Nunc ergo adverte, o homo qui ad ea quæ mundi sunt inclinaris, qui carnalia appetis, qui transitorios amas honores, qui

A in donis naturæ, in bonis fortunæ, in habitibus, artibus atque scientiis acquisitis exsultas et tumes. Dic mihi, ubi jam illi qui in talibus olim præclari fuerunt? Ubi Paris, filius regis Trojæ, speciosissimus adolescens ? ubi Adonis, amasius Veneris, formosissimus juvenis? ubi pulcherrimus Absalon, aut venustissima Thalamon ? ubi Hector fortissimus, aut Hercules robustissimus ? Ubi Plato ? ubi Platonici subtilitate præcipui, Proclus, Plotinus, Porphyrius, Avicebron, Apuleius atque Macrobius? Ubi
B Cicero? ubi Ciceronici rhetorica eloquentia tumidi ? Demosthenem, Xenophontem Ctesiphontemque loquor. Ubi nunc famosi astronomi, Albumasar, Almyon, Albategni, Alfraganus, Thebit et alii ? Ubi jam studiosissimus Aristoteles, princeps philosophorum, cum omni schola ac secta Peripateticorum, Avicenna, Andronico, Algazele, Themistio, Averroe, Alphorabio, Theophrasto, Simplicio? Ubi jam imperatores, reges ac principes olim præpotentes et inclyti, Alexander, Cyrus ac Darius, Octavianus,
C Hannibal, Nemrod, ac Julius atque Pompeius? Ubi Crœsus ditissimus? ubi Achilles magnanimus? ubi egregius poeta Virgilius? ubi Joab callidissimus ? ubi jam viri antiquissimi qui ante diluvium plus quam nongentis annis vixisse leguntur ?

Ex his vide, disce, considera, quod decor, honor et gloria mundi, fortitudo, agilitas corporis, nobilitas generis, principatus, imperium, opulentia, eloquentia, ingenium, longiturnitas temporum, acquisita scientia, absque humilitate et gratia,
D sine caritate et cordis munditia, nulli prosint ad salutem, imo innumerabilibus fuerunt et sunt occasio ad condemnationem majorem. Non ergo hujusmodi dona reprobis tam excellenter collata, insipienter appretiemur, neque inaniter appetamus, sed pro donis gratiæ gratum facientis Omnipotentem jugiter deprecemur. Pro nihilo reputemus iniquos ut tales, nec vanorum et vitiosorum hominum sequamur vestigia, de quibus devotissimus ait Bernardus : Dic mihi, ubi sunt amatores mundi qui ante

pauca tempora fuerunt nobiscum, qui laute ac splendide comederunt, voluptuose biberunt, qui in comessationibus, potationibus, impudicitiis, jocis et ludis, risibus, fabulis et choreis tempora sua infelicissime perdiderunt, insipientissime consumpserunt, et irrecuperabiliter perierunt ? Nihil in tumulis remansit ex eis nisi vermes et cineres, putredo et sanies, fœtor, horror et arida ossa. Hic caro eorum deputata est vermibus esca, atque in infernis anima eorum tradita est æternis suppliciis, donec denuo infeliciter copulatæ, pariter torqueantur intolerabilibus ignis tartarei flammis.

Ecce post brevem et inanem lætitiam, post vilem et fœdam voluptatem, post inanes risus, ludos et jocos, sortiti sunt æternalem tristitiam, infernalem desolationem, ignem sulfureum, pœnalissimum frigus, fletum dentiumque stridorem ; pro societate mundana receperunt mœstissima dæmoniorum consortia. Quid ipsis jam prodest transacta voluptas, elatio cordis, irrefrenatio oris, vitiosa libertas in pravis operibus ? quid divitiarum jactantia, grandis familia, pretiositas vestium, decor ornamentorum, nobilitas generis, prosperitas temporis ? Nonne omnia illa celerrime defecerunt, et tantum post se calamitatem, æternam minationem, acerbissimam pœnam, desperationem, pressuram, angustiam reliquerunt, quemadmodum ait Propheta, Defecerunt in vanitate dies eorum, et anni eorum cum festinatione ? (*Ps.* LXXVII, 33.)

Cur de mundana prudentia, de philosophica scientia, et de nobilitate carnali, de potentia sæculari gloriaris et intumescis, quum dicat Apostolus electis fidelibus, Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles sunt inter vos, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes sæculi hujus, et infirma et contemptibilia mundi elegit Deus ? (*I Cor.* I, 26-28.) Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi ? (*Ibid.* 20.) De talibus sapientibus in oculis suis ait in Evangelio Filius Dei : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, id est humilibus. (*Matth.* XI, 25.) Isaias quoque propheta : Ubi (inquit) est litteratus ? ubi legis verba ponderans ? ubi doctor parvulorum ? (*Is.* XXXIII, 18.) De talium unoquoque iterum loquitur Isaias : Sapientia et scientia tua deceperunt te. (*Ibid.* XLVII, 10.) De quibus et Jeremias disseruit : Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. (*Jer.* IV, 22.)

Ubi gigantes a sæculo nominati, statura magni, in bellis periti ? (*Baruch* III, 26.) Certe in his impletum est quod in Job legitur : Hoc scio a principio ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti ; si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, velut somnium avolans non invenietur, transiet quasi visio nocturna ; et qui eum viderant, dicent : Ubi est ? (*Job* XX, 4-8.)

Verumtamen ob hoc nobiles et potentes, docti et in sæcularibus rebus prudentes desperare non debent, sed formidare, ac humiliare semetipsos. Nam et Christus quosdam habuit discipulos divites, potentes et doctos, videlicet Nicodemum, Zachæum et Joseph ab Arimathæa decurionem, ad præfigurandum quod etiam talium quidam salvantur.

ARTICULUS XIV.

Recitatio exemplorum et historiarum ex quibus debet homo accendi ad assiduam mortis præparationem.

SUM quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, ex genere terreno ; et natus accepi communem aerem, et in similiter factam decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans : nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. Sap. VII, 1, 3, 5.

Audiamus quid famosissimus atque ditissimus rex Salomon referat de se ipso :

Eccle. II, 4-8. Magnificavi (inquit) opera mea, ædificavi mihi domos, plantavi vineas, feci hortos et pomaria, et consevi ea cuncti generis arboribus; exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium; possedi servos et ancillas multamque familiam, armenta quoque et magnos ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem; coacervavi mihi argentum et aurum, et substantias regum et provinciarum; feci mihi cantores et cantatrices, et delicias filiorum hominum. *Ibid.* II, 16, 17, 22, 23. Quumque me convertissem ad universa B hæc, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem spiritus, et nihil permanere sub sole. Moritur doctus similiter et indoctus. Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videns mala esse universa sub sole, et omnia vanitatem afflictionemque animi. Quid enim proderit homini de universo labore suo et afflictione spiritus qua sub sole cruciatus est? Cuncti dies ejus doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente quiescit.

Ecce quod sapientissimus Salomon ille propria experientia doctus, fassus est in C universis divitiis, deliciis atque honoribus mundi non esse nisi vanitatem, miseriam et cordis afflictionem. Nam et ipsis deliciis multæ desolationes ac tristitiæ sunt admixtæ. Divitiis quoque inquietudo, sollicitudo, timor et dolor miscentur. Excellentia etiam ac præsidentia insidias, invidias, curas anxietatesque patitur. Ideo librum in quo præallegata verba habentur, Salomon sic incepit: *Ibid.* I, 2. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes; vanitas vanitatum, et omnia vanitas. *Ibid.* XII, 8. Et eadem verba in fine libri illius D repetivit. Unde quid finaliter omnibus sit agendum, in fine ejusdem libri expressit: *Ibid.* 13. Finem (inquiens) loquendi omnes pariter audiamus: Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.

Dan. V. Præterea, Daniel narrat qualiter Balthasar rex Babylonis fecit grande convivium optimatibus suis, cum quibus ipse cum suis uxoribus et concubinis epulabatur ac temulentus bibebat, atque eadem nocte occisus fuit in ultionem suorum facinorum.

A Conformiter superbissimus Holofernes post crapulosam et delicatissimam cœnam quam suis exhibuit servis, quum in ipsa nocte putaret immundis voluptatibus frui, a femina est occisus. *Judith* XII, 10 et seq. Aman quoque crudelis, a rege Assuero super omnes principes regis sublimatus, eodem die quo putavit cum rege ac regina gaudiosissime epulari, procurante regina ac rege jubente, affixus patibulo fuit pro suis criminibus. *Esther* III, 1; VII, 1 et seq. Insuper, in Actibus fertur Apostolorum quemadmodum Herodes rex regia veste indutus, dum blasphemis laudibus populi delectaretur, ab angelo est percussus, et consumptus a vermibus exspiravit. *Act.* XII, 21-23.

Amplius, in libro Ezechielis prophetæ opulentia et eminentia civitatis nomine Tyri per capitula diversa describitur, ubi inter cetera legitur: Hæc dicit Dominus Deus: O Tyre, tu dixisti, Perfecti decoris ego sum, et in corde maris sita. *Ezech.* XXVII, 3, 4, 10, 12-14, 22, 23. Persæ et Lydii et Libyes erant in exercitu tuo; clypeum et galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo. Carthaginienses negotiatores tui, argento et ferro et stanno et plumbo repleverunt nundinas tuas. Græcia et Thubal et Mosoch institores tui, mancipia, equos et equites et mulos adduxerunt ad forum tuum. Venditores Saba universa prima aromata et lapides pretiosos et aurum proposuerunt in mercatu tuo. Juda et *Ibid.* 17, 11. terra Israel institores tui in frumento primo, balsamum et mel et oleum et resinam proposuerunt in nundinis tuis. Sed et Pigmæi qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum; ipsi compleverunt pulchritudinem tuam. Et ecce repente ad nihilum deducta *Ibid.* 36, 34. es et peristi; opes tuæ et omnis multitudo tua quæ erat in medio tui, pariter ceciderunt.

Insuper, Climacus refert, quod in Choreb *Scal. parad. grad.* VI. fuit solitarius quidam, in omni negligentia vivens, qui tandem graviter infirmatus, quasi unius horæ spatio perfecte migravit a corpore, et rediens ad se ipsum, rogavit nos omnes ut recederemus ab eo. Qui, nobis egressis, januam cellæ suæ mox ob-

struens, mansit intus duodecim annis, A cum nullo hominum colloquium habens, nil aliud gustans nisi panem et aquam. Sedens autem, et ad ea quæ vidit in ecstasi stupens, sic mansit mœrens, quod nunquam de cetero proprium morem mutavit, et calidas lacrimas sine strepitu semper fundebat. Quum autem migraturus esset ad Dominum, portam destruentes, intravimus; et multum deprecantes ut aliquid diceret nobis, hoc solum ab eo audivimus: Indulgete mihi, nemo memoriam mortis habens, poterit peccare. Nos vero admira- B bamur hominem prius tam negligentem, tam repente beata mutatione in melius transformatum. Quumque eum sepelissemus, requirentes die altera sanctas ejus reliquias, nequaquam invenimus: per quod certificavit nobis Deus de ejus studiosa pœnitentia et salute. Præterea, alter quidam in deserto commorans, in loco qui dicitur Tholas, ex intenta meditatione mortis sæpius patiebatur mentis excessum, et mente deficiens ac corpore sopitus, inveniebatur a fratribus fere absque anhelitu, C a quibus et reportabatur. Hæc Climacus.

Legitur quoque, quod olim consuetudo exstitit Romæ, ut novo Papa creato, deferretur atque incenderetur coram eo stuppa, et diceretur : Sic transit gloria mundi. Conformiter in Constantinopoli fuerat usus quod Imperatore recenter coronato, quidam repræsentabant coram eo tria aut quatuor genera lapidum, dicentes ut eligeret de quo sibi fieri vellet sepulcrum. Sed et S. Joannes Eleemosynarius ordinavit ut suum monumentum ipso vivente non per- D ficeretur, imo diebus solennibus, quum esset in honore, unus ministrorum suorum veniret ac diceret : Domine, sepulcrum tuum nondum completum est, jube perfici illud, quoniam nescis diem et horam. (*Matth.* XXV, 13.) Hæc fiebant, ut tanti viri temporali prosperitate non extollerentur, sed mortales se esse adverterent.

Postremo, ut recitat Petrus Alfonsi, defuncto Alexandro mundi monarcha, convenerunt multi philosophi, quorum unus disseruit : Heri totius terræ spatiositas Alexandro non suffecit, nunc sufficit ipsi spatium trium vel quatuor ulnarum. Alius dixit : Heri Alexander potuit multos populos liberare a morte, hodie se ipsum a morte nequivit eripere. Alter videns auream ejus tumbam, locutus est : Heri Alexander de auro fecit thesaurum, hodie aurum facit de ipso thesaurum. Alius ait : Heri Alexander terram oppressit, hodie a terra opprimitur. Sicque ceteri per ordinem notabilia multa dixerunt ad insinuandum vanitatem vitæ præsentis ac principatus terreni.

ARTICULUS XV.

De miseriis et ærumnis humanæ conditionis.

OCCUPATIO magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam. Eccli. XL, 1.

In hoc evidenter apparet plenitudo miseriarum hominum universorum, quod quanto major videtur esse eorum prosperitas et voluptas, tanto major est eorum calamitas atque iniquitas. Nulla enim gravior miseria hominis quam peccatum, quod maxime et incomparabiliter nocet rationali creaturæ, separans eam a suo Creatore ac Salvatore, privansque eam omni divino charismate Spiritus Sancti atque felicitate cœlesti, ad æternalem quoque damnationem eam perducens. Prava autem voluptas et omnis vana lætitia est peccatum. Prosperitas vero mundana est præcipua vitiorum occasio, et maximum incitamentum peccandi, secundum quod Salomon loquitur : Prosperitas stultorum (*Prov.* I, 32.) (id est iniquorum hominum) perdet eos. Denique, quamvis caro hominis multis immunditiis, vilitatibus, defectuositatibus, fœtoribus et ærumnis sit plena, anima tamen ineffabiliter periculosioribus atque pejoribus miseriis, vilitatibus, sordibus ac defectibus est repleta, et totus homo est misera creatura, et laqueis periculisque exposita et vallata, ut nequeat explicari.

Hinc Innocentius ait : Quis det oculis meis fontem lacrimarum, ut defleam miserabilem humanæ conditionis ingressum, culpabilem conversationis progressum, damnabilem dissolutionis egressum ? Consideravi cum lacrimis de quo factus est homo, quid faciat homo, quid futurus sit
Gen. II, 7. homo. Formatus est de terra, conceptus in
Ps. L, 7. Job v, 7. culpa, natus ad pœnam. Agit prava et turpia, quæ non licent ; vana, quæ non expediunt. Fiet cibus ignis, esca vermis, massa putredinis. En herbæ et arbores producunt flores, frondes et fructus ; tu lendes, pediculos et lumbricos. Illæ de se fundunt oleum, vinum et balsamum ; tu sputum, urinam et stercora. Illæ de se spirant suavitatis odorem ; tu abominabilem intolerabilemque fœtorem. Porro, quum ad senectutem quis venerit, statim cor ejus affligitur, caput concutitur, languet spiritus, fœtet anhelitus, frons rugatur, statura curvatur, caligant oculi, vacillant articuli, nares fluunt, crines ruunt, tremit tactus, deperit et actus, dentes putrescunt, aures surdescunt.

Hinc ait S. Bernardus : Si diligenter consideres quid per os et nares ceterosque corporis meatus egreditur, vilius sterquilinium non vidisti. Si singulas tuas miserias velis enumerare, quantis sis oneratus peccatis, irretitus vitiis, pruriens concupiscentiis, occupatus passionibus, pollutus illusionibus, pronus semper in malum, proclivis ad omne peccatum, non sufficies considerare nec enarrare hæc omnia. Cur ergo superbis ? Cur curiosis pretiosisque vestibus corpus tuum adornas, quod post paucos dies vermes devorabunt, animam vero tuam non ornas virtutibus, quæ præsentanda est Deo et angelis ? Cur animam tuam vilipendis, et ei carnem tuam immundissimam præfers ? O quantis quotidie vitiis inquinamur ! Quam enormia sunt nostra peccata ! Quam imperfecta sunt ope-
Eccle. IX, 1. ra nostra bona ! Et ignoramus an digni sumus amore an odio, et quid finaliter nobis eveniet, æternane damnatio an vera beatitudo.

A Ecce ex his debemus nos jugiter profundissime humiliare, carnalia spernere, atque ad mortem incessabiliter nos præparare. Nam, ut etiam Plato disseruit in Phædone, miserum corpus nostrum decies millena impedimenta contemplationum affert animæ nostræ. Secundus quoque philosophus ab Hadriano imperatore interrogatus, Quid est homo ? respondit : Mens incorporata, phantasma temporis, speculator vitæ, mancipium mortis, transiens viator, hospes loci, anima laboriosa, habi-
B taculum temporis parvi. Mundo ergo utamur tanquam hospitio, totisque viribus festinemus ad patriam electorum : quam ut post vitæ præsentis finem mox ingredi valeamus, ad mortem salubrem nos disponamus per indefessa exercitia actuum virtuosorum.

ARTICULUS XVI.

C *De secundo quatuor novissimorum, puta de futuro Dei judicio, cui attribui possunt omnes actus qui jam ante assignati sunt morti.*

OMNES nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit. II Cor. v, 10.

Sicut præhabitum est, secundum novis- art. I.
simorum est districtum Dei judicium. Ideo dicto de morte, restat nunc aliquid de judicio isto tractare.

Hoc judicium multo terribilius est ipsa morte corporali ac temporali, imo et pœ-
D nis inferni ad tempus, prout sanctus Job
dixit : Quis mihi tribuat ut in inferno pro- Job XIV, 13.
tegas me et abscondas me donec pertranseat furor tuus ? Dictum est quoque, quod art. I.
mors corporalis ac brevis non est in se ipsa tam metuenda, ut sancti Patres edocuerunt, nisi propter judicium Dei annexum morti, et propter supplicia quæ justo Omnipotentis judicio infliguntur iniquis. Hinc, sicut consideratio mortis intenta inducit ad sex effectus, de quibus jam ante facta est mentio, quæ sunt, vehementer art. VI.

timere, coram Deo sollicitum esse, pœnitentiam aggredi, humiliare se ipsum, temporalia spernere, ad nihil terrenum inordinate et culpabiliter affici ; sic diligens consideratio divini judicii ad eosdem ducit effectus. Ideo ex consideratione horum amborum validius provocemur ad hos saluberrimos actus ; et considerantes Judicem summum omnia clarissime intuentem, atque nos cito judicandos ab ipso, conversemur in ejus præsentia cum omni timore et pavore, cum beatissimis viris Elia et Eliseo dicentes : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Sicque ex horum consideratione obedientes Altissimo, mereamur cum Psalmista dicere Deo : Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Nempe, ut dixit beatissimus abbas Macarius, tanta est terribilitas divini judicii, quod si quis digne illud perpendat, ossa ejus carni suæ præ timore vix adhærebunt. Unde sanctus rex David fatetur : A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ, id est pelli meæ.

III *Reg.* XVII, 1 ; IV *Reg.* III, 14.

Ps. CXVIII, 168.

Ps. CI, 6.

Idcirco et nos deploremus culpas atque miserias nostras, et propter pericula inenarrabiliter grandia quibus expositi sumus, congemiscamus, confugientes ad Dei clementiam, secundum quod sancti Patres factis docuerunt et verbis. Etenim quum sanctus vir abbas Pastor audisset beatum abbatem Arsenium migrasse ad Dominum, flevit, dicens : Beatus es, abba Arseni, quia flevisti te ipsum in sæculo isto : qui enim in hoc sæculo se ipsos non deflent, in alio se sæculo deplorabunt. Hinc quum præfatus abbas Macarius venisset ad sanctos Patres et Fratres in montem, dixit : Ploremus, Fratres, et deploremus modo nos ipsos, antequam veniamus ubi lacrimæ nostræ comburant corpora nostra. Fleveruntque omnes et corruerunt proni in terram super facies suas, dicentes : Ora pro nobis, o Pater. Hinc locutus est Filius Dei : Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Matth. V, 5.

Studeamus nos imbecilles, imperfecti A et defectuosi, multis culpis obnoxii, metuendum Dei judicium tam jugiter reminisci, considerare, vereri, quam vehementer et assidue formidavit illud gloriosus et sanctus doctor Hieronymus, dicens : Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco. Sive enim comedo, sive bibo, sive aliud aliquid facio, semper videtur mihi tuba illa terribilis sonare in auribus meis : Surgite, mortui, venite ad judicium. Taliter plane formidavit judicium Dei sanctus senior ille qui quum vidisset B Fratrem quemdam ridentem, ait : Coram cœlo et terra rationem reddemus totius vitæ nostræ, et tu rides ?

ARTICULUS XVII.

Quod valde metuendum sit futurum Dei judicium ex districtione judiciorum quæ Deus interdum exercuit in hoc mundo.

C QUIA *non cito profertur contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.* Eccle. VIII, 11.

Quam veraciter protulerit sapientissimus Salomon verba hæc, experientia docet. Sunt etenim multi, imo et innumerabiles, qui de die in diem adjiciunt peccata peccatis, et sine mensura ac numero Creatorem suum offendunt, animas proprias lædunt et perimunt, dæmonibus obsequuntur, ac tandem vitiosis consuetudinibus victi, oppressi ac penitus excæcati, absque timore transgrediuntur omnipotentis Le- D gislatoris præcepta, quoniam experiuntur se diu impune peccasse, imo et sibi in vitiis prospere successisse, similiter aliis multis. Hinc sumunt peccandi audaciam, atque faciliter sibi prophetant quod postea pœnitentiam sint acturi, et fallunt insipientes ac miseri semetipsos. Hinc rursus Salomon protestatur : Omnia in futurum servantur incerta ; unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu in vita sua, et post hæc ad inferos deducentur.

Eccle. IX, 2, 3.

Insuper, ex hoc quod impii tam diu non solum impune peccant, sed etiam in suis vitiis prosperantur (ut Jeremias propheta super hoc admirans locutus sit : Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum ; verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur, et bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt? Plantasti eos, et proficiunt) ; econtrario justis frequenter contingunt adversa, et opprimuntur ab impiis, variisque infirmitatibus affliguntur (propter quod ait Scriptura : Multæ tribulationes justorum) : hinc quidam sumpserunt occasionem errandi atque dicendi quod Deus non habeat providentiam rerum terrenarum et actuum humanorum. De quibus Spiritus Sanctus per Ezechielem testatus est : Dixerunt, Dereliquit Dominus terram, et Dominus nos non videt. Ex consequenti quoque asseruerunt non esse futurum judicium Dei. De quibus in libro Sapientiæ habetur : Dixerunt impii cogitantes apud se non recte : Exiguum et cum tædio est tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis : quia ex nihilo nati sumus, et post hæc erimus tanquam non fuerimus. Ex hoc demum errore laxaverunt habenas concupiscentiis suis, et sine refrenatione voluptatibus servierunt. Unde in prætacto Sapientiæ libro dixisse et ex falsis præmissis conclusisse leguntur : Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter ; vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis ; coronemus nos rosis antequam marcescant ; nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, ubique relinquamus signa lætitiæ : quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors nostra.

Jer. XII, 1, 2. *Ps.* XXXIII, 20. *Ezech.* IX, 9. *Sap.* II, 1, 2. *Ibid.* 6-9.

Sed insipientes ac impii isti improvida consideratione falluntur. Quamvis namque, ut tactum est, frequenter communiterque contingat quod impii florent, prosperantur ac diu impune peccant in sæculo isto, nihilo minus sæpe oppositum accidit : imo multoties justus Deus in hac vita non solum punivit, sed etiam tam acriter tamque celeriter punivit iniquos et eos occidit ac condemnavit, ut non solum certi esse debeamus de providentia Dei et futuro ejus judicio, sed et vehementissime admirari ac formidare debeamus rigorem divini judicii.

A

Nonne in exordio mundi, propter primorum parentum nostrorum transgressionem, non solum irrevocabiliter expulit eos de paradiso terrestri, imo etiam totam eorum posteritatem tam amœna habitatione privavit, atque (quod gravius est) posteros eorum originali nudavit justitia, et culpæ ac damnationi judicavit obnoxios, ita quod usque in præsens nascantur filii iræ, et in peccatis concipiantur, ac variis subjiciantur miseriis, in tantum quod Jeremias in utero sanctificatus, conquestus est, dicens : Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei? Præterea manifestavit omnipotens Deus terribilitatem ac districtionem justitiæ suæ, quando totum genus humanum interfecit diluvio, paucis, id est octo hominibus, exceptis : in quo diluvio innumerabiles mergebantur infantuli qui adhuc nullam commiserant culpam. Similiter declaravit Altissimus metuendam suam justitiam in horrenda subversione atque sulfurea combustione Pentapolis, id est quinque urbium, et universorum etiam infantium qui erant in ipsis, propter immundissima eorum facinora.

B C

Gen. III, 23, 24. *Ephes.* II, 3. *Ps.* L, 7. *Job* XIV, 1. *Jer.* I, 5 ; XX, 18. I *Petr.* III, 20. *Gen.* XIX, 24, 25.

Deinde multipliciter, terribiliter ac evidentissime ostendit rigorem suæ justitiæ in universa terra Ægypti et in cunctis Ægyptiis, quos decem principalibus plagis multisque aliis plagis percussit, ac multos eorum in mari Rubro submersit. Quibus peractis, monstravit suæ districtionem justitiæ sæpe et copiose in Israelitico populo in deserto, in quo dum populus ille vitulum aureum adorasset, occisa sunt mox ex eis viginti tria millia hominum. Quumque duo filii Aaron posuissent ignem alienum

D

Exod. VII et seq. *Ibid.* XXXII, 2-6, 28. *Lev.* X, 1, 2.

in thuribulis suis, protinus venit ignis divinitus combussitque eos. Deinceps quoque, dum variis modis peccassent filii Israel in eremo, utputa esum carnium desiderando, impatienter agendo ac modis variis murmurando, dire plagati sunt, in
Exod. xii, 37. tantum quod in sexcentis millibus ac pluribus ex Ægypto eductis non nisi duo viri,
Num. xxvi, 65. videlicet Josue ac Caleb, terram promis-
Ibid. xvi, 1-33. sionis ingressi sunt. Inter quos Dathan et Abiron, Hon quoque et Core horribilius sunt plagati, quia cum tabernaculis suis a terra vivi fuerunt absorpti.

Insuper, in exstirpatione et occisione Chananæorum, fortissimorum et innumerabilium populorum, Deus justitiam suam per filios Israel horrende monstravit, in aliis quoque gentilibus tempore Judicum ; in evangelica quoque lege, in improvisa ac subitanea interfectione infidelium tyrannorum persecutorum Ecclesiæ ; imo in principio creationis rerum, in ejectione et condemnatione angelorum peccantium, quos pro uno peccato celerrime facto æternaliter condemnavit et punivit.

In quibus omnibus per ista suæ æquitatis exempla nos terruit, salubriterque admonuit ut divini timeamus judicii ineffabilem æquitatem, quæ rigorosius nimis judicabit ac vindicabit in futuro vitia hominum quam in sæculo isto. Itaque dicere
Job xxvi, 14. possumus illud Job : Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum (id est operum) ejus, et quum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri ? Etenim stillæ sermonum Dei, sunt judicia ejus facta in mundo isto ; tonitruum autem magnitudinis ejus, est futurum ejus judicium, et sententia
Matth. xxv, 41. ejus contra iniquos, qua dicetur : Ite, maledicti, in ignem æternum. Hinc beatissimus princeps Apostolorum Petrus in sua se-
II *Petr.* ii, 4-6, 9. cunda scribit Canonica : Si Deus angelis peccantibus et originali mundo non pepercit, diluvium mundo impiorum inducens, et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens eversione damnavit, exemplum eorum qui impie
A acturi sunt ponens ; novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii cruciandos servare.

ARTICULUS XVIII.

De multis rebus ex quarum consideratione innotescit quam metuendum et rigorosum sit futurum Dei judicium, tam generale in fine mundi, quam particulare in singulorum hominum obitu.

B *ECCE venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, et de omnibus duris quæ locuti sunt contra Dominum peccatores impii.* Judæ 14, 15.

Hæc verba S. Judas apostolus allegat in sua epistola esse prænuntiata ab Enoch, qui in paradisum translatus est. *Eccli.* xliv, 16.

Multa sunt ex quibus docemur quantum formidare debemus judicium Dei, tam particulare quam generale. Imo qui in die
C generalis judicii cupit esse securus, studeat Deo indesinenter placere, et ad mortem salubrem pertingere. Sic enim in particulari suo judicio salvabitur, et idcirco in die novissimo erit securus. Quidam vero futurum in fine mundi judicium minus verentur, quia adhuc longe abesse id opinantur. Qui pensent quod particulare eorum judicium non nisi paululum distet, in quo si imparati fuerint inventi, tam nunc quam in die novissimo in generali judicio damnabuntur.

D Denique, utrumque istud judicium est ineffabiliter metuendum : primo, ex parte Judicis summi ; secundo, ex parte judicandi ; tertio, ex parte retributionis. — Ex parte etiam Judicis metuendum est utrumque istud judicium multis modis. Primo, ratione altissimæ auctoritatis et excellentiæ ejus, a qua nullus potest appellare. Secundo, ratione infinitæ sapientiæ suæ, quam nihil potest latere. Tertio, ratione omnipotentiæ suæ, cui nullus potest resistere, et quam nemo valet effugere. Quar-

to, ratione justitiæ ejus, quæ in tantum A odit omne peccatum, quod nullam culpam quantumlibet parvam deserit indiscussam aut impunitam. Quinto, quoniam ipse Deus omnipotens non solum est judex, sed etiam pars. Ipse quippe in omni culpa offenditur, quia in omni peccato mortali præceptum ipsius violatur : sicque causa vertitur inter ipsum et judicandos ; valde autem metuendum est judicari ab ipso in quem excessus commissus est. Sexto, ratione beneficentiæ suæ. Quo enim in hac vita benignior et gratiosior fuit nobis, quo B plura ac majora beneficia nobis exhibuit, quo longanimius emendationem nostram præstolari dignatus est, quo frequentius et evidentius admonuit nos, eo ingratos et impios horribilius judicabit. — Præterea, ex parte judicandorum terribile est utrumque judicium : primo, quoniam infirmi et *Jacob.* III, 2. fragiles sunt ; secundo, quia in multis offenderunt ; tertio, quia incerti sunt an digni sint odio, et an placeant Deo. — Amplius, utrumque judicium metuendum est vehementer ex parte retributionis : C quæ est æterna damnatio, cujus inflictio est maxime formidanda, aut salus perpetua, cujus carentia est potissime metuenda.

Insuper, ultra hæc generale judicium est præsertim verendum. Primo, ex parte terribilium signorum quæ illud præcedent : quia, ut in Evangelio Veritas prote- *Luc.* XXI, 25. statur, erunt signa in sole et luna, etc. Secundo, ex parte dispositionis in qua mundus tunc stabit. Nam ignis conflagrationis terram et aerem occupabit, et D universæ creaturæ erunt quasi commotæ *Sap.* V, 18. contra iniquos, atque armatæ ac præparatæ ad ulciscendum in iniquis injuriam Creatoris. Tertio, ex parte exercituum Judicis : quia aderunt ibi universi angeli sancti et cives superni, qui et tunc visibiliter apparebunt. Quarto, ex parte præsentiæ omnium rationalium et intellectualium creaturarum, in quarum conspectu confundi, reprobari et manifestari, erit maxima pœna.

ARTICULUS XIX.

De terribilitate divini judicii ratione summæ auctoritatis et extremæ excellentiæ judicis Christi.

D*EUS cujus iræ resistere nemo potest, sub quo curvantur qui portant orbem. Quis* ei *dicere potest, Cur ita facis?* Job IX, 13, 12.

Solent inferiorum judicum judicia minus timeri, quoniam etsi condemnent in causis quibusdam, patet evasio per appellationem ad judicem superiorem. Maxime ergo timendum est Judicis summi judicium, a quo appellari non potest nec licet; cujus judicia quamvis injusta esse non queant, sunt tamen incomprehensibilia, mirabilia, tamque districta et abdita seu occulta, ut multa quæ humano judicio justa videntur et bona, ab ipso reprobentur ac condemnentur. Propter quod ait in Psalmo : Quum accepero tempus, ego justitias judicabo, id est, examinabo an sint *Ps.* LXXIV, 3. veræ justitiæ.

Hujus exemplum patet tertio Regum, de Propheta quem Dominus misit ad incre- III *Reg.* XIII, 1-24. pandum idololatriam Jeroboam regis Israel, præcipiens ei ne comederet neque biberet in terra regis illius. Qui quum ex deceptione cujusdam pseudoprophetæ comedisset in terra illa, in ultionem inobedientiæ suæ a leone mox fuit occisus. Qui tamen valde excusabilis videbatur, quoniam callidissimum illum pseudoprophetam putavit esse verum Dei Prophetam, et peccare se credidit nisi acquiesceret illi. Dixerat namque pseudopropheta ad ipsum : Et ego *Ibid.* 18. propheta sum similis tui, et angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens : Reduc eum tecum in domum tuam, et comedat. Unde elicitur, quod in multis credimus nos coram Deo excusabiles esse, in quibus tamen ipse incomprehensibilis Deus non habet nos excusatos. Quod etiam demonstratur ex reprobatione trium amicorum beati Job, qui videbantur zelo divini honoris contra Job disputasse, quoniam

ipsis apparuit quod Job in verbis suis de- A rogavit divinæ justitiæ, propter quod eum acriter arguerunt; et tamen Dominus judicavit eos male esse locutos, dicens ad
Job XLII, 7. principalem ipsorum : Iratus est furor meus in te et in duos amicos tuos, quia non estis locuti rectum coram me, sicut servus meus Job.

Vehementissime igitur formidemus Judicis summi judicium, cui inexcusabiliter et sine resistentia ac appellatione stari oportet. Hoc sanctus Job intuens, dixit :
Ibid. IX, 14, 15, 19, 20. Quantus ego sum ut respondeam ei? Etiam- B si habuero quidpiam justum, non respondebo ei, sed ut meum judicem deprecabor. Si fortitudo quæritur, robustissimus est; si æquitas judicii, nemo audet pro me testimonium dicere. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me; si me innocentem ostendero, pravum me comprobabit. Itaque, si fecerimus omnia quæ præcepta sunt nobis, et cum omni diligentia nobis possibili examinaverimus conscientias nostras atque confessi fuerimus, pro viribus quoque satisfecerimus C pro peccatis, adhuc tamen oportet nos humiliari sub Omnipotente, formidare ejus
Ps. XVIII, 13. judicium, ac orare, Ab occultis meis munda me, Domine : quoniam certi non sumus an altissimus Judex satisfactionem nostram acceptet, et utrum veram habuerimus contritionem, atque an pœnitentia nostra ex caritate processerit. Ex horum considera-
Ps CXLII, 2. tione sanctus David oravit : Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

D Ecce si in vita præsenti injuste dijudicemur ac puniamur, superest consolatio aliqua, quoniam cogitamus quod Deus, qui male judicata rejudicabit, faciet nobis justum judicium, pro injuriis nobis illatis retribuet nobis vicem et recompensam. Sed post judicium Dei reprobantis ac condemnantis consolatio nulla restat, quem-
Job XXXVI, 22, 23. admodum ait Scriptura : Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis est in legislatoribus. Quis poterit scrutari vias ejus? aut quis ei dicere audet, Operatus es iniquitatem? Idcirco hoc solum habemus residui, ut coram ipso nos semper humiliemus, et fateamur nos in multis et magnis culpabiles de quibus certam notitiam non habemus.

Timeamus quoque ne forsan opera nostra quæ bona et virtuosa esse confidimus, non sint meritoria coram Deo, utpote ex caritate fortassis non facta. Quamvis enim judicio hominum bona sint, ignoramus tamen qua districtione, qua subtilitate, qua abdita ratione judicabuntur a Deo. Jugiter ergo dijudicemus ac vilipendamus nosmetipsos, et occulta Dei judicia metuere non cessemus; omnis præsumptio et vana securitas longissime absint a nobis. Hinc quum Patriarcha Alexandrinus venisset in eremum, et dixisset Abbati Fratrum, Quid amplius invenisti in loco hoc, Abba? respondit : Indesinenter culpare et dijudicare me ipsum. Dixitque Patriarcha : Non est alia via. Ideo sanctus ait Apostolus : Si nos ipsos dijudicaremus, *I Cor.* XI, 31.
non utique judicaremur.

ARTICULUS XX.

Quam metuendum sit Dei judicium propter infinitam sapientiam ejus.

O*MNIA nuda et aperta sunt oculis ejus.* Hebr. IV, 13.

Quanto quis sapientior, sanctior atque honestior est, tanto pœnalius est coram eo turpem ac sordidum apparere, atque ab ipso redargui et confundi, reprobari, despici ac puniri. Quum ergo sapientiæ Dei *Ps.* CXLVI, 5.
non sit numerus, et sanctitatis ac dignitatis ejus nullus sit finis, nec ulla sit ejus honestatis ac honorabilitatis mensura, certum est quod ineffabiliter grave, confusibile ac pœnale sit animæ peccatrici coram divinæ majestatis tribunali cum suorum fœditate, vilitate ac turpitudine vitiorum apparere, conspici ac contemni, discuti quoque ac reprobari ab ipso sancto et sapientissimo Deo.

Nonne videmus quod homines accessuri A magnos principes aut excellentiores prælatos, pulchriora quæ habent et meliora induunt vestimenta, ne refutentur, et ne excellentiam illorum videantur inhonorare? Unde legitur in libro Esther, quod non licuit indutum sacco aulam regis intrare. In Apocalypsi quoque Dominus loquitur peccatori : Vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ. Alba etenim vestimenta sunt virtutes et opera sancta, quibus animæ ornantur ac vestiuntur : quibus qui carent, confusibiliter ac spiritualiter nudi ac fœdi sunt coram Deo.

Esther IV, 2.

Apoc. III, 18.

Insuper in libro Danielis narratur, quod rex Babylonis Nabuchodonosor jussit præposito eunuchorum suorum ut introduceret de filiis Israel pueros natos ex semine regio, in quibus nulla esset macula, decoros forma et eruditos in omni sapientia, cautos scientia doctosque disciplina, ut possent stare et ministrare in præsentia regis. Ecce si rex ille terrenus voluit coram se adduci, stare et obsequi pueros C tam ornatos, sapientes, facetos, immaculatos ac nobiles : quid mirum quod Rex omnium sæculorum, immortalis, invisibilis ac infinite perfectus, requirat in suis ministris splendorem virtutum, sapientiæ lucem, morum venustatem, vitæ nobilitatem, atque ab omni peccato (præsertim mortali) immunitatem? Propterea intolerabilis confusio ac pœna gravissima est, coram sapientissimo atque sanctissimo Deo præsentari cum vitiorum squalore, cum pravæ consuetudinis deformitate, cum pu- D tredine ignobilissimæ vitæ, id est conversationis iniquæ.

Dan. I, 3, 4.

I *Tim.* I, 17.

Præterea, quanto Judex cœlestis clarius novit universas nostras transgressiones, omnesque circumstantias, origines et numerum culparum nostrarum, tanto vehementius formidare debemus ipsius judicium. Ipse autem omnia clarissime intuetur, omnesque nostras commissiones et omissiones iniquas, etiam minimas, distinctissime contemplatur. Vehementissime igitur nos oportet Judicis hujus formidare judicium, qui nullam penitus cogitationem illicitam, nullam affectionem, nullam locutionem, nec aliquem actum, imo nec aliquam omissionem, negligentiam aut torporem, indiscussam, injudicatam, impunitam relinquit.

Hinc ad incutiendum nobis salubrem timorem, indesinentem quoque cordis custodiam, ac timoratam in omnibus conversationem, Deus omnipotens in scripturis novi ac veteris Testamenti frequenter ac B seriose testatur se omnia intueri, considerare ac perscrutari. Hinc equidem ait per Amos prophetam : Cognovi multa scelera vestra ; et, Visitabo super vos omnes iniquitates vestras, nec obliviscar usque ad finem omnia opera vestra. Et primo Regum testatur : Non secundum hominis intuitum ego judico : homo enim videt quæ parent, Dominus autem intuetur cor. Ideo Jeremias propheta loquitur Deo : Domine Deus, fortissime, magne, potens, magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu, cujus oculi aperti sunt super omnes filios Adam, ut reddas unicuique secundum opera sua. Hoc perpendens etiam beatus Job, dixit : Nonne Deus considerat vias meas, et omnes gressus meos dinumerat? itemque : Observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. De quo etiam legitur in libro Sapientiæ : Altissimus interrogabit opera vestra, et cogitationes vestras scrutabitur. Magna ergo et vere ineffabiliter magna ratio atque necessitas formidandi ac timorate vivendi nobis incumbit, quoniam ante oculos Judicis summi omnia intuentis, cuncta scientis ac judicantis, est tota conversatio et exsistentia nostra.

Amos V, 12.
Ibid. III, 2; VIII. 7.

I *Reg.* XVI, 7.

Jer. XXXII, 17-19.

Job XXXI, 4.

Ibid. XIII, 27.

Sap. VI, 4.

Consideremus pro posse quantas quotidie habeamus cogitationes inanes, imaginationes inutiles, affectiones illicitas, otiosa pravaque verba et opera mala. O quot distractiones cordis habemus ac patimur omni die in orationibus et in divinis Officiis ! O quot bona omittimus omni hora ! Quam infructuose, imo et vitiose, deduci-

mus tempus! Quantum quotidie in cibo, potu et somno excedimus, et quam imperfecta ac defectuosa sunt opera nostra bona! Et hæc omnia inspicit Deus indesinenter. Et quoniam ipse silet ac differt vindictam, nos obtenebrati, ingrati, infelices ac stolidi adjicimus peccata peccatis, ac sine numero ac mensura peccamus. Quid ergo dicemus, quid agemus, quo divertemus, quum præsentati ejus tribunali fuerimus, quum in momento, in ictu oculi objecerit et clare ostenderit nobis universa hæc vitia nostra, magna ac parva, majora ac maxima, minora ac minima? Certe respondere non quibimus unum pro mille, nisi interim condignos pœnitentiæ fructus egerimus, et super custodiam nostram incessabiliter stemus, dijudicantes, despicientes et castigantes nos ipsos.

Job IX, 3. *Luc.* III, 8. *Habac.* II, 1.

Hinc ait S. Bernardus : Quid tam vehementissime metuendum, quam judicandum adstare tam districti Judicis tribunali, qui teste non indiget, et intentiones discutit cordis, cujus inquisitio usque ad secreta mentis pertingit? Nempe tam acutissime singulorum vitam considerat, ut nec minutissimæ cogitationes, nec tenuissima verba quæ ipso usu apud nos viluerunt, in ejus judicio indiscussa remaneant. Merito ergo dixit Isidorus : Ad districti Judicis examen nec justitia justi secura est. Imo, ut abbas Agathon ait, si Deus nobis imputaret distractiones cordis et negligentias quas in orationibus nostris et Officio divino incurrimus, salvi esse non possemus. Jugiter ergo pensemus et sollicite formidemus quod beatissimus princeps Apostolorum in prima sua scribit epistola, dicens : Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?

I *Petr.* IV, 18.

Certe, ut gloriosus fatetur Hieronymus, multi elingues, muti et balbutientes, feliciores tunc erunt loquacibus et facundis; multi pastores et bubulci tunc præferentur philosophis, multi rusticani principibus, multi obtusi subtilibus. Hinc disseruit Leo Papa : Ista est Judicis summi scientia, iste tremendus adspectus ipsius, cui pervium est omne solidum, et apertum omne secretum; cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, et sine voce mens loquitur. Idcirco, quum talis ac tanta sit sapientia Dei, contra eam nil poterunt nec valebunt allegationes advocatorum, sophismata logicorum, eloquentiæ oratorum, neque Aristotelicæ argumenta subtilitatis.

ARTICULUS XXI.

De horribilitate divini judicii propter omnipotentiam Judicis summi.

Deus judex justus, fortis et patiens. Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit et paravit illum. Ps. VII, 12, 13.

Quam maxime metuendus sit nobis Judex altissimus, ipsemet in Evangelio docet in parabolis dicens : Quis rex volens committere bellum adversum alium regem, non prius sedens cogitat an possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se? Alioqui illo adhuc longe agente legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. Per quæ verba Christus designat, quod homo judicandus ab ipso Christo, rege cœlorum, debet se ipsum quotidie examinare, atque pensare an in judicio valeat respondere, et de cunctis actibus suis interioribus et exterioribus, de verbis et omissionibus Deo reddere rationem. Quod si viderit facere se non posse, studeat Omnipotentem placare et metuendissimum Judicem sibi reconciliare per lacrimarum effusionem, per eleemosynarum elargitionem, per celebrationem Missarum, per exercitia sacra vigiliarum, orationum, disciplinarum et jejuniorum.

Luc. XIV, 31, 32.

Advertamus ac formidemus comminationes, imo et cunctas prænuntiationes Omnipotentis, qui per sanctos Apostolos et Prophetas, per Evangelistas et ceteros sanctos Patres tam terribiliter ac frequenter prænuntiavit districtionem futuri judicii, et sempiterna comminatur tormenta :

quatenus per timorem Dei, per sollicitudinem spiritualem, per ferventem cordis custodiam, per satisfactionem quotidianam, per lacrimosam contritionem, mereamur evadere tanti rigorem judicii, tot pericula et pressuras. Hinc per Moysen
Deut. XXXII, 41. dixit : Quum acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis. Atque
Is. XLII, 14. per Isaiam : Tacui, patiens fui ; ut parturiens loquar, dissipabo et absorbebo simul ; itemque : Ecce nomen Domini ve-
Ibid. XXX, 27, 28, 30 nit de longinquo, ardens furor ejus et gravis ad portandum ; labia ejus repleta sunt indignatione, spiritus ejus velut torrens inundans ad perdendas gentes in nihilum ; terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris et in flamma ignis
Ibid. LXVI, 14, 15. devorantis. Et rursus : Indignabitur Deus inimicis suis, quia ecce Dominus in igne veniet reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis. Insuper Jeremias propheta prædi-
Jer. XXIII, 19, 20, 40. xit : Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet ; non revertetur furor Domini usque dum faciat, et usque dum compleat cogitationem cordis sui ; et dabit iniquos in opprobrium sempiternum, et in ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur.

Timeamus judicium Omnipotentis, ad
Job XXVI, 11. cujus adspectum columnæ cœli contremiscunt et pavent ; in cujus conspectu cœ-
Eccli. XVI, 18-20. lum et cœli cœlorum, abyssus et universa terra et omnia quæ in eis sunt, commoventur, et quum conspexerit ea Deus, tremore concutientur. Et tamen in omnibus his insensatum est cor hominis, quod talem ac tantum Dominum non veretur, sed ejus præcepta impudenter et irrefrenate transgreditur. Quod ceteræ creaturæ sustinere vix possunt : imo ad ulciscendum Creatoris sui injuriam excandescunt, quamvis ex pietate divina differatur vindicta.
Jer. II, 12. Hinc super illud Jeremiæ, Obstupescite, cœli, super hoc, scribit Hieronymus : Cœlum videns præcepta Dei calcari, exhorrescit, et stuporem dissimulare non potest. Omnis enim creatura congemiscit et dolet super peccatis hominum. De quibus in
Sap. III, 10, 12, 17, 18. libro Sapientiæ scriptum est : Impii secundum ea quæ cogitaverunt, correptionem habebunt, quoniam neglexerunt justum, et a Domino recesserunt ; mulieres eorum insensatæ sunt, et nequissimi filii eorum. Et si longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit novissima senectus illorum. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem : quoniam
Ibid. IV, 18-20. Dominus Deus eos deridebit, et erunt post hæc decidentes sine honore, et in contumelia erunt inter damnatos in perpetuum, et usque ad supremum desolabuntur, et erunt gementes ; venient in cogitatione peccatorum suorum timidi (hoc est, ex memoria et remorsu vitiorum suorum venient ad finale Dei judicium cum grandi timore), et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum, id est, propter scelera sua ponentur ad sinistram Judicis metuendi.

Humiliemus igitur Judici omnipotenti animas nostras ; et quoniam non valemus effugere ejus potentiam, confugiamus pœnitentes ac humiles ad ejus clementiam. Nec pro aliqua prosperitate adipiscenda neque pro aliqua adversitate evadenda offendamus ipsius potentiam, attendentes quod venerabilis ille martyr veteris Testa-
II *Mach.* VI, 26. menti ait in libro Machabæorum : Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, manum tamen Omnipotentis neque vivens neque defunctus effugiam.

ARTICULUS XXII.

De terribilitate et rigore divini judicii ex parte divinæ justitiæ.

Q*UUM sis justus,* Domine, *juste omnia disponis : virtus enim tua justitiæ initium est.* Sap. XII, 15, 16.

Quemadmodum oculus corporalis quo fortioris est luminis et majoris acuminis, eo minora et plura ac perspicacius videt ;

sic oculus intellectualis quanto clarior, A sapientior ac justior fuerit, eo culpas etiam minimas limpidius intuetur et odit. Idcirco Judex ille altissimus, cujus mens in infinitum præ omnibus justa et sapiens est, universa et singula hominum peccata, quantumlibet modica, clarissime inspicit. Videmus quoque quod quanto sanctior ac justior fuerit quis, tanto plus odit, abhorret et punit iniquitatem. Ideo Judex supernus, qui infinitæ est sanctitatis et æquitatis, peccata inenarrabiliter odit, detestatur ac vindicat. Hinc itaque metuendissimum B est a Judice illo increpari ac discuti, qui tam indignanter ac horribiliter inspiciet peccatores, tamque rigorosissime eos affa-
Ps. II, 5, 4. bitur, sicut ait Propheta : Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos ; qui habitat in cœlis deridebit eos, et Dominus subsannabit eos. Item-
Ps. V, 7. que : Odisti, Domine, omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium ; virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. Hinc ait et
Amos II, 13, 14. per Amos : Ecce ego stridebo super vos, C sicut stridet plaustrum onustum fœno, et peribit fuga a veloce, et robustus non salvabit animam suam.

Recte igitur ait S. Bernardus : Quid tam pavendum, quid tam plenum anxietatis et vehementissimæ sollicitudinis cogitari potest, quam judicandum stare ante tribunal Judicis summi, et sub tam districto Judice incertam exspectare sententiam ? Verendum est valde, quum ad hoc ventum fuerit, ne in tam rigoroso ac subtili examine multæ nostræ justitiæ (ut putantur) pec- D cata appareant. Sic etenim inter homines cernimus, quod homines imperfecti, rudes ac simplices judicant multa verba et opera esse bona ac justa, quæ tamen homines illuminati atque in spiritualibus actibus exercitati, considerant esse illicita et iniqua. Quanto magis Deus infinitæ excellentiæ in omni sapientia, virtute ac sanctitate, multa verba et opera nostra quæ putamus esse vera ac justa, judicabit fuisse injusta atque erronea ? Formidemus ergo judicium Judicis hujus, qui tunc nec gratia prævenitur, nec misericordia flectitur, nec donis corrumpitur, nec pœnitentia mitigatur ; cujus tunc tanta inflexibilitas erit, quod quamvis beatissima virgo Maria omnesque angeli sancti et universi electi rogarent pro salvatione unius exsistentis in peccato mortali, non tamen eos tunc exaudiret.

Denique, zelus Judicis illius tunc æstuantissimus erit et summe implacabiliterque succensus contra iniquos, adversus quos tunc ira ejus in tantum desæviet, ut evangelista Joannes in Apocalypsi locutus sit : Dicent montibus et petris, Cadite su- *Apoc.* VI, 16, 17.
per nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ eorum, id est iræ Dei adversus eos. Unde et in Osee legitur :
Dicent montibus, Operite nos ; et collibus, *Osee* X, 8.
Cadite super nos. Ut enim asserit S. Augustinus, mallent reprobi et iniqui omne supplicium sustinere, quam faciem Judicis irati videre. De quo Daniel propheta prædixit : Thronus ejus flammæ ignis, rotæ *Dan.* VII, 9, 10.
ejus ignis succensus ; fluvius igneus rapidusque egredietur a facie ejus. Per quæ omnia designantur fervor et rigor et zelus divinæ justitiæ contra malignos, acerbitas quoque et abundantia tormentorum eis infligendorum, quæ per fluvium igneum ac rapidum denotantur. Quemadmodum enim in flamma sunt claritas luminis et calor ignis, ita in Judice illo est ardentissimus zelus æquitatis atque clarissima notitia veritatis. Porro per rotas Judicis significatur expeditio suæ potentiæ ac velocitas suæ justitiæ, quibus invehitur et procedit contra damnandos.

Hinc quoque Isaias propheta loquitur de Deo judice adorando, quasi de viro armato, ad ulciscendum se festinante ac fervido : Indutus est (inquiens) justitia ut *Is.* LIX, 17-19.
lorica, et galea salutis in capite ejus ; indutus est vestimentis ultionis et opertus est quasi pallio zeli, sicut ad vindictam, quasi ad retributionem indignationis hostibus suis et vicissitudinem inimicis suis,

quum venerit quasi fluvius violentus. Tunc A plane implebitur quod prædictum est in *Sap.* v, 18-21. libro Sapientiæ : Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum; induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea judicium certum; sumet scutum inexpugnabile æquitatem, et acuet diram iram in lanceam.

Hinc ait Chrysostomus : Tunc nec divitiæ proderunt divitibus, nec parentes intercedent pro filiis, nec angeli ut solebant pro hominibus facient, quia natura judicii, præsertim extremi, non recipit misericordiam. Unde et Salomon protestatur : *Prov.* xi, 4. Non proderunt divitiæ in die ultionis. Tunc maxime adimplebitur quod per Ezechielem locutus est Dominus : *Ezech.* xiv, 14, 16, 18, 20. Si Noe et Daniel et Job fuerint coram me, filios et filias non liberabunt, sed ipsi justitia sua liberabunt animas suas.

Hinc rursus per eumdem Prophetam Dominus loquitur peccatori : *Ibid.* xxii, 13, 14. Ecce complosi manus meas super malitias tuas. Numquid sustinebit cor tuum aut prævalebunt manus tuæ in diebus quos faciam tibi ? Ecce quam terribiliter loquitur justus et omnipotens Deus contra iniquos ! Nam et per *Osee* xiii, 8. Osee dixit : Occurram eis quasi ursa raptis catulis, dirumpam interiora jecoris eorum, et consumam eos ut leo. Ut enim asserunt naturales, nihil ferocius est ursa dum catulos suos amisit, et eum qui primo ei occurrit, crudelissime mox invadit. Cur ergo Deus, cujus natura est bonitas, et cujus proprietas est pietas, comparat se crudelissimæ feræ, nisi ad insinuandum intolerabilem rigorem suæ justitiæ ? Qui etiam *Exod.* xxiii, 3. per Moysen jussit : In judicio non misereberis pauperis, scilicet in derogationem justitiæ, aut in detrimentum partis adversæ. Nihil enim tam gloriose lucet in judice, sicut amare et exhibere justitiam sine personarum acceptione. Nam et Tullius ait : Exuit personam judicis quisquis amicum induit. Æquitas cui judex obsequitur, sinistram odii et amoris dexteram nescit. Talis namque debet esse juris minister et judex, ut nullius auctoritate personæ titubet aut vacillet in manu sua libra justitiæ.

ARTICULUS XXIII.

Quod divinum judicium sit incomparabiliter metuendum, eo quod ipse Judex altissimus sit judex et pars.

Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus ; si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo ? I Reg. B ii, 25.

Quamvis quædam peccata dicuntur peccata in Deum, quia sunt directe contra præcepta quibus præcipimur honorare et colere Deum, ut sunt tria prima præcepta Decalogi ; quædam vero dicuntur peccata in proximum, quæ directe nociva aut injuriativa sunt proximorum, ut sunt transgressiones aliorum septem præceptorum Decalogi : omnia tamen peccata possunt dici peccata in Deum, quoniam sunt contra aliqua ejus præcepta, ut furtum, rapi- C na, adulterium, homicidium, et consimilia. Præterea, loquendo in generali, peccata in Deum sunt graviora peccatis in proximum : sicut odium Dei, infidelitas, blasphemia, desperatio, sunt multo graviora quam rapina et furtum. Loquendo tamen in speciali, quædam peccata in proximum sunt enormiora quam quædam peccata in Deum : sicut adulterium et homicidium graviora sunt quam violatio aliqua sabbati, aut vana juratio. Et juxta hunc modum difficilius aut facilius est satisfacere Deo D pro peccatis commissis in ipsum, vel pro peccatis commissis in proximum.

Itaque, quoniam omne peccatum mortale est contra aliquod Dei præceptum et contra Deum, ipse Judex altissimus in judicio tam particulari quam universali non solum est judex, sed etiam pars adversa rei judicandi ab ipso transgressionis divini præcepti, ita quod causa vertitur inter judicem Deum et inter reum. Est autem valde specialiter metuendum, judicari ab eo qui est adversarius judicandi, et ab illo

præstolari sententiam qui injuriam passus est, et quem causa directe concernit : quemadmodum si homicida læsisset ballivum, aut ejus filium occidisset. Quid ergo dicturus, quid acturus est infelix peccator, quum ejus fuerit tribunali adductus quem toties tamque enormiter inhonoravit, offendit, contempsit, et cujus adoptivos filios aut filias, amicos et ministros, scilicet proximos suos, toties spiritualiter interfecit, eos scandalizando aut aliquo modo ad vitia pertrahendo ? O quali vultu adspiciet illum Judex ! quam horribiliter eum invadet, increpabit, damnabit ac puniet ! Certe, sicut per Osee prophetam prædixit, juxta desiderium suum corripiet eos. *Osee* x, 10.

Consideremus enormitatem cujuslibet peccati mortalis, sicque patebit quam ineffabilem irreverentiam, injuriam et offensam faciat Deo peccator. Certe quo eminentior est præcipientis auctoritas, eo gravior culpa est violare ac transgredi ejus præceptum. Quum itaque auctoritas Dei sit summa, incomparabiliter magna ac penitus infinita, incomparabiliter grave et impium est Dei mandatum prævaricari. Rursus, quo major est bonitas ac dignitas Dei, eo enormius est ei quidquam præferre. Quum ergo in omni mortali peccato peccans præponat propriam voluntatem voluntati divinæ, et bonum creatum, caducum, carnale seu vanum, bono increato, incommutabili, immenso, prorsus perfecto et infinite dignissimo ; constat quod peccans mortaliter, ineffabiliter magnam et quasi infinitam irreverentiam, injuriam et offensam inferat Deo, cui præeligit et præponit ista vilissima, immundissima, carnalia et terrena. Amplius, quo major est sanctitas atque justitia Dei, eo plus detestatur, odit ac reprobat iniquitatem. Et ita quum sit interminabiliter sanctus ac justus, ita quod suæ sanctitatis et æquitatis nullus est finis, nulla mensura et comparatio nulla, certum est quod infinita detestatione et inæstimabiliter magno odio abhorreat omnem culpam mortalem. Insuper, quo major est sapientia Dei et fidelitas ejus ad homines, eo stultius est ejus præceptis non obedire, ejus documentis et consiliis repugnare, indesinenterque agere quæ ipse prohibuit.

Idcirco merentur iniqui a Judice summo indignantissime inspici, acerrime increpari, totaliter despici, maximeque confundi, vituperari et æternaliter reprobari. Et si pro uno mortali peccato, etiam minimo inter peccata mortalia, merentur ita tractari, quam incomprehensibiliter dure ac contemptibilissime tractabuntur ab ipso, qui eum sæpe et irrefrenate offenderunt etiam in enormioribus vitiis, imo frequentius quam valeant numerari, et qui alias quoque personas traxerunt ad lapsum ? O quam confusibiliter ac tremebunde ante Judicem stabunt, redarguti a conscientiis propriis, ad quem tam irreverenter et intimorate se habuerunt, quem tam enormiter et sæpissime contempserunt, cujus præcepta, documenta, monita et consilia impudenter quotidie abjecerunt ! O quam minaci, irato, horribili indignantique vultu ipsos adspiciet, alloquetur, reprobabit ac condemnabit ! De quibus apud Isaiam Deus testatur : Heu, ego consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis ; *Is.* I, 2[illegible] et apud Ezechielem : Complebo furorem meum, et requiescere faciam indignationem meam in eis, et consolabor. *Ezec*[illegible] 13. In quibus verbis Deus loquitur per modum principis propter injurias sibi illatas irati et contristati, qui quum juxta desiderium suum exercuerit ultionem in adversariis suis, consolatur, lætatur atque quiescit.

Præterea, multum indignanter et ægre ferunt superiores, si præcepta eorum a subditis violentur in ipsorum præsentia et adspectu. Quum igitur constet omnibus Deum omnia intueri, hoc valde auget transgressionem et contemptum culparum nostrarum in Deum, quod Deo præsente ac intuente, audemus præcepta ipsius prævaricari.

Itaque, si desideramus ab Omnipotente in die particularis ac generalis judicii misericorditer recipi, benigne tractari et fa-

vorabilem obtinere sententiam, studeamus eum in omnibus honorare et ejus semper vitare offensam.

ARTICULUS XXIV.

De terribilitate ac districtione divini judicii ex parte beneficentiæ Dei.

FILIUS *honorat patrem* suum, *et servus* timet *dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus.* Malach. I, 6.

Dominus noster Jesus Christus in Evangelio ait : Cui multum datum est, multum quæretur ab eo, et cui multum commendatum est, plus petetur ab eo. Itaque quanto major est dilectio atque dignatio Dei ad nos, quo etiam major est misericordia ejus in nobis, et quo plura ac majora beneficia contulit nobis, eo vitiosior est ingratitudo, inobedientia et transgressio nostra, et eo gravius ac rigorosius judicium imminet nobis. Porro tanta est caritas ac dignatio Dei ad nos, quod a nobis pauperrimis et indignis pater appellari dignatur : idcirco tenemur eum filialiter redamare et honorare. Quod esse non potest, nisi ejus præcepta in omnibus observemus, sicut ipsemet Filius Dei testatur: Qui servat mandata mea, ille est qui diligit me ; itemque : Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Idcirco qui nec amore nec timore a divinorum transgressione præceptorum retrahitur, omnino ingratus est caritati et dignationi Dei ad se, atque meretur odio haberi ac indignanter repelli a Deo.

Luc XII, 48. *Joann.* XIV, 21. *Ibid.* 23.

Insuper, tot et tanta sunt beneficia Dei nobis ab ipso exhibita, quod nihil æquivalens aut condignum rependere ei valemus, etiamsi totis viribus servierimus ei et honoraverimus eum. Nonne ergo inæstimabiliter magna, perversa atque damnabilis est ingratitudo, improbitas, inobedientia ac rebellio iniquorum, qui Creatorem suum non solum non honorant, nec timent, nec diligunt totis viribus suis, imo A potius quotidie inhonorant, contemnunt, relinquunt corde, ore et opere, multiplici quoque vitiosa omissione? Et si dicant se non contemnere Deum, certum est quod in tantum despiciant eum, quantum ejus mandata transgrediuntur, et quantum suæ bonitati ac dignitati immensæ præferunt ista carnalia ac terrena, nec debitam curam diligentiamque apponunt ad obediendum ei in cunctis.

Insuper, quo Dominus majestatis diutius nobis pepercit et gratiosius toleravit B nos in nostris excessibus, eo ineffabiliter enormiora sunt scelera nostra, et eo intolerabilius judicium nobis instat : ideo tanto formidolosius unusquisque exspectet divinum judicium, quo se frequentius, diutius et enormius peccasse cognoscit, et tamen hucusque clementer a Deo toleratum esse perpendit. Denique, non tantum pie tolerat Deus iniquos, sed etiam beneficia multa ipsis largitur, non sinens eos a diabolo suffocari sicut merentur, sed conservans eos in esse, et præstans eis C necessaria vitæ, ad conversionem quoque et pœnitentiam multipliciter admonens eos, sicque assidue reddens eis bona pro malis. Quid responsuri sunt isti Judici summo, quum cœperit cum eis ponere rationem? Qualiter indignabitur eis? Ubi miserrimi se abscondent? Quid respondebunt unigenito Filio Dei, qui propter eos factus est homo, conversatus in mundo, affixus patibulo? cui non solum subtraxerunt se ipsos vitiose vivendo, sed alios quoque, ipsos variis modis ad peccandum D alliciendo, sicque fructum passionis et sanguinis Christi in se ipsis ac aliis impediendo, quod prorsus diabolicum est, et transgressio contra Deum altissimum.

Ex hoc ergo quod Deus tam misericorditer agit nobiscum, vehementius formidemus ejus judicium, certi quod tanto justius ac rigorosius aget nobiscum post vitam præsentem, si ei ingrati fuerimus et rebelles. Non enim minor est ejus justitia quam misericordia. Rursus, quo majora ac plura beneficia præstitit nobis, eo

plus vereamur, quia de universis et singulis beneficiis suis exiget rationem qualiter eis usi simus, quod lucrum de eis fecerimus, quem profectum attulerimus, quam grati et subjecti fuerimus ei. Hinc unicuique iniquo ait Apostolus : Existimas, o homo qui talia agis, quod tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis et patientiæ et longanimitatis Dei contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die justi judicii Dei. Ex his elucescit, quod impiis Christianis tanto gravius instet judicium quam ceteris gentibus, quo plura ac majora beneficia desuper sunt sortiti. Idcirco et acerbiora eis instant et infligentur supplicia.

Rom. II, 3-5.

ARTICULUS XXV.

De terribilitate divini judicii ex parte judicandorum.

H*OMO quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Et dignum,* Domine, *ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos et adducere eum tecum in judicium?* Job XIV, 1-3.

Si consideremus incomprehensibilem majestatem atque immensam excellentiam Dei, magnam quoque defectuositatem instabilitatemque hominum, mirum apparet quod Deus tam dignanter et gratiose se habet ad homines, mirum etiam quod tam districte judicat eos. Hinc sanctus David admirans locutus est Deo : Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Et rursus : Domine, quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt. Itaque quo major est defectuositas, debilitas atque fragilitas hominis, quo pluribus obnoxius est peccatis, quo incertior est an sua vita placeat Deo, et præsertim an de numero sit electorum an reproborum, eo vehementius debet vereri rigorem et examen divini judicii. Nam, ut Jacobus ait apostolus, in multis offendimus omnes. Isaias quoque propheta : Omnes (inquit) nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit. Quum ergo, teste beato Job, non justificetur homo compositus Deo, nonne maxime metuere nos oportet ne dum positi fuerimus coram Deo ut judicemur ab eo, inveniamur injusti et condemnatione condigni, quum certi simus nos frequenter peccasse mortaliter, et ignoremus an veram habuerimus contritionem?

Ps. VIII, 5. — *Ps.* CXLIII, 3, 4. — *Jacob.* III, 2. — *Is.* LIII, 6. — *Job* IX. 2.

Attendamus sollicite quod ait Scriptura: Ecce qui serviunt Deo, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem : quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea? Itemque : Quid est homo ut immaculatus sit, et justus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos Dei nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus : quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem? Unde et beatissimus Isaias fatetur : Facti sumus ut immundi omnes nos, quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Hæc ergo propriæ defectuositatis et culpabilitatis intenta consideratio, debet quemlibet nostrum valde formidolosum efficere ne forte a Judice districtissimo omnia acutissime consideraturo, exquisitissime judicaturo atque acerrime punituro reprobetur.

Ibid. IV, 18, 19. — *Ibid.* XV, 14-16. — *Is.* LXIV, 6.

Insuper maxime perterrere nos debet quod Judex ipse testatur : Multi sunt vocati, pauci vero electi. Quum enim æterna damnatio tam vehementissime sit timenda, ut quamvis certissime nobis constaret quod de universis hominibus qui unquam fuerunt, sunt aut erunt, non nisi unus esset damnandus, si ignotum omnibus esset quis ille exsisteret, merito unusquisque valde metueret ne forsitan ipse esset ille damnandus (quemadmodum si multi essent ituri per pontem, et scirent quod unus ruiturus esset ex eis de ponte ac

Matth. XX, 16; XXII, 14.

submergendus, omnes valde suo timerent periculo): quanto magis nunc, quum ex infallibili Veritatis summæ testimonio agnoscamus quod respectu eorum qui condemnantur, pauci salventur, omnia ossa nostra tremere debent, et totum cor nostrum ingenti formidine concuti ne (quod absit) contingat nos in infelicissimo damnandorum numero computari? Aperi oculos cordis tui ad intuendam hanc veritatem, ad formidandum tam immensum ac æternale periculum, ad evadendam tantam damnationem per conversationem justam, timoratam, humilem, ferventem et perseverantem. Non enim qui incipit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. (*Matth.* xxiv, 13.)

Ecce si urbem aliquam princeps et judex justus ac præpotens ingrediatur cui communitas resistere nequeat, et sedeat pro tribunali quotidie, ac certum sit civibus quod non nisi pauci eorum evasuri sint mortem, eo quod judex nec prece nec pretio possit flecti: o quantus dolor, timor, angustia et pressura penetrarent civium corda, quanta desolatio esset in urbe illa, ita ut vix manducare et bibere quempiam delectaret! Si ergo tantum formidatur mors temporalis ac brevis, quid est quod mentes nostræ insensatæ ac miseræ sic obtenebrantur, cæcantur ac indurantur, quod judicium Dei æternam mortem infernalemque pœnam infligentis non expavescant, nec jugiter illud considerent, sed vanitate et periculosissima securitate torpeant ac resolvantur? Merito dixit Propheta: Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? (*Ps.* iv, 3.) Certe tunc sero timebunt ac disperibunt, qui modo non timent. Ideo ait Scriptura: Angustia vallabit impium sicut regem qui paratur ad prælium. Tendit enim contra Deum manum suam. Non credet frustra quod aliquo pretio redimendus sit; antequam dies ejus impleantur, peribit. (*Job* xv, 24, 25, 31, 32.)

Postremo, hoc nos inducere debet ad sapientialem assiduumque judicii divini timorem, quod sancti et electi Dei ab origine mundi tam vehementer expaverunt Dei judicium. De quo, ut allegatum est supra, (art. xviii.) sanctus Enoch ante diluvium prophetavit: (*Judæ* 14, 15.) Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum. Unde sanctus Job, cui tempore suo similis non erat in terra, perhibuit: (*Job* i, 8.) Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui; (*Ibid.* xxxi, 23.) et denuo: Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. (*Ibid.* ix, 28.) Hinc iterum dixit: Quid faciam quum surrexerit ad judicandum Deus? et quum quæsierit, quid respondebo ei? (*Ibid.* xxxi, 14.) Sanctus quoque David oravit: Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me; (*Ps.* vi, 2; xxxvii, 2.) et Jeremias: Corripe me, Domine, verumtamen non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. (*Jer.* x, 24.) Denique, quam vehementer S. Hieronymus formidavit judicium Dei, supra ostensum est (art. xvi.) ex verbis ipsius dicentis: Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco. Quod autem S. Gregorius judicium Dei valde pertimuit, ex verbis ejus in pluribus locis clarissime innotescit. Nam et inter cetera loquitur: Præsentis temporis ita est agenda lætitia, ut sequentis judicii amaritudo nunquam recedat a memoria. Hinc abbas Evagrius hortabatur: Divinum illud horrendum imaginare judicium, adduc ad medium repositam peccatoribus confusionem quam passuri sunt in conspectu Dei et Christi ejus, et coram angelis universis ac cunctis hominibus; et super judicia peccatorum ingemisce et plora, vestire luctuum imaginem, metuens ne et tu illa incidas. Unde et abbas Elias: Ego, inquit, tres res timeo: unam, quando egressura est anima mea de corpore; aliam, quando præsentandus sum Deo; tertiam, quando de me proferetur sententia. Si ergo viri virtuosi ac sancti tam ineffabiliter extimuerunt judicium Dei, quantum et quam indesinenter oportet nos defectuosos ac miseros peccatores illud timere?

ARTICULUS XXVI.

Quod divinum judicium sit ineffabiliter metuendum ex parte sententiæ Judicis et retributionis finalis, quæ est æterna damnatio aut perfecta beatitudo.

TUNC dicet Rex his qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Tunc dicet et his qui a sinistris ejus erunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Matth. xxv, 34, 41.

Ista sunt verba regis ac judicis nostri Jesu Christi, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra, qui judicaturus est vivos et mortuos et sæculum per ignem. *Matth.* xxviii, 18. *Act.* x, 42; *Is.* lxvi, 16.

Præterea, sicut sanctus asserit Augustinus, timor ex amore procedit. Non enim timemus malum, nisi quia amamus bonum malo contrarium. Hinc cœlestis illa et æterna felicitas est amplius appetenda ac diligenda, quam infernalis atque perpetua damnatio sit timenda ac fugienda. Idcirco et carentia felicitatis æternæ magis est abhorrenda ac evitanda quam quæcumque inferni pœna sensibilis. Vehementissime ergo metuendum est Dei judicium propter utrumque istorum : quia iniqui non solum privabuntur beatifica visione atque fruitione Omnipotentis, sed etiam sensibilibus pœnis inferni irrevocabiliter immergentur.

Denique, sicut nulla est comparatio finiti ad infinitum, sic nulla est comparatio temporis ad æternitatem, temporalisque pœnæ ac transitoriæ mortis ad pœnam perpetuam infernalemque mortem, de qua in D Apocalypsi habetur : Pars iniquorum erit in stagno ardenti igne et sulfure, quod est mors secunda. *Apoc.* xxi, 8. Itaque pœna illa infernalis ac sempiterna infinite et incomparabiliter horribilior ac fugibilior est omni pœna et morte præsentis vitæ. Ideo judicium Dei irrogantis pœnam hujuscemodi iniquis, infinite et incomparabiliter durius, pœnalius horribiliusque consistit omni humano judicio, quo pœna infligitur temporalis sive mors corporalis.

A Ecce quantum homines timent temporalia damna, corporalem læsionem, transitoriam mortem ! quantum litigant et laborant, quantum sollicitantur ac pugnant pro vitandis temporalibus damnis, corporalibus incommodis, præsertim pro morte vitanda ac differenda ! Cur ergo sic excæcamur, atque ad ea quæ nostram concernunt salutem tam insensibiles reddimur, quod in cunctis tam perverse habemus nos, quod temporalia damna, corporalia incommoda, transitoriam mortem magis B veremur, fugimus et vitamus quam æterna supplicia, spiritualia damna infernalemque mortem ?

Expergiscimini, ebrii vitiis, et flete et ululate, omnes qui bibitis vinum in jucunditate, qui gloriamini in vestris peccatis, qui instar brutorum computruistis in immunditia et fœtore vestræ carnalitatis. *Joel* i, 5, 17. Lugete in miseriis quæ advenient vobis, qui thesaurizatis vobis vindictam et pœnam perpetuam in diebus novissimis. *Jacob.* v, 1, 3. Nunc dum adhuc tempus est pœnitendi, et flendi C præteritas culpas, emendandi vitam, evadendi æternam damnationem : nunc, inquam, perpendite quam intolerabile, asperum ac pavendum erit iniquis audire severissimam illam sententiam : Ite, maledicti, in ignem æternum. *Matth.* xxv, 41. Si abierunt retrorsum et corruerunt in terram, qui a Christo capiendo, judicando, crucifigendo, audierunt vocem qua patienter ac mititer dixit, Ego sum : *Joann.* xviii, 6. qualiter casuri, præcipitandi ac perituri sunt, qui a Christo glorificato, judicante atque in sua majestate et D gloria apparente, audient vocem qua indignanter ac implacabiliter dicet, Ite, maledicti, in ignem æternum ? O quam horribiliter, penetrative ac desolatorie personabit tonitruum illud !

Denique, sæpe leguntur sancti Prophetæ corruisse in faciem suam super terram ex debilitatione naturæ atque formidine, quum audissent Dominum sibi loquentem, et vidissent magna quæ Deus eis ostendit : et tamen visio et allocutio illa fiebant ministerio angelorum, qui apparebant et lo-

quebantur, non autem ipse Deus in propria A persona. Si ergo sancti viri sic debilitabantur, metuebant et cadebant ex angelica allocutione et visione, et ex similitudinibus visis : qualiter cadent, affligentur, deficient iniqui ac reprobi ex visione et apparitione Judicis qui est verus Deus, qui in persona propria apparebit, et minacissimo ac iratissimo vultu inspiciet atque indignantissime affabitur impios, eorum vitia eis objiciendo, ac contra ipsos prætactam sententiam proferendo ?

Exod. xx, 18, 19. Insuper, in Exodo recitatur, quod filii B Israel quum vidissent montem Sinai fumigantem, et audissent vocem Dei per angelum loquentis de medio ignis, perterriti ac pavore concussi, dixerunt ad Moysen : Loquere tu nobis, et audiemus ; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Unde in Deuteronomio leguntur dixisse :
Deut. v, 25, 26. Si ultra audierimus vocem Domini Dei nostri, moriemur. Quid enim est omnis caro ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audivimus ? Si itaque filiis Israel fuit tam intolerabile C audire verba angeli, in persona Dei loquentis gratiose ac pie, non comminatorie : quam intolerabile erit iniquis audire sententiam veri Dei, metuendissimi Judicis, in propria persona loquentis de medio ignis conflagrationis, in quo tunc, ut infra dicetur, mundus stabit ?

Amplius, Joannes apostolus in Apoca-
Apoc. I, 17. lypsi testatur : Quum vidissem eum (videlicet angelum in persona Christi apparentem et loquentem), cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Isaias quoque propheta D quum vidisset in spiritu destructionem Babylonis et interfectionem habitantium in ea, præ pavore defecit, secundum quod
Is. xxi, 3, 4. ipse ait : Repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis ; corrui quum audirem, conturbatus sum quum viderem, emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me. Si tantam afflictionem incurrit sanctus Propheta ex imaginaria visione, et futuræ ac transitoriæ calamitatis Babyloniorum compassione : quam inexcogitabiliter gravis ac magna erit impiorum afflictio in die novissimo, instante finali judicio, ex præsentibus et futuris ac sempiternis eorum calamitatibus ac tormentis ? Tunc erit dies *Is.* II, 12.
Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur, ut Isaias prædixit. Et sicut in Ecclesiastico legitur, tunc Sapientia Dei Patris, Christus Dominus, superborum et excellentium colla propria *Eccli.* xxiv, 11.
virtute calcabit. Tunc venient ad eum et *Is.* XLV, 24.
confundentur omnes qui modo repugnant ei, qui nec præcipienti obediunt, nec consulenti obtemperant, nec exhortantem advertunt, imo salubres et pias exhortationes vertunt in risum et jocum, caritativas et justas correptiones indignanter et ingratanter accipiunt, ac odiunt corrigentem. Quibus clamat divina Scriptura : Quid *Ibid.* x, 3.
facietis in die calamitatis de longe venientis ? ad cujus confugietis auxilium ? et ubi derelinquetis gloriam vestram ? Certe, ut Jeremias prædixit, tunc confundentur ve- *Jer.* xx, 11.
hementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum ; atque, ut scriptum est ab Isaia, tunc auditam faciet Dominus *Is.* xxx, 30.
gloriam vocis suæ, et terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris et flamma ignis devorantis ; et ut in Psalmo scriptum est, sicut ignis qui comburit *Ps.* LXXXII, 15, 16.
silvam, et sicut flamma comburens montes, ita persequetur eos in tempestate sua, et in ira sua turbabit eos.

ARTICULUS XXVII.

De terribilitate generalis judicii ex parte signorum quæ illud præcedent.

CONTURBENTUR *omnes habitatores terræ, quia veniet dies Domini, dies tenebrarum et caliginis. Similis ei non fuit a principio, et post eum non erit. Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma. A facie ejus cruciabuntur populi ; a facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli, sol et luna obtene-*

brati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. Joel II, 1-3, 6, 10.

His verbis propheticis consonat quod in Evangelio ait Salvator : Erunt signa in sole et luna, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi : nam virtutes cœlorum movebuntur. Porro apud Marcum legitur sic : Sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum, et stellæ erunt decidentes, et virtutes quæ sunt in cœlis movebuntur. Quocirca ait Chrysostomus : Sicut rege terreno processuro ad prælium, totum territorium regni ejus movetur, exercitus concitatur, communitas fervet ; sic Christo rege cœlorum ad judicandum descensuro, totus mundus turbatur, cœlestis exercitus progreditur, atque universum genus humanum concutitur. Itaque ad præsignandum quam ineffabiliter ac singulariter rigorosum, metuendum, magnum et afflictivum erit ultimatum ac generale illud judicium, prætacta horribilia signa illud præcedent : quæ qualiter intelligenda sint, in expositione Evangelistarum et in Sermonibus de tempore diligenter ac diffuse exposui.

Luc. XXI, 25, 26. — *Marc.* XIII, 24, 25. — *Cf.* t. XI, p. 226 A et s. ; XII, p. 193 D et s. ; XXIX, p. 12 C' et s.

Insuper, S. Hieronymus refert se in libris Hebræorum invenisse quindecim signa præcessura per quindecim dies finale judicium : quæ tamen signa Hieronymus describit recitative magis quam assertive. Primo die omnia maria exaltabuntur quindecim cubitis super montes, stantia in alto ut murus. Aliqui vero narrant, quod quadraginta cubitis eriget se mare super montes. Secundo die maria descendent et prosternentur tam profunde ut videri vix possint. Tertio die ad priorem situm et locum redibunt. Quarto die belluæ marinæ et omnia animalia quæ morantur in aquis, congregabuntur et super aquas stabunt, ac dabunt mugitus usque in cœlum. Quinto die omnia volatilia in campis convenient, quasi plorantia nec quidquam gustantia. Sexto ignea flumina surgent, ab occidente usque ad orientem contra faciem firma-

A menti fluentia. Septimo die omnia sidera errantia et fixa spargent ac fundent ex se igneas comas, sicut cometæ. Octavo die erit maximus terræ motus, ita ut animalia et homines prosternantur. Nono omnes lapides magni ac parvi dividentur in quatuor partes, unaquaque parte aliam collidente. Decimo die omnes plantæ emanabunt rorem sanguineum. Undecimo omnes montes et colles ac ædificia in pulverem redigentur. Duodecimo die omnia animalia venient de desertis et montibus ad B campos, et mugient nec quidquam gustabunt. Tertiodecimo omnia sepulcra aperientur. Quartodecimo die omnes homines de habitaculis suis seu cavernis exibunt, et discurrent tanquam amentes, nec poterunt simul loqui. Quintodecimo die omnes morientur, et resurgent cum mortuis diu ante defunctis.

Verumtamen aliqui aliter narrant hæc quindecim signa. Et quamvis aliqui dicant quod signa hæc parum verisimilitudinis habent, mihi tamen apparet quod quædam C eorum certitudinem habeant, et quædam verisimilitudinem magnam, quia communiter dicunt doctores, et ex Apocalypsi probatur, quod tunc erit maximus terræ motus : ex quo utique lapides confringentur et animalia prosternentur, quemadmodum Christo in ligno pendente, ex terræ motu scissæ sunt petræ. Stellæ quoque tunc cadere videbuntur, quoniam tot et tantæ exhalationes calidæ ac igneæ scintillationes producentur in aere, quod illis deficientibus ac descendentibus, stellæ D cadere videbuntur. Asserunt etiam Sancti, quod terra tunc fiet plana : unde apparet quod montes et colles ac ædificia in pulverem redigentur. Porro, quod de apertionibus sepulcrorum dicitur, satis credibile esse videtur, sicut et tempore passionis Christi monumenta aperta sunt : quod et ex terræ motu partim fieri poterit. Communiter quoque affirmant doctores, quod ultimo die vivi sint morituri, ut debitum carnis solvant, protinus resurrecturi cum aliis. Item, quia tunc instabit finalis destructio

Apoc. XVI, 18. — *Matth.* XXVII, 51. — *Ibid.* 52.

et æterna desitio avium, piscium ac brutorum, herbarum, plantarum et arborum, credibile puto quod magnæ et inconsuetæ desolationes, discursus, alterationes et motus tunc apparebunt in eis, et hoc ex occulto instinctu. Et quoniam, Christo te- *Luc.* XXI, 25. stante, tunc erit pressura et angustia gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, satis probabile est quod tunc erunt insolitæ elevationes ac depressiones maris ac fluminum. Est item probabile quod ex prætactis horribilibus signis tantus timor, stupor, desolatio, angustia atque turbatio corda hominum penetrabit, quod ibunt tanquam amentes. Quod vero de emanatione igneorum fluminum fertur, magis incertum videtur, nisi forsan ad hoc *Dan* VII, 10. pertineat quod in Daniele legitur : Fluvius rapidus igneusque a facie ejus egrediebatur. Quod tamen et aliter potest exponi.

Si ergo tam terribilia erunt signa atque præambula finalis judicii, quam terribile erit ipsum judicium? Hinc S. Gregorius causas præcessionis tam horrendorum signorum exponens, ait : Ultima tribulatio multis tribulationibus prævenitur, et per crebra mala quæ præveniunt, indicantur mala perpetua quæ sequuntur. Alia causa est, ut sicut iniqui creaturis abusi sunt et male delectati in eis, ita puniantur per *Sap.* XI, 17. eas, juxta illud Sapientiæ : Per quæ quis peccat, per hæc et punitur. Ideo ait Gregorius : Omnia quæ ad usum accepimus vitæ, ad usum convertimus culpæ : propterea cuncta quæ ad usum pravitatis infleximus, ad usum nobis vertuntur ultionis, et qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur.

ARTICULUS XXVIII.

De terribilitate divini judicii ex parte dispositionis in qua mundus tunc stabit.

ADVENIET dies Domini tanquam fur ; in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quæ in ipsa sunt opera exurentur. Quum ergo hæc omnia solvenda sint, quales oportet nos *esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini nostri Jesu Christi, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent?* II Petr. III, 10-12.

Hæc sunt verba beatissimi Petri principis Apostolorum in secunda sua Canonica, et loquitur de cœlis aeriis, qui purgabuntur igne conflagrationis. Quemadmodum autem ex sacris Scripturis colligitur, antequam Christus ad judicandum descendet ac residebit, maximus ignis divina potestate accendetur, et terram, aquam ac aerem implebit et expurgabit, sicut in Psalmo prædictum est : Ignis ante ipsum *Ps.* XCVI, 3. præcedet. Qui etiam ignis durabit atque in suo vigore stabit quum Christus ad judicandum sedebit, et inflammabit ac puniet reprobos, non autem electos. Idcirco in psalmo prætacto subjungitur : Et inflammabit *Ibidem.* in circuitu inimicos ejus. Unde rursus Psalmista fatetur : Ignis in conspectu ejus ex- *Ps.* XLIX, 3. ardescet, et in circuitu ejus tempestas valida. Hinc in Malachia legitur : Ecce dies *Malach.* IV, 1. veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula, et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus, quæ non relinquet eis radicem. Ascendet quoque ignis ille tam alte in aere sicut olim aqua diluvii, utputa quindecim cubitis super montes altissimos. *Gen.* VII, 20.

Ex hoc ergo patescit quam horribile erit illud judicium, quoniam mundus tunc stabit in tam metuendo et maximo igne impios exurente. Et quocumque se verterint, quocumque adspexerint maledicti, non nisi desolationem concipient, tristitiam haurient, terrorem et angustiam sibi augebunt. Nempe, ut ait devotus Anselmus, supra se videbunt Judicem eis iratum et indignantem, cujus adspectus erit eis super omnia intolerabilis ac pœnosus, subtus se videbunt horrendum chaos tartareum ad eorum devorationem apertum ; intus erit conscientia remordens et urens, foris, mundus ardens ; a dextris, Sancti et electi, quorum beatitudo et gloria augebit impiorum miseriam, a sinistris, dæmones

accusantes. Infelix peccator sic deprehen- A sus quo fugiet? Impossibile erit latere, intolerabile apparere.

Insuper tunc apparebunt in aere electis ac reprobis insignia dominicæ passionis, arma videlicet Christi, crux, clavi et lancea ejus, sicut in Evangelio protestatur, *Matth.* xxiv, 30. Tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo : ut impii videant ingratitudinem suam, quibus Judex improperabit et exprobrabit suam quam pro eis sustinuit amarissimam passionem et ignominiosissimam mortem; cujus cicatrices patebunt B in corpore suo. Nec ulla tunc erit apparentia excusationis, quum viderint arma Salvatoris in suo corpore ostendentis testimonia passionis.

Insuper, sicut rex processurus ad pugnam armat subditos suos ad faciendum de adversariis suis vindictam, sic Dominus *Sap.* v, 18, 21. et Salvator, rex sæculorum, tunc armabit universitatem creaturarum ad pugnandum pro se contra ingratos et insensatos, quemadmodum in libro Sapientiæ scriptum *Ibid.* xvi, 24. est : Creatura tibi Creatori deserviens, ex- C candescit in tormentum adversus injustos; *Ibid.* 17. et rursus : Vindex est orbis justorum, id est, mundus ulciscetur justorum injuriam ipsis ab injustis illatam. Et multo plus vindicabit Creatoris offensam, quemadmodum in eodem scriptum est libro *Ibid.* v, 21. : Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos. Instante etenim bello, fit armorum ostensio, disponuntque principes ut subditi armati conveniant : sic instante mundi exterminio et expugnatione pravorum, Christus rex regum immi- D nente judicio armabit cuncta creata ad dejectionem adversariorum suorum.

ARTICULUS XXIX.

De horribilitate extremi judicii ex parte exercituum Judicis summi qui aderunt ibi.

DOMINUS ad judicium veniet cum senibus populi sui et principibus ejus. Is. iii, 14.

Christus Dominus, rex, judex ac legifer *Is.* xxxiii, 22. noster, apud Matthæum ait : *Matth.* xxv, 31. Quum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ ad judicandum. Ex quibus verbis cognoscimus, quod omnes angeli sancti, universi utique ordines supernorum spirituum, cum Christo ad judicium venient, atque (ut dicit Gregorius) cunctis hominibus visibiliter apparebunt. Et sicut Judex apparebit terribilis impiis, ita et angeli sancti, tanquam parati ad executionem sententiæ Judicis contra iniquos. Si ergo terribilis est castrorum acies *Cant.* vi, 9. ordinata et copiosus hominum armatorum exercitus : quam metuendus erit exercitus ille innumerabilium angelorum, quorum unus posset innumerabilia millia hominum prosternere simul, quemadmodum angelus unus occidit in castris Assy- IV *Reg.* xix, 35. riorum centum octoginta quinque millia hominum in momento?

Denique Scriptura sacra nos instruit quantum terreat hominem apparitio angeli, præsertim dum vult in forma apparere terribili. Unde legitur Daniel sanctus dixisse, quum angelum sanctum vidisset : Domine, in visione tua dissolutæ sunt com- *Dan.* x, 16, 17, 8. pages meæ, et nihil in me remansit virium; sed et halitus meus intercluditur, et species mea immutata est, et emarcui. Denique in Evangelio recitatur quod custo- *Matth.* xxviii, 4. des sepulcri Christi præ timore angeli quem viderunt, exterriti sunt, et facti sunt veluti mortui. Si unius angeli visio sic prostravit et debilitavit videntes, quid faciet et qualiter reprobos perterrebit adspectus innumerabilium millium angelorum? Quum enim quilibet homo in hoc mundo habeat angelum proprium pro custode, et quilibet angelus talis sit de infimo ordine angelorum, constat quod ad minus sint tot angeli sancti de infimo choro, quot sunt homines in mundo universo. Quumque secundum doctrinam divini et magni Dionysii, unusquisque ordo *Cf.* t. XXI, p. 232 C'. et chorus angelorum habeat in se tanto plures angelos quanto ipse ordo superior

est, certum est quod inæstimabiliter multa A atque innumerabilia sint millia angelorum. Quos omnes visibiliter intueri, erit reprobis ineffabiliter gravis pœna : præsertim quoniam angeli sancti assumunt formas secundum exigentiam commissi sibi a Deo officii magis aut minus terribiles ; et quoniam tunc habebunt rigorosissimum officium circa iniquos, quoniam *Matth.* XIII, 41, 42. separabunt eos de medio justorum, mittentque eos in caminum ignis infernalis, certum est quod tunc in formis terribilissimis apparebunt damnandis.

Insuper, angeli sancti tunc justo zelo indignabuntur perversis hominibus, qui ipsorum instinctibus acquiescere noluerunt, et ipsorum obsequiis beneficiisque fuerunt ingrati, et contra eos testimonium perhibebunt. Similiter homines sancti qui assessoria dignitate et approbatione sententiæ judicabunt cum Christo, contra impios erunt commoti. Sicque ex omni parte augebitur eorum calamitas, et nulla consolatio erit eis. Quemadmodum enim jam est tempus ineffabilis pietatis et gratiæ, ita tunc erit dies incomprehensibilis severitatis ac iræ.

Hinc quidam sanctorum Patrum dixit : Si possibile esset in adventu Dei post resurrectionem mortuorum, animas eorum rursus exire a suis corporibus præ timore, omnis mundus (id est universitas hominum iniquorum) moreretur a terrore atque formidine. Quid enim est videre cœlos scissos et Deum revelatum cum ira et indignatione, innumerabiles quoque angelorum militias et totum simul genus humanum adspicere? Idcirco debemus sic vivere, ut qui de singulis motibus nostris rationem exigendi sumus a Deo. Alius quoque senior sanctus dixit : In omni actione et re increpare debet homo animam suam, dicendo : Memor esto quod oporteat te occurrere Deo.

ARTICULUS XXX.

Quod divinum illud generale judicium erit valde horrendum propter omnium intellectualium et rationalium creaturarum præsentiam.

T*UNC stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt. Videntes* iniqui *turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis,* id est ex subitanea celerrimaque salvatione et glorificatione justorum, *gementes præ angustia spiritus,* et *dicentes intra se, pœnitentiam agentes : Hi sunt quos aliquando habui-* B *mus in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore : quomodo* ergo *computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est?* Sap. v, 1-5.

Sicut ait Salvator et Judex noster, in die novissimo, quum sederit in solio majestatis suæ ad judicandum, congregabuntur *Matth.* XXV, 31-33. ad eum omnes gentes, tunc resuscitatæ a mortuis et angelorum ministeriis illuc adductæ ; et separabit eos ab invicem, sicut C segregat pastor oves ab hœdis, et statuet oves a dextris suis, hœdos autem a sinistris. Insuper, sicut sancti Patres edocuerunt, virtute omnipotentis Dei erunt tunc peccata singulorum singulis manifesta, ut universis innotescat justissimum esse Dei judicium. Itaque attendamus pro posse, qualis et quanta erit illa confusio, coram tota universitate angelorum et hominum ac dæmonum a Judice summo confundi, accusari et propalari de omni peccato cui coram Deo quisque obnoxius fuerit. Pon- D deret unusquisque et sæpe perpendat quanta sibi inesset confusio, quanta afflictio, si universa et singula vitia sua cum cunctis circumstantiis, radicibus et aggravationibus suis clare objicerentur sibi in præsentia paucorum proximorum suorum : imo forsan tolerare non posset, si duo aut tria de gravioribus et confusibilioribus suis excessibus coram ipso et paucis proximis panderentur. Quam intolerabilis igitur et extrema erit confusio atque afflictio, de universis et singulis culpis coram tota

universitate intellectualium creaturarum A accusari, innotescere et confundi ?.

De hoc in Vitaspatrum narratur exemplum de Fratre quodam qui volebat converti, et quum retraheretur a matre sua, non acquievit matri, sed dixit : Salvare volo animam meam. Sicque tandem effectus est monachus; sed in monachatu conversatus est negligenter. Quumque post obitum matris suæ ipse in gravi ægritudine constitutus, factus esset quadam die in mentis excessu, raptus est ad judicium Dei, invenitque matrem suam cum his qui B judicabantur. Quæ viso filio suo obstupuit, dicens : Quid est hoc, fili, quod et tu in locum hunc condemnandus venisti ? Ubi sunt verba quæ protulisti, Salvare volo animam meam ? Qui confusus ex verbis matris, præ dolore stupidus factus, stetit confusus, nihil habens quod matri propriæ responderet. Postea, Deo miserante, a sua infirmitate curatus, cogitavit factam sibi esse divinitus illam visitationem ac visionem. Idcirco de cetero se inclusit, sedens et sollicite cogitans de sua salute, de C priori sua negligentia pœnitens, ac eam deplorans. Tanta autem seriositas et compunctio ejus fuit, ut multi eum rogarent quatenus paululum de rigore suo laxaret, ne ex nimio fletu quem sibi indixit, aliquam incurreret læsionem. Ille autem nullo modo voluit consolari, sed dixit : Si improperium matris meæ non potui sustinere, qualiter in die judicii potero confusionem Christi et angelorum sanctorum adversum me tolerare ?

Ut ergo et nos mereamur tantam confu- D sionem evadere, satagamus conversari digne Deo secundum exigentiam nostræ vocationis, cum omni spirituali sollicitudine ac indesinenti fervore ; et increpemus ac humiliemus omni hora nos ipsos, dicentes singuli sibimetipsis : Adverte quod a Deo sis judicandus, et vide quam ei de tota vita tua reddere poteris rationem. Postre-
Nahum I, 9. juxta LXX. mo, quia non judicabit Dominus bis in id ipsum, desideremus et gratanter accipiamus in vita hac reprehendi et castigari a superioribus nostris, imo et a proximis universis ; et quamvis forsan conscii nobis non simus de culpa objecta, tamen propter occulta nostra peccata nobis ipsis ignota, æquanimiter patiamur, quatenus desuper misericordiam consequamur.

ARTICULUS XXXI.

De metuenda severitate extremi judicii ex parte eorum qui accusabunt iniquos.

R*EVELABUNT cœli iniquitatem impii, et terra adversus eum consurget,* et *detrahetur in die furoris Domini.* Job XX, 27, 28.

Vehementer terrentur impotentes et pauperes, inferiores ac subditi, quando personæ multum authenticæ ac sublimes contra ipsos testimonium dare incipiunt ; omnesque rei, dum multitudine veracium testium obruuntur, desperant se posse effugere, ac animo penitus consternantur. Sic autem in die judicii maxime continget iniquis. In primis etenim ipsemet omnium judex Christus eos accusabit, et testimonium feret adversus miserrimos, quemadmodum per Jeremiam locutus est : Ego *Jer.* XXIX, 23.
sum judex et testis ; et per Malachiam :
Accedam ad vos in judicio, et ero testis *Malach* III, 5.
velox maleficis, adulteris et perjuris. Hinc
ait in Psalmo : Existimasti, inique, quod *Ps.* XLIX, 21.
ero tui similis ; arguam te, et statuam te contra faciem tuam. Et rursus asserit per
Nahum prophetam : Revelabo pudenda tua *Nahum* III, 5.
in facie tua. Denique ipse dicet injustis :
Esurivi, et non dedistis mihi manducare, etc. *Matth.* XXV, 42, 43.

Secundo accusabuntur reprobi ab angelis sanctis, præsertim eorum custodibus, quorum directionibus acquiescere renuerunt. Et hoc erit gravissimum et omni desolatione plenissimum, accusari ab illis qui in hac vita semper auxiliari consueverunt, et fidelissime adstiterunt atque præcipui fuerunt amici.

Tertio accusabuntur a dæmonibus, qui tam in particulari quam in generali judi-

cio sunt accusatores improbissimi et maligni, objicientes judicandis quidquid impietatis et culpæ de ipsis cognoverint. Et qui jam incitant et alliciunt ad peccandum, tunc importune ac malitiosissime deceptos accusant, dicentes : Justissime Judex, adjudica istos nobis : tui sunt per creationem, sed nostri per transgressionem ; tui fuerunt per gratiam quam amiserunt, nostri sunt per culpam in qua decesserunt ; tui merito tuæ passionis et mortis, nostri vitio suæ ingratitudinis ; a te ornatum acceperunt virtutum, a se ipsis autem et a nobis induti sunt vestes has sordidas vitiorum : nobis ergo associentur in pœnis, qui conformati sunt nobis in culpis.

Quarto accusabuntur a conscientiis propriis, quæ sunt libri tunc aperiendi, de
Apoc. xx, 12. quibus in Apocalypsi habetur : Judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris. De quibus et in Daniele scriptum
Dan. vii, 10. est : Judicium sedit, et libri aperti sunt.

Quinto accusabuntur a propriis actibus et peccatis, quemadmodum in Jeremia Do-
Jer. ii, 19. minus loquitur : Arguet te malitia tua, et
Apoc. xiv, 13. aversio tua increpabit te. Opera namque eorum sequuntur eos, et tacite susurrabunt : Vos perpetrastis nos, opera vestra sumus ; non vos relinquemus, sed ad judi-
Prov. v, 22. cium vobiscum pergemus. Iniquitates enim suæ capient eos, et peccatorum suorum funibus constringentur.

Sexto accusabuntur ab omnibus creaturis, quæ sua commotione ostendent se impiis indignari, qui ipsis abusi sunt, et propter facinora sua indigni fuerunt creaturarum usu atque obsequio : imo, quoniam Creatori suo fuerunt rebelles, indigni erant terram calcare, aerem respirare, luce solis perfundi paneque vesci.

Septimo accusabuntur ex repræsentatione armorum Christi ac venerandarum cicatricum ipsius. Ex quibus patebit impiorum ingratitudo, negligentia et abusus : quia defectus salvationis ipsorum non fuit ex parte Christi, sed ex perversitate eo-
art. xxix. rum, sicut de hoc dictum est.

Octavo accusabuntur ab his quibus fuerunt damnationis causa sive occasio : quos scandalizando, aut negligenter regendo, aut non corripiendo, aut alio modo debitum caritatis et æquitatis non impendendo, ad perditionem traxerunt ; ideo ultionem expetent contra eos.

ARTICULUS XXXII.

De maxima horribilitate extremi judicii, eo quod de singulis fiet districtissima exactio a Judice summo.

C*ONGREGABO omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo ibi cum eis.* Joel iii, 2.

Omnia nostra bona sunt beneficia Dei ac dona, et quasi quædam talenta nobis ab ipso concessa ut eis ad laudem Creatoris atque datoris fructuose utamur : idcirco de omnibus illis exiget rationem. Et quia compositi sumus ex anima et corpore sicut ex substantialibus partibus, de his duobus tanquam de primis donis nobis collatis rationem exquiret : et primo de anima nostra, an ea usi sumus ad id propter quod unita est corpori nostro. Unita namque est corpori ut per illud et per corporeos sensus proficiat in scientiis atque virtutibus, ex visibilium ac corporalium rerum notitia ad invisibilium ac spiritualium rerum cognitionem progrediendo, et maxime ad agnitionem et amorem summi et invariabilis Dei, quatenus cognito eo per fidem et rationem, diligamus veneremurque eum obediendo ac serviendo ei in omnibus. Quod si non fecerimus,
reprobabit nos Judex, eo quod in vanum Ps. xxiii, 4.
acceperimus animas nostras, et instar brutorum vixerimus, non pensantes dignitatem et finem animarum nostrarum. Et
convenit nobis quod ait Psalmista : Homo Ps. xlviii, 13. 21.
quum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus. Exigitur ergo a nobis quod per Moysen Dominus
jussit : Custodi animam tuam sollicite. Deut. iv, 9.

Denique, Deus ex sua pietate immensa

per gratiarum suarum charismata fecit animas nostras esse sponsas, amicas et filias suas. Justissime ergo ac vehementissime indignabitur nobis, si animas nostras fecerimus adulteras dæmonum, filias ac ministras diaboli inimicasque Dei. Quod utique faciunt quicumque mortaliter peccant, quicumque carnaliter vivunt, et omnes qui rebus creatis, carnalibus, vanis ac transitoriis magis quam Deo æterno, perfecto, immenso et incircumscriptibili bono, adhærent : quoniam animam suam faciunt sensualitati subjectam, et carni instar ancillæ deservientem. Tales ergo adjudicabuntur dæmonibus, atque in pœnis æternis associabuntur tenebrarum principibus, quoniam opera tenebrarum, passiones, errores ac vitia dilexerunt, quemadmodum apud Joannem Christus testatur : Hoc est (inquiens) judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines tenebras magis quam lucem : omnis enim qui male agit, odit lucem. Unde et Salomon loquitur : Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruunt ; justorum autem semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.

Joann. III, 19, 20.

Prov. IV, 19, 18.

Præterea, corpus nostrum a Deo accepimus tanquam instrumentum et ministrum ac habitaculum animæ. Idcirco tenemur illud subjicere animæ nostræ, ut rationi obediat atque ab ea debite gubernetur, et in virtuosis exercitiis occupetur, non in actibus vitiorum, nec in fœditatibus desideriorum carnalium, sicut beatissimus princeps Apostolorum hortatur : Obsecro vos abstinere a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Et Paulus apostolus ait : Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini (morte utique æternæ damnationis) ; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, vita gratiæ ac virtutum in sæculo isto, deinde vita gloriæ in futuro. Domanda ergo est caro, ut in sanctis vigiliis, jejuniis, abstinentiis, disciplinis ac fructuosis laboribus obsequatur ad nutum dominæ suæ, videlicet animæ. Quod si ita egerimus, caro hæc defectuosa tandem glorificabitur simul cum anima, eritque particeps consolationis et gloriæ in æternum, quæ nunc particeps est afflictionis et tristitiæ salutaris ad tempus permodicum : alioqui reprobabimur a Judice summo, atque in corpore et anima simul peribimus.

I Petr. II, 11.

Rom. VI, 12.

Ibid. VIII, 13.

A

Insuper, de singulis viribus animæ et de membris corporis rationem reddere exigemur, qualiter scilicet usi simus exterioribus et interioribus sensibus appetituque sensitivo, et potissime ratione, voluntate et memoria : an exteriores sensus et interiores et sensitivum appetitum per rationem debite refrenaverimus, ac laudabiliter usi simus eisdem ad proficiendum in bonis ; qualiter etiam usi simus ratione, intellectu, voluntate ac memoria intellectiva, pravas et vanas cogitationes, stultas imaginationes, illicitas affectiones statim ac penitus abjiciendo, atque salubribus meditationibus, utilibus cogitationibus, virtuosis affectionibus insistendo. Conformiter ratio requiretur a nobis qualiter usi simus corporalibus membris, an per linguam et os in verbis excesserimus, an per membra effecerimus opera vitiosa, quibus omnibus uti tenemur ad exercendum opera bona. Propterea jubet Apostolus : Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo ; itemque : Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

B

C

Rom. VI, 13.

Ibid. 19.

D

Insuper, de omnibus naturalibus donis, de exterioribus possessionibus ratio exigetur qualiter usi simus eisdem, præsertim de ecclesiasticis redditibus. Tunc districtissima ratio exigetur a principibus ac prælatis et ab universis qui præsunt, qualiter debitum officii sui impleverint ; a parentibus quoque, qualiter suam direxerint prolem ; et a prædicatoribus, an ea quæ docuerunt personaliter exsecuti sint opere, et an cœperint facere, ac deinde docere.

A O quam districtum ac metuendum erit illud judicium! Et quid responsuri, imo quid passuri sunt qui magnis involuti ac inquinati sunt vitiis, quum per Michæam prophetam locutus sit Dominus, Væ vobis qui cogitatis inutile; et per se ipsum in Evangelio, De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii? Nec solum de malis operibus, sed de omissionibus quoque actuum virtuosorum et de omni tempore nobis impenso exigetur ratio rigorosa. O quanta peccata et vitia de quibus non eramus suspecti, tunc quasi ex insidiis contra nos improvise erumpent atque consurgent! Certe, ut sanctus ait Hieronymus, judicaturo Domino, lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora ferient; potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Tunc Aristotelis argumenta non proderunt, quum venerit ille filius pauperculæ quæstuariæ judicare orbem terræ. O cum quanta desolatione, mœrore et obstupefactione infelicissimi reprobi et iniqui adspicient semetipsos atque se invicem! Quemadmodum enim corpora Sanctorum erunt pulcherrima, sic corpora impiorum erunt turpissima, luto et plumbo graviora, et magis deformia quam dum in sepulcris fuerunt a vermibus pro media parte corrosa, ita quod ipsimet de tanta tamque horribili corporum suorum deformitate, fœditate et obscuritate stupebunt.

Mich. II, 1.

Matth. XII, 36.

B

C

Discutiamus ergo quotidie totam vitam nostram, et interim Deo reconciliari conemur, et cum Anselmo dicat quilibet sibimetipsi: O lignum aridum, lignum inutile, æternis ignibus dignum, quid respondebis in illo die, quum exigetur a te usque ad ictum oculi omne tempus vitæ tuæ tibi impensum qualiter sit expensum? Hinc in Vitaspatrum narratur: Contigit unum ex senibus mori, et post longam horam iterum ad vitam reverti. Et interrogavimus eum: Quid vidisti ibi, abba? Et retulit nobis plorans: Audivi vocem lugubrem sine cessatione dicentem: Væ mihi, væ mihi. Sic et nos semper dicere debemus.

D

ARTICULUS XXXIII.

De ordine, processu et consummatione extremi judicii.

IN tempore illo consurget Michael princeps magnus, et veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud. Dan. XII, 1.

Huic testimonio prophetico consonat quod apud Matthæum Christus prædixit: Erit tunc tribulatio magna, qualis nunquam fuit a principio mundi usque modo neque fiet. Itaque advertendum, quod quamvis juxta doctrinam Christi tempus finalis judicii sit ignotum, aliqua tamen fient circa finem mundi, quibus evenientibus, certum erit quod dies judicii sit propinquus. Verumtamen, quia ignotum est quando signa illa evenire incipient, et quam diu quædam eorum durabunt, verissime dicitur quod dies judicii sit ignotus.

Matth. XXIV, 21.

Ibid. 36.

Itaque, juxta doctrinam Christi, diem judicii præcedet adventus Antichristi, qui cum satellitibus suis Christianos acerrime persequetur, et plurimos variis modis fallet, videlicet per falsa miracula, per armorum potentiam, per divitiarum donationem, per allegationem deceptoriam Scripturarum, per sermocinationes fallaces et per sanctitatem confictam. Tunc erit ergo gravissima persecutio constantium Christianorum. Sed quia omnipotens ac sapientissimus Deus non permittet suos fideles ultra eorum vires tentari, ideo tempore illo in consolationem magnam fidelium mittet duos viros sanctissimos ex paradiso terrestri, utputa Enoch et Eliam, ad prædicandum contra nequitiam atque perfidiam Antichristi, quemadmodum de hoc sanctus evangelista Joannes in Apocalypsi multa conscripsit. Et de adventu Eliæ Dominus specialiter ait: Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. De quo et in Evangelio Veritas protestatur: Elias quum venerit, restituet omnia.

Ibid. 4-29.

I *Cor.* X, 13.

Apoc. XI, 3 et seq.

Malach. IV. 5.

Marc. IX, 11.

Et quoniam Enoch et Elias nondum solverunt debitum mortalis naturæ, tandem Deo permittente, ab Antichristo interficientur; et non diu post hoc, ipse sceleratissi-
II Thess. II, 3, 8. mus Antichristus, homo peccati, filius perditionis, divina occidetur virtute. Quo facto, falsitas ejus cunctis patebit, et pene omnes infideles convertentur ad Chri-
Dan. XII, 11, 12. stum; atque, ut ex Daniele propheta doctores eliciunt, tunc dabuntur quadraginta quinque dies ad pœnitendum his qui ab Antichristo fuerunt decepti. Verumtamen quidam obstinatissimi ex satellitibus Antichristi in sua permanebunt duritia, infidelitate ac pravitate; qui videntes finem mundi non statim venire, dicturi sunt : Quamvis jam mortuus sit princeps noster, nos tamen pacem habemus. De quibus in-
I Thess. V, 3. telligendum est quod ait Apostolus : Quum dixerint, Pax et securitas, tunc repentinus superveniet eis interitus. Et apud Mat-
Matth. XXIV, 38, 39. thæum loquitur Christus : Sicut erant in diebus Noe edentes et bibentes donec venit diluvium, ita erit adventus Filii hominis.

Porro, post dies quadraginta quinque præfatos cito erit tempus judicii, secundum quod prætacto loco asserit Christus :
Ibid. 29. Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum. Adveniente autem die novissimo generalis judicii, ignis conflagrationis præcedet adventum Judicis, et durabit usque
art. XXVIII. ad completionem judicii, ut dictum est plenius. Mortui quoque resurgent antequam Christus ad judicandum resideat. Qui quum protulerit sententiam, primo
Matth. XXV, 34. pro electis, dicendo, Venite, benedicti Patris mei; deinde contra injustos, dicendo,
Ibid. 41. Ite, maledicti, in ignem æternum : statim ipse Judex cum universis electis ascendet, videntibus reprobis, in regnum cœlorum. Tunc ignis ille conflagrationis involvet iniquos, et simul cum ipsis descendet ad profunda inferorum. Terra namque os suum horribilissime et latissime aperiens, ipsos deglutiet, et corruent vivi in infernum operti humo. Et quamvis aliqui di-

A cant, quod prolata a Christo sententia contra iniquos, diaboli rapient impios homines secum ad inferos, melius tamen dicendum videtur, quod angeli sancti totam illam maledictam societatem hominum reproborum ac dæmonum impellent ac præcipitabunt in carcerem infernalem; quia apud Matthæum Christus affirmat : In consum- Matth. XIII, 40-42.
matione sæculi mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala et eos qui operantur iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis.
B Et rursus ait : In consummatione sæculi Ibid. 49, 50.
exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus et stridor dentium.

Denique, projectis reprobis in infernum, mox innovabitur mundus, et complanabitur terra, et fulgebit de cetero sicut aurum, aqua sicut crystallus, aer ut cœlum, ignis ut stellæ; luna de cetero erit tam Is. XXX, 26.
clara sicut modo est sol, et jugiter plena; sol vero septies clarior erit quam modo,
C sidera quoque et cœli proportionaliter clarificabuntur; stabitque sol perpetuo fixus in oriente, luna in occidente, et cessabunt motus cœlorum.

His consonat quod sanctus ait Bernardus : Prius vocabuntur electi in regnum, quam maledicti dejicientur in caminum ignis æterni, quatenus maledicti illi acrius doleant, videntes quid amiserunt, justi vero lætentur, videntes quid evaserunt. In illa ergo separatione extrema, consideratio reproborum erit electis immensa materia
D gratiarum actionis et laudis. O qualis et quanta mœstitia erit, quæ desolatio, quam acerbissima desperatio ineffabilisque angustia et pressura iniquorum, quum se viderint taliter reprobari, præcipitari atque æterno incendio tradi! Imo hoc erit eis amarissima pœna, quod omni gaudio electorum et tanta beatitudine privabuntur.

Insuper, quia in finali illo judicio Chri- Matth. XXV, 41-45.
stus perhibet se damnaturum iniquos specialiter propter hoc quod opera misericordiæ non fecerunt, qui cupit tunc Judicem

habere propitium, non omittat nunc opera misericordiæ liberaliter exercere ex vera caritate et pietate pro posse, et quod non potest in effectu, agat devote affectu. Nec solum corporalia misericordiæ opera sunt proximis impendenda, sed etiam spirituales misericordiæ actus, qui utique corporalibus misericordiæ operibus præstantiores sunt ac Deo placentiores.

ARTICULUS XXXIV.

Recitatio exempli terribilis, ex quo patet veritas horum quæ dicta sunt de terribilitate ac rigore divini judicii.

M*EMOR esto judicii mei : sic enim erit et tuum ; mihi heri, tibi hodie.* Eccli. XXXVIII, 23.

Eccli. XVIII, 27. Sicut ait Scriptura, sapiens in omnibus metuit, et quod proximo suo percipit contigisse, sibi quoque posse accidere pensat. Itaque ad formidandum rigorem divini judicii, multum valet exemplum quod sanctus vir Climacus recitat, dicens :

Scal. parad. grad. VII. Fuit in monte hoc Sinai habitans monachus nomine Stephanus, solitariam et tranquillam diligens vitam, qui multis annis in monasterio sub obedientia vixit, jejuniis et lacrimis maxime decoratus, et aliis multis bonis abundans. Qui tandem desiderio pœnitentiæ arctioris anachoreticam vitam (id est omnino solitariam et abstractam ac contemplativam) assumpsit, habitans in loco valde remoto a claustro : in quo solitario loco vixit per aliquot annos in angustissima et superardua vita, quia et locus ille omni consolatione humana carebat, et fere inaccessibilis fuit cunctis hominibus. Postmodum vero jam senex, circa finem vitæ suæ rediit ad cellam suam in monte hoc Sinai sitam, et habuit duos discipulos multum religiosos. Habitans autem in cella sua paucis diebus, infirmatus est infirmitate qua obiit. Qui ante unum diem mortis suæ factus in ecstasi mentis, apertis oculis adspiciebat ad dexteram et ad sinistram lectuli sui, et quasi ad reddendum rationem a quibusdam exactus, dixit ad illos, audientibus cunctis qui aderant. Interdum namque dixit sic : Utique verum est quod in hoc culpabilis fui ; sed confessus sum, et tanto tempore jejunavi pro remissione culpæ istius. Aliquando vero dixit : Nequaquam, sed mentimini, istud non feci. Et rursus quandoque ait : Ita vere, istud sic est ; sed deflevi et Deo ministravi. Aliquando quoque respondit : Calumniose me accusatis. Ad aliqua autem dicebat : Vere sic est, et ad hoc respondere non possum ; sed Deus misericors est. Et erat horribile et horrendum, invisibile et districtum illud executorium rationis exactæ, quoniam etiam in his quæ non fecerat, accusabant eum invisibiles hostes. O eia ! vir quiescens, solitarius et anachoreta, qui per annos quadraginta circiter fuit monachus et lacrimarum gratiam habens, de aliquibus culpis dixit : Ad hoc non scio nec possum aliquid dicere. Qui tamen in deserto habitans, leopardum ad se venientem pascebat. Et hic tantus, ita positus sub exactione rationis recessit a corpore, certum non faciens quod fuerit ejus judicium, aut quæ sententia ejus, vel quis finis exactæ ac positæ rationis ipsius.

Ecce ex hoc exemplo nos pusilli et imperfecti merito perterreri debemus. Et quamvis omnino sperandum sit quod tantus vir feliciter migravit ad Dominum, Omnipotens tamen ad nostram informationem et cautelam talia dispensative exhibuit et fieri voluit circa illum, quatenus nos qui quasi infinite distamus a conversatione illius, jugiter timeamus, pensantes quam vehementer deficiemus a reddenda ratione de singulis, quum vir ille tam altissimæ conversationis fassus fuerit se non posse ad aliqua respondere, sed ad solam misericordiam Dei confugerit. Faciamus igitur quidquid boni valemus ; quumque fecerimus universa quæ præcepta sunt nobis, dicamus ex corde, quod servi inutiles simus, quia quod debuimus facere, fecimus. Imo pro acceptis benefi- *Luc.* XVII, 10.

ciis Dei nil dignum rependimus ei, omnis- A que honor et cultus quos ei offerimus, in infinitum minores sunt cultu ac reverentia qua ipse dignissimus est. Quemadmodum enim ejus majestas, virtus ac dignitas est intensive et perfectionaliter infinita, sic ipse dignus est honore et cultu immenso.

Postremo, de finali judicio multa difficilia quæri possent ac introduci, quæ doctores super quartum Sententiarum movent ac tractant. Sed non est propositi mei in isto tractatulo talia scholastica atque B subtilia determinare, sed simpliciter ac devotionaliter tantum procedere.

ARTICULUS XXXV.

De tertio novissimorum, quod est pœna inferni.

V*ENTILABRUM* Christi est *in manu sua, et permundabit aream suam ; et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inexstingui-* C *bili.* Matth. III, 12.

Per ventilabrum Domini nostri Jesu Christi intelligitur judiciaria ejus potestas ac justum judicium, per aream vero genus humanum seu ipsa Ecclesia ; per triticum autem intelliguntur electi, per paleas reprobi, per horreum regnum cœleste. Est itaque sensus verborum istorum, quod sicut per ventilabrum frumenta purgantur, ita quod paleæ excutiuntur et grana manent ; sic Filius Dei mundabit Ecclesiam, in qua modo cum electis et justis reprobi D et iniqui sunt mixti, sed in die judicii separabuntur ab invicem loco et præmio, sicut nunc ab invicem separantur conversatione ac merito. Impii autem recte vocantur paleæ, quoniam modici aut nullius exstant valoris, nec aliqua morum gravitate complacent Deo, sed vani et leves sunt, suarumque passionum motibus agitantur. Virtuosi vero tritico comparantur, quia sunt fructus Christi, nati in agro Ecclesiæ, hoc est regenerati ex aqua et Spiritu Sancto, spiritualiter quoque viventes per caritatem, atque divinis charismatibus decorati : idcirco de area Ecclesiæ militantis transferuntur ad horreum Ecclesiæ triumphantis. Iniqui autem, quum sint filii Babylonis, id est confusionis, præcipitantur in fornacem inexstinguibilis ignis et æternæ damnationis.

Quum ergo jam ante tractatum sit de morte et judicio, superest nunc aliquid scribere de infernali supplicio.

ARTICULUS XXXVI.

Quod acerbitas infernalis pœnæ attendi potest ex eisdem ex quibus consideratur gravitas vitiorum ac districtio divini judicii.

P*ROCELLA tenebrarum conservata est* impiis *in æternum.* Judæ 13.

Divina requirit justitia ut pœna culpæ proportionetur, ita quod quanto plura ac graviora sunt peccata, tanto acerbior pœna infligatur pro eis. Ideo ex eisdem causis ex quibus pensatur enormitas vitiorum, perpenditur magnitudo suppliciorum. Itaque, quemadmodum (juxta præhabita) art. XXIII. omne mortale peccatum tanto est enormius, quo major est auctoritas ac dignitas Dei præcipientis, et item quo major est justitia Dei vitia prohibentis, quo etiam major est sapientia Dei ad bona atque salubria dirigentis, et quo major est bonitas, honorabilitas ac amabilitas Dei, cui in omni mortali peccato præfertur res creata, vilis, caduca et vana, itemque quo major est dignatio, fidelitas et beneficentia Dei circa nos ; sic et infernalia supplicia debentur iniquis tanto vehementiora quo melior, dignior, sapientior, justior, liberalior et fidelior est Deus quem offenderunt : quemadmodum etiam secundum jura humana major infligitur pœna peccanti in principem seu prælatum, præsertim in regem ac summum Pontificem, quam peccanti in inferiores. Qui ergo miratur quod Deus naturaliter bonus et pius tam dire ac

æternaliter punit ac vindicat peccatum A breve, celeriter factum et finitum, diligenter consideret quam summa et infinita et incomparabiliter magna et excellens sit dignitas et auctoritas, sapientia et justitia, beneficentia, bonitas atque dignatio Dei; sicque intelliget enormitatem peccati, et sciet quod Deus justissime perpetuam exerceat ultionem pro culpis, imo quod et citra condignum puniat peccatores etiam in inferno, id est minus quam meruerunt.

art. xix et s. Insuper, sicut (juxta præhabita) terribilitas ac districtio divini judicii tanto erunt B majores quo major est auctoritas, sapientia, omnipotentia, justitia, bonitas, liberalitas et misericordia Dei in vita præsenti; sic utique tanto intensior ac intolerabilior est pœna inferni et ultio Dei ibi, quo dignior, excellentior, sapientior, potentior, justior, melior ac munificentior est Deus quem offendunt iniqui.

Et quoniam ista ex præinductis faciliter possunt elici ac perpendi, idcirco non immoror. Certum est namque, quod quanto justior ac sanctior Deus est, tanto plus C detestatur ac odit iniquitatem; et quanto plus detestatur et odit peccatum, tanto districtius ulciscitur illud. Conformiter, quia certissime scit universa ac singula vitia cum cunctis circumstantiis, radicibus atque effectibus eorumdem, ideo cuncta et singula nimis districte ac horribiliter punit; et quia omnipotens est, non est qui ei queat resistere. Quanto etiam in hac vita benignius ac liberalius agit cum impiis, tanto rigorosius puniet impœnitentes, ingratos atque perversos: prout D hæc ex præhabitis considerationibus faciliter queunt inspici et inferri.

Hebr. xii, 29. *Deut.* iv, 23, 24. Ideo dixit Apostolus: Deus noster ignis consumens est. Moyses quoque: Cave ne obliviscaris pacti Domini Dei, quoniam Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator. Et iterum Moyses protestatur: Nisi timueris nomen Domini glo- *Ibid.* xxviii, 58, 59, 63. riosum atque terribile, augebit plagas tuas; et sicut ante lætabatur super te, bene tibi faciens, sic lætabitur te disperdens atque subvertens. Hinc per Ezechielem prophetam disseruit: Ecce in igne zeli *Ezech.* xxxvi, 5; xxii, 20-22. mei locutus sum, quia conflabo vos et succendam vos in igne furoris mei, et conflabimini in medio ejus sicut conflatur argentum in medio fornacis.

ARTICULUS XXXVII.

De multis quæ circa pœnas inferni sunt consideranda.

LUET iniquus *quæ fecit omnia, nec tamen consumetur; juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit.* Job xx, 18.

Quemadmodum transgressores variis et innumerabilibus modis peccant in Creatorem, cui præferunt creaturas, in quibus multipliciter delectantur inordinate ac vitiose; sic infinita sapientia divinæ justitiæ atque immensa justitia divinæ sapientiæ infligit eis vindictam, culpis ipsorum correspondentem ac proportionatam, utputa valde multiplicem ac diversam, et tanto acerbiorem quanto intensius ac vitiosius delectati sunt in creaturis.

Cujus rei manifesta figura præcessit in Pharaone rege Ægypti ac populo ejus: qui quoniam multipliciter ac graviter in filios Israel peccaverunt, multipliciter et graviter propter peccata sua in filios Israel commissa, fuerunt puniti, sicut in Exodo Moyses recitavit. Plagavit autem Omnipotens Pharaonem et suos, convertendo aquas eorum in sanguinem, et pisces *Exod.* vii, 20, 21. eorum per hoc occidendo in sanguine illo, quoniam Pharao infantulos Hebræorum crudelissime submersit in aquis. Propter *Ibid.* i, 22. quam etiam iniquitatem ipsemet Pharao *Ibid.* xiv, 28. cum exercitu suo postea fuit submersus in mari Rubro: quod et propter alia ejus scelera factum fuit. Insuper Deus induxit super Ægyptios innumerabiles atque turpissimas ranas, quæ impleverunt domos, *Ibid.* viii, 2-6. furnos, cibos ac lectos Ægyptiorum, quia Ægyptii dire afflixerunt filios Israel in vilibus operibus luti et lateris. Et quoniam *Ibid.* i, 14.

Exod. I, 13; V, 14, 16. verbis pungitivis ac flagellis afflixerant Israelitas, misit Dominus in ipsos Ægyptios *Ibid.* VIII, 17. innumerabiles scinifes, id est muscas tam parvas ut videri vix queant, et tamen acutissime pungunt et perforant pellem cui insederint, ut asserit Origenes. Josephus tamen et Hebræi affirmant, quod erant deformes valde pediculi, in tanta multitudine ex corporibus Ægyptiorum erumpentes, quod nullo medicamine valebant avelli. Et hoc justissime fieri potuit, quia Ægyptii compulerunt Hebræos multoties laborare usque ad magnos sudores, ex quibus poterant eis tales vermiculi generari. Conformiter plagati fuerunt Ægyptii aliis diris ac variis plagis, in se ipsis et suis pecoribus ac terræ nascentibus, atque in elementis terræ, aquæ et aeris, secundum quod diversimode peccaverunt in filios Israel. *Ibid.* XII, 29. Nam et tandem primogenita Ægyptiorum fuerunt occisa in qualibet domo eorum, quia occiderant infantes Israelitarum.

Sic igitur in inferno puniuntur iniqui magis aut minus, multipliciter et acerbe, secundum quod frequentius aut rarius, ferventius aut minus ferventer, enormius aut minus enormiter peccaverunt.

Itaque circa pœnas inferni primo consideranda est earum æternitas, quæ super omnia gravat, premit, contristat et torquet damnatos. Imo, ut super Apocalypsim scribit Albertus, infernale incendium non affligit tam graviter infelicissimos illos, quantum affligit eos consideratio qua attendunt et cogitant se in tot et tantis tormentis perpetuo permansuros : ex qua consideratione oritur intolerabilis desperatio omnis boni. Secundo consideranda est circa pœnas inferni earum acerbitas. Pœna etenim ignis acerbissima est. Ignis quoque infernalis omni igne apud nos exsistente ineffabiliter calidior pœnaliorque consistit. Et sicut ignis ille est calidissimus, sic frigus infernale est vehementissimum. Et idem dicendum est de ceteris inferni tormentis. Tertio consideranda est infernalium tormentorum diversitas, de qua tactum est modo : quoniam juxta multitudinem magnitudinemque culparum, unusquisque reprobus variis pœnis torquebitur, de quibus infra in speciali tractabitur. Quarto circa pœnas inferni pensanda est earum universalitas : quia in toto corpore et in singulis membris corporis affligentur iniqui, similiter in tota anima atque in singulis viribus ejus. Quinto attendenda est circa pœnas inferni desolata ac pœnosa societas. Sexto pensanda est dispositio loci. Septimo, irrecuperabilitas negligentiæ et amissionis temporis hujus vitæ ac damni inde secuti. Octavo, puritas mala pœnarum illarum, quibus nulla consolatio est admixta. Nono consideranda est pœna damni damnatorum. Decimo consideranda est gravitas infernalium tormentorum ex parte patientium ea. De his per ordinem disseretur.

ARTICULUS XXXVIII.

De æternitate infernalium tormentorum.

DOMINUS *omnipotens* judicabit iniquos, *in die judicii visitabit illos; dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum.* Judith XVI, 20, 21.

Quia peccator in omni peccato mortali præponit bonum creatum, caducum et vanum Deo bonitatis perfectæ, incomparabilis et immensæ, merito perpetuam recipit pœnam pro tanta Creatoris irreverentia, injuria et contemptu. Et quia iniquus decedit a corpore in affectu peccati mortalis atque in aversione mentis a Deo, nec unquam veraciter pœnitet, imo inconvertibiliter manet in ea affectione dispositioneque mentis in qua finit hanc vitam, post quam non est ei tempus, locus aut status merendi aut demerendi, juste infligitur ei a Deo æterna damnatio. De hac autem materia, cur scilicet pro temporali peccato infligatur pœna æterna, plene scribunt doctores super quartum Sententiarum, et dist. XLVI.

specialiter Guillelmus Parisiensis in libro de Fide et legibus.

Denique, his qui constituti sunt in adversis et in magnis miseriis ac tormentis, hoc unica consolatio est et relevamen præcipuum, si considerent aut sciant se tandem aliquando a suis afflictionibus liberandos. Imo et his qui incurabiles habent infirmitates, aut usque ad mortem adjudicati sunt certis suppliciis, hoc ipsum est consolatio aliqua, quod sciunt hanc vitam terminandam, atque in fine vitæ suæ præsentis finiendas esse suas quas hic sustinent afflictiones. Hoc itaque in damnatis inæstimabiliter auget eorum calamitatem, desolationem ac pœnam, quod sciunt intolerabiles suas ærumnas nunquam penitus terminandas, nec breviandas, nec minuendas ; sed postquam arserint in inferno per innumerabilia millia annorum, sic erit ac si tunc primo inciperet ipsorum punitio.

Insuper, quum nulla sit comparatio finiti ad infinitum, constat quod pœna infernalis sit incomparabiliter abhorrenda, metuenda ac fugienda præ omnibus aliis pœnis quantumlibet diuturnis. Si ergo nemo vellet in sæculo isto per unum annum, imo nec per unum diem, et forsan nec per unam horam, jacere et ardere in ardenti fornace pro omnibus mundi deliciis atque divitiis : qualiter audet quis peccare mortaliter, ac per hoc se ipsum exponere æternæ damnationis periculo, obligationi, juri ac debito sustinendi tantam calamitatem ? O quanta insipientia, imo quanta amentia, quanta obtenebratio ac subversio miseri cordis !

Præterea, quia æternitatem comprehendere non valemus nisi per quasdam circumlocutiones et exemplares declarationes, ad incutiendum cordi salubrem timorem infernalis supplicii retrahentem a vitiis, imaginemur ante oculos nostros stare ardentissimam calidissimamque fornacem, atque jacere in ea hominem nudum, a tali supplicio nunquam eripiendum : nonne intolerabile nobis videbitur A hoc tormentum, imo et inspicere ipsum ? Quam miserrimum judicaremus hominem illum ! Pensemus qualiter homo ille se ipsum hinc inde jactaret in clibano illo, qualiter clamitaret, ulularet, viveret, quanta angustia premeret eum, quantum ipsum afflictio penetraret, præsertim quando adverteret tam intolerabilem pœnam suam nunquam terminandam. Consideremus quid cordis, quid animi esset nobis, si in tali incendio jaceremus, aut si nos in illud projiciendos sciremus. Et certe dubitare B non possumus quin infernale incendium valde excedat omnem ignem sæculi hujus. Cur ergo non vehementissime formidamus æternum illud tormentum, præsertim quum sciamus quod tam pauci illud evadant, et quod frequenter meruerimus illud, nec certi simus quod veram contritionem habuimus ? Cur unquam audemus per unum momentum scienter manere in mortali peccato, quum ignoremus diem et horam, *Matth.* et multi tam subitanee moriantur, quum xxv, 13. item innumerabiles passim decipiantur ac C pereant in æternum per hoc quod ad tempus permanent in peccatis, cogitantes quod postea pœnitentiam sint acturi ? Amplius, quum simus ad vitia tam proclives, atque in fine vitæ nostræ acerrime multipliciterque tentandi, cur non indesinenter veremur ne tandem in tantam pœnam et desperationem æternam labamur ?

Præterea, ad augendum hunc salubrem timorem, expedit imaginari montem arenosum tam grandem sicut est totum universum, atque post decem aut centum D millia annorum unam minutissimam arenam de monte illo auferri. Certe mons ille tandem (quamvis post inexcogitabilem diuturnitatem) consumeretur, quoniam omne finitum per ablationem finiti tandem consumitur. Sed post tam inæstimabilem durationem et protractionem pœna inferni non esset minuta, nec fini propinquior quam dum prima arenula a monte illo auferebatur. Et utique, si scirent damnati se liberandos post consumptionem hujusmodi montis, consolationem grandem conciperent.

Ex his ergo salubribus considerationibus discamus infernales pœnas metuere, vitia fugere, atque in Dei timore ac stabili cordis custodia permanere.

ARTICULUS XXXIX.

De acerbitate pœnarum inferni.

QUODCUMQUE potest facere manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos. Eccle. IX, 10.

Sicut in hac vita incomprehensibilem pietatem peccatoribus exhibet Deus, dissimulans de die in diem, de mense in mensem, de anno in annum, peccata eorum ac scelera, quatenus pœnitentiam agant, atque ad pœnitendum eos exhortans, et per suos ministros tam invisibiles, puta per angelos sanctos, quam visibiles, scilicet homines bonos, invitans et rogans eos ut convertantur, ad quod item admonet eos occulto instinctu divino, multa quoque beneficia ipsis impendens ; ita post vitam præsentem inenarrabilem exercet rigorem justitiæ in ingratos ac impios tantis Dei misericordiis abutentes, qui (sic- *Hebr.* x, 29. ut ad Hebræos scribit Apostolus) Filium Dei conculcant, et sanguinem testamenti pollutum ducunt, atque spiritui gratiæ *Ibid.* vi, 6. contumeliam faciunt, rursus crucifigentes sibi Filium Dei, ostentuique habentes. Hi Scal parad. grad. I. quippe, ut Climacus ait, plus timent canem quam Creatorem: quoniam ne canis latratu pandantur, crimina quædam omittunt quæ ex divini timore judicii et infernalis pœnæ formidine non vitarent. Justissime ergo debacchatur in eos Omnipotens, et suæ immensitatem justitiæ manifestat in ipsis, acerbissimis pœnis ipsos affligens.

Ipse etenim ignis infernalis miro et ineffabili modo est æstuans, penetrativus et afflictivus, qui et solo adspectu ultra quam dici queat terribilis est et deformis, fæculentus, immundus ac fœtidus tanquam sulfureus : imo instar sulfurei ferventissimi ignis intensissimum ac fortissimum habet calorem, gravissimum intolerabilemque

A odorem ; atque (ut fertur) sicut ignis iste terrenus excedit in calore ignem depictum, sic ignis tartareus excedit et vincit in calore ignem apud nos exsistentem. Ad quod allegant aliqui Augustinum, alii vero sanctum martyrem Sebastianum, qui ex instructione angelica loquebatur.

Id quoque per revelationes fide dignas et per mirabiles quosdam effectus interdum ostensum est. Nam quidam defuncti viventibus apparentes, locuti sunt hoc. Quidam etiam defuncti pœnis purgatorii B deputati, ad ostendendum vehementissimum ignis calorem quo torquebantur, scintillulam sui incendii stillare fecerunt super manum aut super aliud aliquid eorum quibus apparuerunt, et verbo celerius perforabatur id super quod incidit scintillula ignis illius. Idem testati sunt quidam resuscitati a mortuis, qui ipsas inferni aut purgatorii pœnas viderunt : imo et quidam eorum eas senserunt, prout infra narrabitur. Quibusdam etiam religiosis et electis personis in visione et raptu frequenter et C evidenter monstratum est istud, ut infra tangetur. Sed et tres viri qui in obitu S. Hieronymi leguntur resuscitati, de hac re recitaverunt mira et quasi incredibilia quædam : qui quum post suam resuscitationem indesinenter et amarissime atque inconsolabiliter flerent, B. Cyrillus episcopus accessit unum ex ipsis, qui inter cetera dixit episcopo, tantam esse vim infernalis incendii, quod homo eam expertus, mallet usque ad finem mundi jacere in igne ex omnibus mundi hujus D ignibus congregato, quam uno die jacere in igne illo tartareo.

Legitur quoque in libro de Actibus mirabilibus S. Francisci, quod quidam vir Ordinis B. Francisci, homo magni fervoris atque arctissimæ conversationis, quadam nocte post Matutinas raptus in spiritu, vidit et sensit purgatorii ignem : qui ante pulsum ad Primas rediens ad se ipsum, putavit se annis centum et quinquaginta fuisse in illis suppliciis, tam acerba fuerunt quæ sensit tormenta. Ecce si vir ele-

ctus et virtuosus, factus in ecstasi mentis, A tam graviter torquebatur in spiritu purgatorii igne, ita quod pœnam quæ vix duabus duraverat horis, putavit centum et quinquaginta annis durasse, qualis et quanta est damnatorum, imo et exsistentium in purgatorio pœna, qui igne illo sævissimo puniuntur realiter, immediate ac rigorosissime, non imaginarie tantum?

Præterea, diligentius attendamus quam vehementer calidi ignes possint produci in sæculo isto. Certe in Daniele legitur
Dan. III, 19, 46, 47. qualiter Nabuchodonosor rex Babylonis, B iratus tribus sanctis juvenibus, utputa Ananiæ, Azariæ ac Misaeli, fecit fornacem septies plus succendi quam solitum fuit, succenderuntque servi regis fornacem naphtha et stuppa et pice atque malleolis, in tantum quod flamma ex fornace erumpens, diffundebatur super fornacem cubitis quadraginta novem. Ecce quam terribilis et intensus fuit ardor ignis illius! Quam intolerabile ac horrendum esset jacere et inflammari in clibano tam æstuantissime calefacto! Quis pro omnibus opi- C bus, gaudiis et honoribus mundi istius vellet per unum diem puniri in ipso? Quanta ergo insania est, propter fœda et brevia hujus incertissimæ vitæ oblectamenta, propter perituras divitias et fallaces transitoriosque honores se ipsum exponere æternis illis inferorum incendiis?

Insuper, quantum ignis gehennalis suo calore excedit omnem ignium terrenorum calorem, tantum quoque frigus infernale sua vi et austeritate excedit ac superat omnia frigora mundi hujus. Pensemus er- D go quam intolerabile nobis esset una nocte frigidissimæ hiemis nudo corpore stare in aere aut congelari in aquis. Quam acerbissima igitur pœna est infernalibus affligi, penetrari et congelari frigoribus, nec tantæ punitionis finem confidere aut habere? Nam etsi tormenta illa infernalium calorum ac frigorum quandoque interrumpuntur, nunquam tamen totaliter auferuntur; nec interruptio illa est ad relevamen aut solatium miserorum, sed ad acerbiorem et intolerabiliorem afflictionem ipsorum, quia (ut ait Scriptura) a nimio illo calore transeunt ad nivium aquas, hoc est ad intensissimum frigus: quæ alternatio tormentorum auget miseriam, præsertim quoniam transeunt de uno extremo contrario ad aliud extremum contrarium, hoc est de vehementissimo calore ad maximum frigus, absque temperamento et reductione ad medium. (Job XXIV, 19.)

Postremo, sicut jam dictum est de extrema et maxima acerbitate infernalium tormentorum ex parte ignis et frigoris quæ sunt ibi, sic quoque intelligendum est de reliquis suppliciis Acherontis. Quantum enim ardor et frigus gehennæ excedunt omnem calorem et frigus vitæ præsentis, tantum fœtor inferni major et gravior est omni fœtore sæculi hujus. Et idem dicendum est de tenebris, de fame ac siti, de horrore, timore, clamore et ululatu, aliisque miseriis ac tormentis quæ ibi exsistunt, quorum minima omnibus præsentis vitæ tribulationibus et pœnis sunt graviora. Et breviter, sicut nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor humanum concipere potest quæ, quanta et qualia, quam summa et gloriosa sint gaudia Beatorum in cœlis; ita nec æstimare valemus quæ, quanta et qualia, quam maxima atque durissima sint supplicia reproborum. Verumtamen ab igne, fœtore et frigore ceterisque inferni suppliciis reprobi punientur non uniformiter neque æqualiter, sed acerbius aut minus acerbe, secundum quod magis aut minus exstant culpabiles: sicut et Sancti in cœlo eumdem superbeatissimi Dei conspiciunt vultum, sed non æqualiter delectantur in illo, verum magis aut minus, secundum suorum exigentiam meritorum. (I Cor. II, 9.)

ARTICULUS XL.

De diversitate et varietate tormentorum inferni.

PANIS iniqui *in utero illius vertetur in fel aspidum; divitias quas devoravit evomet; caput aspidum suget, et occi-*

det eum lingua viperæ, et omnis dolor irruet super eum ; vadent et venient super eum horribiles, omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus, devorabit eum ignis qui non succenditur. Job xx, 14-16, 22, 25, 26.

Quemadmodum enim in eodem peccato mortali sunt diversæ ac multæ deformitates atque conditiones culpam gravantes, imo in omni peccato mortali est quædam ingratitudo et irreverentia Dei, negligentia sui, excæcatio cordis, pigritia ac acedia mentis, stultitia, inobedientia, perversitas, improbus amor et complacentia vana ; sic eidem peccato diversæ ac variæ pœnæ infernales debentur et infliguntur. Insuper, sicut idem peccator diversa exercet peccata mortalia, sic et diversis ac variis torquetur infernalibus pœnis : quarum quasdam sustinet successive, ut ignem et frigus ; aliquas vero simul, ut ignis calorem molestissimumque fœtorem, dæmonum quoque adspectum, famem et sitim, tenebras et horrores, desperationem mœstissimam, pressuram et angustiam mentis dolorosissimam, sed et pœnam damni cunctis suppliciis graviorem, de qua infra tractabitur.

Sunt itaque diversa genera tormentorum in inferis, quorum primum, ut tactum est, ignis est, (art. præced.) qui unumquemque juxta sua torquebit demerita : et quo peccatum ex ferventiori procedit affectu inordinato, tanto acerbius punietur, et intensiori vindicabitur incensione caloris tartarei ; quo etiam quis in peccato vehementius delectatur, eo igne infernali dolorosius et acrius affligetur, quemadmodum in Apocalypsi Dominus loquitur (*Apoc.* xviii, 7.) : Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. Et quoniam in vitiis carnis sunt ardor concupiscentiæ, immunditiæ fœtor et delectatio major, ideo vitia illa infernali incendio specialiter æstuante ac fœtido, utpute igne sulfureo, acerrime puniuntur. Unde asserit Augustinus : Quantum hæsit amor, tantum affliget dolor. Denique, si pro uno peccato mortali infligitur tanta punitio, quam ineffabiliter puniuntur infernali incendio ac ceteris pœnis gehennæ qui multis et magnis mortalibus peccatis inquinantur ac sordent, præsertim qui vitiosis consuetudinibus sunt oppressi ? Et quamvis dictum sit supra, (art. præced.) quod omnes damnati uno igne torquentur, videtur tamen rationabiliter dici posse, quod in diversis locis inferni sint ignes particulares, impares in calore, et quod graviora peccata in calidioribus ignibus puniantur.

Secundum genus infernalium tormentorum, est acutissimum et vehementissimum frigus, quod etiam reprobos magis aut minus punit, penetrat et constringit, secundum quod magis aut minus vitiosi exsistunt. Specialiter quoque hoc frigore cruciantur acediosi ac pigri, qui tarditatis suæ torpore a divino retrahuntur obsequio : ideo constringuntur gehennali algore, indicibiliter tremunt, et dentibus gravissime strident.

Tertia pœna inferni, est morsus, turpitudo et horror vermium edacissimorum, juxta illud Isaiæ (*Is.* LXVI, 24) : Vermis eorum non morietur ; et in Ecclesiastico (*Eccli.* VII, 19.) : Vindicta carnis impii, ignis et vermis. Judith quoque ait (*Judith* XVI, 20, 21.) : Dominus omnipotens dabit vermes in carnes eorum. Et quanto quis in vita præsenti turpioribus et innaturalioribus aut enormioribus inquinatur sceleribus, tanto illic a monstruosioribus, turpioribus, crudelioribus ac horribilioribus vermibus affligetur, mordebitur et operietur. Et quæ hic de vermibus allegantur, Haymo et alii quidam de corporalibus intelligunt vermibus, alii vero dicunt esse ea spiritualiter intelligenda.

Quarta pœna inferni, est pœnalissimus fœtor, quo odoratus damnatorum amarissime affligetur ; et specialiter nominatur fœtor sulfureus, qui lamentabiliter cruciat. Unde in Apocalypsi asseritur (*Apoc.* XXI, 8.) : Pars iniquorum erit in stagno ardenti igne et sulfure. Una autem causa quod ignis et frigus ac fœtor inferni sunt tanti vigoris et tantæ pœnalitatis, est quoniam non ex-

halant, sed jugiter manent clausi in suis locis angustis, quemadmodum ardor clibani igniti et clausi est fortior. Advertamus igitur quam graviter affligeremur fœtore cloacæ et ignis sulfurei atque cadaverum, si talibus rebus alligaremur; atque ex hoc perpendere possumus quam ineffabiliter crucientur damnati fœtoribus tartari. Nam et corpora damnatorum fœtidissima erunt, quemadmodum corpora electorum suavissime redolebunt. Idcirco ex tam innumerabilibus corporibus miserorum intolerabilissimus fœtor consurget.

Quinta pœna inferni, est horrendus adspectus dæmoniorum et omnium damnatorum, quorum animæ dæmonibus in turpitudine et deformitate assimilantur, et quorum corpora post diem judicii erunt deformiora et ad intuendum horribiliora, quam quando erant in monumentis a vermibus pro media parte corrosa et serpentibus bufonibusque operta. Denique, si tam ineffabiliter horribile et pœnale est dæmonem unum in sua deformitate conspicere, ita ut aliqui hoc experti, testati sint se malle ardentem fornacem intrare quam diabolum sic videre : quam inopinabiliter erit pœnosum tot malignissimos, turpissimos ac furiosissimos spiritus perpetuo intueri? Nam, ut divinus Dionysius contestatur, sunt in dæmonibus protervissima phantasia amensque furor. (De Divin. nom. c. IV.)

Sexta inferni pœna, est ferventissima fames; et quanto quis in vita hac gulosior est, et delicatius atque intemperantius vivit, jejunia quoque Ecclesiæ frangit, et aliorum bona consumit, aut ecclesiasticos redditus indigne devorat et expendit, tanto intolerabiliori fame cruciabitur in inferno. Propter quod in Evangelio loquitur Filius Dei : Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. (*Luc.* VI, 25.) In Isaia quoque loquitur Deus iniquis et condemnatis : Ecce servi mei comedent, et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitietis; ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini; ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis. (*Is.* LXV, 13, 14.) Hinc in Ecclesiastico sapienter consulitur : Ante obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum. (*Eccli.* XIV, 17.) Verumtamen est in inferno quædam damnatorum refectio : quæ potius dici potest infectio atque afflictio quam refectio, quoniam nullum præbet solatium, nec minuit famem, sed molestissimum inducit supplicium. Scriptum est enim in Psalmo : Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. (*Ps.* XLVIII, 15.) Et per Jeremiam prophetam Dominus loquitur : Ecce ego cibabo eos absinthio, et potabo eos felle. (*Jer.* XXIII, 15.)

Septima pœna inferni, est ardentissima sitis, sicut jam tactum est : qua cruciabatur dives epulo, qui petivit sibi guttam aquæ pro refrigerio suæ sitis præstari. (*Luc.* XVI, 24.) Hac siti præcipue torquebuntur potatores et ebriosi ac vinolenti, quibus dicitur per Isaiam : Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et ad potandum usque ad vesperam. (*Is.* V, 11.) Unde in Proverbiis Salomon dixit : Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt : quia vacantes potibus et dantes symbola consumentur. (*Prov.* XXIII, 20, 21.)

Denique, præfata fame et siti potissime affligentur immisericordes, qui esurientes non pascunt pro posse, nec sitientibus poculum præbent. Hinc diviti qui non contulit inopi Lazaro micam, denegavit Dominus aquæ guttam. (*Luc.* XVI, 19-26.) O quam inæstimabiliter torquebuntur hac fame et siti, qui variis generibus pretiosorum ciborum ac potuum replent corpora sua (quod aliqui faciunt etiam ex ecclesiasticis bonis), nec compatiuntur pauperibus, et vix siccum panem aut haustum cervisiæ tribuunt eis! Porro, quam pœnale sit magna siti affligi, constat ex eo quod filii Israel circumvallati leguntur dixisse : Sit finis noster brevis in ore gladii, qui longior fit in ariditate sitis. (*Judith* VII, 17.) De afflictione quoque famis ait Jeremias in Threnis : Melius fuit occisis gladio quam interfectis fame. (*Thren.* IV, 9.) Quumque sitis oriatur ex calore atque labore, maxima et pœnalissima est sitis damnatorum, quum

æstuantissimo torqueantur calore incessabilique labore, quemadmodum in Apocalypsi legitur : Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, et requiem non habent die ac nocte. In Psalmo quoque scriptum est de iniquo : Laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem.

Apoc. XIV, 11. *Ps.* XLVIII, 9, 10.

Octava pœna inferni, est ligatio et vinculatio damnatorum, prout in Evangelio Dominus loquitur de damnando : Ligatis manibus et pedibus, projicite eum in tenebras exteriores. In inferno namque potissime adimpletur quod Salomon dixit : Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. Hinc Isaias propheta asseruit de iniquis : Congregabuntur in congregatione unius fascis, et claudentur in carcere. De quibus apud Matthæum Christus perhibet se dicturum : Alligate ea (puta zizania, per quæ reprobi designantur) in fasciculos ad comburendum.

Matth. XXII, 13. *Prov.* V, 22. *Is.* XXIV, 22. *Matth.* XIII, 30.

Nona est horrenda caligo. Cujus figura in Ægyptiis præcessit, apud quos fuerunt tribus diebus tenebræ tam densæ quod palpari valebant : quibus tenebris infernalis caligo mirabiliter horribilior est ; propter quod a Job infernus vocatur terra operta mortis caligine, terra miseriæ et tenebrarum. Verumtamen, quia damnati, juxta præhabita, se invicem ad miseriarum et pœnarum suarum augmentum conspicient, ignis infernalis tantum de luce tristi habebit, ut se mutuo possint inspicere. Nec obstat quod super prædicta verba beati Job S. Gregorius scribit : Ignis infernalis concremationem habet, sed lumen non habet ; flamma illa comburit, sed tenebras non expellit. Nam subdit ibidem : Quamvis ignis illic ad consolationem non lucet, tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucet, quia sequaces suos secum in tormentis, flamma illustrante, reprobi sunt visuri. Ignis itaque qui in obscuritate cruciat, lumen ad tormentum servat.

Exod. X, 21, 22. *Job* X, 21, 22.

Decima pœna inferni, est turpissima, horribilissima ac fœdissima dispositio loci, cujus turpitudini et fœtori, immunditiæ et horrori nulla cloaca, nulla putredo, nullum desertum, nullum cadaver poterit comparari, prout de hoc infra plenius disseretur.

Undecima pœna inferni, est pœna damni, videlicet carentia beatificæ visionis et privatio omnis salutis, inopia maxima desperatioque extrema : de quibus infra dicetur.

Aliæ quoque plurimæ pœnæ sunt in damnatis, videlicet mœror, dolor et pavor : mœror de bonis omissis, dolor de tormentis semper præsentibus, pavor de malis futuris et nunquam terminum habituris. Insuper, ineffabiliter odiunt Deum, et invident beatitudini ejus ac omnium electorum.

Amplius, sicut Tullius scribit, octo genera pœnarum erant in legibus humanis et in jure civili : damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exsilium, mors et servitus. Quæ omnia in damnatis exsistunt. Est namque in eis damnum, quoniam perdiderunt summum, infinitum et incommutabile bonum, videlicet Deum et universa spiritualia dona ejus, gratiam et virtutes, gloriam et salutem. De pœna verberum dictum est. De quibus et Salomon in Proverbiis ait : Mallei percutientes parati sunt stultorum corporibus. De pœna talionis in Apocalypsi habetur : Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. Quod non est intelligendum quasi in inferno aut etiam in purgatorio non sit major afflictio pro peccato quam in vita hac fuit delectatio in peccando ; sed comparatio illa intelligenda est in genere, quia quo major est in peccando voluptas, eo pœnalior infligitur pro peccato calamitas. De pœna vero ignominiæ scriptum est in Proverbiis : Turpitudinem et ignominiam congregat sibi iniquus, et opprobrium illius non delebitur. Unde per Jeremiam Dominus protestatur : Dabo vos in opprobrium sempiternum, et in ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur. De pœna exsilii exponitur illud : Et clausa est janua ; et quod Judex dicturus est : Pro-

Prov. XIX, 29. *Apoc.* XVIII, 7. *Prov.* VI, 33. *Jer.* XXIII, 40. *Matth.* XXV, 10. *Ibid.* XXII, 13 ; XXV, 30.

jicite eum in tenebras exteriores; atque quod loquitur Isaias : Tollatur impius ne videat gloriam Dei. De pœna mortis infernalis fertur in Apocalypsi : Pars eorum (id est retributio et merces omnium iniquorum) erit in stagno ardenti igne et sulfure, quod est mors secunda. De pœna servitutis ait beatissimus princeps Apostolorum : Iniqui sunt servi corruptionis; Christus quoque apud Joannem : Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.

Is. XXVI, 10, juxta LXX. *Apoc.* XXI, 8. II *Petr.* II, 19. *Joann.* VIII, 34.

Postremo, prædictis consonat quod in Legenda S. Joannis apostoli recitatur, quemadmodum juvenis quidam a S. Joanne apostolo resuscitatus a morte, multa narravit de gloria paradisi, et de tormentis inferni, de quibus specialiter octo narravit, quæ continentur his metris :

Vermes et tenebræ, flagellum, frigus et ignis,
Dæmonis adspectus, scelerum confusio, luctus.

Ecce quæ et quanta, quam incomparabilis et immensa atque perpetua est miseria, pœna, infelicitas damnatorum. Et certe qui ex prædictis descriptionibus earum non perterretur, obtenebratus et obstinatus est corde, nec spiritualiter sentit, sed mortuus est. Verumtamen resipiscat et de vitiorum profundo emergat, atque ad ista consideranda erigat oculos cordis. Et omnis quem adhuc peccatum delectat, horum considerationem et timorem imprimat suæ menti, ut saltem tantorum horrore suppliciorum retrahatur a vitiis, et ad salutaria dirigatur. Qui autem jam cœpit introire viam virtutum, ex horum consideratione omnem instabilitatem et torporem abjiciat : imo cunctis credentibus vertantur in nauseam et horrorem cuncta oblectamenta carnalia vanitatesque sæculi, per quæ ad tantas pervenitur calamitates inferni.

ARTICULUS XLI.

De universitate infernalium tormentorum.

DABO eos in vexationem, in maledictionem, et in stuporem, et in sibilum, et in opprobrium sempiternum, eo quod non audierint verba mea, id est, præcepta mea non impleverint, *dicit Dominus.* Jer. XXIX, 18, 19.

Hoc requirit divina justitia, quod sicut peccator toto corpore et anima et omnibus membris corporis ac viribus animæ Deum offendit, sic in inferno puniatur in omnibus istis. Illaque membra ac vires in quibus plus viguit impia delectatio et quæ magis servierunt peccatis, horribilius atque acerbius punientur : ut luxuriosi in pudendis, gulosi et garruli in lingua et ventre. Tunc ergo singuli sensus exteriores ac interiores et aliæ vires singulis ac propriis affligentur suppliciis. Erit in appetitu sensitivo insensatissimus furor, phantasia proterva, invidia mordax, rancor amarus, tristitia opprimens, timor penetrans, dolor absorbens. Peccator enim videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet. Erit quoque in eis irrationabilis concupiscentia : quia ad carnalia, terrena et vana, in quorum vitiosis affectibus obierunt, actu vel habitu afficientur. Erit item in eis pœnitentia de peccatis, non in quantum peccata sunt inhonorativa offensivaque Dei, et vilia ac turpia in se ipsis, sed in quantum per peccata meruerunt ac inciderunt tot et tantas miserias. Tunc penetrabunt eos torsiones et dolores incomparabiliter pœnalius quam parturientes. Denigrata erit facies eorum super carbones; et facies combustæ, vultus eorum. Tunc levabuntur in contis, et recludentur in ollis ferventibus. Habebunt miserrimi conturbationem et compressionem in cerebro, planctum in oculis, stridorem in dentibus, fœtorem in naribus, clamorum et ululatuum resultationes in auribus, sitim in lingua, famem in stomacho, vincula in manibus ac pedibus, et nunc infernalis incendii ardorem, nunc intolerabilia frigora in omnibus membris. Intellectus erit plenus errore et falsitate, excæcatione erroneisque judiciis, et ut sanctus ait Hieronymus, nihil poterit cogitare nisi ad quod eum impulerit vis doloris, ita quod nihil poterit considerare

Ps. CXI, 10. *Is.* XIII, 8. *Thren.* IV, 8. *Amos* IV, 2.

ex cujus consideratione posset aliquo modo mitigari acerbitas afflictionis. Ea vero quæ augent miseriam, bene attendet : ut quod damnatio erit æterna, quod Omnipotenti resistere nequit, quod electi sunt pleni omni felicitate et gloria. Ex quibus considerationibus concipient damnati gravissimam desperationem et odium Dei, atque invidiam Beatorum. Sicque voluntas damnatorum erit odio Dei plena, de beatitudine electorum invida, et obstinata in omni malitia. Memores quoque erunt præteritarum deliciarum et vanitatum quas amaverunt et habuerunt, et tristabuntur quod eis amplius frui non poterunt.

Hinc ait Gregorius : Miro et horrendo modo erit miseris dolor cum timore, ardor cum obscuritate ; et in eorum afflictione ipsa tormenta a suis qualitatibus discordabunt, eo quod a Creatoris voluntate miseri discordes fuerint. Fit ergo eis mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu : quia eorum mors perpetuo vivit, finis eorum incessabiliter incipit, et defectus deficere nescit ; mors perimit, nec exstinguit ; dolor cruciat, et pavorem non fugat.

Denique, qui nunc ad libitum suum liberius evagantur, discurrunt, saltant, chorizant, plaudunt, equitant, et ad vitia properant, tunc arctius et violentius æternis vinculis constringentur, et in angustissimis foveis ac caminis tenebuntur conclusi. Et quanto quis nunc in sensibus ac sensibilibus abundantius ac vitiosius delectatur, tanto tunc in sensibus suis acerbius æternaliter affligetur.

O qualiter tunc affligentur in visu, qui modo in adspectu mulierum, spectaculorum, chorearum et consimilium vanitatum impie gloriantur ! Qualiter tunc affligetur auditus eorum qui in cantilenis et musicis, in verbis vitiosis et vanis, in fabulis et scurrilitatibus modo lætantur ! Qualiter tunc in tactu et gustu affligentur lubrici et gulosi ! Qualiter ab infernalibus monstruosissimis ac turpissimis serpentibus, bufonibus et draconibus amplexabuntur,

A transfodientur et torquebuntur, et maxime hi qui vitiis contra naturam sceleratissime inquinantur ! Pensemus quam ineffabilis pœna esset, a magno dracone capi, constringi pedibus ejus, involvi spiris et venenis ejus transfigi, et in tali supplicio permanere. Quale ergo erit tormentum, ab infernalibus feris ac belluis, serpentibus, basiliscis, bufonibus et draconibus in sempiternum excruciari ? Erunt enim hæc omnia in inferno, sive per veritatem naturæ, sive per æquivalentiam pœnæ.
B Advertant hæc homines molles et delicati, deliciis assueti ac teneri, qui nunc morsum pulicis ferre non queunt, qui flammam candelæ in digito quasi gladium horrent ac fugiunt. Qualiter sustinebunt pœnas præfatas ? Imo, quum revera unicuique nostrum molestissimum esset, per unum annum indesinenter et sine corporis revolutione jacere in lecto molli, qualiter præfata poterimus sustinere tormenta ?

Despiciamus ergo viriliter et constanter mundana solatia, carnalia oblectamenta
C universaque vana ac impia, et arctam viam salutis, pœnitentiæ opera, exercitia sancta virtutum ferventer aggrediamur, confidentes in Domino, et ejus implorantes auxilium. Nec denegabit nobis adjutorium suum. Sicut enim veraciter dixit, Arcta est via salutis ; et rursus, Nisi pœ- *Matth.* VII, 14.
nitentiam egeritis, omnes simul peribitis : *Luc.* XIII, 3, 5.
ita vere locutus est, Omnis qui petit, accipit ; itemque, Jugum meum suave est, et *Matth* VII, 8.
onus meum leve. *Ibid* XI, 30.

Ex his considerationibus quidam com-
D puncti sunt et conversi : quemadmodum nobiles quidam pueri religionem ingressi, qui quum a deceptoribus amicis rogarentur exire, quia delicate nutriti non possent rigorem claustralis vitæ sufferre, sagaciter responderunt. Nam unus talium dixit : Si rigorem religionis ac pœnitentiæ nequeo tolerare, inferni supplicia qualiter tolerabo ? Alter respondit : Quia delicate nutritus sum et gravia ferre nequeo, potius elegi et volo modicum istum rigorem perpeti propter Deum, quam post vitam præ-

sentem incomparabiliter graviora pati tormenta. Tertius dixit : Quod viribus meis portare non valeo, auxiliante gratia Dei hilariter adimplebo. Sic et Fulco joculator, perpendens sibi intolerabile esse jugiter jacere in lecto mollissimo, ex infernalium timore tormentorum intravit cœnobium, in quo tam laudabiliter vixit, quod sublimatus fuit ad episcopale fastigium. Hinc quidam sanctorum Patrum dixit Fratri cui molestum erat sedere solum in cella : Si futura supplicia rite attenderes, libenter in cella solus sederes, quamvis cella tua vermibus esset repleta usque ad collum tuum. His itaque exemplis ac documentis ædificemur.

ARTICULUS XLII.

De gravitate pœnarum inferni ex parte magnæ miseriæ et desolatissimæ societatis damnatorum.

U*LULABIT Moab ad Moab, universus ululabit.* Is. XVI, 7.

Verbum illud commune, Solatium est misero habere socium in sua miseria, in damnatis locum non habet : imo qui in vita præsenti sunt familiarius sibi conjuncti in vitiis, magis se mutuo odio habebunt in tormentis, eo quod unus fuerit alteri causa aut occasio majoris damnationis. Similiter, qui hic carnalius amant se invicem, ibi graviorem contra se invicem habebunt rancorem, quia se invicem traxerunt ad tantam calamitatem. Insuper tanta est deformitas damnatorum, quod mutuus adspectus auget in eis dolorem magis quam præstet solatium. Suis quoque clamoribus, ululatibus ac horribilibus apparatibus augent miseriam mutuam. Quamvis etiam ex invidia uni complaceat damnatio et ærumna alterius, tamen hoc ipsum cedit eis in majus gravamen, quibus omnia cooperantur in malum.

Verumtamen his objici potest, quod
Ezech. XXXII, 31. Ezechiel ait : Vidit eos Pharao, et consolatus est super universa multitudine sua.
A Et loquitur ibi Propheta ad litteram de Pharaone ac populo suo damnatis, aliisque regibus et eorum exercitibus condemnatis, ex quorum damnatione dicit Ezechiel Pharaonem esse consolatum de sua ac plebis suæ damnatione. Unde et Hieronymus ait ibidem : Leviora sua æstimavit tormenta consortio plurimorum.

Ad hoc respondendum, quod in inferno nulla est consolatio fixa et reputanda, quoniam ex vehementia et acerbitate infernalium tormentorum mox taliter absor-
B betur, ut nullius exsistat momenti. Et quamvis ex una parte aliquantulum consolationis proveniret damnatis ex aliorum damnatione, tamen ex alia parte atque ex aliis multis causis, multo amplius augetur et aggravatur eorum miseria ex aliorum damnatione : quemadmodum etiam pœna dæmonum augmentatur ex damnatione eorum quos trahunt ad vitia et tormenta, quamvis illorum damnationem ex invidia ac malitia cupiant ac procurent.

Hinc legitur de quodam parente, quod
C una cum filio suo fuit damnatus, et ostensum erat cuidam fideli in visione, quod pater ille et filius suus se invicem gravissime afflixerunt et maledixerunt. Nam pater dixit ad filium : Tu mihi es causa tantæ damnationis, quia ut te ditarem et exaltarem, temporalia congregavi et cupidus fui. Filius vero dixit ad patrem : Tu mihi es causa hujus miseriæ, quia a Dei servitute me retraxisti, et ne te offenderem, mansi in sæculo. Hoc advertant parentes ac soboles qui se mutuo amant
D carnaliter atque in mundo quærunt se exaltare.

ARTICULUS XLIII.

De dispositione loci infernalis.

D*IMITTE me,* Domine, *ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine : terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus or-*

do, sed sempiternus horror inhabitat. Job x, 20-22.

Juxta sanctorum Patrum doctrinam credendum est infernum esse in medio terræ, ubi etiam ex natura loci est vehementissimum frigus. Et quoniam infinita atque justissima sapientia Dei collocat unumquemque in loco sibi proportionato, tenendum est quod sicut peccator in mortalibus vitiis jacens, vilior est omni creatura inanimata, et decies millies brutis deterior, ac coram Deo immundior, turpior, abominabilior atque fœtidior omni bufone, basilisco, ac cadavere quantumlibet putrefacto, et (ut ait Guillelmus Parisiensis) non est in mundo tam fœda cloaca sicut peccator in quo spurcitia vitiorum, fœtor scelerum, putredo impiorum affectuum sunt collecti; ita damnatis a summo et infinito bono, a vero Deo, ab omni puritate virtutum inconvertibiliter et extreme aversis, in odio Dei ac omni malitia obstinatis, debetur vilissimus, sordidissimus, fœtidissimus, obscurissimus, infimus ac solo adspectu horribilissimus locus.

Et iste locus recte vocatur infernus, qui est omni luto et fæce, omni cadavere et cloaca, omni pice, bufone et basilisco immundior, intolerabilior atque fœtentior : qui ab inferendo vocatur infernus, quia inferuntur et præcipitantur in eum reprobi et iniqui, inde nunquam ascensuri ut
Job VII, 9. liberentur, juxta illud Job : Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descendit ad inferos, non ascendet. Hic est rapacissimus et insatiabilis locus, de quo loqui-
Is. V, 14. tur Isaias : Dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino.

Dicitur quoque locus ille Avernus, id est absque vere et temperatura, quum ibi sit maxima intemperantia tormentorum summusque gradus miseriarum et omnium refrigeriorum defectus. Hinc et Plato in Phædone infernum vocat Avernum.

Vocatur etiam tartarus, quod interpretatur turbatus : quoniam est inquietissimus locus, in quo nulla est requies, sed clamor, vexatio, fletus et ululatus ; ubi

A Altissimus pluit super peccatores laqueos; *Ps.* X, 7.
ubi ignis, sulfur et spiritus procellarum sunt pars calicis (id est afflictionis) pravorum. Denique, sicut sanctus ait Bernardus, ibi pilosus clamitat ad pilosum, unus *Is.* XXXIV, 14.
ad alterum, dæmon ad dæmonem : Percute, dilacera, interfice, velociter spolia de- *Ibid.* VIII, 1.
trahe, cito prædare. De quo loco asserit Hugo : Infernus locus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, dolore innumerabili ac pœna interminabili.

B Rursus infernus appellatus est Achæron, quia desolatissimus locus est, ab ἀ, quod est sine, et χαίρων, quod est gaudens. Ad quod quidam devotus in suo tractatu de Quatuor novissimis allegat Averroem commentatorem dicentem : In inferno continua est tristitia, et mœror sine consolatione. Verumtamen bene eruditis in philosophia constat quod Averroes hoc non dicat. Fuit enim primo de lege Mahometi, quemadmodum Avicenna et Algazel. Postmodum vero legem impiissimi Mahometi C reliquit, propter apertissimas falsitates quæ in Alcorano continentur. Sprevit quoque legem Christi, propter multa incomprehensibilia et supernaturalia quæ in evangelica lege habentur. Similiter vituperavit et Moysis legem, volens esse naturali lege contentus : sicque justo Dei judicio permissus est cadere in multos errores gravissimos. Nam et providentiam Omnipotentis negavit, asserens Deum inferiora ista et actus humanos nescire. Animam quoque humanam mendosissime dixit esse D mortalem, quamvis intellectum dixerat immortalem, quem asseruit esse substantiam separatam, et unum in cunctis hominibus. Asseruit item non esse dæmones, quia in intelligentiis seu angelis dixit non posse cadere culpam. Hinc negavit esse infernum, negavitque esse futurum Dei judicium : sicque dedit hominibus peccandi audaciam absque freno, et erravit gravissime. Si autem alicubi dixit verba præallegata, dicit ea non asserendo, sed forsitan recitando. Hæc autem quæ dixi,

possum ex scripturis S. Thomæ, Alberti, A Ægidii et aliorum multorum probare : imo et in Commentariis Averrois legi hos ejus errores.

Præterea, quam horrendus sit locus infernalis, qui et gehenna vocatur, quasi sine annis perpetuo durans, perpendere possumus ex dispositionibus carcerum aliquorum et aliorum turpissimorum locorum, in quibus diu consistere esset intolerabilius ipsa morte. Imaginemur ergo longissimum atque latissimum campum prorsus infructuosum, arefactum et in- B cendiis multis combustum, profundissimis foveis et angustissimis puteis plenum, qui putei ac foveæ sulfureis ignibus sint repleti. Imaginemur quoque campum illum ignitissimis plenum esse caminis, spiritibusque malignis, et ferocissimis ac venenatissimis brutis, bufonibus, draconibus, omnique serpentium genere, omni fœtore, caligine et horrore, atque innumerabilibus peccatoribus deputatis tot et tantis suppliciis, in medio igneorum et sulfureorum puteorum, fovearum et caminorum jacen- C tibus, super quos sedeant monstruosissimi bufones et venenosi dracones ac edacissimi vermes, qui miseros illos transfigant, deosculentur, constringant, corrodant ac lacerent.

Ecce ex hac imaginatione aliqualiter capere possumus qualiter dispositus sit infernus, qui indubitanter multo horribilius pœnaliusque dispositus est quam excogitare possumus. Quemadmodum enim patria Beatorum, paradisus cœlestis, inæstimabilem habet decorem, amœnitatem, D dulcedinem ; sic infernus inopinabilem et incomprehensibilem habet turpitudinem, desolationem et fœtorem. Advertant hæc qui speciosa, pretiosa et amœna taberna-
Amos VI, 4. cula amant atque inhabitant, qui dormiunt in lectis eburneis et in suis lasciviunt stratis, qualiter erit eis, quum injecti fuerint infernalibus ac sulfureis puteis et caminis, et operti bestiis illis vermibusque tartareis, qui nec fumum pati volunt in domo sua.

ARTICULUS XLIV.

De gravitate pœnarum inferni propter irrecuperabilitatem temporis hic amissi et damni inde secuti, et de mala puritate infernalium tormentorum.

INSANABILIS *dolor* meus, *pessima plaga* mea. Jer. XXX, 12, 15.

Hæc verba Jeremiæ prophetæ dicere potest unusquisque damnatus. Quamvis enim damnati veram non habeant contritionem de suis peccatis, de hoc tamen vehementissime et inconsolabiliter dolent, quod tempus hujus vitæ tam infructuose et vitiose expenderunt (in quantum per hoc tantam promeruerunt ac receperunt pœnarum acerbitatem), et quod negligentiam hanc recuperare non valent, et quod in tam brevissimo tempore tantam sibi mercati sunt calamitatem, in quo promereri poterant summam felicitatem. Hinc etenim, sicut in libro Sapientiæ legitur, dicunt: Quid *Sap.* V, 8, 6.
nobis profuit superbia ? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis ? Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Hinc dolent se esse natos ; et esse ac vivere, quod omnibus naturaliter appetibile est, factum est eis odibile. Cupiunt namque non esse, et si possent, se ipsos occiderent. Atque ut in Apocalypsi scriptum est, blasphemant Deum, qui po- *Apoc.* XVI, 9, 10.
testatem habet super plagas eorum, quod inde non eripit eos, ac præ doloribus suis linguas suas manducant. Quumque animus inordinatus etiam in hac vita sit sibi ipsi pœnalis et gravis, animi damnatorum sunt sibi ipsis pœnalissimi ad portandum, et ipsi sibimetipsis graviores sunt tenebræ, quia in corde eorum est confusio maxima ac deordinatio summa. Nam odiunt omne bonum ac honestum, et omni rancore, odio, horrore, tristitia, desperatione, maledictione ac blasphemia Creatoris sui sunt pleni. Sicque vitiis suis cruciant et fatigant, rodunt ac perforant semetipsos, et sibi ipsis gravissimi facti sunt.

Insuper, quoniam purum uno modo vocatur, quod de suo contrario aut de re alienæ naturæ nihil habet admixtum, sicut purum vocatur aurum, cui nil de alieno metallo est mixtum; hinc pœna damnatorum dicitur pura, eo quod nulla consolatio, nulla spes, nulla utilitas pro ipsis damnatis sit pœnæ eorum adjuncta. Pœnæ autem vitæ præsentis, quantumlibet magnæ, tolerabiles sunt, quoniam sunt multipliciter fructuosæ ac medicinales patienti, si eas æquanimiter ferat. Valent enim ad remissionem culparum, ad impetrandum charismata gratiarum, ad evadendum futura supplicia, atque ad promerendum gaudia sempiterna; faciunt quoque hominem cautiorem ne peccet, et per eas assimilamur Domino Jesu Christo propter nos passo.

ARTICULUS XLV.

De pœna damni damnatorum.

NON *mortui qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus suis, dabunt honorem Domino; sed anima quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva et infirma, dat tibi gloriam, Domine.* Baruch II, 17, 18.

Quemadmodum summum hominis bonum et vera ac plena ejus felicitas, est Deo bonitatis immensæ frui et eum clare per speciem intueri; ita privari hac fruitiva ac beatifica visione Dei, est maxima miseria hominis et summum damnum ipsius. Hinc carentia beatificæ ac beatæ visionis Dei vocatur pœna damni in damnatis; cruciatus vero ignis ac frigoris et aliorum infernalium tormentorum, dicitur pœna sensus. Quamvis autem damnati non diligant, sed odio habeant Deum verum, sanctum et adorandum, atque ob hoc non cupiant ei uniri nec eo frui, secundum quod hoc esset aliquo modo ad Dei honorem, laudem et gloriam; cupiunt tamen beatitudinem, et vellent esse in regno cœlorum, in quantum hoc esset utile eis, A et evasio suæ damnationis, a qua maxime eripi cupiunt, aut cuperent, si esset possibile. Hinc Gregorius ait in homilia : Dubium non est quin hi qui in inferno sunt, ad sortem Beatorum transire desiderent. Unde et dictum est ante, quod in die generalis (art. XXXIII.) judicii primo vocabuntur electi ad regnum cœlorum, et in conspectu reproborum ascendent cum gloria ad æternorum plenitudinem gaudiorum, ut videant reprobi quid neglexerunt ac perdiderunt, et inde perpetuo contristentur.

B Denique, in omni peccato mortali duo considerantur. Unum est aversio mentis a summo et incommutabili bono; et huic aversioni debetur, correspondet atque infligitur pœna damni, videlicet divinæ visionis carentia. Aliud est inordinata conversio mentis ad bonum creatum, caducum ac vanum; et huic conversioni iniquæ correspondet pœna sensus. Sed pœna damni pejor ac fugibilior est quam pœna sensus. Ideo ait Chrysostomus : Sunt quidam insipientes, qui sibi sufficere C arbitrantur si a sensibilibus inferni suppliciis eruantur; ego autem omni pœna gravius reor a vultu Dei repelli ac felici ejus fruitione privari. Et iterum : Si mille gehennas mihi proponas, non tantum has reputo neque abhorreo, sicut a gloriosæ illius societatis jucunditate repelli, atque exosum fieri Creatori. Terribilis est gehenna, sed terribilior facies Judicis summi irata; sed quod omnem vincit terrorem, est elongatio sempiterna a contemplatione superbeatissimæ Trinitatis. Hinc ait et D Prosper : Attende quam malum, quam miserum sit, a facie Dei separari, a gaudio æternæ contemplationis excludi, beatissima omnium Sanctorum societate privari, sempiternæque morti profunde fluctuantis gehennæ immergi, ab edacissimis vermibus æternaliter laniari, æstuantis incendii flammas ferre, atque fumantis barathri obcæcari caligine. De hoc rursus scribit Chrysostomus : Excludi a bonis æternis, et alienum effici ab his quæ Deus præparavit diligentibus se, tam gravem generat cru-

ciatum, ut quamvis exterius nulla flamma torqueret, hoc solum sufficeret, et melius esset mille flammas tolerare, quam mansuetissimam Christi faciem iratam conspicere, atque ab ea in æternum recedere.

Abhorreamus ergo hoc maximum damnum, hoc incomparabile malum, tam immensum dispendium ; et ne illud incidamus, solliciti simus ne in vita præsenti a divino separemur amore per peccatum mortale.

ARTICULUS XLVI.

De acerbitate infernalium suppliciorum ex parte patientium ea.

In ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent. Ps. CXXXIX, 11.

Tam in inferno quam in purgatorio duplex est pœna, videlicet pœna damni et pœna sensus. Et de utraque asserit S. Thomas et alii multi doctores ac Patres, quod minima pœna purgatorii seu inferni major est maxima pœna hujus mundi. Imprimamus C hoc cordi, et formidemus judicium Dei. Ecce quam graves sunt multæ pœnæ mundi istius ! Et si pro uno minimo peccato mortali tam dura infligitur pœna, qualis et quam acerbissima est eorum punitio qui multis et gravioribus sunt inquinati peccatis ?

Præterea, consideremus passibilitatem, teneritudinem, mollitiem carnis humanæ, quam cito lædatur, quam graviter ex modica læsione affligatur ; et quanto ad majorem complexionis æqualitatem redacta D est, tanto graviorem habet afflictionem ex rebus læsivis, præsertim ex igne. Quum enim pœna causetur in corpore et in sensibus ejus ex excellentia qualitatum sensibilium rerum et ex contrarietate earum ad sensus humanos, constat quod corpus humanum in singulis sensibus suis ineffabiliter torqueatur ex igne ac frigore infernali, et ex ceteris inferni tormentis sæpe prænominatis, in tantum quod quamvis pro multis ac magnis peccatis mortalibus A non infligeretur post vitam hanc pœna inferni nisi per unum diem, mirum quod aliquis auderet peccare. Quanta est ergo iniquorum amentia, qui pro brevibus vanitatibus ac voluptatibus se ipsos exponunt suppliciis sempiternis ?

Hinc ait Chrysostomus : Dic quanta tempora voluptatum vis comparare pœnis perpetuis. Centum (si placet) annos demus deliciis, adde et alios centum, adde et decies centum : quæ horum erit comparatio et compensatio ad æternitatem ? Nonne B omne tempus vitæ hujus quo quis deliciis fruitur, quasi unius noctis somnium est ad æternitatis respectum ? Nonne deliciæ transeunt velut umbra, et celerrime fugiunt tanquam nubecula, sed pœnæ æternaliter manent ? Etiamsi æquale tempus et spatium esset repositum deliciis ac tormentis, quis esset tam amens et fatuus, qui pro uno die deliciarum vellet subire unum diem pœnarum tantarum, quum dolor horæ unius ducat in oblivionem delicias omnium præteritorum dierum ?

Adverte, o homo, quantæ angustiæ, quantæ calamitates atque formidines circumdabunt animam tuam mox ut de corpore exierit, quam modo carnalibus desideriis et immundis deliciis insipientissime subdis, quam delicate ac molliter tractas. Cur non advertis quod Dominus loquitur, Qui amat animam suam, perdet eam, et *Joann.* XII, 25. qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam ? Qui enim carnaliter amat eam, peribit ; qui vero salubriter odit ipsam, refrenando ipsam et castigando, æternam meretur salutem. Considera quam ingens formido vallabit eam, dum corpore derelicto, dimissisque omnibus caris, amicis ac sociis, domesticis et propinquis, cum quibus jam familiariter et delectabiliter conversaris, regionem intrabis ignotam, et obviabunt tibi teterrimi, malignissimi crudelissimique tortores, accusatores et illusores ; qualiter accusabunt te Judici, moxque ut fueris adjudicatus tormentis, in momento, in ictu oculi rapient te ac pœnis immergent.

Hæc provide et cordi tuo inscribe. Et sicut A nutrix volens puerum ablactare, superponit sinapium aut simile quid amarum uberibus suis, quatenus infans gustata amaritudine dissuescat ubera quærere ; sic horum memoriam et horrorem, considerationem divini judicii ac æterni supplicii imprimamus fortissime mentibus nostris, quatenus quotiescumque tentatio voluptatis, concupiscentia carnis, amor peccandi pulsaverit nos, protinus ex horum memoria, consideratione et horrore, a vitiis revocemur et omni tentationi efficaciter B reluctemur.

Itaque non sit fides nostra quasi dormiens et obscura, sed vivax et clara, ita ut hæc tam fructuose pensemus ac si ea intuiti atque experti essemus, sicque pœnitentiæ opera strenue impleamus. Verum, ut ita agamus, commemoranda sunt quædam exempla eorum qui præfata viderunt et experti fuerunt supplicia.

Recitat autem S. Gregorius in libro Dialogorum, de quibusdam personis hujusmodi, præsertim de monacho virtuoso, C nomine Petro, qui ex gravi infirmitate defunctus, fuit resuscitatus, et retulit se varia ac horrenda vidisse genera tormentorum, et loca incendiorum innumera. Quumque quidam vellent eum in tormenta illa præcipitare, apparuit angelus sanctus hoc fieri prohibens, et dixit defuncto : Redi, et quomodo de cetero debeas conversari, prudentissime pensa. Qui reductus ad corpus, tantis se vigiliis, jejuniis, fletibus, orationibus castigavit, ut eum vidisse inferni tormenta conversatio testaretur, D etiam si lingua sileret. Qui et quosdam potentes sæculi hujus in illis suppliciis se conspexisse asseruit.

Refert et Beda de milite quodam defuncto, ex divina pietate resuscitato, qui ex tormentis quæ vidit compunctus ac territus, ad desertum confugit, ubi juxta flumen quoddam cellam construxit : in quo flumine se frequenter vestitus volvebat, vestesque suas usque ad carnem suam congelari permisit, ac paulo post calidissimum introiit balneum, quatenus ex contrariarum variatione et successione pœnarum durius pateretur. Qui ab aliquibus reprehensus et interrogatus quare hoc faceret, dixit : Majora his faceretis, si vidissetis quæ vidi. Sicque usque ad mortem in suæ conversationis rigore permansit.

Sic et Anselmus recitat de sacerdote adultero, qui quum navim intrasset tanto commisso facinore, a dæmonibus est ejectus, submersus ac variis pœnis dire vexatus. Tertio autem die a beatissima Virgine liberatus, eo quod Matutinas ejus cœpisset legere quando dæmones eum demerserunt, meritis ac precibus sacratissimæ Virginis ad corpus reductus est, et factus eremita, rigorosissimam duxit vitam.

Horum ergo exemplis ad peragendum condignos pœnitentiæ fructus provocemur.

ARTICULUS XLVII.

De acerbitate pœnarum purgatorii et inferni, ex revelationibus fide dignis fidelium personarum.

TESTIMONIA *tua, Domine, credibilia facta sunt nimis.* Ps. XCII, 5.

Quemadmodum incomprehensibilia sunt ea quæ fides tenet catholica, sic Deus omnipotens per evidentissima signa veritatem eorum copiosissime demonstravit. Nec verum est quod in libro Sapientiæ impii dicunt : Non est qui agnitus sit reversus ab inferis. *Sap.* II, 1. Multi namque et quasi innumerabiles sub evangelica lege sunt resuscitati a morte, qui mira dispensatione divina, verbo et opere sunt testati se vidisse ac etiam sensisse atque ad tempus sustinuisse pœnas purgatorii aut inferni.

Horum unus exstitit religiosus quidam in Anglia, qui a die Cœnæ usque ad Vesperam sabbati Paschæ raptus fuit in spiritu, et reversus ad se mirabilia ac terribilia multa narravit quæ vidit : cujus visionis historiam descripsit non solum quidam notabilis religiosus, sed etiam reverendus

pater dominus Petrus, abbas Cluniacensis. A Itaque Frater ille post diuturnam et copiosam visionem ad se reductus, inter cetera ait :

Ibamus ductor meus (videlicet S. Nicolaus) et ego per viam planam, quousque pervenimus in regionem spatiosam, visu valde horrendam, in qua fuit multitudo innumerabilis, inenarrabilibus suppliciorum immanitatibus exposita, tamen tandem ab illis suppliciis liberanda, quia non erant damnati. Hi omnes gemebant, flebant et ejulabant. Innumerabiles pœnarum B species vidi ibi. Hi enim ad ignem torrebantur, hi in sartagine frigebantur, hi unguibus igneis sulcabantur usque ad dissolutionem compagum ; alii puniebantur in balneis, confectis ex pice et sulfure aliisque liquaminibus, ex ære, plumbo aliisque metallis, cum fœtore horrendo; quosdam vermes monstruosi dentibus venenatis rodebant ; alii aliis tormentorum atrocissimis generibus cruciabantur. Eos vero qui præfuerunt, vidi duplici dolore torqueri. Testis mihi est Deus, quia si C viderem quempiam hominum qui me et omnes caros meos omnibus damnis atque injuriis quæ homini in vita hac possunt irrogari, imo et morte affecisset, illis suppliciis deputandum, millesies (si fieri posset) pro eo temporalem mortem subirem, quam tantis suppliciis eum tradi permitterem, ita mensuram et modum doloris et angustiæ, amaritudinis et miseriæ excedunt quæcumque vidi ibidem.

Post hæc ad secundum tormentorum locum devenimus, et vidimus profundissi- D mam vallem, in qua erat flumen amplitudine altissimum, quod nebulam indicibilis exhalabat fœtoris. Erat quoque in ea rogus, qui videbatur usque ad cœlum pertingere. Atque ex alia parte fuit tanta immanitas frigoris, ut nil pœnalius eo me conspexisse putaverim. Ibi erant innumerabiles animæ, quæ nunc in flumen illud fœtidissimum mergebantur, nunc inde erumpentes, ignibus involvebantur, ac inde exeuntes, asperrimis frigoribus tradebantur. Et pœnæ loci istius graviores fuerunt tormentis loci prioris: tamen et pœnæ istæ purgatorii erant.

Post hæc venimus ad tertium purgatorii locum, qui ultra quam mente concipi potest, horribilis exstitit et pœnalis : imo nulla lingua exprimere posset minima loci illius supplicia. Venimus ergo ad maximum campum, quem operiebat chaos horrendum, cui admixtus fuit fluvius sulfureus immensi fœtoris. Nebula quoque et flamma instar picis nigerrima spargebatur confuse per campum. Planities autem campi scatebat multitudine vermium, sicut area domorum solet juncis operiri. Vermes illi super omnem æstimationem erant horribiles, monstruosi, deformes, rictu pavendi, et naribus ignem exsecrabilem exspirantes : qui turmas miserorum voracitate insatiabili lacerabant. Et super miseros illos dæmones cursitabant, ac more insanientium sæviebant in eos, atque nunc per ferramenta ignita eos frustatim per singula membra truncabant, nunc omnem carnem usque ad ossa funditus abradebant, nunc igni injectos liquefaciebant velut metalla. Parum est, testor Deum, imo tanquam nihil, quidquid dicere nitimur de pœnis loci illius. In brevissimo enim temporis spatio intuebar eos centum vel amplius pœnarum diversitatibus quasi annihilatos, et mox restauratos, et iterum fere in nihil redactos, ac rursus reintegratos. Tantus fuit fervor atque edacitas ignis illius, ut tepidum crederes [in comparatione illius] omne incendium hujus mundi. Vermes quoque dirupti ac mortui et per frusta comminuti sub infelicibus cumulatim jacebant, qui fœtore exsecrandæ putredinis in tantum cuncta replebant, ut fœtulentia illa omnem prædictarum pœnarum excederet cruciatum. In his pœnis præcipue torquebantur qui rei erant sodomitici sceleris, quos monstra ingentia et ignita, visu horribilia, jugiter impetebant, et eos quamvis maxime renitentes, sibi misceri cogebant abominabili genere abusionis : inter quorum nefandos com-

plexus miserrimi illi præ dolore nimio palpitabant, rugiebant et ululabant tanta vociferatione, ut putares totum mundum audire.

In his tormentis inveni quemdam mihi in sæculo olim notum, Decretorum doctorem famosum, ab omnibus in mundo hoc honoratum : cui vehementer condolens, interrogavi eumdem an speraret se aliquando misericordiam consecuturum. Qui respondit : Væ, væ, væ, scio quod ante diem judicii veniam non obtinebo ; an autem tunc, incertum habeo[1] : nam pœna mea quotidie augmentatur. Et de mille generibus tormentorum quæ quotidie sustineo, nihil me ita excruciat sicut infelix repræsentatio sodomitici criminis mei, quo in præsentia omnium hic exsistentium illudi compellor : quoniam ultra indicibilem supplicii mei vehementiam premor et spernor intolerabili confusione, dum in conspectu omnium de tali ac tanto flagitio exsecrabilis fio. Væ, væ, quis unquam crederet gloriam et favorem quibus in mundo cunctis eram conspicuus, tanta contemptibilitate ac ignominia permutandos ? Quæ quum diceret, vidi eum pœnis innumerabilibus cruciari, et ipsis cruciatibus velut in nihilum redigi.

Insuper, in primo loco pœnarum præfato vidi rectorem cujusdam religiosæ congregationis, et erat in maximis loci illius

A tormentis, et nunc in igne, nunc in balneis fœdis sulfure et pice mixtim ferventibus gravissima tolerabat supplicia. Qui interrogatus a me cur talia sustineret, respondit : Potius propter peccata subditorum meorum quam propter peccata propria sustineo ista. Propria enim peccata crebra confessione, disciplinarum perceptione, orationibus assiduis et aliis pluribus modis redimere et castigare consuevi. Subditis vero non adhibui debitam disciplinam ex quadam vana formidine ne meo priva-
B rer primatu ex resistentia eorumdem. Idcirco pœna mea augetur quotidie, quia illorum peccata quæ ex mea negligentia adhuc quotidie incidunt, in me redundant, nec aliquem finem pœnarum mearum agnosco. Minima supplicia, et quæ pro levibus culpis, ut pro risu immoderato, pro verbo otioso, pro cogitatione inani, infligebantur, mihi valde gravia videbantur.

Vidi ibi quosdam prunas ardentes indesinenter in ore revolvere, et in hoc miserabiliter cruciari pro eo quod herbas aut
C species aut arborum fructus sumpserunt voluptatis amore.

Vidi ibi militem quemdam, qui diversa et magna tolerabat supplicia : qui avem quamdam niso similem pugno portabat, et conquerebatur quod avis illa rostro suo et unguibus manum suam pœnaliter lacerabat, quia in ludo rapacium avium, per

[1] Ex verbis istis et pene similibus quæ subsequuntur : « Idcirco pœna mea augetur quotidie, quia illorum peccata quæ ex mea negligentia adhuc quotidie incidunt, in me redundant, nec aliquem finem pœnarum agnosco », nonnihil invidiæ, ut p. 495 jam notavimus, incurrit libellus ceterum optimus. Ut ergo cunctis perspicuum sit auctorem in præsenti articulo, sicut et in duobus sequentibus, nil de suo promere, nec propriam edere sententiam, libet ex ampla Anglicani monachi relatione quam in publico proposuerunt Analecta Bollandiana (tom. VIII, p. 225-319) ipsissimum referre locum ad quem alluditur : « Itaque licet quantum potui que ibi fiebant refugerem intueri, unius tamen clerici quem olim videram non potui effugere mutuam agnitionem... Clericum hunc olim in pueritia michi notum post autem a provincia qua degebam remotius separatum obiisse nescivi. Quamobrem talibus eum in penis reperiens duplici admiratione intuebar, quia et vivum adhuc et semper eum honestum putaveram virum. Nimium autem miserans calamitatis pondus infinitum quo premebatur, inquirebam utrum misericordiam se aliquando consecuturum speraret. Qui respondens « Ve ! » inquit, « Ve ! ve ! scio, scio quia citra diem judicii misericordiam omnimodam non merebor ; an autem vel tunc incertum habeo. Semper enim ex quo in hec mala devolutus sum, deterioratur pena mea de pessimis ad peiora me trahens. » Cui ego : « Et quare vel in extremis non es confessus peccata tua, nec egisti penitentiam ? » Et ille : « Quia spem », inquit, « habebam recuperandi sanitatem, et fallente diabolo erubui tam turpe facinus confiteri, ne despectior inter eos haberer in quibus male splendidus apparebam et gloriosus. Levia enim queque peccata confessus sum venerabili presbitero quem et tu nosti, et interroganti an aliorum michi conscius essem peccatorum, precepi ut tunc quidem abiret, et iterum si quid occurrisset memorie sibi intimarem. Quo recedente jam et vix usque ad capellam que vicina est domui in qua

quas cepit alias aves, consuevit nimium A delectari.

Vidi etiam ibi episcopos gravissimis affligi tormentis, quorum supplicia quotidie augebantur ex peccatis subditorum quos male rexerunt, nec eos debite corripuerunt et correxerunt. Denique, qui tali conditione torquebantur, communiter erant incerti an finaliter salvarentur, et quasi desperabiliter fluctuabant : qui in tormentis suis nihil reputabant ita pœnale sicut incertitudinem indulgentiæ tandem percipiendæ ; nec aliquid sic [aliorum] mitiga- B bat dolores ut certa remissionis obtinendæ fiducia. Desperatio namque universis cruciatibus quos vidi plus cruciat, cunctis angustiis magis angustat, et omnibus pœnis amplius gravat.

Insuper, sacerdotes qui de sua incontinentia fuerunt confessi, sed satisfactionem non impleverunt, vidi innumeris atque immensis affligi ardoribus ac tormentis. Quumque mirarer quod tam pauci sacerdotes essent in purgatorii pœnis, respectu eorum qui ubique terrarum castimoniam C polluunt, responsum est mihi, quod ideo ibi paucissimi erant, quia vix aliquis talium veram habet contritionem : idcirco pene omnes hujusmodi æternaliter condemnantur.

Præterea, quid de magnorum vitiorum suppliciis dicam, quum et bonos religiosos viderim valde amara pati tormenta, eo quod consueverint gloriari manuum suarum decore ac productiorum digitorum nitore ?

Vidi etiam ibi quemdam potentissimum regem ineffabilibus affici pœnis. Sed et episcopum quemdam ibi in tormentis conspexi, qui in abscondito interioris hominis fuerat multum religiosus ac pure devotus, corpus suum asperrimo domans cilicio, et aliis cruciatibus, jejuniis, disciplinis, vigiliis se macerans in sæculo isto. Cui et copiosa erant in cœlis reposita præmia ; per quem etiam Dominus post mortem ipsius fecit quædam miracula : et tamen adhuc in pœnis erat, quia in suo officio per negligentias quasdam Deum offendit. Religiosos autem, abbates et abbatissas, qui circa cognatos et affines sensuali erant amore affecti, vidi graviter cruciari.

Hæc pauca ex libello visionis Anglicanæ sumpta, evidenter ostendunt quam acerba et aspera purgatorii sint tormenta. Quæ ut effugere valeamus, actibus pœnitentiæ insudare et coram Deo semper solliciti ambulare non negligamus.

ARTICULUS XLVIII.

De pœnis purgatorii S. Patritii.

Q*UOD scimus loquimur, et quod vidimus testamur.* Joann. III, 11.

Si, ut ait Scriptura, in ore duorum aut *Deut.* XIX, 15.

decumbebam progresso, mori incipiebam. Ille a ministris reaccersitus, iam me invenit hominem exuisse. Nichil autem de mille penarum generibus quas omni die perfero sic me excruciat quomodo infausta erroris mei quo tenebar in seculo representatio, qua cogor actualiter turpitudini antique passionis deservire ; preter supplicii enim indicibilem vehemenciam, confusione intolerabilius premor, cum in conspectu omnium de tali et tanto flagitio execrabilis fio. Ve ! Ve ! quis unquam crederet gloriam et favorem, quibus conspicui inter homines habebamur, tanta contemptibilitate et ignobilitate permutandos. Unde et permaxime confundor, quia fedus cunctis intuentibus ostendor, qui omnibus apparebam gloriosus. » Hec ille cum nimia eiulatione profatus est. In momento autem dum miseriam tanti quondam viri in magno animi stupore admiror, innumeris eum modis vidi excruciari, et ipsis cruciatibus velut in nichilum redigi et instar plumbi in liquidum quid per vim caloris dissolvi. » (*Analecta Bollandiana*, tom. XXII, p. 276.) — Quocirca scite notaverunt clarissimi editores : « Hæc sententia, nempe quibusdam animabus in Purgatorio detentis de sua salute non constare, non solum apud Dionysium (Cartusianum) reperitur, sed et apud S. Birgittam (*Revel.* lib. IV, c. 8, et lib. VI, c. 39), Gersonem (lect. I *de Vita spirituali*), Susonem (*De Novem Rupibus*, c. 22), aliosque ; immo recrudescit, ut videtur, in revelationibus B. Mariæ Margaretæ Alacoque. (Cf. Causam beatificationis in *Analectis juris Pontificii*, serie IX, p. 157 et seq.) Ibid. p. 230. — Quibus tamen non obstantibus, propter hunc et alios ejusmodi locos, quandoque ex decreto S. Congregationis Indicis prohibitum fuisse perhibetur ne hic Dionysii libellus lingua vulgari ederetur. (Ibid. p. 276). Sed hæc de præfata controversia sufficiat modo tetigisse, quæ postea, Deo dante, suo loco fusius ventilabitur.

trium testium stabit omne verbum, quanto A magis in ore plurimorum? Itaque veritatem eorum quæ credimus de suppliciis purgatorii ac inferni, Deus gloriosus et sanctus non solum nobis patefecit in divinis Scripturis, et visionibus quorumdam fidelium factis in raptu et ecstasi atque imaginaria apparitione, sed et per contestationem resuscitatorum a morte ; neque per hæc tantum, sed et per corporalem et exteriorem intuitum aliquorum in carne viventium : quemadmodum in historia ac legenda sancti continetur Patritii. Qui quum B prædicaret Hibernis, nec eos per miracula neque per comminationem futurarum pœnarum nec per promissa cœlestium gaudiorum posset convertere, dicentibus ipsis Hibernis se nunquam credituros, nisi aliquis eorum ipsa tormenta impiorum et gaudia electorum conspiceret; tunc Dominus monitis et precibus B. Patritii monstravit ei locum, fossam seu puteum, per quem intraretur in purgatorium quoddam: in quod aliqui intraverunt, nec redierunt ; aliqui vero ingressi, fuerunt regressi, qui C scilicet constantes manserunt in fide, in omni quæ eis evenit tentatione ac pœna. Et quia historia illa de purgatorio S. Patritii est vulgata et nota, non intendo multa narrare de ea. Consonat autem his quæ ex visione Anglicana præcedenti articulo sunt relata. Insuper, quæ in Aurea legenda Sanctorum de purgatorio recitantur eodem, concordant cum istis.

Breviter autem tangendo, prout in tractatu de purgatorio illo describitur, temporibus S. Patritii introierunt quamplures D purgatorium illud : qui reversi, unanimiter sunt testati se gravissima ibi vidisse ac sustinuisse tormenta; quorum contestationes multum roboris ac fidei præbuerunt prædicationibus Patritii sancti.

Postmodum miles nomine Egneius purgatorium illud ingressus, primo a dæmonibus in ignem validissimum est projectus ; sed nomine Jesu Christi invocato, protinus est ereptus. Deinde a dæmonibus tractus fuit ad campum latissimum, omni dolore atque miseriis plenum, in quo erant innumerabiles homines utriusque sexus ac diversæ ætatis, nudi et in terram prostrati, ventre humo adhærente : qui omnes clavis ferreis et ignitis in terram transfixi extendebantur ; inter quos et super quos dæmones percurrebant, et flagris acerrimis miseros lacerabant. Quumque supplicia illa militi tentarent inferre, ille Christo invocato evasit.

Quem consequenter traxerunt ad alium campum majori miseria plenum, in quo, sicut et in præcedenti campo, innumerabiles erant resupini jacentes : super quos sedebant dracones igniti, qui miseros comedere videbantur ac lacerare. Aliorum colla vel brachia totave corpora serpentes circumcingebant, et capita sua miserorum pectoribus imprimentes, ignitum oris sui aculeum ipsorum cordibus infigebant. Bufones quoque miræ magnitudinis ignei super quorumdam pectora residebant, suaque rostra deformia eis infigentes, corda illorum quasi extrahere nitebantur ; quos etiam dæmones flagris durissimis affligebant.

Inde traxerunt militem ad tertium campum, qui hominibus diversæ ætatis et sexus plenus erat, qui omnes a summo capitis usque ad digitos pedum ita erant clavis perfossi, ut in eorum corporibus nullus locus vacuus appareret; qui nec vocem emittere poterant, nisi instar laborantium in extremis; vento quoque frigido et urente flagrisque dæmonum torquebantur.

Post hæc in quartum campum militem protrahebant : qui campus ignibus plenus fuit, et omni genere tormentorum ; in quo quidam catenis igneis suspendebantur per pedes, quidam per manus, alii per capillos, nonnulli per brachia, quidam per tibias : quorum omnium capita erant ad ima versa atque sulfureis flammis immersa. Alii super ignem pendebant, uncis ferreis fixis in oculis vel auribus aut naribus seu faucibus aut mamillis vel pudendis eorum. Alii in fornacibus sulfureis cremabantur ; alii super sartagines urebantur ; alii veru-

bus transfixi igneis, assabantur ad ignem; alii liquefactis potabantur metallis. Omnia genera tormentorum quæ excogitari queunt, erant ibidem. Ejulatus et clamores universorum illorum quos ibi audivit, nec lingua exprimere nec sensus potest mortalium cogitare.

Tandem venerunt in domum magnam, latam atque longissimam, horribiliter fumigantem: cujus pavimentum fuit plenum fossis rotundis, quæ erant impletæ metallis diversis ferventibus et ignitis liquoribus; in quibus non modica hominum puniebatur multitudo, et erant immersi balneis illis alii magis, alii minus.

Sicque per diversa pœnalissima, sulfurea, frigidissima, fœtidissima ac horribilia loca militem pertrahentes, venerunt ad flumen magnum et fœtidum, super quod pons erat a ripa in ripam, qui lubricissimus erat ut glacies, strictusque valde, ut in eo vix posset quis figere gressum, atque in tantam altitudinem protendebatur, ut horribile esset oculos ad eum erigere: quem miles, Christo invocato, cum firma fide cœpit incedere; et quo altius processit, eo pontem reperit latiorem. Quem quum dæmones vidissent pontem libere pertransire, tantis clamoribus aerem concusserunt, ut horror illius clamoris intolerabilior videretur militi cunctis quas ante sustinuit pœnis.

Sicque pertransito ponte, ostensa sunt ei gaudia Beatorum: quibus visis purgatus a vitiis, ad homines hujus sæculi est reversus.

ARTICULUS XLIX.

De eadem materia ex Tondali visione.

CASTIGABO te in judicio, ut non tibi videaris innoxius; te autem non faciam in consummationem. Jer. xxx, 11.

Consonant prænarratis quæ leguntur de Tondalo milite: qui a feria quarta usque ad sabbatum jacuit quasi mortuus, nullo vitæ signo apparente in eo, nisi quod modicus calor in sinistro ejus pectore a curiose tangentibus sentiebatur. Infra quod tempus ductus ab angelo, vidit et sensit magna et acerba ineffabiliaque tormenta.

Venit ergo cum angelo ad vallem terribilem, tenebrosam, mortis caligine cooper- *Job* x, 21.
tam, ardentibus carbonibus plenam, habentem operculum ferreum, totum ignitum, spissitudinis quasi sex cubitorum, cujus fœtor ineffabiliter affligebat. Descendebat autem super ferream laminam illam multitudo miserrimarum animarum, et illic cremabantur donec instar cremii in sartagine cremati omnino liquescerent; atque (quod gravius est) ita per laminam illam colabantur, sicut colatur cera per pannum, sicque in carbonibus ardentis incendii renovabantur ad pœnas.

Post hæc venerunt ad montem miræ magnitudinis, magni horroris et vastæ solitudinis: ex cujus una parte fuit ignis putridus, sulfureus, tenebrosus; ex altera parte nix, grando et glacies, et cum grandine ventus horribilis. Affligebanturque animæ in his pœnis, et de igne sulfureo projiciebantur ad frigora illa, et vice versa de frigoribus ad flammas sulfureas. Dæmones quoque tortores habebant furcas ferreas et ignitas acutissimosque tridentes, quibus animas jugulabant et agitabant in pœnis.

Deinde venerunt ad vallem terribilem, profundissimam, caliginosam, de qua fœtor inæstimabilis erumpebat; et flumen sulfureum erat in ea, multitudo quoque infelicium animarum patientium ibi indicibiles pœnas.

Inde venerunt ad terribilem bestiam, quæ Acheron appellatur: de cujus ore inexstinguibilis ignis diffundebatur et incomparabilis fœtor; atque de ventre bestiæ audiebatur planctus et ululatus virorum ac mulierum intus dira tormenta luentium. Dixitque angelus Tondalo: De hac bestia ait Scriptura: Absorbebit flu- *Ibid* XL, 18.
vium et non mirabitur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus. Quumque angelus et anima starent ante os bestiæ, angelus repente disparuit, et mox dæmones tanquam rabidissimi canes desolatam

et flagellatam animam traxerunt in bestiæ ventrem. Qualia autem et quanta tormenta passa sit ibi, etiam si ipsa nunc taceat, in colore vultus ejus et morum conversatione monstratur. Passa namque est ibi morsus et ferocitates canum, ursorum, leonum, serpentium, et innumerabilium aliorum incognitorum animalium monstruosorum; dæmonum ictus, asperitatem frigoris, ardorem ignis, fœtorem sulfuris, ac alia multa.

Postmodum venerunt ad terribile stagnum, super quod erat pons strictus. Dixitque angelus : Per pontem istum te ire oportet; nec vacua ibis, sed vaccam indomitam tecum duces, quam compatri tuo furata es. Tunc anima plorans ait : Nunc ego miserrima quomodo potero traducere vaccam in tali periculo, ubi stare non valeo? Videns autem quod evitare non posset, accepit vaccam, et nitebatur eam ad pontem pertrahere. Vacca vero reluctabatur. Et quum staret anima, cadebat vacca; quum staret vacca, cadebat anima : sicque versa vice modo stabant, modo cadebant, donec ad medium pontem venerunt, ubi obviavit eis quidam manipulos portans, quos fuit furatus, qui rogavit animam ne pontem præoccuparet. Econtra ista rogavit ne iter quod tam laboriose pro parte complevit, sibi prohiberet. Quumque diu sic starent plangentes, viderunt se (nescientes qualiter) mutuo pertransisse. Quum autem anima pontem transisset, apparuit ei angelus eam confortans, et duxit eam ad alia horribilia loca et tormenta gravissima, omnibus pœnis præscriptis ineffabiliter acerbiora, prout in libello qui Visio Tondali nuncupatur, describitur : de quo ad vitandum prolixitatem, sufficiat hæc pauca tetigisse.

ARTICULUS L.

De eadem materia ex libello de Vita Christinæ Mirabilis.

M*IRABILIS Deus in Sanctis suis.* Ps. LXVII, 36.

Vitam admirabilis virginis Christinæ, quæ per excellentiam Mirabilis appellatur, descripsit vir litteratus, religiosus ac nobilis de Ordine Fratrum Prædicatorum, qui etiam edidit librum qui communiter liber Apum vocatur. Itaque vir ille in exordio historiæ suæ de Christina Mirabili introducit testimonium domini Jacobi Aconensis episcopi, postea cardinalis, qui de Christina hac scripsit quæ et iste vir plenius de ea conscripsit. Christina autem nata fuit in oppido S. Trudonis, vel (ut aliqui dicunt) in pago nomine Brusten, sito juxta oppidum memoratum. Recordor quoque, quod dum in pueritia frequentavi scholam in oppido illo, frequenter audivi mentionem Admirabilis illius Christinæ, atque (ut dicebatur) aliqui tunc vixerunt in S. Trudone qui noverunt nonnullos qui ipsam feminam gloriosam viderunt in carne.

Thom. Cantimpratensis.

Itaque, quum in pueritia fuisset defuncta et celebraretur Missa pro ea, repente de feretro se erexit, et trabem ecclesiæ celeriter instar avis ascendit, residens ibi usque ad finem Missæ. Fugeruntque omnes de ecclesia, ipsa sic ascendente, dempta ejus seniori sorore. Finito Missæ officio, ex adjuratione sacerdotis descendit de trabe, et ab amicis interrogata quid ei accidisset, respondit : Mox ut fui defuncta, duxerunt animam meam angeli sancti ad locum tenebrosum ac horrendum, animabus hominum plenum. Tormenta quæ ibi vidi, erant tam crudelia et acerba, ut nulla id possit lingua exprimere; et æstimante me quod esset infernus, angeli sancti dixerunt purgatorium esse. Deinde ad intuendum tormenta inferni me perduxerunt. Vidi autem in utroque loco multos mihi antea notos. Post hæc ducta sum in paradisum, ad thronum majestatis divinæ. Quumque vidissem Dominum mihi congratulantem, ineffabiliter sum gavisa, putans me ibi perpetuo permansuram. Dixitque Dominus : Revera hic mecum eris, carissima filia mea. Verumtamen optionem do tibi, an velis nunc mecum manere, an reverti ad corpus, atque in eo per opera

A pœnitentiæ satisfacere pro omnibus animabus quas in purgatorio conspexisti, et eos qui adhuc vivunt in corpore ædificare, sicque cum meritorum augmentis redire ad me. Ad quod statim respondi, me pro hac causa velle ad corpus reverti. Moxque Dominus electioni meæ congratulans, jussit me corpori reddi. Nunc ergo non perturbemini ex mirabilibus quæ estis visuri in me.

Ex eo tempore cœpit præsentiam hominum fugere, præsertim quia fœtore vitiorum hominum nimis affligebatur. B Et ascendit, volavit ac sedit frequenter super summos arborum ramos, et super altitudines ecclesiarum ac turrium. Quumque propinqui ejus putarent eam esse obsessam, et eam cepissent et cibum ei negassent, ipsa quadam vice Dominum exoravit pro refectione, et confestim ex virgineis ejus uberibus lac manavit, quo refecit se ipsam.

Deinde cœpit se in ardentes fornaces projicere, in quibus præ doloris vehementia horribiliter exclamavit, nec tamen in ea egrediente læsio apparebat. C Frequenter projecit se in ignem, vel manum aut pedem tam diu in igne tenebat, quod secundum cursum naturæ potuissent in cinerem redigi. Sæpe intravit cacabos grandes bullienti aqua repletos, usque ad renes aut ubera, et ceteris membris aquam calidissimam superfudit : in quibus pœnis clamavit velut parturiens. Sub aquis congelatis interdum mansit per sex dies continuos. Nonnunquam stetit sub rota molendini, ita quod aqua cadebat super caput et corpus ipsius etiam tempore hiemali; D atque aliquando cadebat super rotam molendini circumeuntem, nec tamen apparebat læsura in corpore ejus, quamvis instar aliorum gravissime affligeretur. In rotis reorum frequenter reflectebat crura et brachia sua, nec tamen dum descendebat apparuit in ea fractura. Inter latrones suspensos laqueo se suspendit, et pendebat suspensa duobus aut tribus diebus. Multoties intravit mortuorum sepulcra, et ibi deflevit hominum vitia. Mediis noctibus sæpe surgens, provocavit canes totius oppidi S. Trudonis ad latrandum et insequendum eam : ante quos currebat per spinas, vepres et tribulos, ita quod toto corpore vulnerabatur; et tamen quum sanguinem diluisset, nullum læsionis vestigium in ea apparuit. Sicque per se ipsam frequenter se laceravit spinis ac vepribus. Multoties, dum orando et contemplando accenderetur amore divino, totum corpus et omnia membra ejus instar ceræ liquefiebant, et in unum globum seu sphæricum corpus convertebantur, et contemplatione finita, ad pristinam formam redibant.

Ex his innotescit acerbitas tormentorum purgatorii, pro quorum relaxatione sancta hæc virgo et vere innocens mirabilisque Christina elegit in vita hac sustinere tam inaudita in hoc mundo supplicia.

ARTICULUS LI.

De eadem materia ex Revelationibus S. Brigittæ.

D*EUS inultum abire* peccatum *non patitur*. Job XXIV, 12.

Spiritualia Deus manifestat hominibus per corporalia quædam. Itaque S. Brigitta quarto libro Revelationum suarum ait : cap. 51.
Videbatur mihi quod quasi vinculum esset ligatum in capite animæ cujusdam peccatoris defuncti per modum coronæ, et stringebatur tam fortiter, quod occiput et frons animæ pariter jungebantur; oculi vero deciderunt a sedibus suis, dependentes per radices suas ad genas; crines quoque quasi ab igne combusti aruerunt; cerebrum autem rumpebatur, defluens per nares et aures; lingua etiam extendebatur, dentes comprimebantur, ossa in brachiis confringebantur et tanquam funes contorquebantur; manus vero decoriatæ ad collum alligabantur; pectus item et venter tam fortiter dorso conjungebantur, quod costis confractis cor cum omnibus exterioribus eversum mox crepuit; sed et femora pendebant ad latera; ossa autem confracta extrahebantur eo modo quo te-

nue solet filum in globum convolvi. — A Insuper, alterius animæ pœnam describens : Aures, inquit, ipsius erant quasi sufflatoria fusorum, quæ totum cerebrum cum continuo flatu commovebant ; oculi autem eversi apparebant atque immersi, et videbantur ad occiput intus esse affixi ; os erat apertum, et lingua extracta per aperturas narium, et dependebat ad labia ; dentes erant quasi ferrei clavi palato affixi ; brachia erant tam longa, quod pertingebant usque ad pedes ; manus ambæ videbantur comprimere quamdam pinguedinem cum pice ardenti. (cap. 7.)

Ecce per miserabiles atque horribiles istas apparitiones in imaginaria visione monstratas designabantur inæstimabilia animarum illarum supplicia, quæ tamen damnatæ non erant. Alia multa horrenda leguntur in Revelationibus Brigittæ sanctæ, qualiter animæ inferno adjudicatæ maledixerunt Creatori suo, parentibus ac ceteris quorum obsequio ad adultam pervenerunt ætatem.

Postremo pensandum, quod sicut corpora electorum hominum post diem judicii erunt pulcherrima, impassibilia, subtilia et agilia, sic corpora iniquorum erunt turpissima, passibilia, grossa et tarda, ponderosa, fœda ac fœtida.

ARTICULUS LII.

Quod mali Christiani multo acerbius torqueantur in inferno quam infideles.

T*EMPUS est ut incipiat judicium a domo Dei.* I Petr. IV, 17.

Legitur tertio libro Vitaspatrum, quod dum sanctus pater Macarius ambularet in eremo, invenit caput hominis jacens in terra. Et dixit ad caput : Quis es tu ? Responditque caput : Ego fui sacerdos gentilium, tu vero es abbas Macarius, Dei amicus, qui habes Spiritum Sanctum ; et quantum distat cœlum a terra, tantum est ignis sub pedibus nostris et super caput nostrum. Stantibus autem nobis in medio ignis, unus non conspicit alium. Et ait senex cum fletibus : Væ homini qui transgressus est præcepta Dei. Et dixit ad caput : Est in inferno aliud gravius tormentum ? Respondit caput : Majus tormentum subtus nos est. Et ait senex : Qui sunt in eo ? Dixit caput ad eum : Nos gentiles, qui ignoravimus Deum, habemus modicæ aliquid misericordiæ ; hi vero qui cognoverunt Deum, et non vixerunt secundum voluntatem ipsius, subtus nos sunt et gravius puniuntur. Quibus dictis, sepelivit senex caput illud.

B Itaque, quanto Christiani magis agnoscunt Dei præcepta, eo gravius peccant, et acerbiorem damnationem recipiunt. Iterum, quo plura ac majora a Deo beneficia sunt sortiti, eo damnabilior est eorum ingratitudo atque transgressio. Cui enim plus datum est, plus requiretur ab eo. Præsidentium quoque male viventium, et eorum qui alios scandalizant, gravissima erit damnatio, imo et tot æternis damnationibus digni sunt, quot homines scandalizant. Hinc, sicut in libro de Obitu S. Hie- (Luc. XII, 48.)
C ronymi recitatur, unus trium defunctorum meritis S. Hieronymi a morte resuscitatorum, post suam resuscitationem dixit B. Cyrillo episcopo : Tantum differt in inferno inter cruciamenta iniquorum Christianorum et paganorum, ut paganorum tormenta respectu eorum quæ falsi et impii sustinent Christiani, sint quasi nulla : quanquam omnino ineffabilia et magna sint, et a viventibus incogitabilia. Et dignum est : quoniam pravi Christiani gratiam Dei receperunt in vacuum, nec volu-
D erunt a peccatis corrigi dum vixerunt, et exhortationes Scripturæ reputaverunt pro nihilo.

ARTICULUS LIII.

De acerbitate pœnarum purgatorii et inferni ex his quæ leguntur in libro de Obitu S. Hieronymi.

S*I Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent* ei. Luc. XVI, 31.

Ista sunt verba quæ, ut Filius Dei testatur, Abraham patriarcha dixit diviti epuloni damnato. Denique, quam vera sint verba hæc, docet experientia. Videmus namque quod Christiani vitiose viventes nec Scripturis acquiescentes, non acquiescunt nec efficaciter credunt verbis ac testimoniis et doctrinis eorum qui resurrexerunt a mortuis : quemadmodum etiam Annas et Caiphas ac obstinati eorum consortes non crediderunt his qui resurrexerunt cum Christo, et venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. *Matth.* XXVII, 52, 53.

Itaque S. Cyrillus episcopus in epistola quam misit B. Augustino de miraculis gloriosi Hieronymi, refert qualiter meritis electi Hieronymi fuerunt a morte resuscitati tres viri, qui mox ut resuscitati sunt, cœperunt beatarum gaudia animarum pœnasque peccatorum tam purgatorii quam inferni clara voce omnibus prædicare. Sanctus enim Hieronymus duxerat eos secum in paradisum, purgatorium et infernum, ut quæ ibi fiebant patefacerent universis.

Narrat ergo Cyrillus antistes in præfata epistola : Quadam vice ad unum trium illorum ivi : quem dire lacrimantem inveniens, interrogavi cur in tantum lugeret. Qui ex verbis meis nullam consolationem admittens, et sæpe interrogatus, nec tamen ad interrogata respondens, tandem mea importunitate victus, respondit : Si scires quæ pridem expertus sum, jugiter fleres. Quales enim pœnas credis esse paratas non solum damnatis, sed etiam in purgatorio exsistentibus? Ad quod ego : Puto quod majores sint pœnis præsentis vitæ. Et ille : Si omnes, inquit, quæ in mundo sunt pœnæ, tormenta et afflictiones comparentur minori pœnæ quæ illic habetur, velut solatia apparebunt. Mallet namque viventium quilibet, si illas per experientiam nosceret, omnibus pœnis his simul sine remedio cruciari usque ad finem mundi, quas omnes homines ab Adam usque in præsens sigillatim perpessi sunt, quam uno die in inferno aut purgatorio

A affligi minori pœna quæ ibi habetur. Idcirco causa fletus mei est timor pœnarum quæ peccatoribus juste debentur. Scio quippe me peccasse in Deum, quem justum esse non dubito. Non ergo mireris si ploro, sed potius admirare cur homines, qui se esse mortales agnoscunt, tanta hic vivunt securitate, neque verentur pœnas illas incidere, neque solliciti sunt qualiter eas possint evadere. Insuper, tanta pœna est dæmones intueri, quod unusquisque mortalium potius se præberet ardentibus B flammis arsurum, quam in ictu oculi formas illorum vellet inspicere, quorum formis nil pœnosius, nil horribilius potest excogitari. Anima quoque mea tam pœnaliter et acerbe separabatur per mortem a corpore suo, quod certe quantæ fuerint illæ pressuræ atque angustiæ intellectu non caperet mens humana, nisi ut ego per experientiam didicisset.

Ecce ex his ostenditur veritas prædictorum. Si ergo nec summi boni amore neque desiderio felicitatis æternæ volumus C vitia declinare et vitam aggredi virtuosam, saltem pœnarum istarum formidine studeamus corrigere vitam, fugere voluptatem, vana odire, omnipotentique Domino cum metu et reverentia deservire.

ARTICULUS LIV.

Qualiter intelligenda sint ea quæ tacta sunt ex visionibus prænarratis de suppliciis animarum in purgatorio et inferno.

D

CORPUS quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Sap. IX, 15.

Ea quæ dicta sunt ex visione Tondali et monachi Anglicani, ac aliorum quorumdam, posset quis prudentium sæculi hujus forsitan irridere magis quam credere, quod scilicet affirmabant se vidisse animas defunctorum torreri in igne, assari in verubus, excoriari, membratim conscindi,

decapitari, frigoribus affici, fœtoribus cruciari, bufonibus draconibusque torqueri et operiri, ac consimilia corporalia tormenta pati, quum tamen animæ separatæ sint incorporales substantiæ et spiritus simplices, carnem, ossa et pellem in natura proprie non habentes.

Est igitur advertendum, quod Deus omnipotens vere, realiter ac pœnalissime affligit animas defunctorum ac dæmones igne corporeo; sed qualiter hoc fieri queat, doctores diversi super quartum Sententiarum diversimode assignant, quemadmodum in opusculo de Particulari judicio quod fit in obitu singulorum, diffuse narravi: ubi et declaravi qualiter intelligendæ sint visiones Tondali et monachi Anglicani, et ea quæ de purgatorio leguntur S. Patritii; longumque valde esset jam illa hic iterare.

dist. XLIV.

art. XVI et s.

Breviter vero tangendo, simpliciter est tenendum quod animæ et dæmones vere atque dirissime affliguntur ab igne. Modus vero quo id fit, a nobis in vita hac comprehendi non valet, sed ex his quæ naturaliter fiunt ac supernaturaliter, declarari aliqualiter potest. Constat enim quod anima rationalis, quamvis sit incorporalis intellectualisque forma, naturaliter tamen corpori grosso unitur et vivificat illud, ita quod corporeæ passiones redundant in animam, et eam vere affligunt etiam quoad vires ejus superiores, quamvis hujusmodi passiones magis proprie adscribantur supposito. Sic supernaturaliter per omnipotentiam Creatoris animæ defunctorum ac dæmones ita possunt uniri igni et aliis rebus corporeis, sicut punibile conjungitur punienti: sicque ineffabiliter dire torquentur a rebus illis, non in quantum res illæ sunt naturalia agentia, sed ut sunt divinæ justitiæ instrumenta. Et quamvis incorporales essentiæ non calefiant neque frigescant eo modo quo entia materialia in hoc mundo, nihilo minus vere et ineffabiliter, imo et incomprehensibiliter affliguntur calore et frigore, et aliis rebus corporeis. Quemadmodum enim certissime constat et experientia frequenter edocuit, animæ adhuc exsistentes in suis corporibus, acerrime sunt afflictæ ex intuitu, imaginatione et impressione corporalium rerum, ut ignis et frigoris horribiliumque brutorum, aut similitudinum rerum illarum, et hoc in somno vel raptu, seu abstractione et alienatione ab omni sensu et motu corporeo: quod et quibusdam in vigilia contigit, id est, non in somno, sed in abstractione quæ in vigilia cœpit, prout ex exemplis ante recitatis est manifestum. Et si hoc naturaliter fieri potest, et interdum supernaturaliter factum est, certissime innotescit quod per omnipotentiam Dei possunt animæ defunctorum ac dæmones a corporalibus rebus affligi, et igne frigoribusque torqueri, et tanto intensius quanto subtilius ac spiritualius: quemadmodum etiam virtute divina sacramenta Ecclesiæ agunt in animam.

art. XLVII et s.

Præterea, de Tondalo probabilius reputatur, quod in tota ejus visione anima ejus mansit in corpore, atque in imaginaria visione vidit et sensit ea quæ de ipso narrantur: unde in libello de ipsius visione edito legitur, quod modicus calor sentiebatur a palpantibus in pectore ejus. Tamen propter vehementem abstractionem et alienationem animæ suæ a corpore, sibi ipsi apparuit quod anima sua fuit a corpore realiter separata. Nec hoc incredibile est de Tondalo, quum et S. Paulus de suo loquens raptu: Sive in corpore (inquit), sive extra corpus, nescio, Deus scit. Porro de monacho Anglicano evidenter probatur quod tota ejus visio fuit imaginaria, et anima ejus in corpore remanente: quia in ejus corpore evidentia vitæ signa apparuerunt. His ergo et consimilibus monstrata sunt animarum in purgatorio aut inferno detentarum supplicia sub imaginibus et similitudinibus corporalium rerum, secundum quod utilius capere poterant, et reversæ ad corpus, id est ad pristinum usum sensuum, salubrius recitare viventibus, quibus spiritualia per corporalia de-

II Cor. XII, 2, 3.

clarari oportet. Idem quoque videtur dicendum de his qui in libello de Purgatorio S. Patritii leguntur corporalibus oculis conspexisse animarum tormenta.

Qualiter autem defendi posset quod anima Tondali fuerit separata a corpore in visione ipsius, in præfato scripsi libello; sed verius reor quod fuit in corpore. Unde et Augustinus in libro de Cognitione veræ vitæ, respondit discipulo interroganti : Nonne legitur quod sæpe multæ animæ de corpore eductæ viderint multa loca pœnalia, amœna quoque ac florida loca, et multas animas in utrisque, atque ad corpus reversæ retulerint se multa audisse ab illis? Ad hoc, inquam, beatus doctor Ecclesiæ Augustinus respondet : Sciendum quod animæ hæ non penitus corpus reliquerant, sed sensus tantum corporeos suis destituerant officiis, corpus autem non ex toto vitali caruit spiritu : hinc ea quæ audierant, non res corporeæ, sed similitudines corporearum rerum erant, quas reversæ viventibus in corpore retulerunt. Insuper duodecimo super Genesim loquitur Augustinus : Non video cur habeat anima similitudinem corporis sui, dum jacente corpore sine sensu, non tamen penitus mortuo, vidit talia qualia multi ex illa subductione seu alienatione vivis redditi narraverunt, et non habeat similitudinem illam, dum perfecta morte penitus de corpore suo exierit. Hujusmodi autem similitudines dicitur anima separata habere secundum quod inspicit eas.

art. XXIX.

Hæc pauca hic breviter tetigisse sufficiat, de quibus in præfato tractatu de Particulari judicio plenius est conscriptum.

ARTICULUS LV.

De quarto novissimorum, scilicet de gaudiis cœlorum.

JESUM Christum *quum non videritis, diligitis : in quem, nunc quoque non videntes, creditis ; videntes* autem exsultabitis lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.* I Petr. I, 8, 9.

* credentes

Hæc sunt verba beatissimi principis Apostolorum, sanctissimi Petri, in prima sua epistola. In quibus verbis collaudat fideles primo de hoc quod Jesum Christum, quem corporaliter non viderunt, diligunt; secundo, quod credunt in eum, quem non viderunt clare per speciem. Deinde tangit hujus dilectionis ac fidei fructum, quod scilicet videntes Jesum Christum clare in semetipso, gaudebunt inenarrabili et felici jucunditate, recipientes finem, fructum ac præmium fidei suæ ac caritatis, utputa salutem animarum suarum. Quæ salus est clara, immediata ac facialis visio Christi secundum suam deitatem, imo totius gloriosissimæ Trinitatis, cujus est una deitas, una essentia et indivisa potestas. Hinc apud Joannem Christus ait : Qui diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum. In quibus verbis Filius Dei promittit suo dilectori pro præmio suæ dilectionis manifestationem, hoc est claram visionem, sui ipsius. Quicumque autem videt unam divinam et increatam Personam, videt totam superdignissimam Trinitatem; nec potest una Persona divina videri clare per speciem, nisi et aliæ duæ Personæ per speciem videantur. Idcirco, quum Philippus apostolus in cœna novissima dixisset ad Christum, Domine, ostende nobis Patrem, respondit Salvator : Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Hinc et Deus Pater visionem unigeniti Filii sui promittit pro præmio homini justo : Eripiam (inquiens) eum, et glorificabo eum; longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum. De quo salutari locutus est Simeon justus Patri æterno : Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.

Joann. XIV, 21.

Ibid. 8, 9.

Ps. XC, 15, 16.

Luc. II, 30, 31.

Hæc beatifica visio est vera et plena, perfecta et ultimata, æterna et summa salus omnium intellectualium ac rationa-

lium creaturarum, id est angelorum et A
hominum. Qua visione adepta, contenta-
bitur et quiescet desiderium nostrum, sic-
Ps. xv, 10. ut tangit Propheta, dicendo : Adimplebis
Ps. xvi, 15. me lætitia cum vultu tuo ; itemque : Sa-
tiabor quum apparuerit gloria tua. Hanc
Creatoris altissimi, veri ac vivi Dei, facia-
lem cognitionem electi et sancti viri sum-
me atque finaliter desideraverunt, beati-
tudinem suam et desideriorum suorum
finem ac adimpletionem constituentes in
ea. Unde Moyses legitur Dominum exoras-
Exod. xxxiii, 13. se : Si inveni gratiam in conspectu tuo, B
ostende mihi faciem tuam, ut sciam te.
Ps. lxxix, 20. Psalmista quoque : Domine (inquit), Deus
virtutum, converte nos, et ostende faciem
tuam, et salvi erimus. Atque apostolus
Philipp. i, 23. Paulus : Cupio (inquit) dissolvi et esse
cum Christo.

Quum jam itaque determinatum sit et
tractatum de tribus novissimis, incumbit
nunc scribere de quarto novissimo, quod
est clara et beatifica visio et fruitiva co-
gnitio superbeatissimæ Trinitatis, simpli-
cissimæ Deitatis : quatenus ex notitia, lau- C
de et extollentia tam præclarissimæ ac
saluberrimæ visionis Dei omnipotentis, in-
flammemur desiderio ejus, atque ex desi-
derio et amore tantæ felicitatis, vitemus
ac fugiamus indesinenter cum diligentia
maxima quidquid impedire nos potest a
tam nobilissimæ ac divinissimæ visionis
adeptione, id est omnem iniquitatem et
culpam, quæ sola avertit et impedit, elon-
gat et rejicit nos a Deo. Ideo dixit Isaias
Is. xxvii, 9. propheta : Iste est omnis fructus, ut aufe-
Ibid. lix, 1, 2. ratur peccatum ; et denuo : Ecce non est D
abbreviata manus Domini ut salvare ne-
queat, neque aggravata est auris ejus ut
non exaudiat ; sed iniquitates vestræ divi-
serunt inter vos et Deum vestrum, et pec-
cata vestra absconderunt faciem ejus a
vobis.

Denique, sicut diligens consideratio mor-
tis ac divini judicii suo timore retrahit
hominem a peccatis, et ad pœnitendum ac
art. vi, xvi. juste vivendum inducit, ut jam ante est
declaratum ; sic vigilans ac intenta consideratio futuræ beatitudinis suo desiderio et amore a peccatis nos abstrahit, et allicit ad virtutes, ad spiritualem profectum, ad puritatem internam.

ARTICULUS LVI.

Quod pius omnipotensque Creator ad eamdem beatitudinem creavit genus humanum ad quam in exordio mundi creavit angelorum universitatem ac sublimitatem.

In *resurrectione neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei.* Matth. xxii, 30.

Hæc verba locutus est Dominus noster Jesus Christus ad Sadducæos. In quibus verbis tangit, quod post diem judicii et resurrectionem communem homines electi ac justi erunt similes angelis sanctis. Quo constat, quod sicut Deus condidit angelos ad fruendum æternaliter sua deitate æterna ac bonitate immensa, sic ad hoc ipsum instituit genus humanum. Hinc in regno cœlorum ex angelis et electis hominibus constituitur una perfecta ac integra triumphans Ecclesia. Quemadmodum etiam ex singulis choris angelorum aliqui corruerunt, ita ad singulos choros et ordines angelorum aliqui electi homines perducuntur, ex quibus ruina cœlestis instauratur, prout S. Gregorius in homilia de angelis docet. Nec est putandum, ut aliqui simplices erronee putant, quod homines non fuissent creati, si angeli non peccassent : alioqui ordo universi non fuisset completus. Nec creatum est genus humanum solummodo ad reparandum angelorum ruinam, sed etiam ob alias causas, videlicet ad complendum ordinem universi, et quia Creator gloriosus voluit cognosci, coli, laudari ac diligi non solum a creaturis intellectualibus a materia separatis, sed item a creaturis intellectualibus materialibus, puta hominibus, de quibus per Salomonem
locutus est : Deliciæ meæ esse cum filiis Prov. viii, 31.
hominum.

Hinc dicit Gregorius : Angelorum naturam et hominum ad cognoscendum se condidit Deus. Magister quoque Sententiarum libro secundo plenius loquens : Rationalem (inquit) creaturam condidit Deus, quatenus summum bonum intelligat, intelligendo amet, amando possideat, possidendo fruatur. Hoc est quod libro de Diligendo Deo sanctus asserit Augustinus : Ad hoc facta est rationalis creatura, ut Creatorem suum collaudet, ei deserviat, ac perfruatur eodem. Propterea homines naturali inclinatione felicitatem desiderant.

dist. I D.

Quum igitur tanta sit dignitas hominum, qui ad tam præstantissimum finem, ad angelicam felicitatem, ad æternam sui gloriosissimi Creatoris fruitivam ac claram contemplationem sunt conditi : nonne ineffabiliter magna est ingratitudo, vilitas atque stultitia carnalium iniquorumque hominum, qui a Creatore suo se avertentes, et tantam beatitudinem non curantes, in rebus carnalibus, caducis, vanis, immundis ac vilibus felicitatem suam constituunt, hoc est in voluptatibus carnis, in terrenis divitiis, in honore, laude ac gloria temporalibus, transitoriis et humanis? Quicumque enim peccat mortaliter, creaturam Creatori præponit, et in re creata, caduca constituit sibi finem, inhærendo tali rei magis quam Creatori : quod est maxima Creatoris injuria, et aspernatio beatitudinis æternalis, ad quam nos ipse plasmavit. Et tamen hoc faciunt omnes superbi, luxuriosi et avari, et quicumque peccant mortaliter, aut in mortalibus jacent ac manent peccatis. De quibus verificatur quod ait Joel propheta : Computruerunt jumenta in stercore suo; et Psalmista : Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus ; itemque : Homo quum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus. Quicumque enim propter aliquam rem creatam violat Dei præceptum, a Creatore suo mentem avertit, et amplius amat creaturam, id est se ipsum et voluptatem impuram seu aliud quid creatum, ut honorem mundanum vel aurum, quam Deum. Idcirco injuriosus est Deo, ac stultus. Sicque omnes iniqui vocantur stulti in divinis Scripturis. Et sunt innumerabiles stulti tales, quamvis a mundo reputentur prudentes : in quibus regnat vitium puerilitatis, quoniam sicut pueri infantuli plus amant poma et pira quam aurum et pretiosissimas gemmas, sic homines tales plus amant, quærunt et servant carnalia et terrena, quam summum et invariabile bonum et præclarissima dona Spiritus Sancti. De quibus Salomon contestatur : Stultorum infinitus est numerus.

Joel I, 17. *Ps.* LII, 2. *Ps.* XLVIII, 13, 21. *Eccle.* I, 15.

Sed resipisce, o homo insipiens et ingrate, resipisce a tanta insania ; ad Creatorem tuum revertere, dignitatem tibi desuper condonatam adverte. Qui summæ ac adorandæ Trinitatis imagine es ornatus, et Omnipotentis similitudine insignitus, cur te brutis assimilas ? Imo cur peccando viliorem ac pejorem bestiis cunctis te efficis, qui pretioso sanguine et acerbissima passione ac morte unigeniti Filii Dei redemptus es a damnatione æterna, a jugo peccati, a servitute diaboli ? Cur perdis te ipsum perditione perpetua ? Cur pro voluptate spurcissima, pro fallaci honore, pro terrenis divitiis ad infernum trahentibus vendis te ipsum diabolo, et jugo peccati ac dæmonum servituti te subdis, qui ad cœlestem atque angelicam beatitudinem es creatus, ad Dei altissimi fruitionem ac gloriam ordinatus ? Cur in transitoriis et carnalibus tuam ponis felicitatem, et ea plus appetis, quæris ac colligis, quam bona spiritualia ac divina, cœlestia et æterna ? Qui in Baptismo consecratus es Deo et charismatibus Spiritus Sancti fulcitus, quare te tradis pessimo inimico, et tantis te inquinas vitiis? Cur ei acquiescis, consentis et servis, qui nihil aliud quærit quam damnationem tuam æternam, et boni, sapientissimi ac fidelissimi tui Creatoris et Salvatoris consilia abjicis, documenta recusas, præcepta transgrederis ? Attende quanta sit ista perversitas, quam infinita fatuitas, quam damna-

bilis et enormis ingratitudo. Redi ergo et pœnitentiam age, veram beatitudinem indesinenter desidera et exquire. Noli in eorum numero computari qui vitam nostram putaverunt esse lusum, et conversationem vitæ ad lucra esse compositam, et oportere undecumque acquirere, etiam ex iniquo. *Sap.* xv, 12.

ARTICULUS LVII.

Quod beatitudo Sanctorum in clara et immediata visione Dei consistens, sit ineffabiliter gloriosa, jucunda, deificativa atque dignissima.

CARISSIMI, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus ; scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. I Joann. III, 2.

Videmus in omnibus, quod ex unione potentiæ cum objecto convenienti ac bene proportionato oritur delectatio, et quanto objectum fuerit magis conveniens et amœnum, tanto major jucunditas generatur in potentia ipsum apprehendente. Sic enim visus delectatur in pulchro, convenienti et amœno visibili, atque auditus in dulci sono et optima symphonia parilique concentu ; gustus in delicato cibo et potu, tactus quoque in suis objectis, et odoratus in suavi odore. Ecce quam vehementer aliqui delectantur in discantu, in eloquentia, in musicorum consonantia instrumentorum ! Similiter quidam miro modo lætantur res pulchras inspiciendo. Naturale etenim est delectari pulchra cernendo, et quo res exterior est formosior, tanto est ad intuendum jucundior.

Nonne delectabile esset videre juvenem tam speciosum ut Absalon fuit, Adonis ac Paris ? Tamen, si tam pulchrum inspiceremus, et superveniret alter decies pulchrior, mox oculos averteremus a primo, et in istum decies pulchriorem visum defigeremus, multoque plus delectaremur in ejus intuitu quam in primi adspectu. Si A vero supervenerit tertius centies pulchrior primo et secundo, nonne priorum pulchritudinem intueri ac admirari protinus cessaremus, et tertium istum cum ingenti delectatione ac admiratione adspiceremus? Conformiter, si quartus intraret millies speciosior tertio, in hujus quarti adspectu tota admiratione et grandi delectatione suspenderentur oculi nostri exteriores et interiores. Sicque ascendendo, quo major est pulchritudo rei visibilis, eo ad intuendum est amœnior. Quum ergo Deus excelB sus sit penitus incomparabiliter pulchrior et infinite sine omni mensura speciosior universis et singulis creaturis simul acceptis, etiam si centies millies essent plures ac pulchriores quam sunt, certum est quod incomparabiliter et prorsus ineffabiliter delectabile et jucundum sit, Deum verum et gloriosum in se ipso clare et immediate conspicere, atque in sua puritate et claritate immensa visum mentis indesinenter defigere, præsertim quum in ipso non solum sit pulchritudo tam summa et infiC nita, sed etiam omnis perfectio sine mensura ac termino, hoc est immensa dulcedo, sanctitas, sapientia, omnipotentia, pietas, caritas, beatitudo.

Ecce si jam in mundo esset homo tam sapiens sicut est angelus sanctus, vel ut Salomon fuit, quantum optaremus illum conspicere et audire ! quemadmodum scriptum est, quod omnes reges terræ desideraverunt videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam ejus. *II Par.* IX, 23. Similiter, si esset in mundo vir tam fortis ut Samson aut D Hercules, vel tam victoriosus, strenuus ac robustus in præliis ut Judas fuit Machabæus, multum cuperemus videre illum. Item, si aliquis esset in terra tam sanctus atque tantorum patrator miraculorum ut fuit dignissimus Petrus princeps Apostolorum, nonne ardentissime desideraremus hunc intueri ? Si aliquis esset nunc inter homines vivens in quo omnia ista simul consisterent, qui scilicet tam sapiens esset ut Salomon, tam fortis ut Samson, tam victoriosus ut Machabæus, tam sanctus et

in miraculis tam excellens ut Petrus apostolus : nonne ad illum videndum totus concurreret mundus? Et tamen hæc omnia essent in illo finite ac mensurate. Cur ergo non accendimur ad promerendum ac obtinendum facialem Dei conspectum, in quo omnia ista sunt cum excellentia omnifarie infinita; quem clare et per speciem intueri tanto est desiderabilius atque jucundius, quanto ipse præ universis ac singulis creaturis est purior, pulchrior, dignior, sapientior, potentior, melior, dulcior, et in omni perfectione ac felicitate sublimior; qui facit mirabilia magna solus, et magnalia ac præclarissima opera, quorum non est numerus?

Ps. CXXXV, 4.

Nonne mirum, miserabile ac deflendum est, quod tanta est ignavia, excæcatio et acedia nostra, quod ad intuendum hoc infinitum ac superpulcherrimum bonum, ad fruendum tam superdulcissimo bono, ad exsistendum cum Domino Deo, creatore, salvatore ac patre nostro, non amplius inflammamur, nec festinamus, in cujus visione et fruitione tota nostra salus consistit et dignificatio maxima? Quamvis enim similes simus Deo per dona naturæ, quia per intellectum, voluntatem atque memoriam ad Dei imaginem ac similitudinem sumus creati, per dona quoque gratiæ et virtutum ac per opera virtuosa imago et similitudo Dei excellentius in nobis resplendeat; tamen per dona gloriæ, per beatificam visionem et increatæ bonitatis perfectam et æternam fruitionem tam excellenter et supernaturaliter ac instar angelorum Deo assimilamur, ut S. Joannes apostolus dicat, quod similes Deo erimus, quia videbimus eum sicuti est, hoc est clare et per speciem in se ipso : ad insinuandum quod illa assimilatio hominis cum Deo tantæ est excellentiæ, ut assimilatio per dona naturæ ac gratiæ quasi nullius reputationis sit respectu assimilationis illius per gloriam. Vita namque, beatitudo et gloria Dei in se ipso, est æterna atque clarissima contemplatio suæ incommutabilis veritatis, ardentissima quoque ac perfecta dilectio suæ incircumscriptibilis bonitatis, mutua etiam intuitio, dilectio ac fruitio superbenedictæ adorandæque Trinitatis, qua quælibet divina et increata Persona aliam æternaliter ac perfectissime contemplatur ac diligit, et qua se invicem cum infinita complacentia atque dulcedine perfruuntur. Idcirco, dum homo ad beatificam Deitatis visionem ac plenam fruitionem pertingit, tunc vita ejus est supernaturaliter ac ineffabiliter similis vitæ ac felicitati et gloriæ Dei. Tunc enim inavertibiliter ac splendidissime stat intentus sincerissimæ contemplationi summæ veritatis, ardentissimæ quoque dilectioni divinæ et increatæ bonitatis, et jucundissimæ fruitioni infinitæ dulcedinis Dei.

I *Joann.* III, 2.

ARTICULUS LVIII.

De multis et magnis atque innumerabilibus gaudiis Beatorum.

REPLEBIMUR in bonis domus tuæ; sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. Ps. LXIV, 5, 6.

Beatitudo et gloria omnium electorum in regno cœlesti principaliter in clara contemplatione Deitatis consistit, sicut jam patuit. Sed ex contemplatione illa provenit Sanctis multiplex gaudium : cujus primum et maximum gaudium est de ipsa Deitate. Quum enim Sancti in patria cœlesti Deum ardentissime ac sincerissime diligant, imo incomparabiliter plus atque ardentius quam se ipsos universasque creaturas, certum est quod de infinita perfectione, beatitudine et excellentia Dei maxime glorientur, et omnipotenti Creatori de omni sua majestate, dignitate et gloria summe et ineffabiliter congratulentur : imo incomparabiliter plus lætantur de omni sublimitate, sapientia, opulentia et felicitate ipsius quam de beatitudine propria.

art. præced.

Denique non solum sic gloriantur de attributis invariabilis Deitatis et absolutis perfectionibus Dei, videlicet de sapien-

tia, omnipotentia, pulchritudine, sanctitate, A pietate, opulentia, justitia et dulcedine Dei, sed etiam de superdignissima Trinitate. Vident enim clarissime quemadmodum Pater æternus unigenitum Filium suum comprehensive ac limpidissime conspicit, et cum infinito caritatis ardore æternaliter diligit, non minus utique quam se ipsum ; et qualiter unigenitus Filius Patrem suum æternum perfecte cognoscit, intuetur ac amat infinito amore, et cum jucunditate ac complacentia prorsus immensa ; qualiter etiam Pater et Filius B taliter intuentur ac diligunt Spiritum Sanctum, et Spiritus Sanctus Patrem ac Filium : contemplantur enim qualiter Filius generetur a Patre, et quomodo Spiritus Sanctus procedat a Patre ac Filio. Ecce de hac superbeatissimæ Trinitatis mutua intuitione, dilectione, complacentia, jucunditate et fruitione, et de emanatione et communicatione illa ad intra, omnes Sancti in cœlis summe et suavissime et omnino ineffabiliter gaudent.

Insuper, sicut ineffabiliter gloriantur de C infinita pulchritudine Dei, ita et ineffabiliter gloriantur de infinita sapientia Dei. Sic quoque gaudent de infinita omnipotentia Dei, atque de immensa opulentia ejus, et eodem modo de ceteris perfectionibus et proprietatibus ejus, utputa de pietate, justitia, felicitate, bonitate, libertate et beatitudine ejus.

Præterea, in contemplatione Dei inenarrabiliter gaudent, secundum quod Deus est ens eis summe et incomparabiliter conveniens. Est etenim Deus in se ipso D ens serenissimum, tranquillissimum, delectabilissimum, in infinitum, pure atque totaliter bonum, amabile, desiderabile, pulchrum, suave, liberale, opulentum, justum ac pium, omnique creaturæ maxime necessarium ac utile et honestum, quoniam sine conservatione ipsius non potest aliqua creatura ad momentum subsistere, atque ab ipso Deo procedit et dependet omnis salus, gratia ac perfectio cujuslibet creaturæ. Ideo Deus gloriosus et sanctus est ens omni menti creatæ bene dispositæ convenientissimum ac delectabilissimum. Hinc mentes Sanctorum ex immediata, clara ac amorosa unione cum Deo concipiunt inæstimabiliter magnam delectationem, tranquillitatem, complacentiam, contentationem, et pacem quæ exsuperat omnem sensum. *Philipp.* IV 7.

Amplius, præter hæc gaudia gaudent de beatifica visione et gloriosa fruitione Dei, tanquam de propria beatitudine, et supernaturali et maxima perfectione ac dignitate desuper eis concessa. Reflectunt namque considerationem suam super se ipsos, sicque considerant universa dona ipsis a Deo collata, cum gratiarum actione plenissima. Dumque intuentur se esse tam beatos et gloriosos, tam sublimatos et inavertibiliter fonti totius felicitatis unitos, indicibiliter gaudent de ipsa beatifica visione atque fruitione quam habent, et de omni gloria ipsis donata : quoniam vident se æternaliter securatos, tamque perfecte ditatos, quod plenarie contentantur et habent quidquid desiderant. Et quamvis animæ beatæ nondum habeant in re corpora glorificata, et quædam accidentalia præmia quæ affectant, hæc tamen habent in exspectatione certissima.

Insuper, quamvis multitudo sanctorum angelorum electorumque hominum sit nobis in hac vita innumerabilis, incomprehensibilis ac incerta, nihilo minus quilibet Sanctus in cœlo cognoscit et scit universos ac singulos cives cœlestes, quoniam omnes cives cœlestes amant se invicem valde ardenti amore. Constat etiam quod unusquisque eorum gaudet de felicitate et gloria uniuscujusque sui concivis sicut de beatitudine propria ; et quo major est gloria suorum concivium, atque quo major est mutuus amor, eo cordialius eis congaudet ac vehementius congratulatur. Idcirco ex hac parte unusquisque Sanctorum in cœlo habet tot gaudia gloriosa, quot sunt angelici spiritus in novem ordinibus angelorum, et quot sunt animæ sanctæ in regno cœlorum.

Ecce quanta est beatitudo et gloria electorum! quam innumerabilia gaudia habent magna et dulcia, gloriosa et pura, quorum quodlibet, imo et minimum, majus est cunctis deliciis carnalibus et mundanis! O quam vere et ineffabiliter beati sunt qui habitant in domo tua, Domine, in domo illa cœlesti, in qua melior est dies una super millia! O quam beatus quem elegisti, etiam quidquid interim patiatur!

Ps. LXXXIII, 5, 11.

Ps. LXIV, 5.

O vos, miseri amatores hujus sæculi nequam et carnis immundæ, amatores insani voluptatis magis quam Dei, resipiscite, pœnitentiam agite, et contemptis immundis deliciis, ad tantam beatitudinem adspirate; ejus desiderio et amore vilescant vobis vana solatia atque oblectamenta carnalia. Nolite tantam amittere gloriam propter vilem et brevem lætitiam. Ecce mundus transit et concupiscentia ejus, gloria autem cœlestis æternaliter perseverat. Certe quum bonitas, pulchritudo et perfectio Dei infinite excedat omnem bonitatem, decorem et perfectionem creatas, jucundatio quæ oritur ex immediata perceptione boni et pulchri tam infiniti, infinite excedit omnem delectationem procedentem ex perceptione boni creati. Si ergo in corporum unione tanta consistit voluptas, qualis est illa jucunditas quæ in immediata, pura et clara unione cum Deo consistit? Non tantum excedit universum Oceanum unam guttam in quantitate, quantum excedit jucunditas illa superna universas delicias quæ unquam in mundo fuerunt, sunt et erunt.

I Joann. II, 17.

ARTICULUS LIX.

De multis ex quibus perpenditur quam inenarrabiliter magna sit beatitudo, pulchritudo, ornatus et gloria Sanctorum in cœlo.

INEBRIABUNTUR ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Ps. XXXV, 9.

Ineffabilis magnitudo felicitatis Sanctorum ex multis probatur. Primo, ex hoc

A quod nulla pura creatura, nec Cherubim nec Seraphim, fuit digna et apta eam hominibus recuperare ac promereri, sed quum primi parentes hanc beatitudinem perdidissent sibi ipsis ac posteris suis, ipsemet unicus Filius Dei, verus Deus, factus est homo, ut in assumpta humanitate recuperaret humano generi felicitatem et gloriam istam, quemadmodum in Evangelio contestatur: Ego veni ut vitam habeant (id est, ut credentes per meum adventum vitam gratiæ obtineant in præsenti), B et abundantius habeant, hoc est, vitam gloriæ sortiantur in futuro. Hinc scriptum est in Evangelio: Non misit Deus Filium suum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Non utique unigenitus Filius Dei, æterno Patri æqualis, pro parva re aut pro modica causa venit in mundum per Incarnationis mysterium, utputa assumendo humanam naturam. Imo beatitudo hæc electorum, quum sit immediata et clara fruitio boni summi ac infiniti, est quodammodo dignitatis immensæ. Ideo di- C cit S. Thomas, quod quamvis nulla pura creatura infinitæ sit dignitatis, tria tamen sunt in rebus creatis quæ quodammodo infinitæ dignitatis exsistunt. Primum est Christi humanitas: quia assumpta est ad personale et increatum esse Verbi æterni, hoc est unigeniti Filii Dei, de quo scriptum est: In principio erat Verbum. Secundum est beatissima virgo Maria: quoniam facta est Genitrix Dei veri, quod est dignitas quasi immensa. Tertium est beatitudo Sanctorum, quum sit (ut dictum est) D immediata infiniti boni fruitio.

Joann. X, 10.

Ibid. III, 17.

Summ. th. 1a part. q. XXV, a. 6 ad 4um.

Joann. I, 1.

Non ergo negligamus nec parvi pendamus beatitudinem istam propter vanam prosperitatem aut vilem delectationem vitæ præsentis: imo pro ea adipiscenda omnis labor nobis dulcescat, omnis pœnitentia placeat, omnis adversitas cum gaudio toleretur, quia revera, ut ait Apostolus, non sunt condignæ passiones hujus temporis ad gloriam illam. Unde et Leo Papa disseruit: Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æter-

Rom. VIII, 18.

nitatis acquiritur. Et Augustinus : Tanta est, inquit, pulchritudo summæ justitiæ, tanta est jucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis ac increatæ Sapientiæ, tanta est felicitas cœlestis curiæ, ut etiam si non liceret in ea manere diutius quam uno die, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ deliciis atque divitiis pleni merito spernerentur.

Secundo perpendi potest incomparabilis plenitudo ac dignitas beatitudinis electorum, ex hoc quod unigenitus Filius Dei eam tam pretiose ac laboriose emit et recuperavit hominibus. Ipse etenim unicus et omnipotens Filius Dei, universorum creator, qui solo imperio cum gaudio creavit cœlum et terram, non sic reformavit nec sic liberavit genus humanum, sed pretiosissimo sanguine suo illud redemit, et laboriosissima passione ac ignominiosissima morte recuperavit atque promeruit
Philipp. II, 8. ei felicitatem cœlestem, factus obediens Patri usque ad mortem. Unde locutus est :
Joann. X, 15. Animam meam pono pro ovibus meis. De
Is. LII, 14. quo Isaias dixit : Inglorius erit inter viros adspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum. Is enim de quo Psalmista præ-
Ps. XLIV, 3. dixit, Speciosus forma præ filiis homi-
Ps. XXI, 7. num, propter nos factus est opprobrium hominum et abjectio plebis. Atque ut recuperaret nobis pulchritudinem paradisi cœlestis, lucem gloriæ et claritatem beatificæ fruitionis, dignatus est turpissimam et acerbissimam mortem subire, et velut leprosus ac vilissimus hominum apparere ac reputari, quemadmodum rursus Isaias
Is. LIII, 2, 4, 5. fatetur : Vidimus eum non habentem speciem neque decorem ; vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit ; et nos reputavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum ; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Hinc gloriosus princeps
I Petr. I, 18, 19. Apostolorum disseruit : Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine Agni immaculati. De quo in Apocalypsi ait Joannes apostolus :

A Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis *Apoc.* I, 5, 6. nostris in sanguine suo, et fecit nos Deo nostro regnum et sacerdotes.

Nequaquam putandum est quod sapientissimus ille mercator pro parva re tantum exposuerit pretium : imo non nisi pro incomparabili gloria suis electis recuperanda tanta fecit ac pertulit. Idcirco nos tanto pretio empti, non vendamus nos ipsos diabolo pro vili nummo peccati, sed Redemptori altissimo subditi simus ac grati.

B Tertio perpenditur excellentia beatitudinis sempiternæ ex hoc quod electi et justi eam tam pretiose emerunt, et tot et tanta pro ea obtinenda fecerunt ac pertulerunt. Pro hac namque felicitate martyres sancti innumerabilia atque durissima tormentorum genera sponte perpessi sunt, et cuncta quæ mundi sunt contempserunt, sicut ait Apostolus : Sancti ludibria et ver- *Hebr.* XI, 36-38. bera experti sunt, insuper vincula et carceres ; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt ; cir-
C cuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et in speluncis et in cavernis terræ. Pro hac felicitate multi nobilissimi pulcherrimique juvenes ac puellæ omnem mundi prosperitatem et vanam delectationem spernentes, sacras introierunt religiones, et in claustris arduissimam vitam duxerunt : imo innumerabiles electi intraverunt deserta, et solitariam vitam ducentes, angelicam vitam gesse-
D runt in terris, corpora sua arctissime castigantes, modico pane et aqua contenti.

Non ergo pigeat nos pro tanta beatitudine paululum laborare, carnem nostram *Galat.* V, 24. cum vitiis et concupiscentiis crucifigere, tentationibus quoque viriliter reluctari, quia (ut sanctus fatetur Apostolus) non *II Tim.* II, 5. coronatur nisi qui legitime certaverit. Hinc Leo Papa locutus est : Non dormientibus provenit regnum cœlorum, nec otio desidiaque torpentibus beatitudo æternitatis promittitur.

Quarto perpenditur sublimitas gloriæ hujus ex multiplici testimonio amicorum Dei, sanctorum Prophetarum atque Apostolorum, quibus hoc revelavit Spiritus Sanctus. De hac quippe felicitate Isaias *Is.* LXIV, 4. loquitur Deo : Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te. Quod Paulus apostolus plenius expri- *I Cor.* II, 9, 10. mens : Oculus (inquit) non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus his qui diligunt eum ; nobis autem revelavit per Spiritum Sanctum. Hinc in Genesi Dominus ait ad *Gen.* XV, 1. Abraham : Ego protector tuus et merces tua magna nimis. Denique, divino et magno Dionysio Christus in carcere apparens suumque corpus tradens : Accipe (ait) hoc, care meus, quoniam merces tua apud me magna est valde. Hinc et in Exodo legitur, quod dum Moyses Dominum exo- *Exod.* XXXIII, 18, 19. ravit, dicendo, Ostende mihi gloriam tuam, Dominus ei respondit : Ego ostendam tibi omne bonum, id est me ipsum. Deus enim benedictus et adorandus est bonum omnino perfectum, in quo est omnium bonorum atque pulchrorum ac desiderabilium infinita perfectio ac plena possessio. Ideo *Luc.* X, 42. Deus est unum illud quod solum et maxime necessarium est, in quo plenissime invenitur quidquid recte appetitur. Si appetantur divitiæ, si potestas, si sapientia, si voluptas, si beatitudo, si quies et pax : ipse est dives in se et dives in aliis, et opulentiæ ejus nullus est finis ; ipse om- *Ps.* CXLVI, 5. nipotens, et sapientiæ ejus non est numerus nec mensura ; ipse est fons totius salutis, in quo solo rationalis creatura veram et beatam invenit quietem et pacem.

In ipso ergo figamus nostram intentionem, in ipso stabiliamus nostram finalem affectionem, in ipso simplificemus desideria nostra : ita ut nihil penitus affectemus nisi ipsum, vel in ipso et propter ipsum, hoc est alia in quantum nobis necessaria aut utilia sunt ad complacendum ei, et ad obtinendum beatificam ejus fruitionem. Sicque in adversis tanquam in omnibus divitiis erimus gloriantes, cum

A Propheta dicentes : In Deo salutare meum *Ps.* LXI, 8. et gloria mea ; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.

Quinto perpenditur præclarissima gloria Beatorum ex ornatu quem Creator omnipotens omni anno largitur creaturis inanimatis, videlicet pratis, arboribus, herbis, floribus, agris ac liliis : quæ omnia, adveniente æstate et sole approximante, miro modo reflorent, ornantur ac venustantur. Unde et apud Matthæum dixit Salvator : Considerate lilia agri quomodo *Matth.* VI, 28-30.
B crescunt ; dico autem vobis, quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modicæ fidei ? Si ergo ista terrena ac infima sic reflorent et pulchrificantur, accedente ad ea sole in circulo obliquo, id est zodiaco : qualiter ornabuntur et exhilarabuntur rationales creaturæ, quum ortus fuerit eis in cœlo Sol intelligentiæ, fons sapientiæ, origo totius lucis et gratiæ,
C objectum et causa gloriæ ac salutis perpetuæ ? Quibus per Malachiam Dominus pollicetur : Orietur vobis timentibus no- *Malach.* IV, 2. men meum, Sol justitiæ, et sanitas in pennis vestris. Ecce qualiter arida terra, nuda prata, indecora arbusta, suo tempore decorantur et virescunt graminibus, floribus, foliis, virore, suavitate et fructibus : qualiter ergo corpora electorum in resurrectione ultima fulcientur claritate, agilitate, impassibilitate, subtilitate, odore dulcissimo atque lætissimo apparatu ? Ad quod
D ostendendum Christus ante suam passio- *Matth.* XVII, 1, 2. nem se transfiguravit coram tribus Apostolis, et resplenduit facies ejus ut sol.

Sexto perpenditur plenitudo felicitatis ac gloriæ Beatorum ex hoc quod muri cœlestis Jerusalem et angelorum ruina reparandi sunt et construendi ex electis hominibus. Si ergo artifices hujus mundi tam pulchre perornant rudia saxa ex quibus ædificant castra et statuas, nonne Artifex ille cœlestis pulcherrime decorabit animas et corpora electorum ex quibus

reparabit et complebit cœlestem Jerusalem, triumphantem Ecclesiam curiamque supernam?

Septimo idem perpenditur ex consolatione interna quam Deus interdum largitur in isto exsilio suis devotis : quos sæpe tam dulciter visitat, quod se ipsos nequeant continere, et vix valeant capere aut sufferre præ carnis fragilitate, ita quod supra se subito rapiuntur, et alienati ab omni sensu, motu et actu corporeo, in divitias gloriæ Dei mirabiliter absorbentur. Si tam dulcis est ros et gutta suavitatis supernæ, quam deliciosus est fons ipse suavitatis immensæ degustatus in se ipso clare et immediate?

Octavo idem perpenditur ex hoc quod fidelis ac munificentissimus Deus Sanctos suos in vita hac tam sublimiter multipliciterque honorat per diversa miracula, atque per cultum quem eis impendunt fideles, in tantum quod ossibus, reliquiis, pulveribus panniculisque Sanctorum major impenditur honor quam Imperatoribus, regibus aut principibus mundi. Unde merito dixit Propheta : Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum. *Ps.* CXXXVIII, 17.

Hunc ergo opulentissimum, optimum liberalissimumque omnis boni remuneratorem totis veneremur præcordiis, qui primo Regum testatur : Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. I *Reg.* II, 30.

ARTICULUS LX.

De beatissima et deliciosissima refectione Sanctorum in cœlo.

B*EATI qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Apoc. XIX, 9.

Spirituali refectione reficit Trinitas benedicta universos cives cœlestes. Quæ refectio est omni corporali refectione tanto suavior atque præstantior, quanto spiritus rationalis est nobilior corpore, et quanto cibus spiritualis dignior dulciorque consistit omni corporeo alimento. Recte quoque refectio ista cœna vocatur magis quam prandium, quia est ultimata refectio, post quam alia nulla restat, quemadmodum cœna est ultima diei comestio. Dicitur etiam specialiter cœna Agni, id est Christi Filii Dei (de quo dixit beatissimus Joannes Baptista : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi), quoniam ipse per suam dignissimam passionem promeruit nobis gloriosam illam refectionem, secundum quod in cœna sua corporali novissima dixit Apostolis, et in eorum persona cunctis fidelibus : Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut comedatis et bibatis super mensam meam in regno meo. Ipse etenim merito suæ salutiferæ passionis reseravit nobis januam et aditum regni cœlestis. *Joann.* I, 29. *Luc.* XXII, 29, 30.

Dicitur quoque cœna nuptiarum Agni, quia in regno illo salutis æternæ Ecclesia Filio Dei perfectissime desponsatur inseparabiliterque unitur, non per fidem et caritatem imperfectam, sicut in via hujus exsilii, in quo peregrinamur a Domino (secundum quod dixit Psalmista ad Deum : Quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei), sed per beatificam visionem atque completam fruitionem. In qua desponsatione exhibetur sponsæ, hoc est triumphanti Ecclesiæ et unicuique menti beatæ, nobilissima, jucundissima æternalisque cœna, quæ est refectio gloriosa, summe confortans, delectans, et sine fastidio satians spiritualiterque impinguans. De qua in Evangelio legitur : Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Hic panis est Christus, qui est panis vitæ, panis supersubstantialis : qui in Sacramento altaris reficit Ecclesiam militantem corpore suo sancto et sanguine pretioso sub sensibilibus tegumentis; porro Ecclesiam triumphantem reficit sua incomprehensibili atque altissima deitate, cujus beata fruitio etiam dici potest panis Sanctorum atque refectio. Et quoniam gloriosissimæ Trinitatis una est deitas, eademque cognitio atque actio indivisa ad extra, II *Cor.* V, 6. *Ps.* XXXVIII, 13. *Luc.* XIV, 15. *Joann.* VI, 35, 48.

idcirco quamvis hæc cœna specialiter Christo adscribatur, tamen a tota excellentissima Trinitate exhibetur. Cujus refectionis tanta est dignitas, ut ipsemet Filius Dei affirmet se in ea ministraturum suis electis, secundum quod loquitur de se ipso : Amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Quæ est ministratio dignationis, non subjectionis : sicut interdum superior ex sua caritate, dignatione et humilitate ministrat subditis suis ad mensam.

Luc. XII, 37.

In hac cœna ac refectione beata, Deus Pater pro ferculo optimo præbet sui ipsius claram cognitionem, non solum ostendendo Beatis suis fontalem deliciosissimam deitatem, sed etiam suam paternam fecunditatem, et actionem suam ad intra qua se ipsum intelligendo, generat æternaliter ac invariabiliter unigenitum Filium suum. Secundum ferculum præstantissimum quod exhibet et apponit, est manifestatio et illuminatio qua Beatos illustrat ad contemplandum suam spirativam fecunditatem, et actionem immanentem qua Spiritus Sanctus ab ipso procedit. Tertium ferculum est manifestatio qua electis ostendit quam vehementer dilexit genus humanum, dum pro ejus salute misit unigenitum Filium suum in mundum, juxta illud : Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum Filium suum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Hæc omnia clare, beatifice ac fruitive cognoscere, intueri atque incessabiliter contemplari, dulcissime sapit Beatis ; in horum intuitu ineffabiliter accenduntur et rapiuntur in Deum omnique jucunditate replentur.

Joann. III, 16.

Insuper, Filius Dei in hac mensa pro primo ferculo præstat Beatis claram notitiam qualiter ipse æternaliter generetur a Patre, et tamen consubstantialis et coæqualis sit ei. Pro secundo ferculo dat eis gloriosam contemplationem ad intelligendum qualiter Spiritus Sanctus procedat ab ipso sicut a Patre. Tertium quoque ferculum exhibet eis, illuminando mentes eorum ad cognoscendum clarissime suæ Incarnationis mysterium, et suam glorificatissimam humanitatem, ac omnem ipsius felicitatem et gloriam, atque beneficia quæ per ipsam nobis impendit. In quibus omnibus quantum et qualiter, quam exuberantissime et præcordialissime glorientur omnes Beati, nemo in vita hac plene valet concipere.

Præterea, in hac beatissima refectione et cœna civium supernorum, Spiritus Sanctus pro primo ferculo ostendit mentibus Beatorum qualiter ipse æternaliter procedat a Patre et Filio, et tamen consubstantialis et coæqualis sit eis. Pro secundo ferculo eis largitur splendidissimam jucundissimamque notitiam totius superbenedictissimæ Trinitatis et totius gloriæ ejus, et qualiter cum infinita lætitia tres adorandæ, æternæ et increatæ Personæ se invicem æternaliter intueantur, ament, amplectantur ac perfruantur. Pro tertio autem ferculo pandit Beatis omnem suam caritatem, dignationem, pietatem, munificentiam ac beneficentiam circa eos, et qualiter sua pietate et gratia sanctificati sint et salvati, ac qualiter dona sua præstando, se ipsum infuderit ac contulerit ipsis.

Ecce his ferculis felicissimæ mentes Sanctorum abundantissime nutriuntur, excellentissime deificantur, suavissime inebriantur, insuperabiliter confirmantur, supernaturaliter nobilitantur, gaudiosissime contentantur, atque æterna securitate fruuntur. De hac refectione ait Sponsus in Canticis : Comedite, amici, et bibite ; et inebriamini, carissimi. Et Psalmista : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine ! Hoc est vere manna cœleste, habens in se omne delectamentum et omnis saporis suavitatem. Hac suavitate in suo fonte perfecte et immediate gustata, prorsus desipit et infinite contemnitur omnis delectatio carnalis, venerea, gustus et tactus, quam sceleratissimus Mahometus in suo Alcorano promittit cultoribus suæ legis, imo spurcissimæ fæcis.

Cant. V, 1. *Ps.* XXX, 20. *Sap.* XVI, 20.

O quam præclarissima est cœna illa

cœlestis, spiritualis, divina, purissima, in qua sunt tam innumerabiles, pulcherrimi, sapientissimi nobilissimique convivæ, se invicem ardentissime diligentes, perfectissime invariabiliterque concordes, videlicet omnes Angeli sancti, Archangeli, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, Throni, Cherubim ac Seraphim, omnes quoque Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, martyres, confessores, virgines, et ceteri Sancti ! In qua cœna Christus secundum quod homo, Dei et hominum mediator, (I *Tim.* II, 5.) residet primo loco : quia et ipse secundum assumptam humanitatem ab adoranda reficitur Trinitate. Atque post ipsum residet immediate Mater ejus dignissima, sacratissima virgo Maria, super omnes angelicorum spirituum ordines elevata. Deinde unusquisque Sanctorum residet ordinate, ac decentissime collocatur secundum dignitatem, gradum et exigentiam meritorum suorum.

Postremo, quoniam quælibet consideratio Beatorum magnam et propriam habet delectationem et dulciter reficit mentem beatam, constat quod in cœna illa altissima erunt tot fercula gaudiosa, quot considerationes Sancti habebunt de Deo, de se ipsis et omni felicitate, perfectione et gloria eis concessa, de universitate suorum concivium et de unoquoque illorum, de ordine totius creaturæ, imo et de suppliciis atque miseriis damnatorum, quibus Beati nequaquam compatientur, sed zelo justitiæ congratulabuntur æquitati divinæ de impiorum justa damnatione. Unde in Apocalypsi ait Joannes apostolus : (*Apoc.* XIX, 1, 2.) Audivi vocem magnam, quasi vocem tubarum multarum in cœlo dicentium : Alleluia, laus et gloria et virtus Deo nostro, quoniam vera et justa sunt judicia ejus, qui judicavit de meretrice magna quæ corrupit terram, id est, congregationem iniquorum, quæ est ecclesia malignantium, condemnavit. Cujus rei figura præcessit in Ægyptiorum submersione. Nam Pharaone cum suis submerso, filii Israel cecinerunt: (*Exod.* XV, 21.) Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem projecit in mare. Sic principe tenebrarum cum universis reprobis in infernum projecto, gratias agent Deo et laudem ei dicent cuncti electi.

Denique certum est quod in cœna illa cœlesti valde speciale gaudium ac nobile ferculum proveniet Sanctis de humanitate Filii Dei, de gloriosissima quoque virgine Maria, ut sequenti dicetur articulo.

De tali ac tanto convivio Sancti gratias agent Deo, non post illud, quia convivium illud nunquam finem habebit ; sed in illo, id est ipso durante, indesinenter gratias referent hospiti tam liberali et amoroso. Ad hanc sacratissimam cœnam ardentissime unusquisque nostrum adspiret, dicendo : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus ; sitivit anima mea ad te Deum fontem vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei ? (*Ps.* XLI, 2, 3.)

ARTICULUS LXI.

Quod Sancti in cœlo ex omni parte habent copiosissimam rationem atque materiam multiplicium gaudiorum.

V*ENIENT in Sion cum laude, et lætitia sempiterna super capita eorum ; gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.* Is. XXXV, 10.

Tanta, tam copiosa et multiplex est electorum in cœlo beatitudo et gloria, quod quocumque se verterint, causam et incitamenta gaudendi inveniant. Nam supra se primo et maxime gaudent de benedicta et adoranda Trinitate. Deinde supra se gaudent de omni beatitudine, perfectione, decore et eminentia humanitatis Filii Dei. Tertio gaudent supra se in conspectu virginis gloriosæ Mariæ, de omni pulchritudine, excellentia, beatitudine et honore ipsius. Quarto gaudent supra se de omnibus angelis sanctis, et de animabus seu hominibus sanctis qui eis in gloria sunt superiores. Gaudent quoque in se de uni-

versa beatitudine, gratia et excellentia eis collata. Insuper gaudent circa se de felicissima Sanctorum societate, et beata communione qua unusquisque eorum alteri beatitudinem suam communicat. Gaudent et infra se non solum de his qui inferiores sunt eis in gloria, sed et de tota machina mundiali, quæ post diem judicii erit pulcherrime decorata, ut tactum est supra; (art. XXXIII.) atque, ut præcedenti tangebatur articulo, gaudebunt etiam de inferno.

Qualiter autem gaudebunt de Deo et in Deo, in cujus visione et fruitione essentiale Sanctorum omnium præmium consistit, jam ante pro viribus est expressum. (art. LVII et s.) Qualiter vero de Christi humanitate gaudeant, modo pro posse tangendum est.

Itaque de humanitate Filii Dei multipliciter exsultabunt. Primo, de omni pulchritudine ejus quam habet in donis gratiæ et gloriæ tam in corpore quam in anima. Tota namque capacitas animæ Christi ac virium ejus ab exordio suæ creationis et unionis cum deitate, fuit repleta omni gratia et virtute, omni dono et fructu Spiritus Sancti : imo et intellectus ejus repletus fuit beatifica Deitatis visione. Porro post passionem suam humanitas sua plenissime glorificata est in sua resurrectione et ascensione, quantum ad corpus suum inferioresque vires suas. Et quanto anima Christi præ omnibus Sanctis excellentius fruitur Deo, et gloriosior sanctiorque consistit, tanto corpus Christi mirabilius atque splendidius est glorificatum quatuor dotibus corporum hominum electorum, ita quod claritas pulchritudinis ejus, ac pulchritudo suæ claritatis, venustissimusque adspectus et pulcherrimus ejus vultus ineffabiliter major ac delectabilior est omni claritate et decore solis, lunæ ac siderum, omniumque corporum glorificatorum vel glorificandorum. Quum igitur tota Christi humanitas sit tam incomparabiliter speciosior, dulcior, gloriosior ac sublimior omnibus creaturis, tam angelis quam ceteris Sanctis, constat quod omnes Beati in conspectu humanitatis

A Christi vehementissime delectentur, ita quod maximum gaudium quod habent post beatificam Deitatis visionem, est gaudium istud ex intuitu humanitatis Christi conceptum : cujus humanitas tanta gratiositate, venustate et gloria est perfusa, quod et angeli sancti desiderant eam adspicere, (I Petr. I, 12.) et cum indicibili jucunditate eam inspiciunt omnes Beati.

Secundo cives cœlestes gaudent de Christi humanitate et de ejus inspectione, in quantum per ipsam sunt liberati vel repa-

B rati, et multa et maxima beneficia consecuti. Itaque animæ sanctæ in cœlis inæstimabiliter gaudent de humana natura Filii Dei et de omni excellentia ac gloria ejus, quia per eam sunt ab æterna damnatione ereptæ, donis gratiæ in vita hujus sæculi adimpletæ, atque ad felicitatem sempiternam perductæ. Et quo majora ac digniora sunt beneficia ista, eo humanitatem Christi jucundius intuentur, ardentius diligunt, et præcordialius Domino Jesu Christo salvatori suo regratiantur : tanto certe præ-

C cordialius atque devotius, quo plura ac majora pro eorum salute fecit ac pertulit. Porro sancti angeli gaudent de Christi humanitate, quia per eam ipsorum ruina est instaurata, societas aucta, et gloria multiplicata.

Tertio omnes Sancti in cœlo gaudent potissime de Christi humanitate, eo quod ipsa unita est unione personali unigenito Dei Filio, vero Deo : quod est dignitas infinita, et majus bonum ac eminentius donum quam omne bonum ac donum ce-

D teris Sanctis et reliquis omnibus creaturis collatum. Hinc de tanta humanitatis Christi exaltatione amplius gaudent Sancti quam de omni beatitudine, pulchritudine, gratia et gloria omnium ceterorum Sanctorum; et quanto plus diligunt Christum secundum utramque suam naturam, tanto exuberantius gloriantur de omni perfectione, excellentia et gloria utriusque suæ naturæ, videlicet æternæ deitatis atque assumptæ humanitatis.

Præterea, omnes Sancti in cœlo de præ-

sentia et adspectu gloriosissimæ Virginis, matris Filii Dei, mirabiliter ineffabiliterque lætantur, et tanto intensius, quanto eam amant ferventius. Primo ergo lætantur in ejus adspectu, quoniam ipsa præ omni pura creatura in esse creato subsistente, est inenarrabiliter speciosa, sancta, perfecta et gloriosa, bona, amabilis, pia, et ad intuendum delectabilis ac jucunda, imo omnino dulcissima. Si enim de Esther regina veraciter ait Scriptura, *Esther* II, 15. Erat formosa valde et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur : quam incomparabiliter excellentius dicendum est illud de gloriosissima et glorificatissima Virgine Dei matre, quæ fontem concepit ac peperit pulchritudinis infinitæ ? Et si Creator omnipotens tantam pulchritudinem, amabilitatem et gratiositatem ponit in modica humani corporis parte, puta in facie : quam incomprehensibiliter ac infinite pulcher, amabilis et gratiosus est ipse in semetipso ?

Secundo universi Beati gloriantur in Virgine summa, quia per eam consecuti sunt gratiosa dona et beneficia gloriosa a Domino multa et magna. Ipsa namque genuit mundo Salvatorem, ipsa est advocata Ecclesiæ militantis, peccatorum refugium, mater et consolatrix miserorum. Ei commissum est misericordiæ regnum, et per eam innumerabiles peccatores veniam, gratiam et salutem adepti sunt ; et quidquid gratiæ est in nobis, per ipsam datum est nobis.

Tertio gaudent præsertim in ea et de ea de ejus excellentia ac honore, eo quod ipsa sit Mater veri Dei, comparentalis Deo Patri, eumdem filium habens cum illo : quod est dignitas quodammodo infinita, propter quam tota curiæ cœlestis militia singulari præcipuoque honore eam devotissime veneratur, tantoque abundantius congratulatur excellentiæ ejus, quanto ferventius diligit eam ; et quanto quis Beatorum misericordiam majorem ab ea et per eam a Deo est consecutus, tanto præcordialius A diligit eam et honorat, ac ei in omnibus istis congaudet.

Insuper, unusquisque Beatorum congratulatur supra se de universis angelis sanctis, ac ceteris qui eo sunt majores in gloria : quoniam omnibus illis toto corde favet, congaudet ; nec appetit esse aut habere quod illi sunt et habent, sed plene contentatur de suo, et quod non habet plene in se, gaudet se per caritatem et participationem habere in alio. O quis excogitare aut dicere queat quantum inferiores B Sancti lætantur ex intuitu, præsentia et consortio sanctorum Apostolorum ac Prophetarum, et virtuosorum pastorum ac aliorum quorum doctrinis, subsidiis et directionibus tantam beatitudinem sunt adepti, et præsertim de illorum adspectu ad quos specialiorem et ampliorem habuerunt dilectionem ac devotionem ? Certe omnia gaudia hujus mundi simul collecta, comparari nequeunt gaudio quod unusquisque Beatorum habet de beatissimæ virginis Mariæ præsentia et conspectu : C quod etiam quibusdam electis amatoribus ejusdem Virginis sanctæ datum est in vita hac experiri, quibus ipsa Virgo piissima visibiliter apparere dignata est. Nec dubium quin multo plus delectentur in adspectu humanitatis Filii Dei. Et tamen hæc omnia gaudia ad accidentale pertinent præmium Beatorum, quod totum simul sumptum, incomparabiliter minus est gaudio præmii essentialis, videlicet beatæ fruitionis qua excellentissima Trinitate et ejus una simplicissima deitate fruuntur. At D vero qualiter Sancti intra se gaudent de propria felicitate, perfectione et gloria, de universis ac singulis suis concivibus, angelis sanctis et animabus beatis, tactum est supra : de quo tamen et infra magis art. LVIII. tractabitur.

Adspiremus ergo, festinemus et cursitemus ad ineffabilem gloriam electorum : ad quam currere, est eam ferventer appetere ; ad quam festinare, est tempus indultum fructuose expendere et Dei præcepta diligenter implere ; ad quam adspirare, est

ejus desiderio ac amore flere et gemere in lacrimarum hac valle, exemplo Prophetæ dicentis : Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est; atque Apostoli inclamantis : Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Certe, si in regno cœlorum non esset aliud gaudium aut præmium nisi videre speciosissimam, optimam dulcissimamque Mariam Christiferam, merito totis viribus conaremur illuc pertingere : quanto magis quum in adorandi Dei gloriosa et fruitiva visione constituta sit principaliter salus et merces nostra, quæ (ut sanctus fatetur Bernardus) tam grandis est, quod non potest metiri, tam multa, quod non valet numerari, tam copiosa ac diuturna, quod nequit finiri? Unde rursus locutus est : Revera illud est verum et solum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, cui comparata omnis aliunde concepta jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne quod aliunde delectare possit, molestum.

Ps. CXIX, 5. Rom. VII, 24.

ARTICULUS LXII.

De quibusdam jucunditatibus animarum felicium et hominum beatorum post diem judicii, quas angeli sancti non habent.

ABSTERGET Deus omnem lacrimam ab oculis Sanctorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor. Apoc. XXI, 4.

Quantum ad præmium essentiale, quod est beata visio Omnipotentis, promittitur hominibus æqualitas gloriæ cum angelis sanctis. Sed sicut homines ad beatitudinem illam multo morosius, laboriosius difficiliusque pertingunt quam angeli, qui in exordio mundi una celerrima atque facillima conversione suæ mentis ad Creatorem promeruerunt tantam felicitatem; sic animabus sanctis ante communem resurrectionem insunt, et hominibus electis resuscitatis post diem judicii inerunt accidentalia quædam præmia et gaudia quæ angelis sanctis non competunt proprie.

A

Et primo, quia compositus est homo ex anima et corpore, habebit post diem judicii duplicem stolam, id est felicitatem et gloriam animæ et corporis, juxta illud Isaiæ : Pro confusione vestra duplici et rubore, laudabunt partem eorum; propterea in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis. Unde in Proverbiis legitur : Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Harum stolarum unam jam habent animæ sanctæ in cœlis; aliam habebunt in suis corporibus post resurrectionem futuram, secundum quod ait Scriptura : Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus conservorum eorum. Denique ad stolam corporis pertinent quatuor dotes corporum glorificatorum, quarum quælibet habet delectationem propriam valde magnam. Insuper, martyres sancti, doctores virtuosi, et virgines sacræ quæ in perpetua virginitate decreverunt manere, ultra coronam, id est essentiale præmium, et ultra stolam præfatam ac quatuor dotes, habebunt aureolam : quod est gaudium speciale de opere privilegiato, virtuoso ac arduo, ut est martyrium, et actus idoneus instruendi, atque castimonia virginalis. Quemadmodum autem ex gaudio præmii essentialis, quod aurea nuncupatur, redundat decor et claritas quædam in corpore, ita ex jucunditate aureolæ resultant in corpore quidam ornatus : sicque aureola principaliter consistit in mente, et per redundantiam micat in corpore.

Is. LXI, 7. Prov. XXXI, 21. Apoc. VI, 11.

B C D

Secundum gaudium speciale hominum beatorum erit, quod videbunt Deum creatorem suum factum esse fratrem et proximum suum : quod generabit eis ineffabile gaudium, et inflammationem amoris fortissimam, atque perpetuam gratiarum actionem. Quod etiam gaudium interim habent animæ sanctæ in cœlo. Hinc ait Bernardus : Prorsus omni dulcedine plenum est,

videre hominem hominum conditorem. Et A in hoc honoravit Omnipotens genus humanum magis quam angelos aut naturam angelicam. Sicque exterior hominum sensus præcipue reficietur et gaudebit in adspectu humanitatis Filii Dei ; sensus vero interior, utputa intellectus, in visione deitatis ipsius.

Tertium gaudium animarum et hominum electorum speciale et proprium eis est, quod evaserunt pericula tentationum, miserias vitæ præsentis et jugum totius *Ps.* CXXIII, 7. iniquitatis. Ideo læti cantabunt : Anima B nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium ; laqueus contritus est, et nos *I Cor.* XV, 55. liberati sumus. Itemque : Ubi est, o mors, victoria tua ? ubi, o mors, stimulus tuus ? Et quia etiam electæ animæ post hanc vitam graves sustinent purgatorii pœnas, omnibus vitæ præsentis tormentis acerbiores, mirabiliter gloriabuntur, quum de tantis suppliciis ad ineffabilem pervenerint gloriam perpetuamque salutem. Opposita namque juxta se posita aut sibi invicem succedentia, clarius innotescunt ; et sicut C dulcior est refectio post gravem famem, et quies post grandem laborem, consolatio quoque post ingentem tristitiam, sic suavissima est electis animabus æternæ salutis jucunditas post tantos labores, angustias et afflictiones. Idcirco tunc jucun- *Ps.* LXXXIX, 15. dissime dicent Deo : Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. O quantum gaudebunt quod naufragium hujus sæculi evaserunt, in quo tam pauci evadunt ; quod dæmonibus Christo auxiliante prævaluerunt, a D quibus pene omnes vincuntur ; et quod amplius peccare non poterunt, quia in Deo confirmatæ et glorificatæ exsistunt !

Rom. VIII, 28. Postremo, ut omnia cooperentur electis in bonum, Sancti etiam de inferno gaudium triplex habebunt. Primum, quod infernalia evaserunt supplicia. Ideo dicere poterit unusquisque hominum electorum : *Ps.* XCIII, 17. Nisi quia Dominus adjuvit me, habitasset utique in inferno anima mea. Secundum, quia adversarios et persecutores suos videbunt in inferno torqueri. Et de hoc gaudebunt zelo justitiæ, non amore vindictæ. Hinc in Apocalypsi habetur : Animæ interfectorum clamabant voce magna : *Apoc.* VI, 10. Usquequo, Domine, sanctus et verus, non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra ? Tertium, quoniam omne malum culpæ et pœnæ scient esse perpetuo clausum in inferno, ita quod nullum illorum poterit eis unquam appropinquare. Sicque ex omni parte accumulantur electis gaudia copiosa.

ARTICULUS LXIII.

De jucundissima felicitate Sanctorum ex parte gloriosæ societatis eorum.

NUMQUID *est numerus militum* Dei ? *Et super quem non surgit lumen illius ?* Job XXV, 3.

Ineffabiliter multam et magnam, speciosam et nobilem, sapientem, amicabilem et concordem esse politiam illam cœlestem militiamque supernam et societatem beatam Regis æterni, exigit infinita majestas Regis illius, quum et Salomon dicat : In multitudine populi dignitas regis, in *Prov.* XIV, 28. paucitate plebis ignominia principis. Hinc Daniel sanctus testatus est : Millia millium *Dan.* VII, 10. ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei. Denique, quum nemo in hac vita comprehendere queat numerum angelorum infimi chori, in quo ad minus sunt tot angeli sancti, quot sunt nunc aut unquam uno tempore fuerunt aut erunt homines in toto mundo, quum unicuique homini præsit unus angelus bonus de infimo choro exsistens ; constat quam incomprehensibilis nobis sit tota multitudo angelicorum spirituum, præsertim quum juxta doctrinam divini Diony- *Cf.* t. XXI, p. 232 C'. sii, quanto ordo aliquis angelorum sanctorum sublimior est, tanto plures in se continet angelos sanctos. Quum ergo unum sanctum angelum videre ac plene cognoscere transcendat omne gaudium mundi, quale gaudium est, universos ac singulos

angelos gloriosos indesinenter conspicere, A perfecte intelligere, et de omnium eorum societate gaudere? Sic quoque ineffabile gaudium est, universos beatos Apostolos, Prophetas, Patriarchas, martyres, confessores, virgines, anachoretas, eremitas et utriusque sexus religiosas personas, electos infantulos ac ceteros Sanctos clare agnoscere, semper conspicere, atque de universorum consortio gloriari, omnium quoque beatitudinem participare, singulis congaudere et de omnibus exsultare. Hujus etenim gloriosissimæ civitatis B
Ps. cxxi, 3. communicatio et participatio est in id ipsum, et particeps est quilibet Beatorum felicitatis ac gloriæ universorum fruentium Deo.

Itaque huic tam præclarissimæ societati interesse gaudiosum est, desiderabilissimum ac beatum. Primo, propter mutuam caritatem societatis istius : de qua certissimum est quod universi se invicem diligunt dilectione ferventissima, indesinenti, sincerissima, indissolubili et perfecta; et sciunt quod ita se invicem diligunt, quod C nihil caritati contrarium aut repugnans vel dissonum unquam poterit esse in eis. Certe his caritatis deliciis, hac amorosissima unione tam suavissima ac certissima mutua dilectione, nihil post beatificam Deitatis fruitionem potest esse jucundius, nihil felicius.

Secundo gaudiosum, optabile et beatum est tam felicissimæ interesse societati, propter mutuam ejus affectuosam et liberalissimam communionem. Caritas quippe tam fervida et perfecta non reservat sibi D aliquid proprium, sed quidquid boni habet, copiose communicat suis concivibus et proximis atque consociis. Idcirco in tali ac tanta societate gaudia singulorum redundant in singulos, et divitias gloriæ suæ unusquisque diffundit in suos consortes, suntque eis cuncta communia, et bea-
Ps. lxxxvi, 3. titudo unius est omnium. O quam gloriosa dicuntur de te, o civitas Dei, o triumphans Ecclesia, o curia cœlestis Jerusalem, o patria Beatorum! Beati omnes qui diligunt te, qui præordinati sunt ad tuam societatem.

Tertio gaudiosum et appetendum est huic interesse consortio, propter plenam ac inviolabilem ejus concordiam et pacem dulcissimam. Quemadmodum enim omnes cives superni in Deo dulcissime conquiescunt, et in ipso perfectissimam pacem habent, inavertibiliter ac integre conformati voluntati divinæ, a qua nunquam in aliquo poterunt dissentire; ita et inter se habent plenam, perpetuam imperturbabilemque concordiam. Hinc loquitur Augustinus : In civitate Dei superna, lex est caritas, rex veritas, pax felicitas, vita æternitas. Ibi vera pax erit, ubi nihil adversi quis patietur, nec a se ipso, neque ab alio. Hac pace nihil suavius. Est namque pax ista serenitas mentis, tranquillitas cordis, vinculum amoris, consortium caritatis, et imperturbata animi quies in Deo. Merito igitur dixit Psalmista ad cœlestem Jerusalem : Lauda, Jerusalem, Dominum, qui posuit fines tuos pacem. Qui *Ps.* cxlvii, 12, 14.
et per Isaiam ait : Ponam visitationem tuam pacem. *Is* lx, 17.

Quarto gaudiosum, desiderabile et beatum est huic interesse societati, propter ejus multitudinem : de qua jam aliqualiter dictum est. Nam de parte quadam societatis illius ait Joannes apostolus : Vidi *Apoc.* vii, 9.
turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, tribubus et linguis, stantes ante thronum. De multitudine quoque innumerabili non solum universorum angelicorum spirituum, sed et cujuslibet ordinis angelorum, jam tactum est. De qua asserit S. Thomas, quod sicut corpora cœlestia quasi incomparabiliter excedunt corpora inferiora in quantitate, sic multitudo sanctorum angelorum excedit multitudinem rerum inferiorum. Sancta quoque Brigitta in suis Revelationibus dicit, quod quamvis omnes homines qui unquam in mundo fuerunt, sunt et erunt, essent collecti, adhuc tamen multitudo et numerus angelorum in tantum excederet eos, quod cuilibet homini possent ad mi-

nus decem angeli deputari, hoc est, quod decies essent plures angeli sancti quam homines. Verumtamen de isto non est evidens certitudo, quum et S. Gregorius dicat tot homines esse salvandos quot manserunt angeli stantes. Quod dictum multi doctores sequuntur. Verba autem Gregorii non sunt parvi pendenda, quia (etiam ut Albertus Magnus et Bonaventura super dist. XLIV. quartum Sententiarum testantur) Spiritus divinus multa revelavit Gregorio. O quam gaudiosum et gloriosum erit conspicere in æternum totum illum cœlestem exercitum ex universis angelis sanctis et electis hominibus congregatum, Regi gloriæ cum summa reverentia adsistentem, humillime inclinatum, promptissime obsequentem!

Quinto gaudiosum est societati huic interesse, propter ejus pulchritudinem et decorem. Universæ enim personæ hujus societatis sunt totaliter pulchræ, ita quod nulla macula est in eis, sed plenitudo virtutum, caritatis perfectio, lumen gloriæ, splendidissima visio Deitatis, immediata et consummata conjunctio cum fonte totius pulchritudinis et decoris. Quod si pulchritudo totius mundi sensibilis esset collecta in unum, comparari non posset pulchritudini infimi civis societatis illius. Idcirco inæstimabiliter deliciosum erit conspicere tam speciosissimum, splendidissimum sanctissimumque consortium, in quo nihil esse potest quod valeat offendere intuentem, nil quod posset erubescentiam aut suspicionem vel scandalum generare.

Sexto gaudiosum est huic interesse societati, propter ejus decentissimam ordinationem dispositionemque optimam: quia in ea unusquisque juxta suam dignitatem, sanctitatem meritorumque exigentiam col-
Joann. XIV, 2. locatur. Unde ait Salvator: In domo Patris mei mansiones multæ sunt, hoc est diversitas præmiorum secundum exigentiam meritorum. Ordo autem est optimum quid in rebus, et maxime intuentem delectat.

Septimo gaudiosum est istud, propter nobilitatem totius istius societatis. Omnes namque sunt filii et filiæ Dei, omnes reges et reginæ, omnes amicabiles familiaresque Creatori, omnes heredes Dei coheredesque Christi; omnes repleti sunt sapientia et virtute, quod est summa nobilitas.

Congregemus ergo omnia ista, et pensemus pro posse quam desiderabile et jucundum sit interesse et cohabitare societati curiæ cœlestis tam ineffabiliter amorosæ, liberalissimæ, concordissimæ, innumerabilissimæ, speciosissimæ, ordinatissimæ, sapientissimæ, potentissimæ, nobilissimæ. Cui etiam jucundissimum est interesse propter mutuam ejus humilitatem: quia in ea quanto quis major est, tanto prorsus humilior est; sicque summi in ea se habent humillime, dignantissime ac benevolentissime ad infimos.

ARTICULUS LXIV.

De beatitudine electorum ex parte amœnissimi loci eorum.

O *ISRAEL, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! Magnus et non habens finem, excelsus.* Baruch III, 24, 25.

Sapientia Omnipotentis attingens a fine *Sap.* VIII, 1. usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter, coaptat loca locatis, ponitque unumquodque finaliter in loco suæ naturæ aut meritis congruente. Hinc hominem protoplastum, quem in originali creavit justitia, collocavit in paradiso ter- *Gen.* II, 15. restri. Quum ergo Beati Deo plene et immediate fruentes, sint incomparabiliter perfectiores, digniores et magis quietati in Deo quam erat Adam etiam ante lapsum, conveniens fuit ut Deus ab exordio præpararet eis locum et mansionem incomparabiliter pulchriorem, altiorem, amœniorem et quietiorem paradiso terrestri. Et hic locus est paradisus cœlestis, cœlum empyreum, patria, regio et habitaculum Beatorum: quod cœlum vocatur empyreum, id est igneum, non a calore, sed a splendore; quod ambit omnes orbes cœ-

lestes ac cœlos volubiles, estque continentia visibilium et invisibilium creaturarum. Et quamvis incorporales substantiæ, ut angeli, non indigeant corporeo loco ad subsistendum, ad habitandum, ad contemplandum ; tamen congruum fuit ut in loco altissimo, speciosissimo ac dignissimo constituerentur, quum beatifice sint conjunctæ summo omnium Creatori, omni virtutum decore luceque gloriæ adimpletæ, et Dei heredes effectæ.

Itaque cœlum empyreum est situ altissimum, quantitate maximum, natura purissimum, luce plenissimum, capacitate amplissimum. De quo dixit Tobias : Beatus ero, si fuerint reliquiæ meæ ad videndam claritatem Jerusalem. [*Tob.* XIII. 20.] Hoc cœlum est summi Regis palatium, in quo ipse incomprehensibilis Deus se ipsum clarissime manifestat, in quo excellentius operatur : idcirco in eo specialiter habitare asseritur. Hoc cœlum est totius mundi speciosissimum operimentum, quod decentissime congruit collocationi et habitationi corporum glorificatorum et hominum resuscitatorum, ex quibus et ipsum cœlum empyreum refulgentiam sortietur. Ad cujus ingressum suspiravit qui dixit : Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ [*Ps.* XXV, 8.]; et rursus : Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæculum sæculorum laudabunt te. [*Ps.* LXXXIII, 5.] Ibi quippe, ut asserit Augustinus, vere et plene vacabimus et videbimus, imo experiemur et sentiemus quam suavis sit Deus [*Ps.* XXXIII, 9.], quam magna sit multitudo dulcedinis ejus [*Ps.* XXX, 20.], quam infinita sit magnitudo delectationis ac gloriæ ejus. Ibi videbimus Regem in decore ipsius [*Is.* XXXIII, 17.], et amabimus eum amore æternaliter æque intenso ac fervido, æque delicioso et nunquam fastidioso. Ibi laudabimus eum quem indesinenter laudat totus cœli exercitus cum consonantia maxima, cum summa lætitia, cum inæstimabili reverentia ac fervore.

Ibi est finis noster. Nec enim sufficit nobis finis, nisi cujus nullus est finis. Qui est finis non consumens, sed perficiens et A consummans. Quo adepto, nil ultra appeti potest, quoniam finis ille replet totaliter in bonis desiderium nostrum. [*Ps.* CII, 5.] Hic est finis noster, pervenire ad regnum cujus salus et gloria finem non habet. Unde recte dixit Gregorius : Si consideremus quæ et quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Terrena namque substantia æternæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium ; temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est dicenda magis B quam vita. Quæ enim lingua exprimere aut quis intellectus capere potest, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris adsistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere gloriari ? Et rursus : Ibi (inquit) hymnidici angelorum chori, ibi societas supernorum civium, ibi dulcis solennitas a peregrinationis hujus labore redeuntium. Certe in C splendore tanto sapientiæ Beatorum nullus error potest misceri, nulla ignorantia inveniri, nulla opinionum diversitas exoriri.

Postremo, de hac incomprehensibili magnitudine felicitatis et gloriæ electorum legitur anima S. Hieronymi dissoluta a corpore, dixisse S. Augustino volenti de gloria Beatorum compilare tractatum : Augustine, Augustine, quid quæris ? Putasne brevi immittere vasculo totum mare ? putasne orbem terrarum brevi pugillo includere, D aut cœlum immobilitare ne solitos exerceat motus ? Quæ nullus hominum oculus videre potuit, tuus videbit ? quæ auris nulla per sonum hausit, audiet tua ? an quæ cor humanum nullatenus intellexit nec cogitavit, æstimas te intelligere posse ? Infinitæ rei quis inerit finis ? immensa qua metieris mensura ? Potius totum mare in vasculo clauderetur arctissimo, potius orbem terrarum parvus teneret pugillus, potius a motu suo cœlum cessaret, quam intelligeres minorem particulam

gaudiorum et gloriæ quibus Beatorum animæ perfruuntur perpetuo, nisi ut ego de his per experientiam docereris. Impossibilia agere ne coneris; imple vitæ tuæ curriculum, et taliter conversare, ut ea quæ hic aliqualiter intelligere cupis, plenarie in æternum possideas.

ARTICULUS LXV.

De variis fructibus et gaudiis æternæ felicitatis.

F*ULGEBUNT justi sicut sol in regno Patris eorum.* Matth. XIII, 43.

Tot sunt particularia gaudia Beatorum, quod ea solius Dei notitia comprehendit, et hi quibus hæc conferuntur. Tanta est ibi sapientia, ut sapientia Salomonis esset ibi velut stultitia; tanta fortitudo, quod fortitudo Samsonis esset ibi debilitas; tanta dominatio, quod monarchia Octaviani esset ibi subjectio; tanta opulentia, quod divitiæ Crœsi essent ibi paupertas; tanta velocitas, quod velocitas Asaelis esset ibi tarditas; tanta duratio, quod longiturnitas vitæ Mathusalem esset ibi vix unum momentum; tanta sanctitatis perfectio, quod sanctitas vitæ præsentis esset ibi defectus; tanta jucunditas, quod omnis delectatio vitæ hujus esset ibi mœstitia; tanta felicitas, quod omnis beatitudo vitæ istius esset ibi calamitas; tantus fervor divini amoris, quod omnis fervor hujus vitæ esset ibi tepiditas; tanta libertas, quod omnis libertas sæculi hujus esset ibi servitus atque captivitas; tanta securitas, quod omnis securitas sæculi hujus esset ibi timiditas.

Ibi juventus nunquam senescens; eruntque omnes (ut fertur) semper quasi in ætate triginta annorum, aut in ea ætate qua obiit Christus, quum dicat Apostolus : Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. (*Ephes.* IV, 13.) Quod tamen non est intelligendum quod omnes resurgent in sexu virili, sed unaquæque persona in suo resurget sexu. Ibi sanitas nunquam infirmabilis. Ibi satietas omni carens fastidio : imo satiati desiderabimus, ne satietas gignat fastidium, et desiderantes satiabimur, ne desiderio sit annexa penuria sive anxietas. Carnales quippe deliciæ cito in fastidium vertuntur; spirituales vero deliciæ desiderium pariunt, quia quod habent et sentiunt, cupiunt semper habere atque sentire, gustare et experiri. Ibi erit libertas expers totius servitutis indignæ, pulchritudo naturalis ac moralis et supernaturalis in anima et corpore. Et breviter, bona quæ ibi sunt et erunt, numerare non possumus, sed mereri. Ibi gaudium purum, continuum et æternum. Ibi merita nostra ultra condignum remunerantur.

Ibi corpora erunt animabus perfecte subjecta atque promptissime obedientia, et ubi voluerit anima, corpus mox erit. Auferentur etenim a corporibus electorum omnia per quæ nunc impediunt animas ab exercitiis virtutum continuis, omnis gravedo, obscuritas, indigentia alimenti, indumenti ac somni. Fulgebuntque justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. (*Sap.* III, 7.) Mutabunt fortitudinem, pro fortitudine naturæ ac viæ accipientes fortitudinem felicis innovationis ac gloriæ; assument pennas ut aquilæ, volabunt et non deficient. (*Is.* XL, 31.) Egredientur et salient quasi vituli de armento; (*Malach.* IV, 2.) et dicent : Ecce Deus noster iste, exspectavimus eum, et salvavit nos; (*Is.* XXV, 9.) gratias agimus tibi, Domine Deus noster omnipotens, qui es et qui eras, qui accepisti virtutem tuam magnam et regnasti. (*Apoc.* XI, 17.)

Tunc clarissime cognoscemus, et cum præcordialissima gratiarum actione confitebimur ad Dei honorem, quam breve fuit omne tempus quo pro tanta beatitudine Domino majestatis servivimus, quam modicus labor, quo pro tam immensa quiete hic laboravimus, quam parva satisfactio pro peccatis, per quam ad interminabilem atque dulcissimam illam æternitatis pacem pervenimus, quam exigua pugna, per quam ad victoriam securissimam nunquam finiendam perducti sumus.

Nunc igitur omni excluso torpore, omni pusillanimitate abjecta, omni spreto fastidio, ad tantam beatitudinem festinemus ; (*Matth.* v, 8.) et quia beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, jam puritati cordis ferventer ac fortiter studeamus, (*Prov.* iv, 23.) omni custodia custodientes corda nostra ab omni culpa, (*Apoc.* xxi, 27.) quoniam nihil inquinatum intrabit in gloriam Dei. Nunc quoque conemur futuram illam prælibare dulcedinem, et gustare quam dulcis est Dominus, (*Ps.* xxxiii, 9 ; I *Petr.* ii, 3.) quatenus ejus suavitatem experti carnalia contemnamus; atque ut ad tam dulcem pertingere mereamur prægustum ac divinam experiri suavitatem, vitemus omnem consolationem inanem et cunctam delectationem carnalem, ac in Omnipotentis conspectu ambulemus sollicite, proficientes quotidie in omni gratia et virtute.

ARTICULUS LXVI.

Excitatio cordis ad appetendum incessabiliter ac ferventer beatitudinem æternalem.

S*ERVI Dei servient illi, et videbunt faciem ejus, et nomen ejus* scriptum *in frontibus eorum, et regnabunt in sæcula sæculorum.* Apoc. xxii, 3-5.

(*Ps.* xli, 6, ; xlii, 5.) Quare tristis es, o anima ? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, qui est salutare vultus mei et Deus meus, qui est (*Ps.* xvii, 47.) Deus, objectum, causa et fons totius salutis meæ. (*Mich.* iv, 9.) Et nunc, o anima mea, quare mœrore consumeris ? Numquid rex et salvator, adjutor et consolator non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor ? Audi dicentem, consulentem et exhortantem : (*Ps.* xlix,) Invoca me in die tribulationis ; eruam te, et honorificabis me. An non credis promittenti qui ait : (*Ps.* xc, 14-) Quoniam in me speravit, liberabo eum ; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum ; clamavit ad me, et exaudiam eum ; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum et ostendam illi salutare

A meum ? Nonne summa et infallibilis Veritas ait, Omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur ? (*Luc.* xi, 10.) Sed adverte et imple quod hæc ipsa Veritas iterum loquitur : Oportet semper orare et non deficere ; (*Ibid.* xviii, 1.) et rursus : Ora Patrem tuum in abscondito ; (*Matth.* vi, 6.) itemque : Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet, (*Joann.* iv, 24.) hoc est cum interna mentis recollectione ac diligenti attentione atque in vera devotione, aut saltem cum proposito et conatu B vitandi omne peccatum : peccatores enim in proposito peccandi manentes Deus non audit. (*Ibid.* ix, 31.) Propter quod Filius Dei dixit : Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est. (*Matth.* vii, 21.)

Non te conturbet adversitas, neque tentatio te contristet : imo omne gaudium existima quum in varias tentationes incideris, (*Jacob.* i, 2-4.) sciens quod probatio fidei tuæ patientiam operatur, hoc est, ad patientiam te exercet; patientia autem opus perfectum C habet, ut sis perfecta et integra, in nullo deficiens. Audi Patrem cœlestem te dulciter consolantem : Ego quos amo, arguo et castigo. (*Apoc.* iii, 19.) Ignoras quod per multas tribulationes oporteat te intrare in regnum cœlorum, (*Act.* xiv, 21.) et quod omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur ? (II *Tim.* iii, 12.) Nonne ipsummet Christum, Dei Filium, oportuit pati, et ita intrare in gloriam suam ? (*Luc.* xxiv, 26.) Nonne hic mundus et terra peregrinationis istius est vallis lacrimarum, locus exsilii et carcer, non patria electorum ? Nescis D quod beati sunt qui lugent, væ autem ridentibus ? (*Matth.* v, 5 ; *Luc.* vi, 25.) Nonne offendisti Deum in multis, (*Jacob.* iii, 2.) et quotidie sæpe offendis eum, qui peccata non patitur abire inulta ? (*Job* xxiv, 12.) Flagella igitur Domini patienter gratanterque suscipe, (*Judith* viii, 27.) et ea ad tuam emendationem, non ad tuam perditionem provenisse, cum pœnitentia et humilitate jugiter recognosce. Itaque communicans passionibus Christi gaude, quatenus in revelatione gloriæ ejus gaudeas, et cum ipso æternaliter glorieris : (I *Petr.* iv, 13, 14.) quoniam quod est honoris et gloriæ ac

virtutis Dei, super te requiescet, si nunc
in omni adversitate patiens fueris. In Deo
I Petr. I, 6, 7. æternaliter exsultabis, si nunc modicum
oportet contristari in variis tribulationi-
bus, ut probatio fidei tuæ multo pretiosior
Job XXII, 29. sit auro. Qui enim humilis et patiens fue-
rit, erit in gloria.

I Petr. I, 3, 4, 6. Benedic Deo, qui secundum misericor-
diam suam magnam regeneravit te in
spem vivam, ut consequaris atque possi-
deas hereditatem incorruptibilem, incon-
taminatam, immarcescibilem, tibi in cœlo
paratam, in qua exsultabis lætitia inenar- B
Is. LX, 5. rabili. Tunc videbis et afflues, et mirabitur
et dilatabitur cor tuum, et præ plenitudine
gloriæ te ipsam capere vix valebis. Tunc
Ibid. LXI, 10. gaudens gaudebis in Domino, et exsulta-
Luc. I, 47, 49. bit mens tua in Deo salutari tuo, quum
fecerit tibi tam magna Deus omnipotens,
quando induerit te vestimento salutis, et
Ps. XV, 10. adimpleverit te jucunditate cum vultu suo.

Zach. II, 10; *Soph.* III, 14, 15. In horum consideratione et spe lauda
Deum tuum, o filia Sion, exsulta in toto
corde tuo, filia Jerusalem, quia Dominus
rex in medio tui est ut salvet te in æter- C
Ps. CXXI, 1. num, nec ultra timebis malum. Lætare in
his quæ dico tibi, quia in domum Domini
II Cor. V, 1. ibis, et in domum non manufactam, æter-
Ibid. IV, 17. nam in cœlis; in qua id quod in præsen-
ti est momentaneum et leve tribulationis
tuæ, operabitur in te æternum pondus glo-
Ps. XXVI, 14. riæ infinitæ. Idcirco exspecta Dominum,
Eccle. IX, 10. viriliter age, et quidquid potest manus tua
I Cor. XV, 58. infatigabiliter age, quoniam labor tuus non
erit inanis in Domino, eritque merces, et
II Par. XV, 7. merces copiosissima, finem non habitura,
Sap. III, 15. operi tuo. Bonorum etenim operum glorio- D
Luc. VI, 38. sus est fructus. Mensuram bonam et confer-
tam et coagitatam et supereffluentem da-
bit Dominus et Salvator tuus in sinum
tuum.

I Joann. II, 15. Noli diligere mundum et ea quæ mundi
Hebr. XIII, 14. sunt. Non enim hic habes manentem civi-
tatem, sed futuram inquiris, de qua ait vir
Ps. LXXXVI, 3, 7. sanctus : Gloriosa dicta sunt de te, civitas
Dei; sicut lætantium omnium habitatio est
Hebr. XI, 10. in te. Exspecta igitur civitatem funda-
menta habentem, cujus artifex et conditor

A Deus. Accede ad montem Sion, ad civi- *Hebr.* XII, 22, 23, 28.
tatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem,
ad multorum millium angelorum frequen-
tiam, ad ecclesiam primitivorum, qui con-
scripti sunt in cœlis, ad judicem omnium
Deum, cui nunc servias cum metu et reve-
rentia, quoniam maledictus homo qui facit *Jer.* XLVIII, 10.
opus Altissimi negligenter.

Hæc est urbs sacra Jerusalem, de qua
cecinit Isaias propheta : Surge, illuminare, *Is.* LX, 1, 2, 18.
Jerusalem, quoniam venit lumen tuum, et
gloria Domini super te orta est, et in te
videbitur gloria ejus ; non audietur ultra
iniquitas in terra tua, vastitas et contritio
in terminis tuis, et occupabit salus muros
tuos, et portas tuas laudatio. Insanit Ju-
dæus infelix, qui ista exponit de terrena
Jerusalem quam in adventu sui Messiæ
exspectat, quem scimus venisse ; quia
præfatis verbis gloriosus flos Prophetarum
Isaias subjungit : Non erit tibi amplius sol *Ibid.* 19-21.
ad lucendum per diem, nec splendor lunæ
illuminabit te, sed erit tibi Dominus in
lucem sempiternam, et Deus tuus in glo-
riam tuam ; non occidet ultra sol tuus, et
luna tua non imminuetur, quia erit tibi
Dominus in lucem sempiternam ; populus
autem tuus omnes justi, in perpetuum
hereditabunt terram, germen plantationis
meæ, opus manus meæ ad glorificandum.
Hæc est civitas de qua Joannes apostolus
in Apocalypsi mystice loquitur : Erat stru- *Apoc.* XXI, 18, 19, 21, 23, 27.
ctura muri ejus ex lapide jaspide, ip-
sa vero civitas aurum mundum simile
vitro mundo ; fundamenta muri civitatis
omni lapide pretioso ornata, et singulæ
portæ ejus ex singulis margaritis, et pla-
teæ civitatis aurum mundum tanquam vi-
trum pellucidum. Et templum non vidi in
ea : Dominus enim Deus omnipotens tem-
plum illius est, et Agnus. Et civitas non
eget sole neque luna : nam claritas Dei
illuminat eam, et lucerna ejus est Agnus.
Non intrabit in illam aliquid coinquina-
tum et faciens abominationem et menda-
cium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ.

Ad hanc gloriosissimam civitatem in-
desinenter adspira, o anima. Certe funes *Ps.* XV, 6.

ceciderunt tibi in præclaris. Sit ergo tibi A præcara hæc civitas atque hereditas tua : cujus amore contemne carnalia et terrena. *Ps.* CXLI, 6. Portio tua in terra viventium ; ibi thesaurus tuus, ibi propria sunt, gloriosissima, incomparabilia ac ineffabilia bona, quæ facilius potes mereri ac adipisci, quam in vita hac comprehendere aut effari. Ecce adventum tuum præstolatur tota politia tam summæ ac speciosissimæ civitatis : imo Rex et Dominus ejus exspectat te, qui te tanto jucundius, tanto benignius celeriusque suscipiet, quanto in ejus amore B perfectior fueris, et quo plura et graviora pro eo pertuleris. Ideo in adversis quasi in omnibus divitiis glorieris.

Josue XVIII, 3. Usquequo, o misera anima, quamdiu marcescis ignavia, nec acceleras ad intrandum terram hanc optimam, in qua nullius rei penuria est, quam tibi Filius suo san- *Joel* III, 18. guine comparavit, in qua montes stillant dulcedinem, et colles fluunt lac et mel ? *Jonæ* I, 6. Quid tu sopore deprimeris ? Surge, et in- *Sap.* X, 10. voca Deum tuum, ut deducat te per vias rectas, et ostendat tibi regnum suum, et C tribuat tibi scientiam ac salutem Sancto- *Rom.* VIII, 17. rum. Si compateris Christo, et conregna- *II Cor.* I, 7. bis ; si socia fueris tribulationis, socia eris *Ps.* XLV, 5. consolationis. Ibi fluminis impetus, id est copiosissima infusio divitiarum Spiritus *I Cor.* XIII, 12. Sancti, lætificat civitatem Dei. Videmus nunc Deum per speculum in ænigmate, tunc autem videbimus eum facie ad faciem. Nunc cognoscimus Deum ex parte et imperfecte, tunc vero cognoscemus eum perfecte et clare, sicut cogniti sumus a *Job* XIX, 27. Deo. Reposita sit hæc spes in sinu tuo, et D *Ps.* XXVI, 13. crede videre bona Domini in terra viventium ; atque in ejus dilectione assidue profice, qui tam magnifice egit tecum.

ARTICULUS LXVII.

De effectibus considerationis ac desiderii æternæ felicitatis.

A*PUD te,* Domine, *est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Ps. XXXV, 10.

Dominus et Salvator in exordio suæ prædicationis dicebat : Pœnitentiam agite, ap- *Matth.* IV, 17. propinquabit enim regnum cœlorum. Ex quo constat, quod consideratio et affectus regni cœlestis inducit hominem ad pœnitentiam peragendam. Nempe, dum quis diligenter perpendit pro posse quanta sit gloria regni cœlestis, dolet se demeruisse gloriam tantam, et de suis pœnitet, confitetur ac satisfacit peccatis, quatenus amissam felicitatem recuperet.

Secundo consideratio regni cœlestis facit hominem temporalia aspernari, avaritiam detestari, et necessariis esse contentum, sicut ex verbis Gregorii tactum est : art. LXIV. Si consideremus quæ et quanta nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Hinc dixit Apostolus : Æstimo omnia detrimentum esse *Philipp.* III, 8. propter eminentem scientiam Domini nostri Jesu Christi, propter quem omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Nulla namque est comparatio terrenarum et temporalium atque carnalium rerum ad bona divina, cœlestia et æterna. Quid ergo tibi, o Christiane, cum istis sensibilibus et terrenis, qui ad bona cœlestia invitaris ?

Tertio consideratio regni cœlestis accendit hominem ad laborandum fortiter, perseveranter ac fervide pro gloria tanta, juxta illud Scripturæ : Vos autem confor- *II Par.* XV, 7. tamini, et non dissolvantur manus vestræ : erit enim merces operi vestro. Hinc ait Apostolus : Nescitis quod hi qui in stadio *I Cor.* IX, 24, 25. currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium ? Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Sic currite ut comprehendatis. Si enim illi totis sic viribus currunt pro corruptibili bravio et parva ac brevi corona, quamvis sciant non nisi unum eorum accepturum esse bravium cursus celerioris : quanto magis viam mandatorum Dei currere debemus pro bravio sempiterno et præmio glorioso, quod certum est unumquemque currentium esse sumpturum ? Et plane prorsus est indignus tanta salute, qui pro ea renuit laborare hoc tem-

pore brevi, nec ejus amore vult illicitas A delectationes vitare. Maxima injuria datoris hujus salutis est, sic parvi pendere ipsum et ejus promissa, et vel lente ac tepide aut omnino non quærere gloriam tantam.

Quarto consideratio regni cœlestis retrahit hominem a cunctis peccatis, in quantum sunt impeditiva tantæ beatitudinis, quam quanto ferventius quis affectat, tanto vehementius amittere eam formidat. O quam multa et horrenda facinora plurimi vitant, ne temporalia damna incurrant, B præsertim ne occidantur! Quanto magis fugere semper debemus universa peccata, quantum fragilitas permittit humana, ne vitam gloriæ amittamus, ne pretiosissimis bonis æternæ felicitatis, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus,
II Cor. VII, 1. privemur? Hinc hortatur Apostolus : Has ergo habentes promissiones, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.

Quinto consideratio ista animat et con- C fortat nos ad repugnandum viriliter et constanter adversariis nostræ salutis, mundo, carni et dæmonibus : quia, ut ait Apo-
II Tim. II, 5. stolus, non coronatur nisi qui legitime certaverit. Quum enim tanta sit merces hujus victoriæ, justissimum est infatigabiliter reluctari tentationibus et peccatis, et omni hosti salutis. Hinc in libro Sapientiæ
Sap. III, 5. legitur de electis : In paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se :
Ibid. V, 17. ideo accipient regnum decoris, et diadema D speciei de manu Domini. Unde hortatur
Hebr. XII, 3, 4. Apostolus : Non fatigemini, animis vestris deficientes : nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes. Hinc quoque Gregorius : Delectat, inquit, mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum : ad magna etenim præmia perveniri non potest nisi per magnos labores.

Sexto, consideratio gloriæ æternalis parit patientiam in adversis, facitque hominem omnem tribulationem et persecutionem hilariter ac levius sustinere, quum tanta sit fructuositas adversitatis, et tanta merces patientiæ ejus. Ideo loquitur Christus : Beati estis quum maledixerint vobis homi- *Matth.* V, 11, 12; *Luc.* VI, 22, 23.
nes, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos, mentientes, propter me ; gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Septimo consideratio ista accendit hominem in Dei amore, qui se ipsum nobis promisit in præmium objectale, et sui ipsius immediatam et claram visionem, in præmium formale; qui se tam infinite omnibus excellentiorem ac digniorem, ex incomprehensibili caritate, pietate atque dignatione dignatur pauperculis suis creaturis tam immediate et proxime counire. Quemadmodum autem beneficia data, sic et promissa præstanda inflammant ad amorem benefactoris ac promissoris.

Octavo consideratio ista facit hominem humiliare se ipsum, dum ad tam supernaturalem beatitudinem se conditum et vocatum perpendit, ad quam se ex se omnino indignum, insufficientem et impotentem esse cognoscit; et ita intra se dicit : Unde hoc tibi, o indigna vilisque creatura, ex omni parte defectuosa, ut ad tantam beatitudinem sis creata, ordinata, redempta et invitata?

Facit etiam consideratio hæc hominem esse sollicitum ut gratus sit Deo, nec tantam negligat gratiam ejus. Ideo ait Apostolus : Abundantius oportet nos observare *Hebr.* II, 1, 3.
ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Quomodo enim effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Et denuo : Videte *Ibid.* XII, 25.
(ait) ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cœlo nobis loquentem avertimus.

Ut ergo hi salubres effectus inveniantur in nobis, attendamus assidue et prudenter quanta sit beatitudo et gloria regni cœlestis, ad quod conditi sumus et vocati, imo ad quod omni die multipliciter invitamur.

ARTICULUS LXVIII.

Exhortatio ad promerendum beatitudinem æternalem, et qualiter eam compendiosius promereri et adipisci possumus.

QUÆ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Coloss. III, 1, 2.

Duo amores, ut sanctus adstruit Augustinus, duas constituunt civitates : quoniam amor Dei crescens usque ad contemptum sui, civitatem constituit Dei, hoc est Ecclesiam militantem, imo et triumphantem ; porro amor sui crescens usque ad contemptum Dei, civitatem facit diaboli, ecclesiam malignantium, regnum Babylonis et Antichristi.

Itaque amor infusus, purus et spiritualis, quo super omnia Deum diligimus, et nos ipsos in Deo, origo est merendi, et fons omnis operis meritorii, virtuosi. Amor autem improbus sui, qui est amor privatus et ad se inordinate reflexus, origo est omnium vitiorum. Qui igitur cupit copiose proficere, celeriter perfici, et ad regnum cœleste compendiose perduci, studeat se ipsum in Deo amare, hoc est omnia illa optare, quærere et amplecti, quæ sibi magis necessaria aut utilia sunt ad complacendum Deo et ad obtinendum beatificam visionem ipsius, hoc est adversa et aspera et quæ afflictiva sunt carnis : corripi et corrigi cupiat, contemni, irrideri ac ferre injurias non dedignetur, sed gaudeat ; Deo reverenter ac fervide deservire non cesset, se ipsum coram Deo et proximis humiliet semper, omne tempus suum fructuose expendere delectetur. Ecce quanto quis istud adimpleverit plenius, tanto mansuetior, patientior, humilior, ferventior, temperatior erit in omnibus.

Improbum ergo et privatum amorem, quo carnales deliciæ, temporales divitiæ, propria commoda et temporales honores amantur et expetuntur, funditus exstirpemus de cordibus nostris, quoniam falsus et pessimus amor ille est caritatis venenum, et per ipsum fit homo servus diaboli, membrum Antichristi, mancipium iniquitatis civisque Babylonis. Consideremus quam periculosus, vitiosus, infectivus, nocivus atque damnabilis sit amor iste privatus, qui trahit usque ad Dei contemptum et ad transgressiones præceptorum ipsius; sicque amorem istum tanquam omnis perditionis causam et fomitem toto corde abhorreamus, et Deum indesinenter precemur ut tam maledictum amorem et omnem carnalem affectum omnino tollat de cordibus nostris, et sua sancta dilectione nos adimplere dignetur: quatenus Deum nostrum propter propriam, puram et infinitam bonitatem ipsius super omnia toto corde jugiter diligentes, et etiam ideo quoniam ipse prior dilexit nos, et quia præcepit hoc ipsum, ac demum propter beneficia atque promissa ipsius, ad beatificam ejus visionem recto itinere incessanter tendamus, sicque ex ipso, per ipsum et in ipso jam vivamus per gratiam, et in futuro per gloriam. (I Joann. IV, 10, 19.)

Nempe, ut in Meditationibus suis sanctus pater Bernardus fatetur, beatitudo nostra ac præmium nostrum est Deum videre, cum Deo vivere, ex Deo et in Deo vitam habere, esse cum Deo et esse in Deo, qui erit omnia in omnibus. Et ubi est summum bonum, ibi est summa felicitas, summa jucunditas, vera libertas, perfecta caritas, æterna securitas et secura æternitas; ibi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo, omnis beatitudo. (I Cor. XV, 28.)

Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas,
Gaudia, lætitiæ, dulcedo, vita perennis,
Gloria, laus, requies, amor et concordia dulcis.

Quæ ergo nos angit et impellit vesania, vitiorum sitire absinthium, hujus mundi sequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium, et non potius convolare ad Sanctorum felicitatem, ad angelorum societatem, ad solennitatem supernæ lætitiæ, ad jucunditatem vitæ contemplativæ, ut possimus in- (Ps. LXX, 16.)

trare in potentias Domini, et videre superabundantes divitias bonitatis ipsius? Ibi videbimus gloriæ decorem, Sanctorum splendorem, et regiæ potestatis honorem. Cognoscemus Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus Sancti benignissimam prorsus clementiam : sicque habebimus totius benedictæ ac summæ Trinitatis notitiam. O quam beatissima visio, videre Deum in se ipso, videre eum in nobis et nos in eo! Hæc erit summa felicitas, quoniam intelligetur in suo puro esse sincerissima Deitas, comprehendetur in ea incomprehensibilis Trinitas, et patebunt Deitatis arcana. Hæc visio ac delectatio totum cor hominis replens et satians, erit tota illius beatitudinis consummatio. Una erit ibi omnium lingua, jubilatio indefessa, unus affectus, idem effectus, æterna laudatio. Ibi angelorum et hominum unum erit gaudium, unum colloquium, unum convivium. Hæc Bernardus.

Illuc festinare debemus, ubi feliciter sine fine vivemus. Si in tantum amamus hanc vitam miseram, labilem, incertam, caducam, in qua cum tanto periculo, labore peccatoque vivimus; multo magis amare debemus vitam illam, in qua cum summa securitate, quiete et puritate in æternum vivemus. Qualis putatis erit tunc splendor animarum, quando solis splendorem habebit lux corporum in regno Patris justorum? Hoc est regnum regnorum, regnum omnium sæculorum, patria electorum. De qua in Legenda beatissimorum sanctissimorumque martyrum Epicteti presbyteri et Astionis monachi legitur : Possessio Beatorum paradisus vocatur, quorum tabernacula ex lumine sunt constructa, quorum vita Deus est, et conversatio immortalis exsistit; in quorum capitibus sunt coronæ ex auro purissimo ac variis gemmis; quorum imperator et rex est Deus deorum, cujus ministri sunt angeli lucis; et senatus Regis illius præclarus est, cujus media pars sunt Prophetæ, alia vero Apostoli. Porro nomen civitatis, Christopolis. In qua stat vir quidam mirificus, David, habens Psalterium decem chordarum; qui commorantes in civitate illa jugiter excitat ad laudem Regis ipsius, dicens : Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis; laudate eum, omnes angeli ejus; laudate eum, omnes virtutes ejus.

Matth. XIII, 43.

Ps. CXLI…, 13.

Ps. CXLVI…, 1, 2.

Itaque ad hanc beatissimam cœlestis paradisi politiam fervidissime adspiremus; atque ut ad eam feliciter pertingere valeamus, novissima nostra, de quibus hucusque tractatum est, sapienter et assidue meditemur. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS TRACTATUS DE QUATUOR HOMINIS NOVISSIMIS.

DE JUDICIO MORTIS
ET VARIIS CASIBUS EJUS

DE JUDICIO MORTIS ET VARIIS CASIBUS EJUS[1]

Lex metuenda premit mortalibus omnibus una,
  Mors cita, sed dubia nec metuenda venit.
Circuit et surgens sol vitam præstat, et idem
  Quum cadit, annihilat quod nihil ante fuit.
Sic dat, sic retrahit, iterum trahit atque retraxit
  Omnia sol gyrans, quod dedit ipse trahit.
Ex utero natis posita est lex : ire, sed esse
  Certos sub sole perpetuare nihil.
Ex utero natis pedetentim calle sub ipso
  Subdola mors comes est, nos laqueare studens.
Passibus invigilat nostris mors omnia rodens,
  Nec sinit esse diu quidquid in orbe fluit.
Quotidie cadimus; viventes, fila sororum
  Atropos abrumpens æmula, sæpe terit.
Altera natura mors est, mors altera casu;
  Mille modis mortes unica vita gerit.
Pulsibus innumeris agitatur ut æquore puppis,
  Sic rapitur variis vita agitata malis :
Fluctibus aut morbo, seu flammis, strage, veneno,
  Marte; fames, calidum, frigora, cura, nocent.
Ergo quis in tantis possit Cras dicere vivam,
  Quum videat quoties mors male visa ferit?
Non licet, ut video, vanæ confidere vitæ,
  In qua nulla fides est, nisi certa mori.
Finge quod adspicias morientem, sed freme : namque
  Consimili pœnæ te vocat una dies.
Finge quod adspicias corrosum vermibus : ecce
  Consimili dente te petit illa lues.
Imo tremenda lues breviatio tota dierum,
  Qua labor idem unus te premet atque dolor.
Ortum quæque suum repetunt terramque sequuntur;
  Flos fluit, umbra fugit, omnia nata cadunt.
Nil reputo longum dubius quod terminus angit,
  Crastina forte dies est mihi sola dies.

1 Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

Est brevis illa dies hodie, quia forte dierum
Est mihi meta dies, heu ! metuenda dies.
Atque horrenda dies, quia tunc mihi meta merendi
Clauditur, illa dies lætave dira dies.
Proh ! quicumque dies sibi longos æstimat, errat.
Nulli est tota dies vivere tuta dies.
Frustra dico : Dies. Sit mentio nulla dierum,
Quum stet nulla dies, una nec hora quies.
Ut placet in longum vitæ spem temporis auge,
Ex nihilo nihilum mox erit atque nihil.
Mille fuere viri, milleni millia mille,
Corpus humo putruit, nomine fama caret.
Sed superest meritis mercedem sumere dignam,
Optima pro meritis et vitiosa pati.
Adspice judicium metuendum judice tanto,
Qui notat, et veniet illa tremenda dies.
Ergo time, metue, te construe, dirige mentem ;
Vive mori præsto, debita ferre para.
Dum licet et spatium vitæ datur, ista relinque
Pro patria cœli, qua sine fine dies.
Non est illa dies cursus ut ista dies.
Est Deus illa dies, ultima nostra quies.

SERMO DE PRÆELECTIONE PORTIONIS DIVIÑÆ

SERMO DE PRÆELECTIONE PORTIONIS DIVINÆ

Sermonem hunc in limine Commentariorum in IV Sententiarum libros, Coloniæ 1535 et Venetiis 1584, procœmii vel præfationis instar præfixum, hic ex Coloniensi Petri Quentel editione 1535 subjicimus, quem Collationum duarum pro Capitulo generali Ordinis Cartusiani, de quibus in Elencho operum Dionysii n° 169, haud temere forsan quis alteram suspicabitur.

P*ARS mea Dominus, dixit anima mea: propterea exspectabo eum.* Thren. III, 24.

Principe theologorum, sacro atque divino Dionysio, in de Cœlesti hierarchia, capitulo primo, testante, luciformis ex æterno Patre ad nos manans radius, mentes nostras implet et illuminat, et denuo tanquam vivifica virtus easdem reducit et ad fontanam primi creantis principii lucem convertit unitatem, deificam præstans deiformemque in nobis simplicitatem efficiens. Ideoque in epistola ad Joannem
Epist. x. apostolum theologus Dionysius : Divinæ (inquit) amatores veritatis in Deum reducti, angelicam atque impassibilem et velut incorpoream vitam in carne inchoantes assumunt. Summa quippe omnis creatæ mentis perfectio ipsa est divinæ operationis et vitæ imitatio et participatio. Et hoc in libro de Sacro principatu angelico, capitulo tertio, dixit Theologus. Hæc nempe divina imitatio, deificatio mentis rite censetur. Et quemadmodum in de Ecclesiastica hierarchia, primo capitulo, Dionysius scripsit, deificatio hæc mentis creatæ, unio ejus est conformitasque ad Deum. Hanc deificationem omnis supercœlestis animus

A omnisque vere Christianus summe et finaliter cupit, et ad eam in omni quod agit immobiliter cernit : quoniam ipsa finis est itemque consummatio omnis desiderii, singultus atque suspirii.

Interea, quoniam nisi in Deo manentes, nil prorsus valemus boni efficere, Deus vero, uti capitulo tertio de Divinis nominibus summus docet Theologus, omnibus quidem adest, ei autem non omnia adsunt, sed tunc ei adsumus, dum revoluto animo, castissimis in eum mentem nostram
B precibus effundentes expandimus, thearchici suspirantes participium luminis, et in divinæ superluciflux prorumpentes præconia lucis, sacras hymnologias ac thearchiæ dulcifluos hymnos; ideo Jesum invocantes, qui est divinissima et causalissima mens, sicut capitulo primo Humanæ hierarchiæ Theologus asserit, ut ejus purissimis illustremur splendoribus, ipsius præstantissimam Matrem, amantissimam Dei, incomparabilem Virginem, salutemus devote.

C Cardo (si tenetis) cœpti sermonis, divinæ erat præelectio portionis : quoniam quidem vani sunt omnes homines in quibus Sap. XIII, 1.
non subest scientia Dei. Neminem enim Ibid. VII, 28.

amat Altissimus nisi qui cum sapientia A permanet. Et hæc insuper est vita æterna, ut cognoscamus Deum nostrum. Verumtamen, quoniam scientia sine caritate sic est quemadmodum caro sine spiritu, et spiritus sine gratia (quippe quæ sine ea inflat, informis est et vehementius damnat), propterea de Dei agnitione ac dilectione jam nunc pro viribus fari par erit. Sed advertendum atque pensandum quod in omnibus suis theologicis libris Dionysius Timotheo tam districte committit : Hæc, inquiens, vide ne quis indoctorum B videat. Denique quos ipse indoctos appellet capitulo primo Mysticæ theologiæ pandens : Hos, inquit, eos aio qui in sensibilibus detenti sunt, et nihil superessentialiter esse arbitrantur. Hi equidem quod capere nequeunt, non utique venerantur neque humiliter discere cupiunt, sed irridentes contemnunt. Absit autem longe a me, ut de vestrum aliquo ita opiner. Igitur contuendum quemadmodum in epistola tertia ad Caium monachum noster ait hierarcha, sublimis Areopagita : Occultissimum C ac superessentiale divinæ naturæ humanitus essentiatum, in conspectum nostrum processit, id est, Verbum Dei per assumptam humanitatem divinæ nos intelligentiæ consortes effecit, et sapientiales archetyparum exemplariumque radios rationum influxit.

Joann. XVII, 3.

I *Cor.* VIII, 1.

Itaque Dei et Creatoris sui contemplationem desiderans vultumque requirens, intendat paulisper quoniam (ut ait Theologus capitulo primo de Divinis nominibus, et ultimo capitulo de Hierarchia mundana, D primo quoque Mysticæ theologiæ capitulo) duplici via ad superaltissimæ Divinitatis speculationem proficiscendum est, utpote per positionem, et item principalius per ablationes. Enimvero, quum sit Deus excelsus universorum causa fontana et exemplare principium, a quo, ut Aristoteles ait, dependent cœlum et terra, atque a quo, secundum Platonem et Proclum, totus mundus substantiam sortitus est ; necesse est in eo omnium et singulorum perfectionem nobilitatemque fateri, verumtamen per excellentiorem superexaltatumque modum. Hoc autem modo Deum laudantes, ut Mysticæ theologiæ capitulo secundo magnus ait Theologus, a præstantissimis ordiri sicque pedetentim ac seriatim ad inferiora descendere oportet.

Denique secundum modum hunc laudat Theologus Deum benedictum in libro de Divinis nominibus, quoad absoluta, in libro quoque de Divinis characteribus, quoad relativa. Et ut capitulo quarto de Divinis nominibus sacer disseruit, Dei natura bonitas est, estque Deus gloriosus essentialiter bonus. Et qui hoc intelligit, gratus sit, quoniam multum intelligit, si tamen id ipsum sincere intelligit. Siquidem, quemadmodum in Summa contra gentiles Doctor sanctus inducit, nullius entis natura lib. I, c. 54. vel species minorari in eo potest ab essentiali sui perfectione, vera et plena : sicut quidquid ad essentialem hominis perfectionem pertinet, omni utique homini inest. Nam species rerum se habent ut numeri. Quia igitur Dei natura est bonitas, quidquid ad bonitatis nobilitatem, excellentiam, plenitudinem perfectionemque pertinet, in eo esse necesse est. Plenitudini autem perfectæque bonitatis nobilitati, omnis (ni fallor) repugnat finis bonitatis ac limitatio terminans : et ob id quidquid ad bonitatis decorem majestatemque pertinet, Deo eminentissime penitus convenit. Unde elucescit, quod divina bonitas incommutabilis sit, a nullo dependens nulliusque indigens, sed summa felicitas, immensa suavitas, purissima vita infinitumque lumen.

Unde capitulo quarto de Divinis nominibus ait Theologus : Quemadmodum sol iste corporeus non deliberans neque præcogitans, sed ob ipsam inditæ sibi lucis plenitudinem congenitamque proprietatem, cunctis capacibus splendoris sui radios influit, nil prorsus, quantum in se est, neque in tenebris nec in caligine deserens ; sic æternus increatusque Sol ex ipsa propriæ bonitatis naturali proprie-

tate, liberalissima munificentia ac incessanti ardore, omnem entium ordinem lucis suæ emicatione constituit, irradiat atque conservat, et bonificos insuper boniformesque radios super vultum vere effundit : quorum communicatione radiorum vigoreque luminum omnes supercœlestes essentiæ indissolubilis ac immortalis subsistentiæ factæ sunt, indestructibilem imminorabilemque virtutem adeptæ, et in deiformibus ac hierarchicis actibus sempiternales infatigabilesque effectæ. Hi splendiflui atque purissimi radii ex parte fontis uniformes, serenissimi simplicesque sunt. Porro secundum participantiam gradus ac ordinis dispertiuntur, obtenebrantur et distinguuntur. Ipsi vero omnem naturæ vultum, omnem naturam creatam venustant, adornant, illuminant : qui si vel in ictu oculi desuper subtraherentur, omnis mox immortalium atque mortalium, cœlestium ac terrenorum pulchritudo tabesceret, et in primordiales originalis chaos tenebras cuncta repente deciderent.

In tertio autem ejusdem libri capitulo Dionysius S. Hierotheum vehementer exaltat : cujus occasione præconii ea quoque verba inseruit ex quibus elici solet, dormitioni sanctæ Virginis interfuisse Dionysium. Et ego utique expositionem hanc amo, non arguo. Verumtamen qui scripta S. Elisabeth de tempore quo post passionem Filii Genitrix sancta vixit, contentiose defendere vellet, aliter quam de corpore Mariæ Dionysii verba exponere posset. Sic enim ait una translatio. (translatio Joann. Sarraceni.) Siquidem Timotheo loquens Theologus : Nos (inquit) ut nosti, et ipse, et multi sanctorum nostrorum fratrum, convenimus ad visionem corporis vitæ principis et quod Deum suscepit; aderat autem frater Domini Jacobus, et Petrus summa et provectissima theologorum summitas. Postea visum est ut universi hierarchæ (id est Apostoli) laudarent sicut unusquisque erat sufficiens, infinitæ virtutis bonitatem thearchicæ infirmitatis. Porro alia translatio (translatio Joann. Scoti.) sic habet : Nos, ut æstimatur, et tu, et multi sanctorum nostrorum fratrum, in visionem vitam inchoantis et Deum recipientis corporis convenimus. Aderat autem et Dei frater Jacobus, et Petrus vertex et honorabilissima theologorum summitas. Hæc verba, ut Vercellensis exponit, de corpore Christi intelligi habent. Refert namque quosdam cum apostolicis discipulis convenisse in montem Sion Apostolos ad disputandum conferendumque de incarnatione Verbi : et sic quod ait Dionysius « in visionem », exponitur « in contemplationem ». Prima tamen expositio communior est, et mihi utique amplius placet.

Amplius autem, post Bonum, præstantissimum Dei nomen, et in quo sancta Divinitas limpidius contemplatur, est Esse, ut capitulo quinto de Divinis nominibus ait Theologus. Unde Deus gloriosus Moysen Dei nomen sciscitantem affari orsus : Ego (inquit) sum qui sum; hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me. (*Exod.* III, 14.) Et Unigenitus Dei : Antequam (asserit) Abraham fieret, ego sum. (*Joann.* VIII, 58.) Unde, sicut in Summa contra paganos, in libro de Esse et essentia, sanctus Doctor determinat, Deus est esse tantum, (lib. I, c. 21.) id est, Deus est esse purum, incompositum, simplicissimum, in se subsistens, ideale ac separatum. Esse equidem, ut Boetius et Damascenus edisserunt, actualissimum et formalissimum est. Divinum ergo esse absque omni commixtione ac additamento, in se supersimplicissime perseverans, omnem actualitatem et formalitatem plenissime atque perfecte complectitur. Ideoque divinum esse sine simplicitatis suæ injuria vitale est, sapientiale, omnipotens, felicissimum, liberrimum, summe dulce, summe amabile, summe pulchrum, justum, sanctum, benignum, et quidquid præstans est atque præclarum; neque est in Deo diversitas ulla, sed omnia hæc in superadorando Deo simplicissima unitas sunt et purissimum lumen. In hoc tamen summi distant theologi, quoniam Hilarius et Damascenus, Boetius et Anselmus præordinant in divinis nominibus Bono Ens; Dionysius autem et Hierotheus

primum Dei nomen adstruunt fore Bonum, in hoc ipso, ut Thomas testatur, Platonem sequentes.

Præterea, post hæc aptissimum lucidissimumque Dei nomen est Actus. Et id a philosophis præcipue dictum recordor : quoniam nec Dionysius de hoc nomine mentionem induxit. Est igitur, ut duodecimo Metaphysicæ Aristoteles ait, Deus actus purus. Et quidem hoc tam subtile est, si rite intendo, ut altius volare non possit naturale ingenium : ideoque inde pro nunc celeriter transeo. Tantumdem vero dicendum, quoniam actus et potentia dividunt ipsum ens. Unde sicut infimum entium, scilicet materia prima, est pura potentia, cujus secundum se est dumtaxat moveri et pati ; sic primum in entibus est purus actus, cujus secundum se est cuncta movere et agere, nil posse recipere, non pati, non mutari, non perfici, nec quidpiam de potentialitate habere admixtum.

Et quidem hæc est via positiva contemplandi æternam inscrutabilemque Divinitatem, ad quam omnis nostra agnitio omnisque dominicæ passionis ac humanitatis Christi contemplatio ordinanda est. Ipsa quippe præstantior est, sincerior atque suavior, mentem (si tamen capax facta est) amplius inflammans, devotiorem quoque humilioremque reddens.

Porro via negativa contemplandi Ineffabilem, ut Dionysius adstruit, efficacior est. (De Cœlest. hier. c. 2.) Et in ipsa ab infimis ordiri par est, prout capitulo secundo Mysticæ theologiæ Theologus fassus est. In primis quippe sensibilia omnia, hinc vero intelligibilia atque dignissima, a superviventi et cunctis incomparabiliter infiniteque superexaltato Deo auferre oportet, uti quarto et quinto capitulis Mysticæ theologiæ docet. Ideoque in exordio epistolæ ad Dorotheum scripsit (Epist. v.) Sanctus, quod divina caligo in qua Deus habitare perhibetur, inaccessibile lumen (I *Tim.* vi, 16.) est ; et ut in epistola prima ad Caium adstruit, si quis in ea quid vidit, non Deum vidit, sed aliquid eorum quæ post Deum sunt, divinorum videlicet effluxus donorum, in quibus fontale causaleque jubar (A) utcumque resplendet. Unde ad Caium, epistola secunda, ait Dionysius, quod omnium summitas super Divinitatem bonitatemque consistit, prout scilicet a nobis eas intelligere possibile exstat.

Insuper autem de dilectione Dei paulisper dicturus, hoc in primis commemoro, quoniam bonum et pulchrum et dulce omnia appetunt, quemadmodum quarto capitulo de Divinis nominibus Dionysius introduxit. Quo ergo ardore, quo utique zelo (B) et quam æstuanti fervore amandus, amplectendus est, qui est omnium bonorum fontana bonitas et item ipsa bonitatis essentia, cujus bonitas finem ignorat, et in quo supereminenter itemque cum immensa plenitudine exstat quidquid bonum est, quidquid rite amari aut concupisci valet, felicissima ac vivifica vita, æterna sapientia, interminabile lumen, omnipotens virtus, summa felicitas, plenissima pax atque immensæ divitiæ ? Enimvero Deus sublimis et benedictus pulcher est, omnisque (C) sanctitatis origo, et totius radix munditiæ. Neque aliud est Superfelicissimo esse, atque aliud pulchrum esse, sed ejus infinita hypostasis, infinita pulchritudo est, splendor et decor universa pulchrificans, adornans, venustans : cujus vultum astra matutina omnesque filii Dei cum insatiabili (*Job* xxxviii, 7.) semper contemplantur ardore, immobiliter et inavertibiliter et jucundissime in eum conversi ; et ipsa demum divina dulcedo eos gaudiosissime reficit, atque in se cum inæstimabili calidissimoque affectu (D) suspensos, in se trahit, deglutit, transformat.

Denique, quemadmodum undecimo capitulo de Divinis nominibus et in libro de Sacro principatu angelico asserit summus noster philosophus, pacem omnia cupiunt, et ad eam obtinendam operantur omne quod agunt, quoniam et bella propter pacem fiunt. Deus autem pax est omnem (*Philipp.* iv, 7.) sensum exsuperans, totique orbi harmoniam et stabilitatem et concordiam et nexum impendens : quippe qui fines super- (*Ps.* cxlvii, 14.)

mundani sui palatii, empyrei cœli, pacem A reposuit, securissima ac gaudiosissima tranquillitate omnes militiæ suæ ignitas phalangas excelsosque satrapas sibi invicem uniens, in semetipsis stabiliens, et in se quoque felicitans.

Allegavi jam nunc in collatione præsenti ubertim Dionysium, non semper verba, sed sensum complectens, in hoc ipso mihi vobisque parcens : ejus quippe verborum tenorem memoriæ commendare, mihi quidem esset difficile ; ea autem intelligere, vobis (ni fallor) non esset tam celeriter promptum ac facile. Sunt vero, ut Vercellensis testatur, quidam indocti id incongruum illicitumque putantes, quum tamen Sancti et ipse quoque Dionysius hoc sæpius agant. Illustret faciem suam super servos suos salvosque nos faciat in clementia sua rex Messias, Christus Dominus, cui est cum æterno Genitore ac almo Paracleto gloria, magnificentia, imperium et potestas, et nunc et in die æternitatis. Amen.

EPISTOLÆ

EPISTOLA ET REVELATIO

MISSA EXSECUTORIBUS TESTAMENTI VENERABILIS PIÆ MEMORIÆ DOMINI AC MAGISTRI JOANNIS DE LOVANIO, UTRIUSQUE JURIS DOCTORIS EXIMII, SEPULTI IN MEDIO CHORO CARTUSIENSI IN RURÆMUNDA.

Joannes de Lovanio, « vir suo tempore venerandus », doctus æque ac beneficus, juris utriusque doctor et ecclesiæ Sancti Victoris Xantensis præpositus, obiit Coloniæ Ubiorum die 23 Decembris 1438. Cujus exuviæ ad Ruræmundensem Cartusiam delatæ, quam sibi ad requiescendum elegerat, in medio chori Fratrum tumulatæ sunt. Ultimæ voluntatis exsecutores reliquerat Joannem Tollner, canonicum et custodem Spirensem, Christianum de Erpel, Beatæ Mariæ ad Gradus Coloniensis præpositum, et Joannem Pollart, Sancti Spiritus Ruræmundensis itidem præpositum. Quibus conjuncte hanc primam epistolam scripsit Dionysius extremo Decembre 1443, uti ipsam legentibus clarius patebit. Exstat in II tomo Operum minorum, fol. 360, apud Joannem Soterem, Coloniæ 1532.

ANIMARUM cooperari salvationi, atque divini cultus augmento intendere, pro salute.

Reverendi ac prædilecti Domini et Magistri, aliquid sapientiæ vestræ insinuare compellor, quod (quantum in me est) abscondere mallem, nisi amor Dei ac proximi, singularisque ratio infra tangenda, commissio quoque venerabilis Prioris nostri, aliud efflagitarent. Verum, quoniam quod scripturus sum, posset alicui fortasse in dubium verti, res ipsa articulatim circumstantionaliterque promenda est; signa insuper credulitatis addenda censentur. Sed vereor ne vanitatis arguar occulta pandendo, quum Isaias testetur : Secretum meum mihi. (*Is.* xxiv, 16.) Nihilo minus animat quod loquitur Christus : Quæ auditis in aure, prædicate super tecta. (*Matth.* x, 27.) Denique, juxta doctores, dona gratiæ gratis datæ ad aliorum utilitatem dantur et ordinantur, protestante Apostolo : Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. (*I Cor.* xii, 7.) Sed et A dona hujusmodi bonis malisque communia sunt, quum et prophetica gratia data sit Balaam; apostolatusque Judæ, Christo ad duodecim eloquente : Nonne vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est? (*Num.* xxiii, xxiv. *Joann.* vi, 71.) Itaque non sunt semper meliores in quibus hujusmodi gratiæ magis abundant, præsertim quum de beatissimo Joanne, quo (ut Christus disseruit) inter natos mulierum major non surrexit, in Evangelio scriptum sit : Joannes quidem signum nullum fecit. (*Matth.* xi, 11. *Joann.* x, 41.) Hæc idcirco tetigerim, ne videar B jactare me ipsum, atque hoc ipso fide constituere me indignum, sicque intentum frustretur effectu. Præterea, quæ narrabo, poteram quidem in tertia persona quasi de alio recitare : quod majorem plane humilitatem prætenderet. Sicque egissem, si hoc æque certitudinem roboraret; sed quoniam visa auditis sunt certiora, et personaliter quæ quis personaliter videt multo utique certius refert quam quæ relatione didicit aliorum, hinc clarissime lo-

quar. Testemque invoco eum qui per Jeremiam effatur : Ego sum judex et testis. De quo item sanctus Job : Ecce (inquit) in cœlo est testis meus, et conscius meus in excelsis.

Jer. xxix, 23.
Job xvi, 20.

Itaque materia describenda est ista. In medio chori nostri, ut scitis, jacet sepultus piæ memoriæ magister Joannes de Lovanio ; jamque tempus quinque annorum effluxit, ex quo de sæculo hoc emigravit. Porro tribus annis a die sui obitus evolutis, dum in die anniversarii ejus Officium defunctorum in choro nostro legeretur pro eo, contigit quod subjungo. In matutinali Officio, quum pro præfato magistro Joanne legeremus partem ultimam Officii defunctorum, quam Exsultabunt vocamus, jamque canticum Zachariæ, Benedictus Dominus Deus Israel, esset inceptum, repente vidi in plena vigilia corporalibus oculis ignem grandem, horribilem, instar feretri formatum, spissum et rubeum, super magistri Joannis sepulcrum quasi de aere venientem, et circa ac extra fenestram vitream mihi tunc directe oppositam atque ad latus prædicti sepulcri in pariete alte sitam apparentem. Quo igne viso admirans, imo aliqualiter territus, dixi Fratri tunc prope me stanti : Vide, vide. Quo oculos erigente, nec quidquam ejus quod sibi ostendi vidente, mox intellexi mysterium latere, illumque ignem signare supplicium quo præfati magistri spiritus torqueretur. Mansit demum ignis ille in loco præscripto fixus non multum diu, sed tanto circiter tempore quo unus psalmus mediocriter longus posset proferri, et subito ex oculis evanuit admirantis. Finitis Matutinis non parum afficiebar, alterabar et flebam. Nil tamen certi cognovi an prænarrati magistri anima esset damnata, an remediabilibus deputata tormentis, et inter hæc duo fluctuabam : nempe ex una parte oriebatur mihi spes bona, quia hujusmodi apparitiones taliter factæ solent quid boni portendere ; ex alia parte verebar oppositum, attendendo pluralitatem beneficiorum, practicarum, pecuniarum præinducti defuncti. Unde non multo plus quam ante pro præfato defuncto oravi, quia nil certi cognovi, quam quod a primo die quo apud nos fuit sepultus, pro ipso orare nusquam cessaverim ; et hæc fortassis una causarum est cur hæc mihi præ ceteris Fratribus meis me multo melioribus sunt ostensa.

At vero anno sequente immediate post annum quo quod retuli vidi, rursus eadem hora qua supra, quum prænarratum Officium pro sæpe dicto defuncto legeremus, vidi quasi speciem ignis circa fenestram prædictæ fenestræ proximam, atque altari quo corpus Salvatoris reservatur magis propinquam ; istiusque ignis species a præfato igne videbatur differre, quia per modum albæ et tenuis flammæ apparuit. Sed ex hac apparitione denuo nil certum cognovi, nisi quod plus quam ante speravi de meliore, quod item pœna dicti magistri esset non minime mitigata.

Postremo, hoc anno, eadem hora qua et ante, quum pro præexpresso defuncto pars Officii defunctorum prænominata inciperetur, accidit mihi aliquid plus quam duo superius recitata : quod utique invitissime, imo pro nulla re panderem, nisi magnitudo causæ exigeret, ipsaque res salutem concerneret animarum, et potissime quia hujusmodi revelationes fieri solent ut manifestentur. Itaque, quum candelæ accensæ dicti defuncti superponerentur sepulcro, incipereturque psalmus, Miserere mei, Deus, statim recordabar defuncti præfati, proponens oculos ad prætacta loca dirigere, si forte iterum quid viderem. Vixque hoc ipsum mente concepi, et ecce subito veni ad tantam mentis alienationem et abstractionem, quod simile vel æquale raro contigit mihi : tantam equidem, quod nec oculos aperire, nec cum ceteris verba psalmodiæ proferre, nec ut alii super pedes stare valebam ; unde nec exterioribus oculis quidquam ut ante videbam, sed nec imaginariam hujusmodi visionem, sed intellectualem dumtaxat. In qua utique plus quam scribere queo aut

audeo, superbenignissimus Deus mihi suo A indignissimo servulo ostendebat, præsertim quam subtilia, imperscrutabilia et occulta sunt ejus judicia; maximamque mihi infudit de prædicti magistri Joannis salvatione, id est non damnatione, fiduciam, et quam piissimum esset fideliter ac instanter orare pro ipso, quam etiam negligenter ac damnabiliter, imo et infideliter se haberent exsecutores testamenti prædicti magistri, non exponendo debito modo ejus pecunias ad animæ ejus salutem. Præterea id cognovi, quod utique B multa bona puncta in præfato magistro fuerunt, quodque delectationibus gustus et tactus instar multorum non fuerit deditus, sed laboriosus in libris ac plurimum studiosus, commune bonum Ecclesiæ diligens ac promovere desiderans, pecunias etiam suas ad spiritualia ordinans. Hinc
Ps. xxxv, 7. Deus, cujus judicia abyssus multa, volens præfato misereri magistro, privavit eum in hoc mundo honore disposito ac statu magnifico, ad quos præfatus magister aliquando non parum culpabiliter, ut timen- C dum est, adspiravit. Insuper tulit eum de medio. Et ut confidenter dicere possum, Deus sublimis, benedictus, sapiens infiniteque bonus, ex sua immensa clementia dedit dicto magistro in ultima sua ægritudine gratiam veræ contritionis; et sicut ante tardissimus fui ad hoc credendum, ita nunc firmissime credo et teneo. Nec tamen ob hoc quisquam pluralitate beneficiorum gaudens pecuniarumque thesauros colligens, vana immoderataque spe fallat se ipsum, quum scriptum sit : Nihil Eccli. x, 10, 9.
iniquius quam amare pecuniam; avaro nihil scelestius, hic enim animam suam habet venalem. Amplius, una hirundo non facit ver. Nec paucorum privilegia in regulam sunt trahenda.

Hæc, venerandi Domini, vestris Reverentiis scripsi, quoniam exsecutores dicti magistri defuncti præcipui estis. Habeatis vos caritative, pie ac diligenter, quemadmodum ipse etiam moriens confidebat de vobis, etc.

Omissis reliquis summatim subjunxerunt Colonienses editores :

Deinde hortabatur in epistola frater Dionysius præsertim ut cum effectu intenderent exsecutioni de fundatione ac dotatione monasterii in honorem beatissimi Hieronymi intra oppidum Ruræmundense ædificandi, juxta mentem ac ultimam voluntatem ipsius testatoris : quod et postea citius curaverunt adimplere, monasterium Regularium construentes ad honorem gloriosi Hieronymi presbyteri ac pœnitentialis vitæ præclari primicerii; ipsique fratri Dionysio pro sua admonitione ipsis sic facta gratias immensas reddiderunt.

EPISTOLA

AD MAGISTRUM QUEMDAM COLONIENSEM

Interim vero Joannes Tollner, præcipuus, ut videtur, ultimæ voluntatis Joannis de Lovanio exsecutor, « considerans quod in Romana Curia residet ad prosequendum litem, nec ei adest facultas mandato obsequendi », instrumento publico renuntiavit officio die 7ª maii 1439. Cujus in locum subrogatus est Christianus de Erpel, Beatæ Mariæ ad Gradus Coloniensis præpositus. Hunc ergo nominatim interpellavit Dionysius præsenti epistola, primæ argumento simillima, circa annum 1444 vel paulo post, quia priori monitioni sat promptus non successerat effectus. — Exstat apud Dorlandum, in Chronico Cartusiensi, lib. VII, cap. XXII et XXIII. Coloniæ, apud Petrum Cholinum, 1608.

EXCELLENTI Magistro N. frater Dionysius salutem dicit.

Cupio rem aliquam, doctissime Magister, tuæ aperire sapientiæ : quam, et urgente conscientia, et Priore nostro præcipiente, aperire compellor. Licet Isaias
Is. XXIV, 16. propheta velit secretum suum sibi soli esse secretum, tamen Salvator Christus
Matth. X, 27. Dominus hortatur nos, dicens : Quæ auditis in aure, prædicate super tecta. Unicui-
I *Cor.* XII, 7. que enim (ut nosti) datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, videlicet aliorum. Sed hæc dona reprobis bonisque commu-
Num. XXIII, XXIV. nia sunt. Nam et prophetiæ spiritus Balaam est ariolo attributus, et Judas proditor apostolatus apice est insignitus, cujus fictam conscientiam Dominus tetigit, di-
Joann. VI, 71. cens : Nonne duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est ? Non igitur semper censendi sunt meliores in quibus hæ gratiæ gratis datæ exuberare videntur, quum
Ibid. X, 41. et sanctissimus Baptista Joannes nullum legatur edidisse miraculum aut signum. Quæ idcirco dixerim, ne videar cuiquam jactitare me ipsum, atque hoc pacto indignum me constituam cui habeatur fides, et res ipsa suo frustretur effectu. Et quidem quæ narrare institui, poteram ego in tertia persona quasi de alio recitare : quod et majorem prætenderet humilitatem, licet forsan non ampliorem induceret fidem. Sed quia quæ videntur certiora sunt quam quæ ab aliis audiuntur, hinc testem invoco eum illum qui per Jeremiam clamat, dicens, Ego sum testis et judex, nihil extra *Jer.* XXIX, 23.
veritatem dicturum me, sed quæ his oculis vidi, fideliter narrantur.

In medio chori nostri tumulatus jacet bonæ recordationis magister Joannes de Lovanio, Xantensis olim præpositus. Tribus jam annis a suo obitu evolutis, dum in die anniversario sui Officium pro eo defunctorum in choro a Fratribus legeretur, contigit quod subjicimus. Nam dum caneretur Zachariæ hymnus, Benedictus Dominus Deus Israel, repente vidi in plena vigilia corporalibus oculis ignem grandi flamma instar feretri constructum, tanquam si in feretro ipse jacens flammis ultricibus ureretur. Erat autem ignis obscurus, ater, flammivomus, qui sursum in aera conscendens, terribilem præbebat adspectum. Unde territus, Fratrem qui juxta me stabat pulsans, hortabar ut adspiceret.

Quumque ille nihil tale videret, intellexi mysterium esse, et ex hoc igne qui feretrum ambiebat, collegi animam doctoris igne torqueri. Regressus ergo ad cellam, afflixi animam mœrore, plurimum lacrimans quod nescirem an doctoris anima posset pœnarum suarum invenire remedium. Considerans nimirum quod pinguia et plurima habuisset beneficia, quodque grandes apud se habuisset pecuniarum acervos, timere cœpi ne æternis esset suppliciis mancipatus. Hi enim tales sæpe digni sunt morte.

Venit deinde annus secundus, et vidi simili tempore et loco super defuncti sepulturam flammas quas ante videram, clementiores tamen et blandiores quam exstiterant primæ. Hinc lætus intellexi eum in loco esse veniæ constitutum.

Porro anno tertio, inter nocturnas vigilias defunctorum plus solito aliquid vidi, quod rerum necessitas me aperire compellit. Accensis quippe supra ejus sepulcrum candelis, quum Fratres inciperent psalmum, Miserere mei, Deus, cecidit super me mentis excessus, adeo ut nec oculos aperire, nec psalmos canere, nec super pedes stare possem. Habui vero tunc non imaginariam, ut ante, sed visionem mere intellectualem, in qua mihi Deus optimus maximus ostendit indigno quæ nec valeo nec etiam scribere præsumo. Vidi nempe
Rom. xi, 33. quam inscrutabilia sint judicia Dei, et quam sint investigabiles viæ ejus ; et de futura hujus magistri salvatione, Deo revelante, cognovi quam esset pium pro hujus anima Deum deprecari, et quam impie, infideliter ac damnabiliter ejus agerent exsecutores testamenti, qui congestam ejus pecuniam nequaquam in animæ ejus expendant adminiculum. Agnovi præterea quod multa hic magister pietatis habuerit insignia, ob quæ Deus miserator eum adspexit. Nequaquam enim fuerat (uti sunt plurimi, heu ! prælatorum) concupiscentiis infectus tactus et gustus, sed sobriam semper ac pudicam traduxit vitam. Amabat spiritualium studia litterarum, et publi- **A** cum Ecclesiæ bonum instituere ac promovere curabat. Congestas opes in pios tribuendas usus instituit. Sed exsecutores ejus infideliter agunt. Insuper, dum in extremis ageret, gratiam veræ contritionis donavit ei Deus. Caveat tamen quilibet prælatus qui pluribus beneficiis et pecuniis gaudet, ne hanc sibi gratiam speret adfuturam : sciens quia privilegia paucorum non faciunt legem communem, nihilque esse iniquius quam amare *Eccli.* x, 10 9.
pecuniam, et quod nihil sit avaro scelestius **B** ; sciens quoque quod qui pecuniam habent, difficulter regnum Dei consequentur. *Marc.* x 23.

Te igitur, reverende Magister, qui inter exsecutores hujus viri præcipuus electus es, oro atque obtestor per eam fidem quam hic in te esse arbitrabatur, ut omni repulsa dilatione, ultimam testatoris impleas voluntatem, ne in te ira Dei desæviat. Vincit, fateor, affectio rationem, et veritate neminem palpante, durius scribo quam volebam. Verum etiam me tacente, tu ipse **C** nosti quam sit impium et periculo plenum vota negligere testatoris. Omnino extra viscera longe exsulat caritatis, et omni est fraterno spoliatus amore, qui sua negligentia aut vecordia miseras amicorum suorum animas in purgatorii flammis ardere permittit, quum dicat sanctus pater Augustinus, nulla vitæ præsentis supplicia, etiam si universa congerantur, purgatoriis esse tormentis ullatenus coæquanda. Hæc tecum sapienter pensites velim, ut id agas ocius in anima proximi **D** quod tibi in similibus pœnis cuperes impendi. Ac ne te, mi Domine præstantissime, videar præterisse, oro obnixe sapientiam tuam, qui et nummis pluribus ac beneficiis gaudes, ne simile te aut certe gravius periculum apprehendat. Nihil enim tibi proderunt divitiæ, quæ suum possessorem a morte liberare non possunt. Noli igitur vanis spebus extolli ; sola est veritas quæ liberat ab omni malo. Tuum est ergo a caducis et fragilibus bonis mentem avertere, mansuris et supernis opibus

inhiare, spiritualibus epulis delectari, non A humanis perditorum moribus, sed angelicis virtutibus conformari, iter aliis vita et doctrina ad cœlum pandere, pecunias non congerere, sed inopibus et miseris erogare, paucis contentum vivere, et semper Christi sermonis meminisse, qui ait : Discite a me quia mitis sum et humilis corde. *Matth.* XI, 29.

Vale, mi Domine ; et dum hæc publicaveris, cave, obsecro, ne nomen meum seu personam aliis reveles.

EPISTOLA AD ARNOLDUM

DUCEM GELDRIÆ EJUSQUE FILIUM

« Arnoldus, Dux Geldriæ, disponens movere bellum in Adolphum filium sibi rebellem, priusquam uterque est captivitati addictus, deprecatus est patrem Dionysium ut mediatorem se objiceret ante Deum, ne tanta mala ipse fieri permitteret. Oravit Dionysius, et quod sibi fuerat revelatum aperuit, scribens ducibus utrisque sic. » Ita Dorlandus in Chronico suo Cartusiensi, lib. VII, cap. XIII (Coloniæ, apud Petrum Cholinum, 1608), ubi præfatam videre est epistolam. Quam proinde ad annum 1458 pertinere, ex præinductis perspicuum est. Cf. etiam Tromby, Storia del Patriarca S. Brunone, tom. VIII, append. p. CCLI. Napoli, 1778.

ILLUSTRIBUS et spectatissimis Principibus frater Dionysius Cartusiensis in Domino pacem et salutem.

Rumores tristes quos in profesto Epiphaniæ Domini a nuntio percepi, mentem meam prostratam vehementius afflixerunt. Hinc toto corde ad misericordem Dominum confugi, et fusis lacrimis ipsum sum per viscera sua deprecatus, ut sua incomparabili pietate, licet id scelera nostra non mereantur, imminentia terræ Geldrensi pericula dignetur avertere, et in malis tam grandibus ocius subvenire. Et
II Cor. I, 3. ecce Pater misericordiarum, et totius consolationis suavissimus Deus, qui nunquam
Ps. L, 19. corda contrita contemnit, et fusas cum lacrimis preces amoris semper exaudit, me indignissimum hominem hac nocte per suum angelum piissime visitavit, et de multis me dignanter instruxit. Adstitit enim mihi sanctus Dei angelus, et ostendit mihi populi hujus terræ scelera, atque magnatum prælatorumque transgressiones, susurros etiam maligni hostis, qui per mille aditus artes nocendi inquirit, ut totam hanc terram inquietet, conculcet, depopuletur. Et justo Dei judicio terra hæc dabitur in manus impii, nisi operibus

A pœnitentiæ et pietatis studueritis vindicem Dei manum flectere et mitigare. Pater in filium et filius insurgit in patrem, et omnia sunt litibus et discordiis plena. Nescitis quia omne regnum in se divisum *Luc.* XI, 17.
desolabitur? Nescitis quod sicut res parvæ concordiis crescunt, ita et res magnæ discordiis dilabuntur? Quanto inter principem patrem et suum filium est concordia ipsa præclarior, tanto discordia fœdior esse noscitur, turpior, periculosior, exitiabilior. Audite igitur, o Principes, volunta-
B tem Dei vestri. Hortatur enim vos per me peccatorem Deus miserator, qui mortem *Ezech.*
non quærit hominis peccatoris : hortatur, XVIII, 32 ; XXXIII, 11.
inquam, vos et populum subjectum vobis, ut sine mora pœniteamini, ut avertat se quisque a via sua scelerata, et ab iniquitate quæ est in manibus ejus, condignos agendo pœnitentiæ fructus. Pacis fœdera ineat cum filio pater. Quod si per tractatus aliquos pax non statim arriserit, ne desperetis, quia adjutore Deo brevi tempore pacem videbitis adesse. Interea per to-
C tam patriam hanc nostram in collegiis, in monasteriis, in cunctis denique congregationibus sanctis instituantur orationes, celebrationes, pietatis et pœnitentiæ exer-

citationes. Instituantur etiam per temporum intervalla solennes processiones cum jejuniis, lacrimis et disciplinis, quibus humiles et contriti provocemus ad miserendum indulgentiam Dei. Placatur enim Deus contriti cordis sacrificio.

Et nunc, serenissimi Duces, hunc Dei nostri ad vos sermonem, hanc nostræ parvitatis exhortationem prona et benigna mente suscipite : suscipite, inquam, hoc nostrum verbum sicut est vere verbum Dei, nec per quem, sed a quo vobis transmittatur. Nolite mirari si Deus piissimus ad me servulum suum loqui dignatus sit, quum in Job ita scribatur : In visione nocturna aperit aures virorum Deus, et erudiens eos instruit disciplina, ut avertat hominem ab iis quæ fecit (hoc est a scelerata nequitia quam commisit), ne transeat in gladium. In plena vero vigilia ostensa hæc et revelata sunt mihi, vigilias noctis in orationibus me agente, et super hac causa vestra animum intendente. Non ergo vanitati hæc tribuantur, sed causæ magnitudini et necessitudini communis boni. Dona nempe gratiæ datis datæ in aliorum utilitatem ab Altissimo conferuntur. Ea igitur abscondere, grave delictum est, et publico bono contrarium. Valete.

Job XXXIII, 15-18.

Teste vero eodem Dorlando, hæc epistola tantum valuit apud Duces, ut a bello sese continuerint, et patriam ab imminente clade liberaverint.

EPISTOLA

QUA RESPONDET QUIBUSDAM QUÆSTIONIBUS

Quis fuerit vel ubi degerit Arnoldus iste, plane nos latet, nec quantacumque adhibita diligentia, deprehendere valuimus. Unum dumtaxat ex ipsius epistolæ tenore patere videtur, hanc videlicet post annum 1453, et verisimiliter circa annum 1460 scriptam fuisse. Exstat in tomo I Operum minorum Dionysii, fol. 326. Coloniæ, apud Joannem Soterem, 1532.

REVERENDO AC PROBO VIRO, DOMINO AC MAGISTRO ARNOLDO CAMPION, DOCTORI JURIS ET ADVOCATO, ETC., DOMINO ET PRÆCEPTORI SUO CARISSIMO.

ZELO Dei fervere.

Reverende Domine doctor, libellus de Modo corripiendi et judicandi, quem cupit Dominatio tua, est in domo Ordinis nostri prope Leodium, et venerabilis Pater Prior domus illius mittet pietati tuæ ; vel, si placet, mittas ad eum ut mittat. Multa alia opuscula continentur in libro illo in quo inter cetera præfatus continetur libellus. Composui etiam specialem tractatulum contra Superstitiones ; sed haud scio an et ille tractatus contineatur in libro prætacto.

Porro ad ea quæ circumspectio tua quærit, puto dicendum, quod infirmitates illæ denominantur a Sanctis, non quia infligantur ab eis, sed potius quia ob speciale meritum eorumdem datum est eis privilegium quoddam virtutis curandi hujusmodi morbos. Nihilo minus ad commendandam justitiam Dei et merita præclara Sanctorum, leguntur interdum quidam in se ipsis atque in posteris suis plagati propter injurias Sanctis illatas : ut in Legenda S. Remigii patet de gutturosis. Et idem fertur C de patientibus furiam S. Joannis. Posteri quippe quantum ad corpus frequenter A puniuntur propter suorum peccata parentum, a quibus secundum corpus exorti sunt.

Præterea, quod tangis de liberatione ægrorum per æquipondus, videtur quia si materiæ tales offerantur Deo ad reverentiam suorum Sanctorum, ad impetrandum patrocinia ipsorum, nec in ipsa æquiponderatione habeatur fiducia quasi æqualitas ponderis specialem vim sortiatur efficiendi quod petitur, sed ideo æquiponderatio adhibeatur, ut aliquid boni ac liciti deno- B tetur, utputa ad designandum quod æger se totum offerat Deo et Sancto qui invocatur, seu aliquid tale, non apparet esse superstitiosum neque illicitum : alias videretur profanum. Et huic responsioni concordare, imo vim conferre videtur quod Thomas scribit in secunda secundæ, quæstione nonagesima sexta, in solutione quæstionis qua quæritur, an suspensio sacrorum verborum ad colla sit licita. Ubi inter cetera ait : Cavendum est ne cum verbis art. 4. divinis et sacris vana aliqua conjungantur, ut sunt quidam characteres, præter signum crucis, et ne spes habeatur in modo scribendi vel ligandi, aut simili vanita-

te, quæ ad reverentiam Dei non pertinet. A Hæc Thomas.

Amplius, quod quæritur, cur cura ignis S. Antonio potius adscribitur quam B. Laurentio, qui ignis incendio coronam est adeptus martyrii, videtur ita solvendum, quod magnus ille Antonius diuturno ac gravi conflictu ignem libidinis vicit : unde et S. Genovefæ adscribitur. Sed cur potius uni Sancto quam alteri Deus talem virtutem curandi largitus est, non debemus immoderate aut curiose inquirere.
Rom. XI, 34. Quis enim consiliarius ejus fuit ? Et ipse B
I Cor. XII, 11. dividit dona sua prout vult, qui solus novit omnium corda et secretissima merita universorum, et quid amplius deceat fieri.
Prov. XVI. 2. Unde et Salomon : Spirituum (inquit) ponderator est Dominus.

Postremo, quod tangis, cur peregrini S. Cornelii oblationem suam non solvant nisi mendicatim collectam, etiam si abundent : quocirca videtur, si mendicatio illa ex tenacia seu cupiditate procederet, plane illicita esset, et oblatio minus accepta : quæ non est accepta ex opere operato, sed C solum ex opere operante, id est devotione, fide et pietate offerentis. Si autem mendicatio fiat pro majori mendicantis humiliatione, et ut materia illa humiliter postulata atque ex aliorum caritate et pietate seu liberalitate misericorditer præstita, reddatur acceptior; commendabile esse videtur, præsertim si et taliter mendicantes de rebus propriis pauperibus communicent largius, pro eo quod pauperum dona, id est eleemosynas, quæ pauperibus potius essent erogandæ, præripuisse seu saltem accepisse videntur. Ista pro præsenti occurrunt, quæ sapientiæ tuæ judicio discutienda et emendanda relinquo.

Venerabilis Pater noster Visitator jam in ultima visitatione mihi commisit ut apud me servem copiam epistolarum hujusmodi, seu responsionum et opusculorum quæ aliis mitto. Sed quia mihi non bene vacat talia exscribere, opto ut copiam hujus epistolæ, alterius quoque in qua nuper respondi ad quædam dubia mihi a tua probitate proposita, scilicet de petrinis, etc., et multis quæ exciderunt memoria, remittere mihi dignemini. Valeat semper in Christo caritas tua, et oremus pro nobis invicem, ac pro bono communi Ecclesiæ et terrarum istarum, quia undique circumdamur malis; præcipiasque mihi.

Tuæ Dominationis orator et servus, frater Dionysius Cartusiensis in Ruræmunda.

LIBELLUS SUPPLEX

DUCI CAROLO AUDACI OBLATUS PRO NOVA CARTUSIA S. SOPHIÆ CONSTANTINOPOLITANÆ APUD SILVAM DUCIS CONSTRUENDA.

Ordinatione Reverendi Patris Cartusiæ, D. Joannis de Rosendael, sub die 3ª julii anni 1467, Cartusiæ Sanctæ Sophiæ in Eyckendonck prope Buscoducum Rector institutus, eodem anno 1467 vel sequenti Dionysius ad Carolum Audacem Burgundionum Ducem et Hollandiæ Comitem, supplicem hunc direxit libellum, quem pariter exhibent Raissius in Originibus Cartusiarum Belgii, p. 131 (Duaci, typis Martini Bogardi, 1632), et ex eo Tromby in Storia del Patriarca S. Brunone, tom. IX, append. p. LXVI. Napoli, 1779.

PRÆPOTENTISSIME et gratiosissime Princeps, petunt humillime et affectuosissime illustris dominus Arnoldus dux Geldriæ et Juliacensis, et Zutphaniæ comes, etc., et totus sanctus Ordo Cartusiensis, licentiam et admissionem erigendi parvum monasterium duodecim monachorum et familiæ competentis Ordinis Cartusiensis prope Silvam Ducis, fere per distantiam unius leucæ vel dimidiæ, in quodam loco dicto Querceto, vulgo Eyckendonck, et ex eleemosynis per dictum dominum Geldriensem filiumque ejus ac matrem ejus ac illustrem ducem Clivensem collectis, et specialiter a quodam sacerdote quondam canonico Silvæducensi. Insuper petunt humillime prædicti propter Deum et salutem animarum, licentiam possidendi et utendi licite bonis jam habitis et justis titulis gratia Dei acquirendis usque ad sobriam competentiam pro duodecim monachis et familia competente, sed ad summam centum quinquaginta lib. Fl. grossorum annuorum redditaum, sic tamen quod bona prædicta a juribus Principis et patriæ non eximantur, sed quod maneant cum talibus oneribus quibus fuerunt ab aliis possessa; ac etiam eamdem novellam plantationem
A cum omnibus suis causis et negotiis, in vestram suscipere specialem salvigardiam et protectionem.

Insuper petitur ut vestra Celsitudo dignetur de bona affectione oblatum titulum et honorem patronatus dictæ plantationis in se suscipere, ac eidem, ut principalis fundator, sanctum Patronum cui magis afficitur, præficere et assignare : qui Patronus et Sanctus, propter honorem quem vestra gratiosa Celsitudo ei in hoc ostendit, liberabit eamdem vestram Celsitudi-
B nem ab inimicis, et postremo pacem et victoriam (ut speramus) dabit. Quem Patronum desiderant prædicti ut vestra Celsitudo in hac schedula propria manu signare et scribere dignetur. Non obstantibus, in præmissis indultis, quibuscumque quomodolibet in contrarium facientibus. Ad laudem Dei, gloriosæ virginis Mariæ et S. Andreæ ac omnium Sanctorum, et pro salute animæ gratiosæ Celsitudinis vestræ et pace.

Subscriptio.

C Fiat ut petitur, in honorem S. Sophiæ Constantinopolis civitatis.

CHARLES.

PROTESTATIO

AD SUPERIOREM SUUM

PROTESTATIO

AD SUPERIOREM SUUM

QUO MOTIVO SUA IN UTRUMQUE TESTAMENTUM CONSCRIPSERIT COMMENTARIA, OPERAQUE RELIQUA

En, optime lector, ultimus fertilissimi calami fetus, quem anno 1469, quasi pro coronide tot et tantarum elucubrationum pius auctor enixus est. Nam, quum exacto tractatu de Meditatione, eodem anno 1469, « de cetero ad securæ taciturnitatis portum transferre » se intenderit, ut « ad securum exitum » se pararet (cf. supra, p. 90 B'), prorsus scribere destitit, nec aliud quidquam, nisi forsan quasdam epistolas et hanc quam subjicimus protestationem, exaravit. Quam et nos, in fine longissimi hujusce operis, etsi jam in prolegomenis impressam (tom. I, p. LXXI), velut cycneum melos, apponendam judicavimus.

A EGO frater Dionysius toto corde profiteor quod sacram Scripturam exponere, parvitatem meam omnino transcendit, tam quantum ad scientiam et rationem professionis (quia monachus sum, cujus est lugere et illuminari, potius quam docere vel illuminare), quam ratione vitæ meæ, in tantum imperfectæ et miseræ. Sed in bonitate et gratia Spiritus Sancti, qui
I *Cor.* I, 27, 28. abjecta et contemptibilia et ea quæ non sunt, infirma quoque et stulta mundi eligere consuevit, confidens, hucusque exercitium istud continuavi, et quantum in
B me est, paratus sum prosequi, dummodo sapientiæ vestræ judicio placitum fuerit. Deprecor autem bonitatem Spiritus Sancti, ut in id quod est magis ad gloriam suam, et meum et aliorum profectum, mentem vestram inclinare dignetur.

Præterea fateor, quod quantum me ipsum pro viribus examinando deprehendere queo, non sum mihi conscius quod ex aliqua vanitate, vel propter finem vilissimum, scilicet propter famam, vel aliquid tale privatum temporaleve commodum, exercitium istud assumpserim vel prosequi optem : imo potius, ut occupando me quotidie in Scripturis, secundum eas vivere valeam, veniendo ad veram humilitatem, mansuetudinem, patientiam, quibus summe indigeo. Et si aliter est, vel alio fine hæc ago, tunc sum bene et nimis miserrimus, utputa documentis sacræ Scripturæ tam inaniter et insipienter abutens.

Totis tamen præcordiis Deo gratias ago, quod tam juvenis Religionem ingressus sum, utputa viginti unius anni exsistens. In qua nunc per gratiam Dei quadraginta sex annis permansi : in quibus assidue, Deo laus, exstiti studiosus, et multos legi auctores : scilicet super Sententias, Thomæ, Alberti, Alexandri de Hales, Bonaventuræ, Petri de Tarento *, Ægidii, Richardi *Tarantasia
de Mediavilla, Durandi et aliorum. Libros etiam sanctorum : Hieronymi super omnes

Prophetas, et alia multa volumina ejus, A Augustini, Ambrosii, Gregorii, Dionysii Areopagitæ doctoris mei electissimi, Origenis, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli, Basilii, Chrysostomi, Damasceni, Boetii, Anselmi, Bernardi, Bedæ, Hugonis, Gersonis, Guillelmi Parisiensis. Præterea Summas omnes vulgares et Chronicas, totum Jus, canonicum et civile, quantum mihi conveniebat, multos commentatores utriusque Testamenti, et quidquid naturalium philosophorum habere potui, Platonis, Procli, Aristotelis, Avicennæ, Algazelis, Anaxagoræ, B Averrois, Alexandri, Alphorabii, Abubatheris, Avempote, Theophrasti, Themistii, ac aliorum. Verum quo exercitium istud magis est spirituale, laboriosum, studio et negotio plenum, eo videtur mihi salubrius, sive accommodatius ad mortificationem sensualitatis et carnalium desideriorum. Fecit etiam libentius me manere in solitudine.

Quamvis insuper Scriptura sit multum evidenter et copiose exposita a magnis doctoribus, sanctisque Patribus : tamen (ut C Gerson scribit) sicut exterior gustus secundum personas et tempora diversificatur, et nunc isto nunc illo cibo delectatur, interdum quoque vilioribus eduliis amplius exhilaratur et confovetur; ita et de interioris gustus palato censetur. Unde in fine secundi Machabæorum inducitur, quod alternis uti delectabile est, et nunc aqua nunc vinum delectat. II *Mach.* xv, 40. Postremo Gerson docet, quod in mensa sapientiæ nova semper fercula proponi debent. Absit tamen a me, abjecto atque vilissimo, ut arbitrer me in mensa sapientiæ recentia fercula posse ponere. Sed, ut S. Hieronymus ait, in domo Dei unusquisque offert quod potest, nec aliorum opes aliorum inopia queunt fœdari, imo magis ornantur : quia opposita juxta se posita magis illucescunt. Item, secundum Augustinum in libro de Trinitate, expedit de eadem materia plures fieri libros, quia non omnium scripta ad omnes deveniunt. Et secundum eumdem, nova aliquibus amplius placent et conferunt.

Sunt autem et aliæ causæ me moventes, quas propter brevitatem omitto, et ne me ad obtinendam licentiam videar nimis armare. Nec istas tetigi intentione armandi me, etc., sed ut juxta Vestræ Paternitatis commissionem scriberem atque ostenderem vobis quid cordis in isto exercitio geram. Itaque sub Paternitatis Vestræ correctione scripta sunt hæc, quia et hæc scribere mihi commisistis.

OPERA INEDITA

OPERA INEDITA

Quamplurimarum elucubrationum suarum non modo non archetypa sed ne exempla quidem apud se servasse, haud semel questus est Dionysius, qui nimirum ad instantiam amicorum vel aliorum longe dissitorum plerasque conscripsit, et cui non suberat tempus tot et tantas pluries exscribendi. Tantummodo circa annum, ut videtur, 1455, a Visitatoribus Provinciæ jussus est scripta sua sedulius asservare, ipso testante : « Venerabilis Pater noster Visitator jam in ultima Visitatione mihi commisit ut apud me servem copiam epistolarum hujusmodi, seu responsionum et opusculorum quæ aliis mitto. Sed quia mihi non bene vacat talia exscribere, opto ut copiam hujus epistolæ, alterius quoque... remittere mihi dignemini. » (Ad Arnold. Campionem, supra, p. 620 B'.) Ex tunc igitur apud Ruræmundenses Cartusianos compacta sunt « ingentia aliqua volumina » quæ, ducurrente tempore, ad spectabilem molem 150 codicum excrevere. (Acta SS., XII Mart., p. 242, n° 1.) Sed ex præcedentibus multa defecisse, eodem confitente, novimus : « Libellus de Modo corripiendi et judicandi, quem cupit Dominatio tua, est in Domo Ordinis nostri prope Leodium... Multa alia opuscula continentur in libro illo, in quo inter cetera præfatus continetur liber. » (supra, p.619 A.) Plurima alia apud Diestensem Cartusiam asservata esse, tradit Loerius (infra, tom. XLIII, p. 41) ; item et in Conventu Regularium in Leiderdorp scriptor coævus, quisquis sit, catalogi Brugensis sive Oxoniensis.

Quamobrem non modicum negotii facessivit Loerio cura ea undique conquirendi ; et nullo licet pepercerit labori, non pauca quæritantem effugerunt, ut ipse ejulans ad D. Joannem Zulre anno 1532 contestatur : « Sunt autem qui sequuntur, quos perditos dolemus : de Divina essentia, de Discretione spirituum, de Profectu caritatis, de Perfectione caritatis, de Elevatione mentis in Deum, de Deformatione et reformatione Ecclesiæ, de Visitatione claustralium, de Officio legati, de Custodia cordis, de Proprietate monachorum, de Via purgativa, de Triplici via, de Honesta conversatione clericorum, de Regulis vitæ christianæ. » (infra, tom. XLIII, p. 41.) Ex quibus alia, ut de Perfectione caritatis, de Discretione spirituum, de Custodia cordis, de Via purgativa, de Regulis vitæ christianæ, postea inventa sunt et edita, alia adhuc desiderantur. — Sed nec ipse Loerius in præmissis omnia deperdita enumerat, nam anno 1609, in sua Bibliotheca Cartusiensi, præter recensita, ut nondum inventa obelis suis indigitat Petreius : de Regimine prælatorum, Dialogum inter Christum et principem, de Vita et exemplis antiquorum Patrum ; quorum duo postmodum reperit et edidit ipse, de Discretione spirituum et de Regimine prælatorum. — Imo si locupletissimum a Loerio concinnatum evolvamus indicem (tom. I, p. XLIX), titulos viginti et amplius offendemus cum notula, Nondum inventum, aut, Deest in editis, nempe : Epitomen ex Guillelmi Antisiodorensis Summa (n° 45), de Ente et essentia (51), de Scientia universalium (52), Dialogum inter theologum et philosophum (56), Contra artes magicas (61), de Divina essentia (64), Meditationes divinæ passionis (74), Dialogum inter Christum et sacerdotem (78), de Deformatione et reformatione Ecclesiæ (86), de Officio legati (93), de Honesta conversatione clericorum (97), Dialogum inter Christum et principem (101), de Vita et exemplis Patrum (111), Instituta et collationes Patrum secundum Dionysium (112), de Institutione et regula Ordinis Cartusiensis (113), de Vita solitaria (118), Contra vitium proprietatis monachorum (132), de Actu visitationis (136), de Triplici via (145), Dialogum de caritatis profectu (164), præter carmina varia, epistolas quamplurimas, collationes et sermones, et solutiones dubiorum sine numero (169-175, 179-182, 186), ita ut nonam propemodum totius Dionysianæ scriptionis partem fatendum sit excidisse.

Ut igitur injuncto nobis probe fungeremur officio, et proposito in primordiis hujusce editionis (tom. I, p. XVII) assumpto faceremus satis, non unum dumtaxat movimus lapidem, sed sive per nos sive per amicos, quibus hic gratiam rependere libet, bibliothecarum latebras, quotquot nobis patuerunt, scrutare non omisimus, et hujuscemodi rerum gnaros et expertos interrogare. Quæ omnia etsi longe ab intento defecerint, non omnino tamen in cassum cecidere. Ut enim de quibusdam taceamus fragmentis Collationis missæ Capitulo generali Fratrum Minorum (170) a R. D. N. Paulus in Monacensi bibliotheca repertis (supra, tom. XXXII, p. 472), egregium quoddam opusculum de Passione Domini per modum dialogi, auctore Dionysio nostro, e codice

papyraceo, n° 41, bibliothecæ Argentinensis seminarii, fauste eruit benemeritus D. Lucianus Pfleger, quod præter inscriptionem, et doctrina et pietas et phrasis et suetus concludendi modus genuinum Doctoris Ecstatici fœtum suadent, quodque, ob argumenti similitudinem, suo loco inter cetera de Christo tractantia (tom. XXXV, p. 265-309) inseruimus. — Quin et in Regia bibliotheca Bruxellensi in Mˢ 2231-2245, quod juxta inscriptionem « Liber Carthusiensium in Ruremunda » olim fuit, inter nonnulla Dionysiana, in sermonem quemdam utilissimum ad religiosos de Nomine monachi, necnon et in alium de Temerario judicio incidimus, quos ut vere Dionysianos et nunquam hucusque excusos hic fidenter subjicimus.

SERMO UTILISSIMUS AD RELIGIOSOS

DE NOMINE MONACHI, ETC.

A VIDENS Jesus *civitatem* Jerusalem, *flevit super illam.* Luc. XIX, 41.

Carissimi fratres, cur Dominus Jesus, salvator noster, ingratam ac perfidam urbem deflevit advertamus, ne et nos simus similiter deplorandi et inter illos reprobos computandi. Ideo quippe eam deflevit, quo- *Luc.* XIX, 44. niam tempus suæ visitationis, videlicet adventus et præsentiæ Christi sibi promissi ac missi, non cognovit. Videamus igitur ne et nos tempus visitationis nostræ a Christo parvi pendamus, obliviscamur, et ingrati reddamur. Certe gratiosissime visi- B tavit nos Christus quando corda nostra illustravit, traxit, et de sæculari perditissima vita ad sanctæ religionis ingressum induxit. Huic visitationi invenitur ingra- *Ephes.* IV, 1. tus, qui secundum exigentiam suæ vocationis non est sollicitus digne Deo conversari, qui a carnalibus et mundanis affectibus suam non satagit mentem purificare : quia religiosi ac monachi a Rege cœlorum ad angelicæ vitæ imitationem vocati sunt, ut tanto gloriosiores ac sublimiores exsistant in cœlis, quanto præ cete- C ris spiritualiores fuerint nunc in terris. Eis enim Christus in Evangelio repromisit *Matth.* XIX, 29, 21. centuplum et vitam æternam ac thesaurum in cœlo. Insuper visitat nos quotidie Filius Dei in Sacramento ; venit ad nos, venit in nos, et reficit nos se ipso. Numquid mediocris est gratia, caritas, dignatio et liberalitas ista ? Quanta ergo est culpa nostra, si negligentes, tepidi, passionati et ingrati fuerimus ? Iterum visitat nos Christus assidue per internæ illuminationis infusionem, per consolationem piissimam, per excitationem et inflammationem nostri affectus.

Si ergo post omnia ista in claustro mores sæculi deferimus, nec Spiritus Sancti charismata custodire curamus, quid fiet de nobis quum Judex cœlestis cœperit et ipsas justitias judicare, quando justus vix sal- *Ps.* LXXIV. 3. vabitur? Timeamus ergo, carissimi, ne (sic- I *Petr.* IV. 18. ut ait Salvator) circumdent nos inimici *Luc* XIX, 43, 44. nostri invisibiles et crudelissimi hostes, et coangustent nos undique, atque ad terram prosternant nos, suis nos superando tentationibus, et tandem ad terram tene- *Job* X, 21. brosam et opertam mortis caligine pertrahendo : quia in claustro non claustraliter vivere, summa exstat damnatio. Idcirco cum metu et reverentia serviamus Domino *Hebr.* XII, 28. Deo nostro in officiis ecclesiasticis, nosque in aliis bonis studiis exerceamus diligenter, ut concordet vita nostra cum nomine, et quod humano ore dicimur, in oculis Dei veraciter simus. Ut autem ad monachalis vitæ perfectiones quilibet nostrum ferventius studeat pervenire, placet declarare quintuplicem monachi descriptionem.

Unde sciendum quod Joannes Climacus abbas montis Sinai (cui alius abbas sic scripsit : Supermirabili, æquali angelo, Patri Patrum et doctori superexcellenti), hic,

Scal. parad. grad. I. inquam, Climacus in libro suo quinque A definitiones seu potius notificationes monachi ponit. Quarum prima est hæc : Monachus est qui solum quæ Dei sunt agit, cogitat, loquitur, Christo unitus omni tempore, loco et negotio. Hæc descriptio datur de monacho secundum completam monasticæ vitæ perfectionem : quia ad hoc ordinatur et tendit institutio regularis atque professio monachalis, ut monachus, quantum possibile est in hac vita, transcendat et deserat universa carnalia, transitoria et mundana, omnes suas actiones, cogita- B tiones, affectiones et locutiones secundum legem divinam et regulæ suæ aut statutorum tenorem dirigens et disponens ; sicque solum quæ Dei sunt, id est, quæ Deo sunt placita ac divina, agit, cogitat, loquitur, Christo unitus actualiter, aut saltem habitualiter, in omni loco, tempore atque negotio, quoniam taliter se habendo non peccat, et quamvis venialia, non tamen mortalia peccata conversationi suæ misceantur. Denique, quamvis non sit possibile fragilitati humanæ in vita præsenti actu- C aliter Deo uniri in omni loco, tempore et negotio propter instabilitatem cordis humani, ad hoc tamen tendere quotidie et conari debet monachus, ut auxiliante gratia Dei, in omni loco, tempore et negotio actualiter intentus et unitus sit Deo, quantum possibile est, per meditationem, contemplationem et dilectionem Dei, præcipue tamen per exercitium crucifixæ vitæ ac passionis Domini Jesu, quo utique nullum grandius, nullum admirabilius, nullum amicabilius, nullum superbenedictæ Trinitati D gratius, nullum denique magis meritorium exsistit homini viatori, secundum sententiam devotissimi Ubertini. Unde et honoratus et dilectus dominus doctor Bonaventura sic dicit : Si vis de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de desiderio in desiderium, de amore in amorem, de bono in meliorem mutari, exerce passionem Christi.

Debemus igitur, carissimi, si veri monachi sumus, juxta hanc primam ipsius monachi descriptionem omni tempore vitam Jesu et passionem recolere, et quasi fasciculum myrrhæ omnia quæ Christus passus est pro nobis inter ubera nostra, id est in corde, adstringere, et currere post odorem tantorum beneficiorum, ut more canis venatoris inclinato capite per humilitatem odoratu discretionis Christi vestigia sequamur. *Cant.* I, 12, 3. Sed certe periculose a Christi vestigiis oberrant, longius ab ejus imitatione distant religiosi qui ad opera et labores obedientiæ sunt tardi, imo involuntarii, qui nec piis et rationabilibus atque facilibus superiorum suorum obediunt consiliis et præceptis, nisi forte cum murmuratione ac tædio, sed ad laborandum, scribendum pro proprio usu aut commodo et ad satisfaciendum desiderio propriæ voluntatis sunt ferventes, proni ac agiles, non pensantes quod sanctus ait Bernardus : Qui voluntatem suam quam per votum solenne Deo obtulit resumit, furtum, imo sacrilegium committit. Unde et in Regula sanctus scribit Hieronymus : Hortor, moneo et exoro vos, carissimæ filiæ, ut subjiciatis vos in omni obedientia, timore ac reverentia præpositæ matri vestræ, ut jam omnino nihil aliud velle aut nolle alicui liceat nisi quæ mater mandaverit facienda. Mementote quod in religionis ingressu Christo omnem volendi et nolendi licentiam dimisistis, nisi quæ ejus vices gerentes ordinarent de vobis. Obeditis Christo firmissime, quum præpositæ matri vobis parere studetis. Hæc ille.

Præterea, secunda descriptio monachi a Climaco posita hæc est : Monachus est violentia naturæ indesinens, et custodia sensuum indeficiens. In qua descriptione abstractum ponitur pro concreto, ut sit sensus : Monachus est violentator indesinens sui ipsius. Quum enim dicat Salvator, Regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud, *Matth.* XI, 12. id est, qui sibi ipsis salubrem violentiam inferunt vincendo se ipsos et superando concupiscentias carnis, inordinatos affectus ac motus animi, regnum cœleste merentur (arcta siquidem est via *Ibid.* VII, 14.

angustaque porta quæ ducit ad vitam beatam); hinc constat quod quanto monachus præ ceteris magis abnegavit se ipsum ac propriæ voluntati renuntiavit, tanto plus tenetur superare naturam suam in omnibus, proprias libertates et concupiscentias abjiciendo, omnemque iram, impatientiam, pigritiam, vanam lætitiam, animositatem, curiositatem et carnalitatem penitus evellendo: quæ natura sui dura sunt et aspera, sed spes cœlestium præmiorum et amor Christi facit esse levia. Insuper dicitur monachus custodia sensuum indeficiens, id est custos sensuum suorum interiorum et exteriorum, oculos, aures, gustum, tactum, olfactum jugiter refrenando et gubernando, ne per eos hauriat animæ mortem. Unde Hugo de Instructione noviciorum: Nemo potest venire ad beatitudinem nisi per virtutem, et virtus non alio modo veraciter comprehenditur nisi per disciplinam; disciplina autem est omnium membrorum motus ordinatus et dispositio decens in omni habitu et actione. Disciplina cervicem submittit, deponit supercilia, oculos cohibet, cachinnos moderatur, linguam frenat, iram sedat, incessum format. Talibus decet monachi cucullam distingui margaritis, talibus oportet religiosum ligari vinculis ut recte religiosus dicatur.

Amplius, tertia descriptio monachi est: Monachus est sanctificatum corpus, expurgatum os, et illuminata mens. In qua descriptione ponitur pars pro toto, ut sit sensus: Monachus est homo habens corpus divino cultui consecratum et a carnalibus inquinamentis mundatum, habens etiam os a verbis illicitis purum ac sancto silentio decoratum, mentem quoque illuminatam a Deo ad contemplandum cœlestia et æterna. Ad quam utique contemplationem non perveniunt nisi qui vere et totaliter abnegant se ipsos. Unde dicit Gregorius: Non potest comprehendere quod supra ipsum est, qui nescit mactare quod est. Et rursus Climacus ait: Qui vere obediens est, plerumque stans in oratione fit totus exsultans et illuminosus. (Scal. parad. grad. XVIII.)

Quarta descriptio est: Monachus est mœrens et dolens anima indesinenti mortis memoria. In qua rursus descriptione ponitur principalis pars hominis pro homine ipso. Ad monachum namque pertinet esse in quotidiano mœrore et dolore propter sui ipsius et aliorum peccata. Unde beatissimus Hieronymus in epistola sua ad Riparium et Desiderium presbyteros, dicit quod monachus non habet doctoris sed plangentis officium, qui se vel mundum lugeat, et Domini adventum pavidus præstoletur; qui sciens est imbecillitatem suam, et vas fragile quando portat timet offendere ne impingat, corruat et frangatur. Unde et Climacus: Monachus qui rigat quotidie genas suas aquis viventibus (id est lacrimis) ex recordatione mortis et culparum suarum, cadere nequit. (Scal. parad. grad. VII.) Iste autem planctus seu dolor verorum monachorum non excludit abundantiam spiritualis lætitiæ, ad quam hortatur Apostolus, dicens, Gaudete in Domino semper: (Philipp. IV, 4.) quia virtuosæ tristitiæ salutarique fletui quo debemus nostra quotidie deplorare peccata et Dei offensam atque Ecclesiæ lamentari ruinam, miscetur ac desuper jungitur consolatio bona seu spiritualis lætitia. Deinde gaudet in Domino, qui cum jucunditate interna Deum laudat cantando, orando, celebrando, quemadmodum scriptum est: Ad ipsum ore meo clamavi, et exsultavi sub lingua mea; (Ps LXV, 17.) et rursus: Exsultabunt labia mea quum cantavero tibi, et anima mea, quam redemisti. (Ps. LXX, 23.) Item gaudet monachus in Deo gloriando in beneficiis ejus, in quantum sunt ei necessaria atque accommoda ad serviendum complacendumque ei et ad veram adipiscendam salutem. Hinc beatissima Virgo Christifera: Exsultavit (inquit) spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, etc. (Luc. I, 47, 48.) Item gaudet monachus in Domino delectabiliter exsequendo opera Deo placita, sive ad præcepta ejus sive ad consilia spectent, juxta illud: Servite Domino in lætitia. (Ps. XCIX, 2.) Nam, ut sancti patres nostri Euse-

bius et Bernardus loquuntur, oportet maxime ut prompto animo et corde jucundo cum bona et plena voluntate Domino serviamus. Simus ergo custoditi et diligentes in omnibus, suspiret et stillet ad Deum oculus noster, renuat consolari anima nostra nisi in Deo, et experiemur quam verissime dixit Salvator : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos : jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

Job XVI, 21. *Ps.* LXXVI, 3. *Matth.* XI, 28, 30.

Postremo, quinta descriptio est : Monachus est ordo et consistentia incorporalium in corpore materiali et sordido consummatus. Ubi rursus abstractum et substantivum concretive et adjective sumendum est, utpote « ordo » pro « ordinatus », et « consistentia » pro « consistens », ut sit sensus : Monachus est ordo et consistentia incorporalium, id est homo ordinatus et consistens instar angelorum, in corpore materiali ac sordido : quia in carne non carnaliter, sed spiritualiter vivere debet, atque angelicam ducere vitam in terris, laudibus, orationibus et contemplationibus Dei jugiter insistendo, ut illud Apostoli dicere queat : Nostra conversatio in cœlis est. Conversatio quippe monastica debet omnino esse angelica. Propterea, sicut in angelis nullus angelicorum spirituum aliquid agere præsumit ultra legem sibi divinitus præstitutam, ut libro de Angelica hierarchia Dionysius scribit ; sic claustrales seu monachi contra regulam a patribus sibi latam nil agere debent, sed ubique et in omnibus oportet eos sequi voluntatem spiritualis patris et eam inquirere ac voluntati suæ præponere, quoniam (teste Hieronymo) destructioni est corpus expositum, quum membra discordant a capite. Cœnobium autem, ut dicit Climacus, est cœlum terrenum : propter quod sicut afficiuntur angeli in cœlo circa Deum, ei deservientes ; ita afficiamur in claustro, eidem administrantes, et omnem animæ affectionem in ipso figentes. Hinc sexto capitulo Ecclesiasticæ hierarchiæ Dionysius asserit : In monachis esse debet sollicitudo interna pro proprii cordis pura et incessanti custodia, mentisque elevatio ad superna. Et sicut idem dicit ibidem, monachi a quibusdam per excellentiam cultores et famuli Dei vocantur, quia se totos ad divina obligaverunt obsequia. Attendamus ergo, o fratres, vocationem professionemque nostram, et cuncta carnalia ac terrena pro nihilo adspicientes, Domino majestatis cum omni spirituali profectu jugiter serviamus, ad laudem et gloriam ejus. Amen.

Philipp. III, 20. cap. III. Scal. parad. grad. IV.

SERMO ALTER AD RELIGIOSOS

DE TEMERARIO JUDICIO VITANDO.

Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum. Luc. XVIII, 11.

Carissimi fratres, præbet mihi causam atque materiam ut aliquid loquar vobis de temerario judicio, Pharisæus iste de quo in hujus sanctæ dominicæ recitatur evangelio. Qui certe idcirco fuit a Christo reprobatus, quia de proximo, scilicet de publicano præsente, temere judicavit. Quum enim ignoraret quid Deus in interioribus publicani operaretur, judicavit eum adhuc in veteribus vitiis perdurantem, qui vere et valde tactus, compunctus, inflammatus et illuminatus fuit a Deo, qui potest hoc totum, quum sibi placuerit, in quolibet peccatore quantumcumque impio operari. Item fuit culpabilis et superbus Pharisæus

iste, quia etiam de se ipso incaute ac temerarie judicavit. Nam dato quod ante fuisset justus, non tamen certitudinaliter scivit se habere caritatem et gratiam : idcirco non debuit cum tanta assertione justum et virtuosum se reputare. Quod tamen agendo, fecit contra id quod in *Eccli.* VII, 5. Ecclesiastico scriptum est : Non te justifices ante Deum. Item tertio fuit culpabilis et superbus iste Pharisæus, quia quod aliis se prætulit, non ex vera sapientia aut prudentia, sed ex inconsideratione et ignorantia venit. Non enim consideravit se B ipsum nec alios nisi secundum unum respectum, videlicet se quantum ad bona quæ egit, et alios quoad mala quæ fuerant operati. Debuit autem se considerare ac alios etiam secundum alios diversos respectus, ut infra tangetur.

Sed ad propositam materiam, scilicet de temerario judicio, redeamus : de quo sermonem facere necessarium ac utilissimum judico, quoniam (juxta sententiam sanctorum Patrum) nulla res tantum impedit religiosos a spirituali profectu, sicut C incauta locutio et temerarium judicium. Ut autem procedam ordinate in præsenti materia, primo probabo ex verbis Christi, quod judicare non liceat, præsertim religioso subdito ; secundo idem faciam de verbis et gestis sanctorum Patrum ; tertio declarabo idem per rationes et auctoritates catholicorum Doctorum.

Quantum ad primum, allego caritati vestræ illud quod ait Salvator Matthæi *Matth.* VII, 1. septimo : Nolite judicare, ut non judicemini. Quod etiam Lucæ sexto sic intro- D *Luc.* VI, 37. ducit : Nolite judicare, et non judicabimini. Porro Joannis quinto testatur, dicens: *Joann.* V, 22. Pater omne judicium dedit Filio (ubi dicit Glossa : Judicis injuria est, si ante ejus judicium a servo præcedit sententia ; et Scal. parad. grad. x. Climacus : Judicare, est impudens rapina *Joann.* VIII, 15. dignitatis Altissimi). Et alibi : Ego (inquit) non judico quemquam. Quis ergo Christifidelium quempiam judicare præsumat, præsertim quum omnis Christi actio Christianorum feratur instructio ? Idcirco au-

A tem Christus æterna Dei sapientia tam vigilanter prohibuit inordinata ac temeraria judicia, eo quod celeriter ac frequenter fallamur judicando de aliis, propriis quoque passionibus ac vitiis cæcati multoties arbitremur nos zelo justitiæ et ex virtutibus agere, caritate moveri et recta intentione induci, quum potius impetu passionum et privato amore devotioneque ficta illud agamus : quod ex eo potissime innotescit, quia nos ipsos nec in majoribus nec similibus efficaciter emendamus aut judicari et corripi patimur, de quibus alios judicare atque corripere tam audaces, proni ac præcipites sumus. Quo igitur religiosus præ ceteris magis tenetur sibi soli et Deo intendere, eo plus ab immoderata sui occupatione circa aliorum facta expurgare se obligatur. Quod nequaquam adimplet nisi temeraria vitet judicia, Salomone testante : Qui observator est malorum, opprimetur ab eis. *Prov.* x... 27. Rursus, quemadmodum anima impeditur ab operatione unius potentiæ vehementer insistendo operationi alterius potentiæ, ita eadem potentia animæ multum intenta uni objecto impeditur ab actu circa aliud objectum. Hinc intellectus hominis considerationi, judicationi et suspicioni aliorum inordinate intendens, a sui ipsius necessaria ac saluberrima dijudicatione non mediocriter impeditur; et quanto quis facta aliorum gravius ponderat subtiliusque discutit, tanto propriorum vitiorum, passionum atque defectuum enormitates minus intelligit et intendit, ideo nec emendat, sed miser et *Apoc* III, 1... miserabilis, pauper, cæcus et nudus lamentabiliter perseverat. Insuper, religiosi etsi esse perfecti non teneantur, tamen ad perfectionem quotidie tendere obligantur : alias suæ professioni satisfacere non censentur. Propter quod periculosa et perfectionis impeditiva summe debent abjicere : qualia sunt circa aliorum facta inquirenda, observanda judicandaque occupari.

Unde Climacus : Observatores aliorum *Scal pa... grad. x.* et exploratores operum proximorum sedu-

Scal. parad. grad. x. cti sunt, fumum pro sole tenentes. Idem quoque ait : Acuti judicatores et observatores aliorum hoc agunt, quia de propriis vitiis nondum perfectam pœnitentiam, curam atque memoriam assumpserunt. Si enim quis propria mala velo superbiæ ab intuitu sui oculi interioris abscondita diligenter inspexerit, nequaquam alios judicabit aut observabit, reputans suum tempus sibi non sufficere ad proprium luctum, etsi centum vixerit annis, atque Jordanem Ibidem. flumen totum in lacrimis ex suis viderit oculis procedentem. Et iterum dicit: Quum verum sit, Nolite judicare, et non judicabimini ; constat quia in quibus vituperamus proximum, sive in spiritualibus sive in corporalibus, in eadem incidemus. — Hæc tantum de primo.

Circa secundum, scilicet de gestis et verbis sanctorum Patrum ex quibus dehortatur temerarium judicium, aliqua recitabo. Itaque quinto libro Vitaspatrum, distinctione *Quod non judicemus,* sic legitur : Interrogavit abbas Joseph abbatem Pastorem quomodo monachus esse posset. Cui senex dixit : Si monachus esse cupis, et in hac vita et in futura requiem invenire, noli judex aliorum esse, nec judices aliquem præter te, et dic semper apud te : Quis sum ego? Cui quidam alius Frater dixit : Si video fratrem meum peccare, est bonum eum celare? Cui Pastor ait : Quacumque hora peccatum fratris tui tegis, Deus teget et tuum ; et si fratris tui publicas peccatum, publicabit tuum Deus. — Quum quidam solitarius judicasset Fratrem culpabilem expellendum, abbas Pastor vocato ad se solitario illo, dixit ad eum : Duo homines erant in uno loco, et ambo habebant mortuos suos ; reliquit autem unus mortuum suum, et abiit plorare mortuum alterius. Audiens hoc solitarius ille, et recordatus quod fecerat, compunctus ait : Pastor sursum in cœlo, ego autem deorsum in terra.

Rursus in Vitaspatrum sic legitur : Vita monachi est obedientia, meditatio, et neminem judicare, nec mala videre oculis suis, neque detrahere, nec murmurare, nec agere curiose. — Dixit abbas Pœmen : Hæc sola est justitia hominis, ut reprehendat se ipsum. Tunc enim justus est, quum peccata sua semper adspicit et condemnat, non peccata aliena. Iterum hic abbas dixit : Qui propria horret peccata, omnem fratrem suum beatificat et diligit. — Quidam Frater interrogavit senem, dicens : Si habito cum aliis Fratribus, et video aliquam rem inconvenientem, vis ut loquar? Respondit senex : Si sunt aliqui majores tui aut coætanei, tacens requiem magis habebis. Bonum est tacere. — Senex quidam dixit : Si videris aliquem Fratrem peccantem, ne mittas culpam in eum, sed in illum (id est diabolum) qui eum impugnat, et dic : Væ mihi, quia iste nolens victus est. Et plange, et inquire Dei solatium, quia omnes decipimur. — Dixit abbas Theodorus : Derelinquimus splendidam et directam viam, hoc est, ut plangat se ipsum homo, et suis sit contentus peccatis ; et ambulamus spinosam tenebrosamque viam, ut proximi tantum videamus delicta. — Quidam senex dixit : Nil melius est quam tacere, et Deum rogare ut unde alius cadit tu contineas. — Hæc de secundo principali.

De tertio et ultimo principali, videlicet de rationibus et auctoritatibus sanctorum Doctorum quibus videtur quod non liceat alicui, præsertim religioso subdito, quempiam judicare sive corripere, sciendum quod judicare dupliciter sumitur. Primo stricte et proprie ; sicque eorum dumtaxat est qui jurisdictionem seu auctoritatem vel præsidentiam super alios habent, sive in foro exteriori et contentioso, sive in foro interiori et conscientioso. Unde in secunda secundæ, quæstione sexagesima, Thomas : art. 1. Judicium proprie nominat actum judicis in quantum est judex. Judex autem, secundum Isidorum, dicitur quasi jus dicens. Hoc igitur modo loquendo de judicio, certum est quod nequaquam ad monachos tantum subditos, imo ad nullam privatam personam pertineat, sed solum

ad personas publicas, videlicet principes, A judices ac prælatos. In foro autem conscientioso spectat ad confessores, quorum est de confitentium commissionibus et omissionibus judicare, lepram a non lepra discernere, et pœnam pro modo culpæ imponere.

Secundo judicare sumitur communiter et extense ; sicque judicare, est aliquid tale vel tale affirmare, æstimare, vel aliquid verum vel falsum, bonum vel malum, licitum sive illicitum reputare. Sumendo itaque judicium isto modo, quæritur B an personis religiosis et subditis liceat judicare. Dicendum quod hujus judicii diversæ sunt causæ et varii gradus, secundum doctores super Sententias. Quandoque enim judicatur malum vel bonum de aliquo ex ipsa evidentia facti : ut si quis videat virum opprimere innocentem, et alium innocenti subvenientem. Alio modo istud contingit ex evidentibus signis : ut si quis videat nudum cum nuda in eodem lecto, cum circumstantiis aliis violentam suspicionem de malo facientibus. Et his C modis judicare malum de proximo, nullum peccatum est, et cuilibet licet, scilicet de manifestis et inexcusabilibus malis, secundum Alexandrum de Hales. Tertio judicatur malum de proximo ex levibus signis et causis : et in hoc judicio temerario triplex est gradus. Primus, dum quis ex levibus signis incipit dubitare de bonitate fratris : et hoc veniale peccatum est, procedens ex infirmitate humana ; et hoc non proprie vocatur judicium, sed magis suspicio. Secundus gradus, quando ex levibus D signis firmiter tenet de fratre quod malus sit : et hoc proprie appellatur judicium, quia judicium importat firmatam sententiam. Estque hoc ipsum mortale peccatum, si malum quod taliter judicat de fratre, mortale peccatum est : hoc namque est contra caritatem. Tertius gradus, dum ex levibus causis et signis non solum præfato modo judicat, sed insuper ad fratris punitionem procedit, affligendo aut accusando eum quasi de facto. Hoc prædictis est gravius, quia tam caritati quam justitiæ adversatur.

Itaque, dum ait Salvator, Nolite judicare, *Matth.* [vii,] 1; *Luc.* [vi,] 37 ; *Joan.* vii, 24. omni homini prohibetur judicium inordinatum, videlicet perversum et usurpatum ac temerarium, judicium etiam ex levibus signis secundum tres gradus præfatos.

Ex præhabitis patet an per suspiciones vel ex suspicionibus liceat judicare. Ad quod Thomas et ceteri doctores respondent, quod suspicio est opinio mali de aliquo ex levibus causis et signis concepta ; et procedit ex triformi origine. Primo ex malitia suspicantis, qui sibi de propria malitia conscius, faciliter judicat alios esse tales qualis est ipse. Unde dicit Chrysostomus super Matthæum : Difficile aliquem suspicatur bonum qui ipse malus est. Secundo procedit suspicio ex malo affectu ad alterum : sicut qui alium odit vel ei irascitur, cito suspicatur malum de ipso. Hinc hujuscemodi suspiciones perversæ sunt, sicut earum origines, nec ex eis judicare est licitum. Tertio procedit suspicio ex quadam experientia. Idcirco, juxta Philosophum secundo Rhetoricæ, senes sunt magis suspiciosi, quia ex temporis diuturnitate aliorum defectus magis experti sunt, et verisimilius conjiciunt atque considerant, juxta illud Ecclesiastici : Vir *Eccli.* xxxiv, 9. in multis expertus cogitabit multa. Hæc autem suspicio minus culpabilis est, quia ex meliori causa, scilicet experientia quadam, procedit, et certitudini magis propinquat. Sicut autem de judicio temerario dictum est, simili modo suspicio temeraria peccatum mortale est, si procedatur usque ad firmam assertionem de malo, præsertim si malum quod alteri ex suspicione imputatur mortale exsistit. Propter quod dicit Augustinus : Caveto omnes suspiciones ; sæpe enim probatur incerta suspicio, quæ viro non convenit christiano. Suspicio contrariatur caritati, quæ est vita animæ : quia, ut dicit Bernardus in quodam sermone, suspicio non patitur credere nos ab aliis amari. Contrariatur etiam humilitati.

Scal.parad. grad. XXII. Unde dicit Climacus : Superbia est condemnationis et temerarii judicii mater, negatio Dei, vitiorum custos, effugatio adjutorii Dei, mos dæmoniacus. Superbis Deus resistit : quis ergo eorum poterit misereri? Hæc Climacus. (Jacob. IV, 6; I Petr. V, 5.)

Patet ex iis, carissimi, quod summe periculosum est subditis, præsertim passionatis, judicare alios. Unde maxima diligentia cavendum est eis ne proni sint judicare eos ad quos minus bene afficiuntur seu inclinantur, et contra quos cito tentantur, ne passione cæcati, de illis judicent vitiose. Unde de magnitudine periculi et peccati temerariæ judicationis et suspicionis sic scribit Chrysostomus super illud Matthæi, Nolite judicare : Non oportet, inquit, exprobrare delictum, aut eum qui peccato aliquo præventus est insolenter obruere, nec persequi jurgio, sed monere consilio. Non enim illum, sed temetipsum profecto condemnas, et facis tibi ipsi terribilius esse judicium, cogisque adversus te diligentissimam etiam de minimis fieri ultionem. Ut enim diligentius tua examinentur peccata, legem primus ipse posuisti, severius de iis quæ proximus peccaverat judicando. Sunt autem hæ diabolicæ tentationis insidiæ : nam qui severe discutit aliena, nunquam propriorum reatuum merebitur veniam. Iterum ait Chrysostomus : Si nullum nobis aliud esset peccatum admissum, pro hoc solo nos gehennæ tradi satis abundeque sufficeret : quippe qui in aliorum delictis severi et amarissimi judices residemus, nostras autem trabes oculis nostris infixas non cernimus ; qui aliena etiam minima tam sollicite perscrutamur, et ad condemnandos ceteros omne vitæ nostræ tempus absumimus. A quo vitio neque sæculi hominem neque monachorum ullum facile invenies liberum. Hæc Chrysostomus. (Matth. VII, 1. — Ibid. 3.)

Quomodo autem possumus nos aliis in donis gratiæ præferre, aut temere de aliis judicare, qui incerti sumus an amore an odio digni simus? Hoc est primum remedium contra spiritualem superbiam et temerarium judicium. Secundum est, quia etsi probabiliter agnoscimus nos esse in caritate et gratia, prorsus tamen nescimus an finaliter Deo placebimus et in gratia vitam finiemus. Tertium, quia de proximis nescimus quales sint in prædestinatione divina : quia qui nunc pessimus esse videtur, subito potest compungi, ac Deo agente optimus fieri. Quartum, quia homo non est bonus judex in propria causa, et multipliciter ac facile potest errare de aliis judicando. Quintum, quia etsi homo aliunde bonus exsisteret, tamen sola superbia, quæ temerarii judicii mater est, destruit omnia, si comitetur. Si itaque omnia jam prætacta profunde ac rite consideravimus, erimus vere humiles, defectuosi, viles et contemptibiles in oculis propriis, omnem detestantes superbiam omnemque temerariam judicationem et suspicionem. (Eccle. IX, 1.)

Sed finiamus sermonem in verbis exhortationis beatissimi Bernardi ita dicentis : Cave alienæ conversationis esse curiosus explorator aut temerarius judex. Etiam si perperam actum quid deprehendas, nec sic mox judices proximum, magis autem excusa intentionem, si opus non potes : puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem vel omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilo minus ipse tibi, et dicito apud temetipsum : Vehemens fuit nimis tentatio, quid de me illa fecisset, si in me accepisset similiter potestatem ? Ita faciamus, dilectissimi. Omnis sermo malus ex ore nostro non procedat ; omnis amaritudo et ira et indignatio tollatur a nobis cum omni malitia. Consideret unusquisque nostrum quam misericorditer ac patientissime Deus egerit secum, et similiter etiam agat ipse cum proximis suis errantibus. Simus invicem benigni, compatientes, misericordes, donantes invicem, sicut Deus donavit nobis in Christo. Cui est honor et gloria in sæculorum sæcula. Amen. (Ephes. IV, 29, 31. — Ibid. 32.)

INDICES

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

PSALMORUM.

PROVERBIORUM.

ECCLESIASTÆ.

CANTICI CANTICORUM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ISAIÆ.

JEREMIÆ.

THRENORUM.

MARCI.

LUCÆ.

JOANNIS.

ACTUUM.

AD ROMANOS.

I AD CORINTHIOS.

II AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

I AD THESSALONICENSES.

I AD TIMOTHEUM.

AD HEBRÆOS.

JACOBI.

I PETRI.

II PETRI.

I JOANNIS.

JUDÆ.

INDEX ANALYTICUS

A

B

C

D

E

G

H

L

M

N

O

P

Q

S

T

U

V

X

Z

INDEX GENERALIS

DE MEDITATIONE.

DE FONTE LUCIS AC SEMITIS VITÆ.

DE CONTEMPLATIONE LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

SONUS EPULANTIS.

INFLAMMATORIUM DIVINI AMORIS DIALOGUS.

DE PERFECTIONE CARITATIS DIALOGUS.

DE PARTICULARI JUDICIO IN OBITU SINGULORUM DIALOGUS.

DE QUATUOR HOMINIS NOVISSIMIS.

EPISTOLÆ.

OPERA INEDITA.

Emendanda. Pag. 74 C', lin. 1 : eris vino, *lege* eris, imo ; — 164 B, lin. 8 : aliquem,... aliquam ; — 245 D, lin. 1 : Itinerarius,... Itinerarium ; — 270 C', lin. 4 : subjectum,... objectum ; — 299 D', lin. 5 : materiali,... immateriali ; — 398 A', lin. 5 : usu provide,... usu, provide ; — 560, lin. 16 ab infra : VIII,... XXII ; — 561, lin. 4 ab infra : seq.),... seq.) » ; — 617 A, lin. 12 : Geldrensi,... Geldriensi.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.

Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.